
68
OTIVM
SINE LITERIS
MORS EST
Seneca
Ex Libris Joannis Nencini

M. VALERII MARTIALIS EPIGRAMMATA

PARAPHRASI ET NOTIS VARIORUM SELECTISSIMIS,

AD USUM

SERENISSIMI DELPHINI,

INTERPRETATUS EST

VINCENTIUS COLLESSO, J. C.

NUMISMATIBUS, HISTORIAS ATQUE RITUS ILLUSTRANTIBUS, EXORNAVIT

LUD. SMIDS, M. D.

AMSTELÆDAMI,
Apud G. GALLET, Præfectum Typographiæ HUGUETANORUM.

M. DCCI.

SERENISSIMO
DELPHINO
S. P. D.

VINCENTIUS COLLESSO J. C.

M*OS antiquus etiam nunc obtinet*, SERENISSIME DELPHINE, *ut qui literarium opus in lucem editurus ſit, vindicem ſibi adverſus malevolos conciliet. Felicem Martialem, qui tandem hodierno die ad Te accedat; me feliciorem dixerim, qui Tibi*, SERENISSIME DELPHINE, *offeram lepidum hunc Poëtam, in carpendis vitiis acutiſſimum, virtutis vero defenſorem acerrimum. In uſus tuos juſſu Ludovici Magni interpretatione & notis illuſtrandum illum ſuſceperam: ſed fato noſtro ſerius in lucem prodiit Poëta, abs Te pridem nedum Minervæ ludo, ſed & diſciplinæ equeſtris ſtadio feliciter decurſo. In Te enim tam egregia, & tam præclara indoles eſt, ut, quibus indulſiſti artibus, iis omnibus ſummum attuleris ornamentum. Quantus vero ſit oris tui*

..ecor, quanta morum ſuavitas, quam acre ingenium tacitus admiror. Nimirum paternam refers ſapientiam incredibilem, ac pene divinam. Ludovici Magni clementiam, res geſtas, disjunctiſſimas regiones curſibus peragratas, ſimul & victoriis illuſtratas totus ſtupet orbis. Te, SERENISSIME DELPHINE, *ſimillimum tanto genitori filium verbo uno cum affirmo, laudum omnium materiam ſtatim exhauſiſſe mihi videor. Ergo Tibi auxilio jam eſſe nequit noſter Poëta, at delectationi eſſe poterit. Si quando, dum quieſcit Europa benignitate Maximi tui Parentis, Tu ſaltem rerum bellicarum imagine, venandi ſcilicet ſtudio in montes & ſilvas raptus vel unam horam donaveris Martiali:*

Retia dum ceſſant, latratoreſque moloſſi;
Et non invento ſilva quieſcit apro.

Nec horam totam perdideris forte oblectatus ſalibus Atticis noſtri Poëtæ, & hominum moribus, quos deſcribit elegantiſſime. Hoc ſi contigerit, merito gratulabor & Martiali, & mihi. Vale, SERENISSIME DELPHINE, *diuque Galliarum populis vive.*

Lut. Pariſ. Calendis Maiis
M. DC. LXXX.

A D

AD LECTOREM.

AUCTORES Latinos commentariis alii brevioribus, alii tam diffusis illustrarunt, ut nec hos, nec illos facile capiant juvenes, quorum ætati non ita exigua, nec adeo ingentia conveniunt volumina. Quapropter in usum SERENISSIMI DELPHINI jussit LUDOVICUS MAGNUS, Historicorum & Poëtarum Latinorum verba ad verba faciliori interpretatione, adjectis deinde notis breviter & nitide explicari. Hoc munus multis viris ingenio & doctrina præstantibus fuit impositum: mihi autem hæc contigit provincia, ut MARCI VALERII MARTIALIS opera modo præscripto in lucem edi curarem. Hoc initum consilium ad promovenda Augusti Principis studia, Tibi etiam, CANDIDE LECTOR, licet per regiam munificentiam in tuos usus convertere.

Sic LUDOVICUS MAGNUS ferventium undique armorum strepitu, dum solus nec totus quidem sufficit tot potentissimis hostibus in victrices Gallias conjuratis, cogitat tamen artes ingenuas, quibus informandum Augustum Filium commiserat nobilissimo CAROLO SANCTÆMAURÆO Duci Montauserii illustrissimo. Elegit Rex sapientissimus virum moris antiqui, bello ac pace conspicuum, cujus prisca fides, amor recti, res gestæ domi militiæque exemplo essent SERENISSIMO DELPHINO. Ille statim meditatus qua posset ratione erudiri Augustus Princeps, faciliorem hanc excogitavit, quam Tibi subjeci.

Illustrissimus ac Reverendissimus Episcopus Condomensis JACOBUS-BENIGNUS BOSSUËTIUS Præceptor ascitus est. Vir ille sacrarum & humaniorum lite-

literarum peritissimus, Magister docendi facundissimus tam suaviter variis disciplinis imbuit SERENISSIMUM DELPHINUM, ut quæ præcepta defatigationi aliis, Ipsi fuerint voluptati. Porro in partem tanti operis perficiendi, quo nihil deesset Augusto Principi, adjunctus est PETRUS-DANIEL HUETIUS Abbas Alnetensis: vir propitio Apolline natus, qui omnes omnium literarum partes felicissima ingenii ubertate complexus est, & mirum in modum excoluit. HUETIUM nominasse sufficiat, cujus nominis fama in Republica literaria jamdudum percrebuit. Vir ille nobilissimus atque eruditissimus quibusdam in locis obscurissimis comiter mihi monstravit viam, quibus si quid lucis accesserit, ipsi acceptum refero.

His initiis institutus adolevit SERENISSIMUS DELPHINUS: quem crescentem sumus admirati, eundem toti orbi jam esse admirationi, atque expectationi congratulamur.

Pauca quæ supersunt habeo, quæ Te scire velim. Variorum scriptorum notis usus sum sæpius, quos passim honoris caussa nominavi; & de quibus bene meritum me fateor lubenter. Quæ caractere Romano lemmatibus adjecta reperies, ea ego addidi brevia argumenta epigrammatum. Utplurimum corrupta sunt, & a Grammaticis inscripta; exceptis libris decimo tertio, & decimo quarto, quibus apposita videntur lemmata ab ipso Martiale, epig. 3. lib. 13. & epig. 2. lib. 14.

Josephi Langii indicem subjeci, mendis innumeris sublatis. Junii editionem quam secutus est Langius omnium optimam, fideliter quoque sum secutus, non prætermissis variis lectionibus. Doctissimi Mathæi Raderi e Societate JESU quatuor capita, quæ sequuntur, apposuimus. Primum est de vita Martialis, secundum de illius libris & scriptis, tertium continet testimonia scriptorum de Martiale, quarto denique agitur de epigrammate. Vale.

AD

AD

M. VALERII MARTIALIS

EPIGRAMMATUM

LIBROS

PROLEMMATA.

VITA MARTIALIS EX IPSO MARTIALE POTISSIMUM DEPROMPTA.

CAPUT I.

MARCUS VALERIUS MARTIALIS COQUUS, patre Frontone, matre Flaccilla, Bilbili in Celtiberia natus, Calagurritanus fuit alumnus, quam obscurus majorum natalibus, tam clarus ingenii monumentis. De nominibus Poëtæ constat ex omnium codicum fide, qui M. Valerium Martialem præferunt, quæ, num ipse sibi adsciverit, an a parentibus acceperit, in medio relinquo. Quanquam

Marci & Valerii Romana nomina Romæ primum aſſumpta judico. Civem enim Romanum fuiſſe, nullus dubito, cum aliis ipſe civitatem impetraret, ut lib. 3. epig. 94, gloriatur in Nævolum:

> *Quot mihi Cæſareo facti ſunt munere cives,*
> *Nec totidem famulos ſuſpicor eſſe tibi.*

Nec factum, ſed natum, alioqui patronum ſuum carmine laudaſſet. Facilis vero erat tum aditus ad jus civitatis, quod Claudius tam vile fecerat, ut vitreis fractis vulgo diceretur emi. Otho vero peregrinis etiam donavit, ut Dio in Claudio & Othone teſtatum reliquit. Bilbilis colonia Auguſta dicta eſt, ut ipſe ſcribit lib. 10. epig. 103.

> *Municipes Auguſta mihi quos Bilbilis acri*
> *Monte creat* ———

Et extat in Tiberii Imperatoris æreo nummo AUGUSTA BILBILIS; Veſpaſianus autem, Plinio teſte lib. 3. cap. 3. univerſæ Hiſpaniæ jus Latii dedit, civitatem poſtea Caracallus. Marci ergo & Valerii nomina more civium Romanorum, qui prænomen, nomen, cognomen ferebant, ſibi Poëta legit, arbitratu reor ſuo. Marci forte & Martialis quod menſe Martio eſſet editus. Illi enim Marci, ut veteres tradunt, vocabantur. Valerii nomen vel a Mœcenate ſuo aliquo Valerio, vel Valerio Flacco familiari Poëta, vel forte ob memoriam Catulli quem eſt imitatus, qui & ipſe Valerius audivit, ſibi ſumpſit: nec enim a majoribus acceptum arbitror, etſi non ignoro, nomina novis civibus aſſumpta ab iis, quorum beneficio civitatem impetraſſent, ſua vero pro cognominibus ſervata. Quod lib. 1. de bello Gallico Cæſar oſtendit, cum ait: *Commodiſſimum viſum eſt M. Valerium Procillum, Caii Valerii Caburri filium, cujus pater a Caio Valerio Flacco civitate donatus erat, mittere.* Et Cicero ad Acilium ſcribens idem tradit: *Cum Demetrio Mega mihi vetuſtum hoſpitium eſt, ei Dolabella rogatu meo civitatem impetravit, qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur.* Idem ad eundem Acilium ſcribens ait: *C. Avianium Philoxenum Cæſar meo beneficio in Novocomenſes retulit. Nomen autem Avianii conſecutus eſt, quod homine nullo plus*

usus est quam Flacco Avianio meo familiarissimo. Item in Verrem: *Q. Lutatius Diodorus beneficio Q. Catuli a Sulla civis Romanus factus, eademque ratione de Dione, qui beneficio Q. Metelli civis factus. Q. Cæcilius Dio est appellatus.* Sub Imperatoribus quum Romana civitas integris provinciis daretur, hi qui civitatem Romanam consequebantur, vel Imperatoris prænomen & nomen, vel ejus, aut eorum, quorum præcipue subsidio civitatem impetrassent, nomina ferebant. Verum cum Antoninus Caracallus Imperator constitutionem edidisset, quæ lib. 1. Digestorum sub titulo *de statu hominum* refertur, qua omnes eos qui in urbe Romana (Alii *orbe Romano*) essent, cives esse voluit; tum pro cujuscumque arbitrio nomina sumpta, aut nobilissimarum familiarum quæ jam defecerant, aut nova excogitata, vetere vocandi consuetudine, quæ ad ea usque tempora parum certe violata perduraverat, paulatim postea labante. Quæ præcipua causa fuit (quod portento simile est) ut post Caracalli tempora, intra paucissimos annos horum nominum usus per mille annos conservatus, omnino dissipatus, & in nova vocabula transformatus. Nam nulla deinceps nominis, prænominis vel cognominis distinctio observata est; sed omnia in fœdissimam barbariem versa, antiquitatis cognitionem omni ex parte perdiderunt. Hæc Panuinius de antiquis nominibus Romanorum. Vide & Sigonium & Ursinum de nominibus & familiis Romanorum, Volaterranum Anthropol. Martial. (quamvis & hoc Romanum) à parentibus indigitatum sive a Kal. Martiis, quibus est editus, sive majorum arbitratu ob Martis cultum & memoriam censeo. Martiales porro nostro Poëtæ fere æquales plures lego apud scriptores. Est apud Lampridium Gargilius Martialis, paulo tamen nostro Martiale junior. Celebrat Tacitus Cornelium Martialem primipilarem. Laudat noster Martialis Julium Martialem familiarem suum.. Vixit eodem fere ævo S. Martialis, Gallorum Mystagogus, Lemovicensis Pontifex, scriptis primum suis nobilitatus, dein etiam sanguine pro Christi nomine profuso purpuratus. Notus est & ille Martialis apud Herodianum lib. 4. Caracallæ percussor. De Kalendis Martiis Poëtæ natalitiis ita lib. 10. epig. 24. Martialis ipse canit:

Natales mihi Martiæ Kalendæ
Lux formosior omnibus Kalendis,

Et

Et lib. eodem epig. 92.

Martem mearum principem Kalendarum.

Coquus audit apud Lampridium in Alexandro Severo, *ut Martialis Coci*, inquit, *Epigramma ſignificat, quod contra quandam Gelliam ſcripſit hujuſmodi:*

Quum leporem mittis.

Coquum item appellat Joannes Soliſberienſis lib. 8. Polycrat. cap. 6. & cap. 13. & lib. 7. cap. 12. Auctor Sophologii, præter alios quoſdam qui vitam Martialis conſcripſerunt. Quod nomen an gentilitium ſit, an poſthumum & hominum ſtudio inditum, non decerno. Sunt qui cenſeant a conviviis quæ frequentet celebrat, Xeniis, Apophoretiſque hoc illi nomen conditum, alii re ipſa coquum egiſſe principio exiſtimant. Titius lib. 7. cap. 21. A majoribus adhæſiſſe illi potius exiſtimem, ſeu parens coquus ab artificio audiit, ſeu a majoribus accepit. Ob tam pauca epigrammata, quibus convivia celebrat, nomenclaturam hanc indeptum eſſe non eſt vero ſimile. Eſt cum κατ' ἀντονομασίαν epigrammatarius, ut Homerus vel Virgilius Poëta, Demoſthenes vel Cicero orator, Philoſophus Ariſtoteles dicitur. Parentum nomina, niſi filius cantaſſet, oblivione ſepulta jacerent, liber 5. immortalia reddidit epig. 35.

Hanc tibi Fronto pater, genitrix Flaccilla puellam.

Parentem tamen affirmant aliqui coquum dictum lectumque. Uxorem habuit Clodiam Marcellam ex gente Claudia plebeia, lib. 12. epig. 21.

Municipem rigidi quis te Marcella Salonis,
Et genitam noſtris quis putet eſſe locis?

Et mox:

Te cito ridebit peregrinus gloria partus
Romanam ducat quam magis eſſe nurum.

Ita diſtichon hoc legit Johannes Scaliger ad illud Catullianum:

Dulce

Dulce rideat ad patrem.

Ex Martiale tamen discis, Clodiam hanc Marcellam, non Romanam, sed Hispanam & Bilbilitanam patria fuisse, ut merito dubitare possis, an ex gente Claudia Romana fuerit hæc Marcella. Versum ergo Martialis rectius scripserim, ut ante habuit:

Nec cito ridebit peregrini gloria partus.

In patria laudanda tam diligens & frequens est, ut illius amantissimum facile intelligas lib. 1. epig. 62.

Te, Liciane, gloriabitur nostra
Nec me tacebit Bilbilis.

Lib. eodem epist. 50.

Vir Celtiberis non tacende gentibus,
Nostraque laus Hispaniæ,
Videbis altam, Liciane, Bilbilin
Aquis & armis nobilem.

Lib. 10. epig. 103.

Municipes Augusta mihi, quos Bilbilis alto
Monte creat, rapidis, quos Salo cingit aquis.
Ecquid læta juvat vestri vos gloria Vatis?
Nam decus & nomen, famaque vestra sumus.

Et mox in sequenti:

Illinc te rota tollet, & citatus
Altam Bilbilin, & tuum Salonem
Quinto forsitan essedo videbis.

Lib. 12. epig. 18.

Me multos repetita post Decembres
Accepit mea, rusticumque fecit
Auro Bilbilis & superba ferro.

Sed de patria Martialis & hac Bilbili plura lib. 1. epig. 50. Romam venit, cum annum ageret alterum & vicesimum, egit in

in urbe annos quinque supra triginta, discessit septimo & quinquagesimo. Quod ipse me docet Poëta cum lib. 12. epig. 31. de hortis Marcellæ uxoris ita canit:

Munera sunt domino post septima lustra reverso.

Lib. vero 10. epig. 104. a patria se triginta quatuor annos abfuisse adhuc in urbe degens scripsit. Porro lib. 10. epig. 24. de suis Kalendis monet se quinquagesimum septimum annum attigisse:

Quinquagesima liba septimamque
Vestris addidimus hanc (vel huc) acerram.

Ex quibus concludo, poëtam sub Galba, Othone, Vitellio, Vespasiano, Tito, Domitiano, Nerva, Trajano Romæ vixisse, cum, ut plane sentio, sub primum vel alterum Trajani annum, quod ab eo negligeretur, in patriam redierit, ibique post quadriennium, summum quinquennium exactum, ultimum vitæ diem clauserit, ita ut ἑξηκονταέτης fere obierit, aut biennium ultra vitam propagarit. Romæ Domitiano, immo & Tito carus gratusque fuit, magnisque honoribus & donis ab utroque ornatus. Jure nempe trium liberorum, quod solus Imperator conferebat, maximæque argumentum gratiæ erat. De quo Plinius minor, Tacitus, Lipsius, alii, & nos suo loco. Gloriatur de hoc munere poëta lib. 3. epig. 94.

Præmia laudato tribuit mihi Cæsar uterque
Natorumque dedit jura paterna trium.

Et lib. 9. epig. 99.

Rumpitur invidia, tribuit quod Cæsar uterque
Jus mihi natorum, rumpitur invidia.

Et lib. 2. epig. 92.

Natorum mihi jus trium roganti
Musarum pretium dedit mearum
Solus qui poterat. Valebis uxor,
Non debet domino perire munus.

Creatus est tribunus, quod lib. 3. epig. 94. jactat:

Est

Est & in hoc aliquid vidit me Roma tribunum.

Ornatus est equestri dignitate. Ibidem,

Et sedeo qua te suscitat Oceanus.

Hoc est, specto in theatris ludos in equestribus, quo solis equitibus licet aspirare. Prædicat eandem lib. 5. epig. 13.

Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper,
Sed non obscurus, nec male notus eques.

Auctus est donis in urbe & ruri. domicilium sibi assignatum in urbe, & rus suburbanum docet lib. 9. epig. 99.

Rumpitur invidia, quod rus mihi dulce sub urbe est,
Parvaque in urbe domus, rumpitur invidia.

Et lib. 10. epig. 58.

Dura suburbani dum jugera pascimus agri
Vicinosque tibi, sancte Quirine, lares.

Lib. item 8. epig. 61.

Sed quod sub urbe rus habemus æstivum,
Vehimurque mulis, non ut ante conductis.

Prædium Nomentanum pluribus versiculis nobilitat lib. 6. epig. 43. lib. 7. epig. 92. lib. 10. epig. 94. & 48. lib. 13. epig. 119.

Italiæ quoque partem eam obiit poëta, quam olim Æmiliam. seu togatam Galliam dixere, nunc Lombardia cis Padum nuncupatur, ibique nobilissimas urbes lustravit: Forum Cornelii, seu Immolam, unde tertium epigrammatum librum emisit, ut lib. 3. epig. 1. & 4. scribit:

Hoc tibi, quidquid id est, longinquis mittit ab oris
Gallia Romanæ; nomina dicta toga.

Et:

Si quibus in terris, qua simus in urbe rogabit,
Corneli referas, me licet esse foro.

Ra-

Ravennam, item olim caput Piceni, ut docet vetus inscriptio: & in Venetorum ditione uti & Patavium & Altinum, Aquileiam Fori Julii primariam urbem: quæ civitates adeo poëtæ arrisere, ut constituerit, extremam illis ætatem consecrare; sic enim lib. 4. epig. 25. testatur:

Vos eritis nostræ portus, requiesque salutis,
Si juris fuerint, otia nostra sui.

Amicis usus est, præter Cæsares, claris, & potentibus, & multis: Stertinio, quem Avitum vocat, Deciano, Liciniano, Stella, Nepote, Lupo, Plinio juniore, Cornelio Prisco, Julio Martiale, Regulo oratore, Quinctiliano, Quincto Ovidio, Juvenale, Valerio Flacco, Silio Parthenio tyrannoctono, aliisque compluribus, quos passim in suis libris æternis ornat elogiis. Librarium puerum habuit, Afrum Demetrium, quem moriturum, sero nimis, libertate donavit, de quo lib. 1. epig. 102.

Illa manus quondam studiorum fida meorum
Et felix domino, notaque Cæsaribus.

Gravi morbo semel duntaxat, dum Romæ vixit, tentatus est, lib. 8. epig. 25.

Vidisti semel, Oppiane, tantum
Ægrum me male, sæpe te videbo.

Lib. 6. epig. 58. se jam prope conclamatum ait:

O quam pene tibi Stygias ego raptus ad undas
Elysiæ vidi nubila fusca plagæ.

Domitiano sublato, Parthenio Mœcenate amico aulico a militibus interfecto, cum apud Nervam parum, apud Trajanum nihil posset, rerum urbanarum tædio affectus, urgentibus jam tædio & fatis patriam repetivit, in eaque, confecto per triennium libro duodecimo, naturæ concessit: neque enim tam gratam & suavem vitam, quam in patria speravit, invenit, imo emulorum municipum dente laceratus assidue, ex ægritudine

credo

credo animi morbum concepit, & periit. Nam paulo post, ejus mortem Plinius eleganti ad Priscum epistola deploravit, simulque velut funebria persolvit. Forma oris, & voce virili fuit, piloso & hirsuto corpore, ut illa gens plerumque solet. Hoc poëta ostendit, cum lib. 10. epig. 65. Carmenionem carpit, seque ipsum depingit:

Hispanis ego contumax capillis.

Et:

Hirsutis ego crinibus, genisque
Os blæsum tibi, debilisque lingua,
Nobis filia fortius loquetur.

Scripserunt eandem Martialis vitam Calderinus, Sipontinus, Georgius Alexandrinus, Petrus Crinitus, & alii hos secuti. Nos ex ipo Martiale Martialem voluimus depingere.

DE LIBRIS ET SCRIPTIS MARTIALIS.

CAPUT II.

QUod nobilissimis scriptoribus usu venit, uti plurimos eorum labores, aut casus, aut bellum, aut vetustas ipsa detereret & obliteraret, hoc, nostro quoque Martiali aliqua ex parte accidit: neque enim omnia illius scripta Poëmatave perannarunt, canit ipse de suis nescio quibus juvenilibus & apinis lib. 1. épig. 114.

Quæcunque lusi juvenis & puer quondam
Apinasque nostras, quas nec ipse jam novi, &c.

Perierunt & quædam de libro singulari seu Spectaculorum (quem quidem ipse, meo judicio, collegit: itaque, ut legitur, composuit, præter inscriptiones quasdam parum aut omnino epigrammati non convenientes) Nam lib. 1. quædam citat epigrammata de libro Amphitheatri, quæ non reperiuntur. Ad Stellam lib. 1. epig. 45. ita scribit:

Lasci-

Lascivos leporum cursus lususque leonum,
Quod major nobis, charta minorque gerit,
Et bis idem facimus: nimium si Stella videtur
Hoc tibi: bis leporem tu quoque pone mihi.

Majorem chartam librum primum interpretor, quod plura epigrammata contineat quam liber Spectaculorum, qui quidem ad Titi laudes, & Amphitheatrum, seu ludos in amphitheatro editos potissimum, ut doctissimus sentit Lipsius, est referendus. A Poëta, post Titi mortem, recognitum arbitror, & inscriptiones epigrammatum ita positas, ut possent pleræque ad Domitianum, qui sibi patris fratrisque opera omnia transcribebat, referri atque intelligi. De quo infra copiosius. Epigrammatum libros, præter singularem, composuit duodecim, quos non simul in manus hominum dedit; sed ut quemque absolverat, ita in literas misit, quod ex epistolis & multis epigrammatis lector cognoscet. Revocavit tamen editos, & quosdam emendavit, ut fatetur lib. 10. epig. 2.

Festinata prior decimi mihi cura libelli
Elapsum manibus nunc revocavit opus,
Nota leges quædam sed lima rasa recenti
Pars nova major erit: lector utrique fave.

Et hæc forte causa sit, cur exemplaria hodierna tantum inter se differant; Aldina, inquam, & Calderina seu vulgaria. Nos Juniana secuti sumus.

Librum 13. & 14. hoc est, Xenia & Apophoreta ante librum 10. & sequentes scripsit, vivo adhuc tyranno Domitiano, cui in Xeniis & Apophoretis blanditur. Nam illud profecto Domitianum spectat, cui lemma Anser est:

Hæc servavit avis Tarpeii templa tonantis:
Miraris: nondum fecerat illa Deus.

Utique Domitianum vocat Deum, qui incensum Capitolium restituit, ut supra ostendimus. Nec de alio intelligo primum distich[illegible] lib. 14.

Syn-

Synthesibus dum gaudet eques, dominusque Senatus
Dumque decent nostrum pilea sumpta Jovem.

Jovem Domitianum more suo appellitat, ut supra:

Me meus in terris Juppiter ecce tenet.

Cæterum, quod generatim ad universa poëtæ epigrammata attinet, non ita admiror omnia, ut vel paria, vel omnia præstantissima judicem. Sunt alia aliis meliora: quod ipse fatetur de suis, lib. 1. epig. 12. scribit:

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura
Quæ legis: hic aliter non fit, Avite, liber.

Et lib. 7. epig. 30.

Triginta toto mala sunt epigrammata libro:
Si totidem bona sunt, Lause, bonus liber est.

Quod vero monent nonnulli, ut mala a bonis secernantur; maleque natis infœlix nota adscribatur, id curæ alteri non invidebo. Ego quæ forte an acutissima censeo, alius plumbea dicat; nec enim doctissimis etiam in hac censura convenit, quod Ciceronis & Plutarchi, qualium, Deus bone, virorum judicia ostendunt, quorum alter omnium seculorum auctoritate comprobatus Cicero Timæi dictum de Dianæ absentia in ejus templi conflagratione, ut argutum & acutum celebrat ac miratur: Alter vero Plutarchus in Alexandri vita tam frigidum ait eundem Hegesiæ jocum, (in nomine quoque controversia est) ut ipsum etiam incendium restinguere potuerit. Victorius lib. 16. Var. cap. 15. commendat Adagiographus Palladæ Græci epigrammata, elevat eadem ac penitus deprimit H. Stephanus, ut verissimum sit illud Luciani:

Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι διάκριτόν ἐστι νόημα
Ἀλλ' ὃ σὺ θαυμάζεις τοῦθ' ἑτέροισι γέλως.

Editur humana eximium nil mente: Sed illud
Quod tu miraris, ridiculum est aliis.

 Nun-

Nunquam fiet, ut omnes eadem mirentur amentque: quot capita, tot sententiæ. Præclara tamen pleraque sunt hujus poëtæ epigrammata, in quibus nullum habet secundum. Accedit, mihi necessario multa prætereunda, quæ tibi forte maxime jucunda.

TESTIMONIA SCRIPTORUM DE MARTIALE.

CAPUT III.

OMNIUM nobilissimum testatissimumque est C. Plinii Cæcilii Secundi, poëtæ æqualis & amici, cujus judicium merito tanti fit ab omnibus, quanti Plinius hic ipse ab omnibus fieri solet, cujus ad Cornelium Priscum epistolam de Martiale apponam.

CAIUS PLINIUS *Cornelio Prisco S.*

Audio Valerium Martialem decessisse, & moleste fero. Erat homo ingeniosus, acutus, acer, & qui plurimum in scribendo, & salis haberet & fellis, nec candoris minus. Prosecutus eram viatico secedentem, dederam hoc amicitiæ, dederam etiam versiculis quos de me composuit. Fuit mos antiquis, eos qui vel singulorum laudes, vel urbium scripserant, aut honoribus, aut pecunia ornare. Nostris vero temporibus, ut alia speciosa & egregia, ita hoc inprimis exolevit. Nam postquam desivimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Quæris qui sint versiculi, quibus gratiam retulerim? Remitterem te ad ipsorum volumen, nisi quosdam tenerem. Tu, si placuerint hi, cæteros in libro requires. Alloquitur Musam. Mandat, ut domum meam in exquiliis quærat, adeat reverenter.

Sed

Sed ne tempore non tuo desertam
Pulses ebria januam, videto:
Totos dat tetricæ dies Minervæ.
Dum centum studet, auribus virorum
Hoc, quod secula posterique possint
Arpinis quoque comparare chartis
Seras tutior ibis ad lucernas.
Hæc hora est tua, dum furit Lyæus
Dum regnat rosa, dum madent capilli,
Tum me vel rigidi legant Catones.

Meritone, qui hoc de me scripsit, & tunc dimisi amicissime, & nunc amicissimum defunctum esse doleo? dedit enim mihi, quantum maxime potuit: daturus amplius si potuisset. Tametsi quid homini potest dari majus quam gloria, laus, & æternitas? Æterna, quæ scripsit, non erunt fortasse: ille tamen scripsit tanquam futura. Vale.

ÆLIUS VERUS CÆSAR.

Addam & Spartiani, aut potius Ælii Veri Cæsaris de poëta nostro elogium. *Idem* (Ælius Verus Cæsar) *Martialem epigrammatarium poëtam, Virgilium suum dixisse fertur.* Virgilium intellige in suo genere, hoc est principem epigrammatis, ut ille epici poëmatis.

LAMPRIDIUS *in Alexandro Severo.*

Martialem ævo Alexandri Severi plurimum legi celebrarique solitum ostendunt Lampridii verba: *Et quoniam*, inquit, *de lepusculis facta est mentio, quod ille* (*Alexander*) *leporem quotidie haberet, jocus poëticus emersit, idcirco quod multi septem diebus pulchros esse dicunt, qui leporem comederint, ut Martialis Coci epigramma significat, quod contra Gelliam scripsit hujusmodi:*

Quum leporem mittis, semper mihi, Gellia, mandas;
Septem formosus, Marce, diebus eris.
Si verum dicis, si verum, Gellia, mandas;
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

Sed hos versus Martialis in eam, quæ deformis esset, composuit, &c. Ista Lampridius de Martiale quem cocum nominat. Ex ævi illius credo more, quo & Gargilius Martialis scribebat & florebat, ut discriminis forte caussa poëtam nostrum cocum dixerit, aut quod reapse coquus fuerit.

SIDONIUS *carm.* 23.

Inter claros scriptores sæpius numeratur Martialis a claro Sidonio, qui ita canit:

Quid celsos Senecas loquar vel illum
Quem dat Bilbilis alta Martialem
Terrarum indigenas Ibericarum?

Idem carmine 119.

Aut mordax sine fine Martialis.

Omitto Salisberiensis, Æneæ Silvii, Historicorum item Hispaniæ Joannis Vasæi, Francisci Taraphæ, Marianæ, & aliorum encomia Martiali impertita. Nec interpretes Martialis commemoro Calderinum, Sipontinum, Merulam, Micyllum, & alios, qui Martialem certatim prædicant. Sunt nonnulli qui minus recte sentiunt de nostro poëta. Sed horum sententiæ lumina nostri ævi & à nostro proximi Jovianos Pontanos, Scaligeros, Turnebos, Lipsios oppono.

JOVIANUS PONTANUS *lib.* 3. *de Sermone cap.* 18.

Valerius Martialis artificiosissimus epigrammatum scriptor ita in iis quidem jocatus est, ut frequentius carpat quam delectat: tametsi e

d -

demorsione ipsa delectatio quoque paritur. Ad hæc dictis ejus partim occultissima quædam insunt spicula, partim verba quæ non solum a facto sint aliena, verum aut obscœna ipsa admodum scurriliaque, aut maxime ampullosa & acida, quod quidem Hispanicum est. Nam etsi Hispani cum primis sunt facetiarum studiosi, tamen si populares respexeris ac plebeios gentis ejus homines, invenies eorum jocos non tam propendere in lusum ac delicias, quam in submorsiones, magisque spectare in invectivas & subsannationes, quam in risum, voluptatemque e jucunditate conceptam, quæ in facetis viris tenerrima quidem est. Sunt tamen dicta ejus in universum arguta, subtiliterque conquisita, abstrusæ sententiæ, eædemque raræ, salsæ, aculeatæ: inventio vero maxime acuta, verba autem præcipue accommodata, quæque non prima tantum facie, atque in ipso explicatu lectorem alliciant, atque auditorem: verum quæ in ejus animo relinquant tacitam quandam quasi subtitillationem. Nihilo tamen minus in iis non pauca quidem animadvertas, quæ decorum illud retineant, quod virtutis hujus, de qua præcipimus, maxime est proprium. Quale illud, quod & jucundum simul & salsum est, risumque venuste pariter atque honeste movet, ac vel in ore etiam matronæ non dedecet.

Unguentum fateor bonum dedisti. Et quæ sequuntur.

Hæc Jovianus vere sincereque probat, nec falso, quæ de eodem subjicit, petulantiore tamen, & nobis hîc tacendo. Concludit demum laudem hisce verbis: *Ejusmodi sunt igitur Martialis dicta, ut pleraque multum habeant salis: nec minus fellis, atque ampullosi proque loco & jocentur, & delectent:* Cætera ad illam partem epigrammatum pertinent, quam nos præscripsimus.

Angelus Politianus Præfat. in Quintil. *Ut ab ingeniosissimo Latinorum epigrammatum poëta, & vagæ juventutis moderator, & Romanæ gloria togæ vere meruerit appellari.*

JULIUS SCALIGER lib. 6. poët.

Ne Martialem quidem transferre libet ad meliora. De illius libris alibi satis a nobis dictum est. Multa sunt ejus epigrammata divina, in quibus & sermonis castitas, & argumenti species luculenta est. Versus vero candidi, numerosi, pleni, denique optimi. Alia fœda ne legerim quidem (merito igitur purgantur) *tantum abest ut ad censuram vocem.*

Idem lib. 3. *cap.* 126.

Epigrammatis virtutes peculiares brevitas & argutia, hanc Catullus non ſemper eſt aſſecutus, Martialis nuſquam omiſit.

TURNEBUS lib. 13. *cap.* 19.

Cum a Martiale lepidiſſimo poëta (nec enim illis aſſentior, qui ſcurram ineptum eum appellant, neque ſatis elegante Muſa libros epigrammatum ſcripſiſſe autumant, &c.) canitur lib. 3. *epiſt.* 93.
Admittat inter buſtuarias mœchas, &c.

Idem cap. 4. *lib.* 8.

Quid vetat attingere feſtiviſſimi poëtæ Martialis luſus, atque in his operam ludere? Non ſemper ſupercilia adducenda ſunt, &c.

Idem lib. 29. cap. 9.

Verſus Martialis ſunt lepidi, ſed paucis intellecti, cum tamen verbis minime obſcuris contexti ſint.

JUSTUS LIPSIUS lib. 1. *epiſtolic. quæſt. cap.* 5.

Quid cenſes tu? Non melius de Martiale Scaliger judicavit, qui verſus ejus candidos, numeroſos, plenos, epigrammata multa divina dicit: quam ille qui ſcurram de trivio appellat. Nollem excidiſſet viro magno hoc judicium judicii diſſimile. Nihil ad Catullum Martialis, ſcio: Sed & hoc ſcio epigrammata illa, nec in trivio nata, nec in triclinio. Multa fœda, obſcœna in Martiale: & mehercule in uno Catulli libello non pudiciora, ſed pauciora. Ignorat ſeculum illud qui hoc accuſat. Sunt & joci aliquot leves, vulgati pueriles: ſed meliorum major eſt numerus. Faceret e re literaria, ſi quis more veterum criticorum delectum ejus epigrammatum haberet, & bonis adfigeret laudis notam, aliis culpæ, &c. Hæc Lipſius.

Taceo eorum qui hodie ſcribunt egregia de Martiale judicia, nul-

nullus certe vel Catulli, Tibulli, Propertii, Virgilii, Ovidii, Statii, Ausonii interpres non sexcenties utitur testimonio Martialis, nullus antiquitatis admirator & scriptor tacet Martialem, cujus testimonio omnes pro oraculis utuntur, qui de rebus Romanis libros meditantur. Itaque, ut hoc caput concludam, satis meo animo vel tacitus laudatur is qui plurimum citatur, legitur, & teritur, ut vere de seipso Martialis:

Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant:
Confiteor: laudant illa, sed ista legunt.

Sint alia poëmata epigrammatis graviora, non sunt vel jucundiora, vel utiliora; non minus emendat mores noster, quam vel Lucillius, qui versu secuit urbem, vel Horatius, Persius, Juvenalis. Quin & hoc laudis habet noster, quod bonos aperte laudat, improbos alieno nomine tecte corrigit, ut de se fatetur ipse lib. 10. epig. 33.

Hunc servare modum nostri novere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Vere etiam hoc poëta de epigrammatis, & fabulosis aliis poëmatis.

Nescis, crede mihi, quid sint epigrammata, Flacce,
Qui tantum lusus illa, jocosque putas.
Ille magis ludit, qui scribit prandia sævi
Tereos, aut cœnam, crude Thyesta, tuam,

DE EPIGRAMMATE.

CAPUT IV.

ALII quam multi ſcriptores de epigrammate varie admodum præceperunt. Parmenio lib. 1. Anthol. cap. 44. εἰς λογογραφίαν. Cyrillus ibidem. Gyraldus Dial. 10. hiſtor. poët. Robertellus libro ſingulari ad Ariſtotelis poëticen. Julius Scaliger lib. 3. poët. Minturnus lib. 5. de poëta. Thomas Correa libro ſingulari, & duo nuper e Societate; Antonius Poſſevinus, & Jacobus Pontanus. Mihi ſicut animus non eſt, omnia quæ ad epigrammatis laudes, antiquitatem, artem, & varietatem, pertinent exequi, ita prorſus tacere, nec vim, originem, naturamque ejus attingere, cum epigrammatarium poëtam enarrandum ſuſceperim, non eſt omnino viſum opportunum. Quare tribus, ut aiunt, verbis rem expediam; & unde natum epigramma, quid illud, & quas virtutes deſideret, exponam.

Epigramma ſyllabatim expreſſum latine inſcriptionem ſonat. ἐπιγράφω enim inſcribo, ſuperſcribo, ſeu titulum alicui rei addo, valet. Unde ἐπιγράφειν τὸ βιβλίον, ἐπιστολὴν, ἀνδριάντα, τάφον, &c. Inſcribere librum, literas, ſtatuam, tumulum.

Obſervavit Budæus a Plutarcho τὸ ἐπιγράφειν, uſurpari pro eo quod eſt, epigramma ſcribere.

Prima ſane notione epigramma nihil aliud eſt quam ἐπιγραφὴ, quæ primitus nuda & ſimplex fuit, & ſæpe uno duntaxat verbo fiebat; qualis eſt apud Pauſaniam ἐνυάλιος Mars, ſeu Mavortius, ἐπίγραμμα, inquit, ἐστὶν αὐτῷ ἐνυάλιος, hoc eſt, ἐπιγραφὴν ἔχει, ἐνυάλιος. Talis eſt inſcriptio Verrinæ ſtatuæ apud Ciceronem, ΣΩΤΗΡ. Pluribus verbis liberis tamen epigramma de Cyro adfert Strabo. Infinita etiam extant hodie ſoluta oratione pluribus verbis facta, Cyri hoc eſt lib. 15. Ὦ ἄνθρωπε, ἐγὼ Κῦρός εἰμι ὁ τὴν ἀρχὴν τοῖς Πέρσαις κτησάμενος, καὶ τῆς Ἀσίας βασιλεὺς μὴ οὖν φθονήσῃς τοῦ μνήματος. Plura ibid. Primo igitur & vero ſignificatu, ea dicta ſunt

unt epigrammata, quæ pro elogiis inscribebantur monumentis statuis, tropœis, imaginibus. Est enim epigramma statuæ, vel imaginis inscriptio. Deinde translatum est epigramma ad libros, factumque est contra, ut epigramma fieret inscriptio inscriptionis: hoc est; statua, inscriptio epigrammatis, id quod exemplo intelliges. Primum cogita, positam Herculi aut Romulo statuam cum hac inscriptione, Herculi, orbis liberatori, vel Romulo urbis conditori. Accessit deinde poeta, scripsit epigramma in statuas hasce Herculis & Romuli, eaque libro suo epigrammatum seu carminum inseruit cum hac inscriptione: De statua Herculis, de colosso Jovis, de specie Romuli, &c. Hic, ut vides, statua Herculis, Jovis, Romuli, est inscriptio epigrammatis: cum tamen ipsum epigramma natura sua significet inscriptionem. Ita fit ut in libris epigramma sit inscriptio inscriptionis, & quasi epigramma epigrammatis.

Est autem epigramma, uti nunc accipitur, poëma breve, cum simplici cujuspiam rei, vel personæ, vel facti indicatione, aut ex propositis aliquid deducens.

Simplex est illud apud Gellium Pacuvii lib. 1. cap. 24.

Adolescens tametsi properas, hoc te saxum rogat
Ut se aspicias: deinde quod scriptum est, legas.
Hic sunt poëtæ Pacuvii Marci sita
Ossa; hoc volebam, nescius ne esses: Vale.

& illud Simonidis lib. 3. Anthol. cap. 2. qui nomen Casmyli, patria: pater, & victoria exprimitur.

α. Εἰπὸν τίς, τίνος ἐστὶ, τίνος πατρίδος, τίνι νικῇς;
β. Κάσμυλος εὐάγορου, πύθια, πύξ, ῥόδιος.

Dic quis es, & cujus, quæ patria palmaque pugnæ:
Casmylus Evagoræ, Pythia, Lucta, Rhodus.

Illud etiam Virgilii,

Æneas hæc de Danaïs victoribus arma.

& illud de eodem nescio an ejusdem:

Man-

Mantua me genuit, &c.

Compositum est, cum ex propositis aliud deducitur, idque vel majus, vel minus, vel par, vel diversum, contrariumve. Majus deducitur ab Antipatro 1. Anthol. cap. 54. in Dianæ Ephesinæ templum, quod Babyloni, Jovi Alpheio, hortis pensilibus, Colosso Rhodio, Mausoli tumulo anteponit. Noster item poëta Antipatrum imitatus, 1. epig. Amphitheatrum Titi septem orbis miraculis antetulit. Sed hujus exempla passim apud Græcos & Latinos occurrunt. Minus, ut Martialis ad Paullum de Phiala & Galla epig. 75. lib. 10. & lib. A. epig. 6. ubi docet, fœminas posse, quod olim vix Hercules. Et de sue quæ ex vulnere peperit. Est a minori, quo probat majus. Si nata est fera ex funere matris, cur non potuerit Deus? Minus, concludit lib. 9. epig. 4. ubi ostendit Jovem esse pauperiorem Cæsare, majoraque Cæsaris merita, quam ut illa æquare possit Jupiter. Minus deducit lib. 9. epig. 49. ad Gallicum, & eodem lib. 9. epig. 60. Obvia passim hujus exempla leges. Paria sunt illa lib. 2. cap. 18. ad Maximum, quem se majorem, sibi tamen esse parem probat ex paribus. *Capto tuam pudet heu, &c.* Contra libro eodem epig. 43. Ad Candidum se parem amicis jactantem, ostendit disparem. A paribus est illud lib. 8. epig. 35.

Cum sitis similes paresque vita
Uxor pessima, pessimus maritus,
Miror non bene convenire vobis.

Sed his epigrammatis non tam par concludit, quam ex paribus diversum. Par omnino colligit ex propositis lib. 1. epig. 61. ad Licinianum:

Nec me tacebit Bilbilis.

quia sum æque celebratus meis scriptis atque Catullus, Livius, Maro, Stella, Flaccus, Ovidius, Lucanus ex suis. Par concludit lib. 8. epig. 56. ad Flaccum:

Ergo

Ergo ero Virgilius, si munera Mœcenatis
Des mihi? Virgilius non ero, Marsus ero.

Sæpe diversum colligitur:

Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est.
Pars vulsa est, unum quis putet esse caput?

Plurima sunt quæ contrarium inferunt. Martialis:

Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem,
Nec possum tecum vivere, nec sine te.

Et:

Insequeris, fugio; fugis, insequor: hæc mihi mens est:
Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

Catullus:

Odi & amo, quare id faciam fortasse requiris;
Nescio, sed fieri sentio, & excrucior.

Sæpe ambigue, & vel argutissime epigramma concluditur, cujusmodi est illud Martialis lib. 1. epig. 97.

——*excidit mihi nomen.*

& illud lib. 4. epig. *66.*

——*fecisti rem, Line, difficilem.*

& lib. eodem epig. 34.

Sordida cum tibi sit, verum tamen, Attale, dicit,
Quisquis te niveam dicit habere togam.

Multa sunt præterea quæ diversum ex uno, vel unum ex diversis colligunt, epig. 2. Amph. vel quæ ex paribus vel repugnantibus contrariis, &c. componuntur. Non pauca præterea, quæ non facile ad certum genus revocantur. Pleraque tamen laudem vel reprehensionem, suasionem, officium, documentumve continent. Multa proferrem ex Græcis & Latinis, si hoc mihi propositum foret, exempla.

Hypo-

Hypothesis seu res subjectæ, sunt quidem illæ omnes, sed tamen amant epigrammata præ ceteris illustrissima facta: cujusmodi sunt Q. Mutii Scævolæ, Lucretiæ, Herculis, Democlis Atheniensis, Alexandri Magni, Themistoclis, Leonidæ, &c. Vel ingentia flagitia, quæ maxime ad Satyram pertinent; qualia Neronis, Phalaridis, Dionysii, & hujusmodi monstrorum leguntur. Vel vitia corporis, vel animi, vel quæcumque in materiam ridiculi cadunt: vel quæ indignationem maximam, ingentesque animi motus & affectus habent, amoris, odii, invidiæ, iræ, molestiæ, spei, timoris: Quorum omnium multo illustriora habemus in nostra tam antiqua, quam nova Republica monumenta, quam profana & impia hominum sæcula unquam habuere. Quid non suppeditabunt humani generis conditores Adam & Eva, cum ex beato & florente statu gloriæ, in lamentabiles mortis, omniumque ærumnarum casus inciderunt? Quid Samson, David, Machabæi? Quid Juditha, Hester? Quid Magdalena nostra lacrymis amoris & doloris ubique madens? Quid heroes nostri, heroidesque Martyres, Laurentius, Ignatius, Georgius, Catharina, Hagne, Agatha, utraque Lucia, quibus mille partibus genticam superstitionem superamus. Aptissima vero & acutissima objiciuntur cogitata ex Christi θεανθρώπε persona, ubi plurima ex contrario possunt dici, quo pacto idem sit æternus & mortalis, sitiat fons, esuriat omnium rerum satietas, frigeat ignis, langueat vigor, ægrotet medicus, moriatur vita, &c.

Definio tandem materiam epigrammatis, fortissima & ignavissima facta, pulcherrima & turpissima, absurdissima & aptissima, stultissima & sapientissima, maxime ridicula & lamentabilia, minima & maxima, prima & extrema, artes, fraudes, eventus humanos, divina & naturalia cadere in epigramma. Atque ut materia est incircumscripta, ita genus carminis liberum est, quanquam duo triave genera potissimum usurpentur. Elegiacum, Phaleucium, Iambicum; non raro etiam heroïcum, ut docet noster lib. 6. epig. 65.

Hexametris epigramma facis? scio dicere Tuccam.
Tucca solet fieri: denique Tucca licet.

Est

DE EPIGRAMMATE.

Eſt epigramma per ſe opus, nec pars vel Elegiæ, vel Epopœiæ, vel Tragœdiæ, vel Comœdiæ, ut cenſuit Robertellus, quem & ratio, & viri docti merito rejiciunt.

Virtutes epigrammatis alii duas, alii tres pluresve adferunt, præcipuas complectemur. Brevitatem, argutiam, venuſtatem ſeu ſuavitatem. Brevitas ideo tribuitur epigrammati, quod olim epigramma nihil eſſet aliud præter ipſam inſcriptionem, quæ ſæpe tribus, alias duobus, nonnunquam etiam uno verbo abſolvebatur. Nec definitum eſt hodie, quot verſibus epigramma ſit conficiendum. Minturnus ex Cyrilli ſententia ait, diſtichum eſſe nimis longum in epigrammate; ſed Cyrillus contra docet, diſtichum eſſe juſtum epigramma. Apponam epigramma Cyrilli:

Πᾶν καλόν ἐςʼ ἐπίγραμμα τὸ δίςιχον. ἢν δὲ παρέλθῃς
Τὰς τρεῖς, ῥαψωδεῖς, κοὐκ ἐπίγραμμα λέγεις.
Omne epigramma placet, geminis quod verſibus exit,
Quod plus eſt, librum, non epigramma voces.

& noſter:

Diſticha qui ſcribit, puto vult brevitate placere:
Quid prodeſt brevitas, dic mihi, ſi liber eſt.

Sunt qui duobus diſtichis non amplius epigramma ſcribebant, ut de Lampridio quodam tradit Siconius epiſt. 9. lib. 8. Præterea, inquit, quod ad epigrammata ſpectat, non copia, ſed acumine placent, quæ nec brevius diſticho, nec longius tetraſticho finiebantur. In eadem ſententia videtur fuiſſe Parmenio, cujus eſt hoc epigramma de epigrammate.

Φημὶ πολυςιχίην ἐπιγράμματος ὂ κατὰ Μούσας
Εἶναι. μὴ ζητεῖτʼ ἐν ςαδίῳ δολιχὸν
Πολλʼ ἀνακυκλεῖται δολιχοῦ δρόμος. ἐν ςαδίῳ δὲ
Ὀξὺς ἐλαυνομένος, πνεύματός ἐςι τόνος.
A Muſis procul eſt, multos epigrammate verſus
Complecti, an quæras in ſtadio dolichon?
In dolicho curſus crebro torquetur: acuta
Pectoris in ſtadio concita vis rapitur.

Nonnulli ultra δεκάστιχον, hoc eſt, quina diſticha non progrediendum docent. Ego ex Græcis & Latinis ἐπιγραμματοποιοῖς diſco epigrammata ſcribi poſſe, & frequenter ſcripta ſolo monoſticho, ut illud Græcorum lib. 4. cap. 8. in Centaurum: & lib. 1. Theonis, εἰς ἑβδομάδα, & 4. εἰς ἄγαλμα ἠχοῦς ἠχὼ μημωλύγω. Et multa præter hæc epigrammata Græcis paſſim obvia. Martialis lib. 8. epig. 19.

Pauper videri vult Cinna, & eſt pauper.

& lib. 7. epig. 97.

Omnia, Caſtor, emis; ſic fiet ut omnia vendas.

Diſticha vero, triſticha, tetraſticha, pentaſticha, hexaſticha, ſeptaſticha, ἐννεάστιχα, decaſticha ubique occurrunt, apud Catullum, Martialem, in Anthologia Græcorum. Quod jam negant decaſticho licere verſum addere; refutant principes epigrammatis, Catullus, Martialis, & plurimi Græcorum. Catullus & Martialis trigeſimum verſum excedunt. Agathias Græcus Icoſiſtichon, hoc eſt, viginti verſuum epigramma ſcripſit lib. 7. Anthol. Longiora leges lib. 5. Concludo igitur diſticha, tetraſticha, octoſticha, decaſticha, eſſe venuſtiſſima in genere Elegiaco. Epodos & Hexametros, & Scazontes, Anacreontæos, hendecaſyllabos plures congeſtos, ubique leges, quanquam ſæpe tranſgrediantur nonnulli limites epigrammatis. De brevitate & longitudine epig. ſic noſter lib. 2. epig. 77.

Coſconi, qui longa putas epigrammata noſtra
Utilis ungendis axibus eſſe potes.
Hac tu credideris longum ratione coloſſum,
Et puerum Bruti dixeris eſſe brevem.
Diſce quod ignoras. Marſi doctique Pedonis
Sæpe duplex unum pagina tractat opus.
Non ſunt longa, quibus nihil eſt quod demere poſſis:
Sed tu, Coſconi, diſticha longa facis.

Argutia vel maxime propria eſt epigrammati, unde nervum, vim & acrimoniam, geniumque ſuum habet epigramma, ex qua

qua comparatur epigramma; nunc pugioni, quo punctim feritur hostis; nunc scorpioni, qui cauda icit; modo piperi, quod acrimonia sua mordet linguam; nunc felli, quod amarissimum: Quo in genere facile princeps est Martialis. Quod ipsemet de se non ignoravit, cum lib. 1. epig. 1. scripsit:

Toto notus in orbe Martialis
Argutis epigrammaton libellis.

& Sidonius:

Et mordax fine fine Martialis.

Arguta sunt pleraque Lucilii, Antipatri, Luciani, Nicarchi. Caruit fere hac laude Catullus, quam venustate compensavit. Sunt autem argutissima fere, quæ ludunt in ambiguo, vel concludunt παρὰ παράδοξιαν: Nam tota vis argutiæ plerumque est in extremo versu, aut disticho, velut in teli mucrone, quod omnia epigrammata ostendunt; aut si hac careant, epigrammatis nomen relinquant. Quod in soluta oratione Apophtegmata, hoc in carmine sunt epigrammata. Limis etiam & obliquis oculis epigrammata velut optice pictura intuenda. Aliud enim plerunque habent in recessu conditum, quam in fronte promittunt. Exemplum sit illud Martialis lib. 1. epig. 97. Ultimo versu dicit,

——— ——— *Excidit mihi nomen.*

Videtur significare, memoria excidisse, cum lingua exciderit, hoc est, pronunciarit. Venustas, quæ suavitatem continet, in epigrammate tunc cernitur, cum est rotundum, amœnisque & gratis verbis compositum, non distortum numeris, non hiulcum, sed quod orbem sententiæ fœliciter absolvit, quodque dulcem sensum & comparationes grātas continet. Est venustissimus atque suavissimus in suis hendecasyllabis Catullus, quem assequi in hoc genere Martialis non potuit. Venustum illud Archiæ 1. Antholog.

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες, &c.

& illud Cæsari adscriptum:

Thrax puer, &c.

&

& illud Pullicis, vel Pollucis rotundum,

Cum mea me genitrix, &c.

& Ovidii de Lucretia:

Cum foderet castum ferro Lucretia pectus, &c.

Aliaque innumera: omnia fere Catulli phaleucia & iambica. Et illud Martialis in Catellam Publii:

Issa est passere, &c.

Non onerabo chartas exemplis, quæ tu multa leges apud eos quos in prima pagina laudavi: mihi cursus ad alia.

AD LECTOREM PALÆOPHILUM

LUD. SMIDS.

MArtialem, non semper spurcum neque semper mordacem satis superque scriptis animadversionibus, modo res modo nuda verba ac solas litteras enucleantibus, interpretati Raderus, Beroaldus, Scriverius, Farnabius, alii. Sed quid si & pictis imaginibus ejus enarrarentur epigrammata? Nam certè.

Segnius irritant animos demissa per aurem
Quam quæ sunt oculis subjecta.

Saltem hæc Horatii me (cui Pictura Loquens in sinu) compulerunt ad hosce Numos colligendos, hasce paginas implendas. Fruere, benigne Lector, otii mei spicilegium, & si talis Historiarum Rituumque illustratio ad tuum facit stomachum, exultabo, triumphabo: si verò ea tibi gravis, peto quid? Veniam pro laude. Malevolus interim (febricitanti etenim amara omnia) de medicat, licet, uti de Cratidio M. Tullius; hic in sympulo fluctus excitat.

18



Spect. 21. *epigr.* 4 *verf.*
Orpheo] Qui inter feras medius in eximio M. Aurelii *Num.* apud *Sambucum*, *in Select.* & *Morellum*, *Specim.* 11 *Tab.*



Spect. 25 *epigr.* 3 *verf.*
Audax Leandrus] Qui natans occurrit in *Num.* Abydenorum, apud *Morellum*, *Specim.* 18 *Tab.*



Spectac. 28 *epigr.* 6 *verf.*
Triton] In Claudii præclaro *Num.* Neptunus, equis remotis, trahitur à Tritonibus.



Spect. 27 *epigr.* 3 *verf.*
Taurum] Quem, impositum humeris, vivum auferebat Hercules.



Spect. 24 *epigr.* 5 *verf.*
Æquora] Naumachiam, muro cinctam, exhibet Domitiani *Num.* apud *Schefferum*, *de Re Naval.* 3 *lib.* 2 *cap.* *Oyzelium*, aliosque.



Spect. 27 *epigr.* 5 *verf.*
Hydra] Quem, capitibus semper renascentibus, ægerrimè subegit Hercules. Inspice Prusenorum *Num.* apud *Ezech. Spanhemium*, *Tristanumque.*

M. VAL. MARTIALIS
SPECTACULORUM
LIBER.

In Amphitheatrum Cæsaris præferendum pulcherrimis orbis ædificiis.

EPIGRAMMA I.

BARBARA Pyramidum sileat miracula Memphis,
Assiduus jactet nec Babylona labor:
Nec Triviæ templo molles laudentur honores,
Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.
Aëre nec vacuo pendentia Mausolea
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.
Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro:
Unum pro cunctis fama loquatur opus.

INTERPRETATIO.

Barbara Memphis taceat admirandas pyramides, nec labor improbus ostentet Babylona: nec celebrentur delicata ornamenta Templi Dianæ, & ara referta cornibus sileat Deum: nec Cares commendatione nimia in cœlum tollant monumentum Mausoli suspensum in *aëre vacuo: Omne opus det primas Amphitheatro Cæsaris, & fama prædicet unicum* illud *ædificium pro omnibus.*

NOTÆ.

Memphis.] Urbs Ægypti nobilissima, secundum plerosque hodie *le Caire*: Cum tamen ab altera parte Nili fuerit, e regione Cairi, cujus nihil extare præter nomen, Menchis, putat Postellus: vana est illa opinio. Strabo lib. 17. ait, *Pyramides, quæ apud Memphim sunt, in ulteriore regione apparere*, scilicet Babylonis castelli natura muniti a Babyloniis quibusdam conditi, ut ait idem Strabo. Ἔστι δὲ τῆς ἀπὸ τοῦ Δέλτα *τρίσχοινον εἰς αὐτήν*: tribus schœnis a Delta dissita est Memphis nempe. Schœnum ex eodem Strabone libro citato triginta stadia complectitur, secundum Herodotum sexaginta: stadium verò mensura est pedum

sexcen

sexcentenûm, ut tradit Budæus ex Herodoto lib. 2. de labyrintho loquente. Plinius lib. 2. cap. 23. ait: *Stadium centum viginti quinque nostros efficit passus, pedes sexcentos viginti quinque.* Barbaram dicit Memphim, quod Romani, præter Græcos, omnes alios populos barbaros vocarent. Apud hanc urbem Ægyptii Reges potius ad ostentationem, quam ad usum Pyramides extruxere adhuc extantes, quæ inter septem orbis miracula annumeratæ: sunt verò quadratæ moles, quæ ab ima & latissima basi paulatim in apicem desinentes summam in altitudinem crescunt.

Assiduus labor.] *Alii* hunc laborem referunt ad Scriptores, qui multis laudibus Babylonem extulerunt; estque idem, inquiunt, quod Horatius lib. 1. carm. ode 7. vocat unum opus.

> *Sunt quibus unum opus est intactæ Palladis urbem*
> *Carmine perpetuo celebrare.*

Sed Poëta comparat Amphitheatrum cum alio ædificio, itaque *alii* melius meo judicio laborem illum assiduum referunt ad Babylonis muros, quorum ambitus quadringenta & octoginta stadia complectebatur teste Herodoto lib. 1. ita ut ingenti labore fuerint perfecti, & inter orbis miracula recensiti: assiduus ergo labor sumitur hîc pro ingenti, & improbo. Babylon verò urbs fuit celeberrima ad Euphratem, cujus situm fusè explicat Herodotus lib. 1. de qua Ovidius lib. 4. Metamorph.

> ——————— *Ubi dicitur altam*
> *Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.*

de pensilibus illius hortis tum ab historicis tum à Poëtis narrantur multa. Alii legunt *Assyrius* labor quod Babylon olim fuit Metropolis Assyriæ. Strabo lib. 16.

Nec Trivia.] Diana dicta est Trivia, quod in triviis coleretur, unde a Græcis dicitur τριοδῖτις hoc est in trivio constituta. *Molles honores* intellige signa in Templo Dianæ, columnas, ipsum denique templum summo artificio elaboratum; *molles* autem delicatissimos & quasi vivos interpretare: sic Virg. lib. 6. Æneid.

> *Excudent alii spirantia mollius æra:*
> *Credo equidem vivos ducent de marmore vultus.*

Ephesus Ioniæ regionis Asiaticæ urbs nobilis ab hoc Dianæ Templo: quare legunt alii *molles Iones.* Quæ lectio non displiceret si antiquis in codicibus reperiretur: hoc est nec celebrentur molles Iones a Templo Dianæ Ephesiæ: sententia perspicua est, Ionas nempe effœminatos adeo non esse laudandos a Templo quod Dianæ ædificaverunt, nec Cares a Mausoleo, nec Babylonios a suis muris, nec Delios ab ara cornea, nec Ægyptios a suis Pyramidibus: cum omnia illa ædificia [illegible] superet Amphitheatrum a Vespasian[illegible]tructum Suetonius in Vespasiano cap. 9. a Tito dedicatum in Tito cap. 7. *in quo spectacula magnifica assiduè, & sumptuosa edidit Domitianus*, idem Suetonius in Domitiano cap. 4. unde dicitur hic spectaculorum liber: extructi autem Amphitheatri laudem Domitiano tribuit noster Poëta.

Cornibus ara.] Βωμὸς κεράτινος, ara cornea inter septem orbis miracula recensita, quam in insula Delo hodie *Sdiles* ex cornibus caprarum a Diana sorore interfectarum extruxit Apollo, non tanquam divinum opus se jactet cum ab Amphitheatro mortali manu facto longè superetur. De cornea hac ara agit Callimachus in hymno Apollinis, & Plutarchus de animalium solertia, scribit hanc aram inter orbis miracula positam. Alii minus bene videntur intelligere Templum Jovis Hammonis apud Nasamonas Libyæ populos in ora Syrtis. Strabo lib. 17. *alii. Dissimulet Delon.*

Mausolea.] id est Sepulchrum Mausoli regis Cariæ conditum ab Artemisia uxore, & enumeratum inter orbis miracula. *Pendentia* dixit quia columnis erant suffulta. Vide Epig. 14. lib. 2.

> *Inde petit centum pendentia tecta columnis.*

Cares verò Asiam minorem habitarunt contra Rhodum caput regni Halicarnassus ubi Mausoleum spectabatur: de quo Vitruvius lib. 2. cap. 8. & Plinius lib. 35. cap. 5.

Unum pro.] Alii *pro.* Lipsius de Amphitheatro cap. 7. *Intelligit*, inquit, *hoc Titianum: nec ad Domitianum illa, aut de Domitiano, ut alucinatur interpretum vulgus.* Judicet lector ex his quæ supra diximus.

Ad

Ad eundem Cæsarem de ejus operibus. II.

Hic ubi sidereus propius videt astra colossus,
Et crescunt media pegmata celsa via;
Invidiosa feri radiabant atria regis,
Unaque jam tota stabat in urbe domus.
Hîc, ubi conspicui venerabilis amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.
Hîc, ubi miramur velocia munera thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.
Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,
Ultima pars aulæ deficientis erat.
Reddita Roma sibi est, & sunt, te præside, Cæsar
Deliciæ populi, quæ fuerant domini.

Odiosa aula crudelis regis Neronis *hic splendebat, & jam unicum domicilium erat in tota civitate, ubi radiatus colossus aspicit astra propius, & pegmata alta surgunt media via. Hîc erant stagna Neronis ubi extruitur moles veneranda spectandi Amphitheatri. Hîc campus superbus eripuerat domos ab ærumnosis* civibus, *ubi nobis admirationi sunt balnea celeriter extructa. Extrema pars erat atrii desinentis, ubi Claudia porticus dilatat umbras. Roma sibi restituta est, &, te Imperatore, Cæsar, sunt populi, quæ fuerant voluptates domini* Neronis.

Hic ubi sidereus.] Plinius lib. 34. cap. 7. *Audacia innumera sunt exempla. Moles quippe excogitatas videmus statuarum, quas colossos vocant, turribus pares.* Sidereus verò dicitur colossus quia a Vespasiano Soli dicatus est, vide Plinium loco citato, & Suetonium in Vespasiano cap. 18. *Colossi refectorem insigni congiario, magnaque mercede donavit.* Ille enim colossus secundum Suetonium in Nerone cap. 31. *centum viginti pedum stabat ipsius Neronis effigie*: in eodem hoc capite recensentur ædificia quorum mentionem hîc facit Martialis, qui pergit Domitiano tribuere quæ a Vespasiano & Tito ædificata fuerant; alii tamen putant hæc ad Titum referri. *Hic colossus erectus sub Nerone, refectus a Vespasiano, ac dempto capite Neronis, & Solis adjecto cum septem radiis Soli dicatus fuit, &c. Hieronymus in cap. 3. Habacuc.* Vide Epig. 60. lib. 12.

Pegmata.] Fuerunt machinæ quas sic describit Scaliger in lib. 5. Manilii. *Erat autem pegma contabulatio, quæ sponte surgebat sensim, & dissolvebatur.* De his machinis Plinius lib. 33. cap. 33. Seneca Epist. 88. *His*, inquit, *annumeres machinatores, qui pegmata ex se surgentia excogitant, & tabulata tacitè in sublime crescentia, & alias ex inopinato varietates: aut dehiscentibus quæ cohærebant; aut quæ distabant sua sponte cohærentibus, aut iis quæ eminebant, paulatim in se residentibus.*

Invidiosa feri.] Tacitus lib. 15. ann. *Cæterum Nero usus est patriæ ruinis, extruxit domum in qua haud perinde gemmæ, & aurum miraculo essent, solita quidem & luxu vulgata, quam arva & stagna, & in modum solitudinum, hinc sylvæ, inde aperta spatia, & prospectus. Superbus ager* dicitur, vel quia amplissimus, vel quia Neroni peculiaris, nec populo communis.

Velocia munera.] Thermæ enim velociter à Tito fuerant extructæ in gratiam populi. Suetonius in Tito cap. 7. *Amphitheatro dedicato, Thermisque juxta celeriter extructis.*

Claudia.] Quam eamdem cum Liviæ porticu, de qua Plinius lib. 14. cap. 1. Affirmant aliqui, alii verò diversam fuisse statuunt.

Quæ fuerant domini.] Odiosè Neronem vocat dominum, qui nempe civibus Romanis veluti servis imperaret.

Ad eundem, ad cujus ſpectacula ex omnibus orbis regionibus gentes adveniſſe dicit. III.

QUÆ tam ſepoſita eſt, quæ gens tam barbara, Cæſar,
Ex qua ſpectator non ſit in urbe tua?
Venit ab Orpheo cultor Rhodopeius Hæmo,
Venit & epoto Sarmata paſtus equo,
Et qui prima bibit deprenſi flumina Nili.
Et quem ſupremæ Tethyos unda ferit.
Feſtinavit Arabs, feſtinavere Sabæi,
Et Cilices nimbis hic maduere ſuis.
Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.
Vox diverſa ſonat: populorum eſt vox tamen una,
Cum verus patriæ diceris eſſe pater.

Quæ natio, ô Cæſar, tam remota & tam barbara ex qua aliquis ſpectator non videatur in tua civitate? Incola Thracius advenit ab Orpheo Hæmo. Sarmata quoque nutritus ſanguine *equi hauſto, atque ille qui potat aquam primam Nili cognits, & ille qui percutitur unda extremi maris. Arabes properaverunt, Sabæi accurrerunt, & Cilices reſperſi fuerunt ſuis imbribus. Sicambri acceſſere capillis coactis in nodum, atque Æthiopes coma alio modo religata. Loquela varia* quidem *eſt, attamen unus eſt ſermo earum nationum, cum verus patriæ parens appellaris.*

Venit ab Orpheo.] Rhodope & Hæmus montes ſunt Thraciæ. Orpheus Hæmus dicitur, quia ad eum habitarunt parentes Orphei, vide Plinium lib. 4. cap. 1. & cap. 11. ubi agit de patria Orphei.

Sarmata paſtus equo.] hoc eſt a Septemtrione Sarmatæ venerunt, a meridie incolæ Nili. Ab Occidente Hiſpani vel Britanni. Ab Oriente Arabes. Sarmatia duplex eſt, Europæa, & Aſiatica. Europæam, *Ruſſiam*, vocat Ortelius, Aſiaticam verò *Tartariam*. *Sarmatarum quoque gentes hac maxime pulte aluntur, & cruda etiam farina, equino lacte, vel ſanguine e cruris venis admixto.* Plinius lib. 18. cap. 10. ſub finem.

Et qui prima.] Et venerunt illi Æthiopes, qui regionem incolunt, ubi emergit primùm ac deprehenditur Nilus. De quo fusè Plinius lib. 5. cap. 9. *Nilus incertis ortus fontibus it per deſerta.* Et paulò infra. *Originem (ut Juba rex potuit exquirere) in monte inferioris Mauritaniæ non procul Oceano habet, lacu protinus ſtagnante, quem vocant Niliden.* Dio in Severo affirmat originem Nili fuiſſe inventam. *Nilus a monte Atlante certò fluit, qui mons eſt in Macennitide, non longè ab Oceano, qua parte ſpectat ad occaſum ſolis.* Priſci tamen quam plurimi negant Nili fontes fuiſſe deprehenſos, maximè Seneca lib. 6. quæſt. Natural. cap. 8. Papinius Sylvarum lib. 3. Horatius lib. 4. carm. ode 14. & multi alii: videat lector. Fontes Nili repertos fuiſſe conſtat, ex iis quæ referunt Patres Societatis Jeſu Alphonſus Mendez, Almeyda, maximè Hyeronimus Lobus, nempe in regno *Goyam* ad duodecimum gradum latitudinis Borealis, & quinquageſimum quintum longitudinis gradum in regione *Sacahala*, quam incolunt Agavi. Illic lacus eſt jactum lapidis latus, in quo ſunt duo fontes a ſe invicem triginta paſſibus diſtantes, qui noſtrorum puteorum figuram referunt; ex his emanat fluvius Nilus, qui per alterum deinde lacum tranſit ſeque in terram abdit: Ad milliare verò inferius emergit rurſum ea aquarum copia auctus, ut fluvii nomen conſequi poſſit. Orientem verſus fluit. A ſua origine quadraginta milliaria emenſus lacum Dambeam vulgò Bardambeam ingreditur, &c. quæ fusè deſcribuntur in ſynopſi hiſtoriæ Æthiopicæ. Vide librum inſcriptum, *Recueil de divers voyages faits en Afrique, &c.*

Supremæ.] Tethys Oceani uxor pro mari ipſo ſumitur. Hic intellige Britannos, vel Hiſpanos qui ſunt ultimi ad ſolem occidentem; ubi mare inquietum & undoſum toto anno, unde dicit, *ferit.* Thetis verò Pelei conjux fuit & mater Achillis.

Sabæi.] Populi felicis Arabiæ.

Cilices.] Cilicia Aſiæ minoris regio hodie vocatur *Turcomania* & *Finichia*, ubi eſt

crocus

crocus præstantissimus cui primam nobilitatem tribuit Plinius lib. 21. cap. 6. *Hic madere.* Nam croco trito & mixto vino dulci irrigabantur, odoratis quoque imbribus perfundebantur spectatores.

Sicambri.] Teste Strabone Galliæ sunt populi, ubi hodie Gueldriæ Ducatus. Ut Martiano placet; nempe inter Mosam & Rhenum. Secundum alios fuerunt ab altera parte Rheni ubi hodie Zucphaniæ Comitatus. In nodum torquere crines solebant illi populi; Epigram. 39. lib. 5. *Rhenique nodos.* Tacitus de moribus Germanorum hunc ritum specialim tribuit Suevis. *Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere.* Juvenalis Sat. 13. versu 160.

Cærula quis stupuit Germani lumina? flavam
Cæsariem? & madido torquentem cornua cirro?

Atque aliter tortis.] Æthiopum comæ natura & ardore Solis crispæ sunt, Germanorum verò arte.

Ad Cæsarem quod expulerit delatores. IV.

TURBA gravis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes,
Traducta est titulis, nec cepit arena nocentes,
Et delator habet, quod dabat, exilium.
Exulat Ausonia profugus delator ab urbe:
Impensis vitam principis annumeres.

Multitudo infensa paci, atque adversaria quietæ tranquillitati, quæ assiduè vexabat divitias miserorum Civium, *ducta est* cum *inscriptionibus, nec arena continuit reos & accusator mulctatur exilio, quo mulctabat* alios. *Accusator fugitivus amandatur ab urbe Roma, vitam addas sumptibus Imperatoris.*

Traducta est titulis.] Sic legit Lipsius in notis ad lib. 2. cap. 11. de Cruce. *Titulis enim vult*, Martialis scil. *traductos delatores, quomodo? nonne omnium unus est communis? non hic: quia additum, quos & quam illustres quisque detulisset. Exempli caussa. Hic est Titius, qui Camerinum detulit. Hic qui Lateranum, & talia. In libris legitur.* Traducta est Gætulis, *in aliis.* Tradita Gætulis, *& emendarunt.* Traducta est Gyaris *quod ego & ratio facilè refellant.* In hoc libro, *de Cruce*, fusè agit Lipsius, de titulis quos damnatis apponere solebant antiqui.

Nec cepit.] Tantus fortè erat delatorum numerus, ut in arena contineri non potuerint: vel intellige tantummodo ignominiæ caussa traductos fuisse per arenam, & deinde in exilium missos. Sensus est: delatores non fuerunt addicti arenæ: Suetonius in Tito cap. 8. mentem nostram explicuit. *Inter adversa temporum, & delatores, mandatoresque erant ex licentia veteri. Hos assiduè in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac novissimè traductos per Amphitheatri arenam, partim subjici in servos, ac venire imperavit: Partim in asperrima insularum avehi.* Alii legunt *in asperrimas insularum.*

Ausonia ab urbe.] Romam intellige: Italia dicta est Ausonia ab Ausonio Ulyssis & Calypsûs filio.

Impensis.] hoc est muneribus exhibitis: Nimirum præter alia munera quæ in civium gratiam exhiberi jussit Domitianus, dedit vitam, quoniam ejecit delatores qui vitæ & bonis civium insidiabantur.

Blanditur Cæsari de spectaculo Pasiphaës. V.

JUNCTAM Pasiphaën Dictæo, credite, tauro.
Vidimus; accepit fabula prisca fidem.

Fidem adhibete Pasiphaën conjunctam fuisse tauro Cretensi Spectavimus; Fabula antiqua

Nec

Inque omni nusquam corpore corpus erat.
Denique supplicium dederat necis ille paternæ,
Vel domini jugulum foderat ense nocens.
Templa vel arcano demens spoliaverat auro,
Subdiderat sævas vel tibi Roma faces.
Vicerat antiquæ sceleratus crimina famæ,
In quo, quæ fuerat fabula, pœna fuit.

cruore *manantib. facies corporis erat in pore. Tandem ille persol. pœnas mortis paternæ, aut reus gladio transadegerat collum heri sui. Aut insanus furatus erat in templis aurum secretum; vel tibi, ô Roma, supposuerat tædas crudeles. Hic nefarius superavit scelera prisca fama, in quo supplicium fuit, quod fuerat fabula.*

In Scythica rupe.] In Caucaso quem Scythæ accolunt: & pars est Tauri montis, inter Pontum Euxinum & mare Caspium. Vide Epig. 46. lib.9. infra. Nota est Promethei fabula, quem Caucaso affixit Jupiter, quod furtim e cælo ignem subduxisset; ex cujus renascentibus quotidie visceribus aquila, vel ut aliis placet, vultur nutriebatur. Legendus Æschilus, in Prometheo vincto.

Caledonio urso.] Caledonia regio Britanniæ, ubi sylvæ densissimæ, unde sævi ursi Romam mittebantur. Caledonii Ptolemæo Scotiæ populi. *Rossia* eorum tractus videtur vocari. Buchananus vocat *Duncalden*. Vide Epig. 44. lib. 10. Alii *viscera*. Enimvero non solet Poëta repetere easdem voces.

In cruce Laureolus.] Maleficus quidam sub nomine & persona Laureoli, qui fuerat olim latronum dux, de cujus in crucem acti supplicio Romæ identidem mimus agebatur. Suetonius in Caligula cap. 57. *Et cum in Laureolo mimo in quo actor proripiens se ruina sanguinem vomuit, &c.* Juvenal. Sat. 8. versu 186.

Laureolum velox etiam bene Lentulus egit
Judice me dignus vera cruce:

Versus sequentes ut adulterini à quibusdam rejiciuntur perperam: his enim additus crudelitatis nota, quæ Domitiano inuri potuisset, deletur.

Templa vel arcano.] hoc est vasa aurea ad usum sacrificiorum: vel fortè intelligit aurum in templis custodiæ caussa depositum.

Quæ fuerat fabula.] Sensus est. Alii quidem mimi Laureoli actores fictas tantum & mimicas pœnas dederunt, hic verò latro veras luit.

De Dædalo. VIII.

DÆDALE Lucano cum sic lacereris ab urso,
Quam cuperes pennas nunc habuisse tuas.

O Dædale quam optares nunc esse instructus tuis alis, cum ita dilanieris ab urso Lucano.

Dædale.] Nota est Dædali historia ex lib. 8. Metam. Ovidii. Hic verò damnatus coactus est Dædalum imitari, & per aërem volare, delapsus autem ab urso dilaniatus est. Simile spectaculum legitur apud Suetonium in Nerone cap. 12. *Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipsumque cruore respersit.*

Lucano urso.] Ex Lucania Italiæ provincia hodie *Basilicata*, in regno Neapolitano unde immanes ursi Romam mittebantur. Plinius lib. 3. cap. 5.

Quam cuperes.] Habere pennas quibus a Creta avolasti. Alii *tunc*.

De rhinocerote pugnante cum tauro. IX.

PRÆSTITIT exhibitus tota tibi, Cæsar, arena,
Quæ non promisit prælia, rhinoceros.
O quam terribiles exarsit pronus in iras!
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat?

Rhinoceros datus in spectaculum per totam arenam tibi præbuit, ô Cæsar, pugnam quam non est pollicitus. O quam horribili ira accensus est incurvus! Quantum cornu habebat, qui extollebat taurum, veluti *pilam.*

De Rhinocerote] Marcilius sic. Fuisset plenius lemma *de pugna tauri ac rhinocerotis.*

Quæ non promisit.] Quia non potuit aliquandiu ab amphitheatralibus magistris irritari. De rhinocerote agit Plinius lib. 8. cap. 20. *Longitudo ei par*, cum Elephanto scil. *crura multo breviora, color buxeus. In ejus summa nare cornu est.* *Pronus*, hoc est cornu incurvato. *Promisit.* Alii *promisis.*

Cui pila.] Pilæ dicebantur vestes in globum & speciem pilæ collectæ, quæ objiciebantur cornibus taurorum, ut irritarentur. Vide Epig. 19. infra Epig. 43. lib. 2. Epig. 53. lib. 14.

De leone qui gubernatorem offendit. X.

LÆSERAT ingrato leo perfidus ore magistrum,
Ausus tam notas contemerare manus:
Sed dignas tanto persolvit crimine pœnas,
Et qui non tulerat verbera, tela tulit.
Quos decet esse hominum tali sub principe mores,
Qui jubet ingenium mitius esse feris?

Leo infidelis vulneraverat rectorem suum dente immemori, ausus violare manus adeo sibi *cognitas: sed supplicium pertulit debitum tanto sceleri, & passus est jacula, qui non erat passus virgas. Quam indolem habere debent homines sub tali Imperatore, qui vult feris inesse leniorem naturam?*

Læserat ingrato.] Oblitus nempe beneficiorum quæ a suo rectore acceperat, sed fortè irritatus & crudeliter verberatus fuerat, alioquin animal est gratissimum, ut narrat Gellius cap. 14. lib. 5. De Androdo & leone. Vide Epig. 75. lib. 2.

Qui jubet ingenium.] Hoc est qui vult feras habere mores humanos: sic a clementia commendat Domitianum.

De urso viscato. XI.

PRÆCEPS sanguinea dum se rotat ursus arena,
Implicitam visco perdidit ille fugam.
Splendida jam tecto cessent venabula ferro,
Nec volet excussa lancea torta manu.

Dum Ursus ruens se volvit in orbem per arenam cruentam, irretitus visco stitit fugam. Nitida venabula jam quiescant recondito ferro, nec hasta volet vibrata manu agitatâ. Venator deprendat præ-

Deprendat

Deprendat vacuo venator in aëre prædam,
Si captare feras aucupis arte placet.

dam in vacuo aëre, si lubet capere feras arte aucupis.

Perdidit ille fugam.] Pro fuga intellige vim fugiendi, & epithetum *implicitam*, per metalepsim fugæ tribuitur, quod urso fugienti conveniebat. Alii, *implicitus*.

Si captare feras.] Captare, verbum est proprium aucupii, deprehendere autem venationis, quasi dicat jam venator aucupio feras veluti aves captet.

De sue, quæ ex vulnere peperit. XII.

INTER Cæsareæ discrimina sæva Dianæ
Fixisset gravidam cum levis hasta suem;
Exsiliit partus miseræ de vulnere matris.
O Lucina ferox, hoc peperisse fuit?
Pluribus illa mori voluisset saucia telis,
Omnibus ut natis triste pateret iter.
Quis negat esse satum materno funere Bacchum?
Sic genitum numen credite: nata fera est.

Cum levis hasta perfodisset suem prægnantem, inter pugnas crudeles Dianæ Cæsareæ, partus erupit ex plaga ærumnosa parentis. O sæva Lucina, hoc ne fuit genuisse? Illa optasset interire vulnerata multis telis, ut tristis aperiretur via omnibus natis. Quis inficiatur Bacchum esse natum ex materna plaga? credite ita Deum procreatum: nam sic genita est fera.

Cæsarea Diana.] Per metonymiam ponit Dianam pro venatione quam Domitianus exhibuit in amphitheatro: Dianæ enim sacra est venatio.

O Lucina.] Dea partuum præses, quæ & Juno dicitur & Diana. Terentius in Andria,

Juno Lucina fer opem.

Parturientibus verò subvenire dicitur Diana, quod sine dolore Latona eam in utero gestasset & peperisset, ut canit Callimachus in hymno Dianæ. Sensus est, hoc ne modo, ô Diana, parturientes adjuvas?

Omnibus ut.] Ex hoc versu patet non omnes editos in lucem catulos, sed quosdam cum matre periisse.

Quis negat.] Natus est Bacchus ex Semele fulminata, & nutritus intra femora Jovis. Vide Epig. 67. lib. 5. fabulosam hanc historiam sic lepidè irridet Poëta.

De eadem. XIII.

ICTA gravi telo, confossaque vulnere, mater
Sus pariter vitam perdidit, atque dedit.
O quam certa fuit librato dextera ferro!
Hanc ego Lucinæ credo fuisse manum.
Experta est numen moriens utriusque Dianæ,
Quaque soluta parens, quaque peremta fera est.

Sus genitrix amisit vitam simul & impertiit vulnerata lethali jaculo, & vulnere transfadacta. O quam directò dextra contorsit telum! ego arbitror hanc fuisse manum Lucinæ. Occumbens periclitata est numen utriusque Dianæ, & qua mater liberata est, & qua fera est occisa.

Numen utriusque Dianæ.] Venatricis, scil. & obstetricis.

De sue prægnante. XIV.

SUs fera jam gravior, maturi pignora ventris
Emisit fœtum, vulnere facta parens.
Nec jacuit partus, sed matre cadente cucurrit.
O quantum est subitis casibus ingenium!

Sus fera mox paritura facta mater vulnere edidit partum pignora uteri maturi. Nec fœtus procubuit, sed cucurrit moriente genitrice. O quanta est solertia eventibus repentinis!

Pignora.] Hoc est partum edidit pignus, scil. ventris; appositio est, legunt alii *pignore*, alii *pondere*.

O quantum est subitis.] Quam multa fiunt casu, quæ nullo ingenio, nulla machina effici potuissent.

De Carpophoro venatore fortissimo. XV.

SUMMA tuæ, Meleagre, fuit quæ gloria famæ:
Quantula Carpophori portio, fusus aper!
Ille & præcipiti venabula condidit urso,
Primus in Arctoi qui fuit arce poli:
Stravit & ignota spectandum mole leonem,
Herculeas potuit qui decuisse manus,
Et volucrem longo porrexit vulnere pardum,
Præmia cum laudis ferret, adhuc poterat.

Jacens aper, ô Meleagre, summum fuit decus tuæ famæ, quam verò exigua pars Carpophori! Ille quoque venabulo transfodit ursum irruentem, qui maximus fuit in arce poli Septentrionalis: profligavit etiam leonem conspicuum proceritate inaudita, qui potuit honestare manus Herculis; & mortifero vulnere extendit pardum velocem, cum reportaret mercedem gloriæ suæ, adhuc vigebat.

Summa tua.] Meleager comitatus Atalanta aprum Calydonium interfecit, unde summam gloriam reportavit. Ovidius lib. 8. Metam. Pausanias Meleagri meminit in Messenicis.

Quantula Carpophori.] Juvenis erat Domitiano carissimus, quod mirus esset excipiendis venabulo feris. Legunt alii, *est quota*, sic lib. 5. Epig. 66. *quota pars spectatur arena.*

Primus in Arctoi.] Arx sumitur hic pro sylvis in montibus Septentrionis. Alii, *axe.*

Pardum.] Qui mas pantheræ vocatur a Plinio cap. 17. lib. 8. de cujus celeritate agit Oppianus lib. 3. Cyneget.

Adhuc poterat.] Adhuc habebat vires integras.

De

De tauro qui Herculem sustulit in cælum. XVI.

RAPTUS abit media quod ad æthera taurus arena;
Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.
Vexerat Europen fraterna per æquora taurus,
At nunc Alciden taurus in astra tulit.
Cæsaris, atque Jovis confer nunc schema: juvenci
Par onus ut tulerint: altius iste tulit.

Non tam artificio quam pietati tribuendum est, quod taurus cælum petit abreptus de media arena: Taurus portaverat Europen per undas fratris Neptuni, sed taurus nunc rapuit Herculem in cælum. Compara nunc figuram Jovis & Cæsaris: fac juvenci portaverint pondus æquale, iste altius portavit.

Non fuit hoc artis.] Jupiter in taurum conversus per undas fratris Neptuni vexit Europen: Ovidius lib. 2. Metam. Nunc idem Jupiter sub figura tauri fingitur tollere in aërem Alciden suum filium, Domitianum nempe qui se Herculem prædicabat. Epig. 104. lib. 9.

Hæc minor Alcides; major quæ gesserit audi.

Alii, ut comparatio magis quadret, intelligunt ipsum Domitianum fuisse inclusum in hac machina quæ Herculem sustulit in cælum, id est in amphitheatri fastigium. Durum tamen hoc sentire, inquit Raderus, & sanè periculosum Imperatori. Judicet lector.

Confer nunc schema.] Compara taurum a Domitiano effictum cum Jove in taurum converso. Legunt alii *Confer nunc stemma, juventus.* Alii *Confer nunc, Roma, juvencos.*

Par onus ut.] Licet tulissent onus æquale (quamvis nec onus par fuerit, per undas enim Jupiter puellam, Domitiani verò machina Herculem per aërem rapuit.) attamen, inquit poëta, Domitiani taurus altius portavit suum onus, atque ita nobilior est. Videtur poëta ludere in voce, *altius*, hoc sensu, per altum mare vexit Jupiter suam puellam, at per aërem altiorem portavit Herculem taurus Domitiani.

De supplice elephante. XVII.

QUOD pius, & supplex elephas te, Cæsar, adorat,
Hic modo qui tauro tam metuendus erat:
Non facit hoc jussus; nulloque docente magistro,
Crede mihi, numen sentit & ille tuum.

O Cæsar, quod hic elephantus pius & summissus te veneratur, qui paulò ante adeo formidandus erat tauro, non facit hoc imperatus; nec ullo erudiente magistro, mihi fidem adhibe, habet ille quoque sensum tui numinis.

Adorat.] Plinius lib. 8. cap. 1. *Nam quod ad docilitatem attinet Regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt.* Vide cap. sequentia. 3. 4. 5.

Null. que docente.] Legunt alii *nullove docente magistro*, accipe hoc non ποιητικῶς dictum a poëta, quod sine magistro faciat, verè enim bellua prudens intelligit per se etiam principis majestatem Raderus.

Numen sentit.] Sensum religionis habere elephantos docet Plinius lib. 8. cap. 1. *Religio quoque siderum, solisque ac Lunæ veneratio.* Nempe est Elephantis. Domitianus verò Deum se prædicabat cui ingeniosè blanditur poëta: cujus numen ab elephante ut a populo Romano adorari intelligit.

De tigride, & leone ab illa lacerato. XVIII.

LAMBERE fecuri dextram confueta magiftri,
Tigris ab Hyrcano gloria rara jugo,
Sæva ferum rabido laceravit dente leonem:
Res nova, non ullis cognita temporibus.
Aufa eft tale nihil, fylvis dum vixit in altis:
Poftquam inter nos eft, plus feritatis habet.

Tigris fummum decus montium Hyrcania folebat lingere manum cuftodis tuti. Crudelis difcerpfit dente furenti fævum leonem: res inaudita, nec ullis feculis nota. Dum vixit in denfis fylvis, non ea fuit audacia: ubi ad nos tranflata eft, ferocior evafit.

Hyrcano jugo.] Hyrcania Afiæ regio de qua Strabo lib. 11. & Plinius lib. 6. cap. 6. In cujus montibus tigres funt ferociffimæ. Virgilius lib. 4. Æneid.

——— *Hyrcanæque admorunt ubera tigres.*

Rara gloria.] Quod hæc tigris alias magnitudine fuperabat.

Plus feritatis.] Hoc eft animofior evafit, utpote quæ fortitudinem a Romanis acceperit. Intelligunt alii hoc loco Romanos & ipfum Imperatorem carpi a noftro Poëta, apud quos feræ crudeliores fierent, cum mitiores effe debuiffent. Sed hoc Martiali periculofiffimum fuiffet.

De elephante qui taurum interfecit. XIX.

QUI modò per totam, flammis ftimulatus, arenam
Suftulerat raptas taurus in aftra pilas,
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli fic elephanta putat.

Taurus qui paulò ante per omnem arenam igne incitatus jactaverat in cælum pilas abreptas, denique periit percuffus ardore cornuto, dum credit ita facile poffe jactari elephantum.

Cornuto ardore.] Ita cornuta, hoc eft cornibus irati elephantis, feu dentibus quos cornua vocat, ut Epigr. 73. lib. 1. Paufanias lib. 5. *Ad hæc, dentes igne domari nequeunt: at boum & elephantorum cornua fic igne emolliuntur, ut vel ex tereti planam, vel aliam quamlibet accipiant figuram.* Ramirefius legit *cornuto ardore potitus*, id eft, inquit, toto conatu cornuum ardentium nifus eft taurus in altum tollere elephantum, & potitus eft cornuto ardore, hoc eft cornuum fuorum vehementia ipfa victus eft: hunc loquendi modum ufurpavit Plautus in Captivis act. 1. fcena 2.

Poftquam natus tuus potitus eft hoftium.

fubintelligitur *imperio*, & paffivè fumitur, id eft ab hoftibus victus. Judicet lector.

Sic tolli.] Veluti pilas objectas, quæ fiebant aliquando ad inftar humanæ effigiei, ex pannis purpureis fœno ftramineve fartis, quo colore tauri maximè efferantur. Vide Epig. 9. fupra. Rutgerfius huic Epigrammati fubjungit duos verfus qui funt in fine hujus libri:

Cedere majoris virtutis fama fecunda eft:
Illa gravis palma eft, quam minor hoftis habet.

Quo fenfu videat lector?

Affentatu

Assentatur Cæsari
quem ab indulgentia commendat. XX.

DUM peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum.
Promisit pariter Cæsar utraque manu.
Non potuit melius litem finire jocosam.
O dulce invicti principis ingenium!

Dum factio hæc Myrinum postularet, illa verò Triumphum, Cæsar pollicitus est simul ambabus manibus. Nequivit melius decidere contentionem facetam. O suavem solertiam Imperatoris invicti!

Dum peteret pars.] Duas intellige factiones amphitheatrales, quarum altera Myrinum, cujus meminit Epig. 29. lib. 12. altera Triumphum gladiatores eximios postulabat. Suetonius in Domitiano cap. 4. *Præterea Quæstoriis muneribus, quæ olim omissa revocaverat, ita semper interfuit, ut populo potestatem faceret, bina paria e suo ludo postulandi, quæ novissima aulico apparatu induceret.* Quæstores suis impensis munera edere cogebantur: at Domitianus e sua familia duos istos gladiatores libenter concessit, atque extensa utraque manu duabus factionibus diversa petentibus benignè satisfecit. Subtiliùs Scaliger explicat: nempe promisit Imperator gladiatores pugnaturos utraque manu, seu binis sicis, sine parma, &c.

Ad Cæsarem
de Orphei fabula in amphitheatro exhibita. XXI.

QUICQUID in Orpheo Rhodope spectasse theatro
Dicitur, exhibuit, Cæsar, arena tibi.
Repserunt scopuli, mirandaque sylva cucurrit,
Quale fuisse nemus creditur Hesperidum.
Affuit immixtum pecudum genus omne ferarum,
Et supra vatem multa pependit avis.
Ipse sed ingrato jacuit laceratus ab urso,
Hæc tamen ut res est facta, ita ficta alia est.

O Cæsar, arena repræsentavit tibi quidquid Rhodope fertur vidisse in theatro Orphei. Saxa repserunt, & admirabilis sylva cucurrit, quale fuisse fertur nemus Hesperidum. Promiscuè interfuit omne genus ferarum pecudum, & plurimæ volucres suspensæ fuerunt super poëtam. Sed ipse procubuit discerptus ab urso immemori: nihilominus ut hæc res est peracta, sic alia fuit excogitata.

Rhodope.] Mons Thraciæ de quo jam dictum Epig. 3. supra.

Orpheum theatrum.] Nec arte nec manu factum, sed nativum: vallis nempe fuit, qualis describitur a Seneca in Troade act. 5.

——— *& clivo levi*
Erecta medium vallis includent locum
Crevit theatri more.

Lege Ovidium in fine lib. 10. & initio lib. 11. Metam. Ὀρφεύς substant. Ὀρφεῖ@ adjectivè.

Repserunt scopuli.] Mediam nempe in arenam sylvæ & saxa trahebantur machinis quibusdam miro artificio fabricatis.

Nemus Hesperidum.] Quarum horti describuntur a Virgilio, Plinio, Solino in Mauritania Tingitana. Prope Lixum urbem, ita Ortelius. In illis hortis poma erant aurea, quorum mentionem facit Athenæus lib. 3. cap. 5.

Pecudum genus.] hoc est omne genus ferarum cantu mansuefactarum adfuit.

Pecus

Parcite, dum propero; mergite, dum redeo.

fluctus: ignoscite festinanti; me verò redeuntem obruite.

Quod nocturna.] Leandri noctu natantis ad Heronem suam amicam historia satis nota ex epistola 17. Ovidii exhibita est, cujus fabulæ actor ex undis Cæsaris evasit: sed vero Leandro non pepercerunt fluctus maris, quod Neptuni essent, quem sævitiæ accusans, Domitianum a clementia commendat noster Poeta. Vide Epig. 181. lib. 14.

De natatoribus varios in aquis ludos facientibus. XXVI.

LUSIT Nereidum docilis chorus æquore toto,
Et vario faciles ordine pinxit aquas.
Fuscina dente minax, nexu fuit anchora curvo:
Credidimus remum credidimusque ratem:
Et gratum nautis sidus fulgere Laconum,
Lataque perspicuo vela tumere sinu.
Quis tantas liquidis artes invenit in undis?
Aut docuit lusus hos Tethys, aut didicit.

Flexibile Nereidum agmen lusit toto mari, atque expressit diversas figuras in aqua obsequente. Tridens dente minans fuit repræsentatus *anchora* quoque exhibita *curvato nexu: putavimus naviculam & putavimus remos adesse: & jucundum navicularis Castoris & Pollucis astrum splendere, & vela ampla turgere sinu explicato. Quis excogitavit tanta artificia in aquis fluidis? aut Tethys docens lu*-*dos, aut* ipsa *edocta est.*

Æquore toto.] hoc est per omne nsumachiæ spatium.

Nereidum chorus.] Nereides Nymphæ msris, Nerei & Doridis filiæ de quibus Hesiodus in Theogonia, quas repræsentaverunt natatores Domitiani in aquis ludentes.

Fuscina dente.] Ille chorus sic fuit ordinatus, ut ipsa natantium dispositio, modò tridentem, modò anchoræ speciem effingeret in aqua, modò etiam remos & naviculam compsƐti inter se natatores exprimerent.

Sidus Laconum.] Castor & Pollux Lacones dicti sunt a matre Leda quæ erat Lacæna: sidus est navigantium amicum. Horatius ode 12. lib. 1. carm.

Quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor:
Considunt venti: fugiuntque nubes.

Plinius lib. 2. cap. 37.

Aut didicit.] Tethys Dea maris epig. supra hos ludos didicit a Domitiani natatoribus, aut ipsa docuit. Suetonius in Domitiano cap. 4. *in amphitheatro navale qu*-*que*, supple commisit prælium. Alii tamen hoc Nereidum spectaculum ad Titum referunt freti Dionis auctoritate in Tito

τὸ γὰρ θέατρον αὐτὸ ἐκεῖνο ὕδατος ἐξαίφ
νης πληρώσας, εἰσήγαγε μὲν καὶ ἵππους,
ταύρους καὶ ἄλλα τινὰ χειροήθη δεδιδαγμέ
πάνθ' ὅσα ἐπὶ τῆς γῆς πράττειν, καὶ ἐν τ
ὑγρῷ· εἰσήγαγε δὲ καὶ ἀνθρώπους ἐπὶ πλοίω

&c. Nsm amphitheatro derepente aqua impleto, in ipsum equos taurosque, aliaq msnsueta animalia introduxit, quæ face didicerant ea quæ in terra consueveran In hanc aquam introducti sunt homines navibus, &c.

Blandit

Blanditur Cæsari de pugna Carpophori bestiarii. XXVII.

SÆCULA Carpophorum, Cæsar, si prisca tulissent,
Jam nullum monstris orbe fuisset opus.
Non Marathon taurum, Nemee frondosa leonem,
Arcas Mænalium non timuisset aprum.
Hæc armata manus hydræ mors una fuisset,
Huic percussa foret tota chimæra semel.
Ignipedes posset sine Colchide vincere tauros:
Solvere & Hesionam solus, & Andromeden.
Herculeæ laudis numeretur gloria: plus est
Bis denas pariter perdomuisse feras.

Si Carpophorus, ô Cæsar, natus esset priscis temporibus, nullus amplius labor fuisset per orbem in monstris domandis. *Marathon non metuisset taurum, nec Nemee frondifera leonem, nec Arcas aprum Mænalium. Hæc dextera* Carpophori *armis munita interfecisset hydram una nece, uno illius ictu tota chimæra cæsa fuisset. Absque Medea ope potuisset superare tauros ignipedes: atque solus liberare Hesionam, & Andromeden. Eximiæ Herculis laudes recenseantur: amplius est simul interfecisse viginti feras.*

Carpophorum.] De quo epig. 23. supra, quem Herculi præfert Poëta.

Jam nullum.] Jam significat amplius hoc loco. Terentius in Andria act. 2. scen. 2.

Uxorem jam non dat Chremes.

Alii *nullum in monstris.*

Marathon.] Urbs est decem millibus passuum distans ab Athenis, hodie *Marasona* vel *Maratona*, quò ex Creta taurum a Pasiphaë adamatum Hercules adduxit ad Eurystheum, illicque illum interfecit. Alii tamen taurum Marathonium a Theseo domitum affirmant, de quo lib. 4. Anthologiæ, & lib. 7. Metam. Ovidii.

Nemee.] Sylva Peloponnesi ubi leo ab Hercule prostratus est Epig. 6. supra.

Mænalium.] Mænalus mons Arcadiæ ubi ingentem aprum interfecit Hercules lib. 5. epig. 66.

Nemea terror, & Arcas aper.

Hydræ mors una.] hoc est Lernæam illam pestem uno ictu interfecisset Carpophorus, quam multis repetitis vulneribus vix occidit Hercules, capitibus nempe aliis cæsorum loco renascentibus.

Chimæra.] Monstrum fuit triforme: habebat enim leonis caput, ventrem capræ, & draconis caudam, quod occidit Bellerophon. Ovidius lib. 9. Metam.

Hesionam.] Filiam Laomeduntis Trojanorum regis objectam monstro marino, & devinctam saxo liberavit Hercules. Ovid. 11. Metam.

———*regis quoque filia monstro*
Poscitur æquoreo, quam dira ad saxa revinctam
Vindicat Alcides.

Andromeden.] Quæ filia fuit Cephei regis Æthiopum, ceto exposita liberata est a Perseo pacto ejus nuptias. Ovidius 4. Metam. Manilius lib. 5. copiosè describit hanc historiam.

Proposita est merces, vesano dedere Ponto
Andromeden, teneros ut bellua manderet artus

Ignipedes.] Ovidius 7. Metam. legit *Æripedes.* Hos verò tauros vellus aureum custodientes vicit Jason ope Medeæ Colchidis, cujus historia satis patet ex Ovidio & Valerio Flacco.

Herculeæ laudis.] hoc est si labores Herculis numeres duodecim tantum & quidem diversis temporibus exantlatos reperies, at vero Carpophorus uno die viginti feras interfecit.

Nec se miretur, Cæsar, longæva vetustas:
Quidquid fama canit, donat arena tibi.

facta est vera. Nec antiquitas remota, ô Cæsar, sibi nimium placeat: Quidquid fama narrat, id ipsum *tibi suppeditat arena.*

Junctam Pasiphaën.] Pasiphaë filia Solis, & uxor Minois Regis Cretæ arsit amore tauri: hæc fabula satis nota.

Dictæo.] Cretensi à Dicta monte Cretæ.

Nec se miretur.] Propter sua miracula, aut potius propter fabulas, quæ in Amphitheatro Domitiani verè repræsentabantur. Simile spectaculum exhibuerat Nero. Suetonius in Nerone cap. 12. *Taurus Pasiphaën ligneo juvencæ simulachro abditam iniit; ut multi spectantium crediderunt.*

Blanditur Cæsari de venatione mulierum. VI.

BELLIGER invictis quòd Mars tibi sævit in armis,
Non satis est, Cæsar, sævit & ipsa Venus.
Prostratum Nemees & vasta in valle leonem,
Nobile & Herculeum fama canebat opus:
Prisca fides taceat: nam post tua munera Cæsar,
Hæc jam fœminea vidimus acta manu.

Non sufficit, ô Cæsar, quod Mars bellicosus tibi furit in armis insuperabilibus, Venus quoque ipsa furit. Fama narrabat egregium Herculis factum, leonem profligatum deserta in valle Nemees. Vetera monumenta sileant: etenim, ô Cæsar, post tua spectacula, jam spectavimus hæc facta manu mulicbri.

Mars tibi sævit.] Hoc est in specie figuraque tua: ut in Augusti specie Mercurius pugnavit in terris. Horatius lib. 1. carminum ode 2. Sic Marcilius. Vel in tuam gratiam sævit. Videat lector.

Sævit & ipsa Venus.] hoc est non viri tantum tibi venatores, sed & fœminæ tibi sunt venatrices. Suetonius in Domitiano cap. 4. *Nam venationes gladiatoresque, & noctibus ad lychnuchos*: Supple, commisit; *Nec virorum modo pugnas, sed & fœminarum.*

Nemees.] Sylva est in Peloponneso inter Mycenas & Nemeam, ubi leo ab Herculo fuit interfectus, legunt alii. *Prostratum Nemees in vasta valle leonem.*

Hæc jam fœminea.] In arenam enim descenderunt Romanæ fœminæ. Juvenal. Sat. 1.

——————— *Mævia Tuscum*
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.

Pœna Laureoli. VII.

QUALITER in Scythica religatus rupe Prometheus,
Assiduam nimio pectore pavit avem,
Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso,
Non falsa pendens in cruce Laureolus.
Vivebant laceri membris stillantibus artus,

Quemadmodum Prometheus Scythico Saxo affixus, visceribus renascentibus nutrivit volucrem adhærentem: ita Laureolus suspensus in patibulo non ficto objecit spoliatum corpus urso Britannico. Artus discerpti palpitabant, membris

Inque

Inque omni nusquam corpore corpus erat.
Denique supplicium dederat necis ille paternæ,
Vel domini jugulum foderat ense nocens.
Templa vel arcano demens spoliaverat auro,
Subdiderat sævas vel tibi Roma faces.
Vicerat antiquæ sceleratus crimina famæ,
In quo, quæ fuerat fabula, pœna fuit.

cruore manantib. facies corporis erat in pore. Tandem ille perso. pœnas mortis paternæ, aut reus gladio transadegerat collum heri sui. Aut insanus furatus erat in templis aurum secretum; vel tibi, ô Roma, supposuerat tædas crudeles. Hic *nefarius superavit scelera prisca famæ, in quo supplicium fuit, quod fuerat fabula.*

In Scythica rupe.] In Caucaso quem Scythæ accolunt: & pars est Tauri montis, inter Pontum Euxinum & mare Caspium. Vide Epig. 46. lib.9. infra. Nota est Promethei fabula, quem Caucaso affixit Jupiter, quod furtim e cælo ignem subduxisset; ex cujus renascentibus quotidie visceribus aquila, vel ut aliis placet, vultur nutriebatur. Legendus Æschilus, in Prometheo vincto.

Caledonio urso.] Caledonia regio Britanniæ, ubi sylvæ densissimæ, unde sævi ursi Romam mittebantur. Caledonii Ptolemæo Scotiæ populi. *Rossia* eorum tractus videtur vocari. Buchananus vocat *Duncalden.* Vide Epig. 44. lib. 10. Alii *viscera.* Enimvero non solet Poëta repetere easdem voces.

In cruce Laureolus.] Maleficus quidam sub nomine & persona Laureoli, qui fuerat olim latronum dux, de cujus in crucem acti supplicio Romæ identidem mimus agebatur. Suetonius in Caligula cap. 57. *Et cum in Laureolo mimo in quo actor proripiens se ruina sanguinem vomuit, &c.* Juvenal. Sat. 8. versu 186.

Laureolum velox etiam bene Lentulus egit
Judice me dignus vera cruce:

Versus sequentes ut adulterini à quibusdam rejiciuntur perperam: his enim additis crudelitatis nota, quæ Domitiano inuri potuisset, deletur.

Templa vel arcano.] hoc est vasa aurea ad usum sacrificiorum: vel fortè intelligit aurum in templis custodiæ caussa depositum.

Quæ fuerat fabula.] Sensus est. Alii quidem mimi Laureoli actores fictas tantum & mimicas pœnas dederunt, hic verò latro veras luit.

De Dædalo. VIII.

DÆDALE Lucano cum sic lacereris ab urso,
Quam cuperes pennas nunc habuisse tuas.

O Dædale quam optarès nunc esse instructus tuis alis, cum ita dilanieris ab urso Lucano.

Dædale.] Nota est Dædali historia ex lib.8. Metam. Ovidii. Hic verò damnatus coactus est Dædalum imitari, & per aërem volare, delapsus autem ab urso dilaniatus est. Simile spectaculum legitur apud Suetonium in Nerone cap. 12. *Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipsumque cruore respersit.*

Lucano urso.] Ex Lucania Italiæ provincia hodie *Basilicata*, in regno Neapolitano unde immanes ursi Romam mittebantur. Plinius lib. 3. cap. 5.

Quam cuperes.] Habere pennas quibus a Creta avolasti. Alii *tunc.*

Deprendat vacuo venator in aëre prædam,
Si captare feras aucupis arte placet.

dam in vacuo aëre, si lubet capere feras arte aucupis.

Perdidit ille fugam.] Pro fuga intellige vim fugiendi, & epithetum *implicitam*, per metalepsim fugæ tribuitur, quod ursо fugienti conveniebat. Alii, *implicitus.*

Si captare feras.] Captare, verbum est proprium aucupii, deprehendere autem venationis, quasi dicat jam venator aucupio feras veluti aves captet.

De sue, quæ ex vulnere peperit. XII.

INTER Cæsareæ discrimina sæva Dianæ
Fixisset gravidam cum levis hasta suem;
Exsiliit partus miseræ de vulnere matris.
O Lucina ferox, hoc peperisse fuit?
Pluribus illa mori voluisset saucia telis,
Omnibus ut natis triste pateret iter.
Quis negat esse satum materno funere Bacchum?
Sic genitum numen credite: nata fera est.

Cum levis hasta perfodisset suem prægnantem, inter pugnas crudeles Dianæ Cæsareæ, partus erupit ex plaga ærumnosa parentis. O sæva Lucina, hoc ne fuit genuisse? Illa optasset interire vulnerata multis telis, ut tristis aperiretur via omnibus natis. Quis inficiatur Bacchum esse natum ex materna plaga? credite ita Deum procreatum: nam sic genita est fera.

Cæsarea Diana.] Per metonymiam ponit Dianam pro venatione quam Domitianus exhibuit in amphitheatro: Dianæ enim sacra est venatio.

O Lucina.] Dea partuum præses, quæ & Juno dicitur & Diana. Terentius in Andria,

Juno Lucina fer opem.

Parturientibus verò subvenire dicitur Diana, quod sine dolore Latona eam in utero gestasset & peperisset, ut canit Callimachus in hymno Dianæ. Sensus est, hoc ne modo, ô Diana, parturientes adjuvas?

Omnibus ut.] Ex hoc versu patet non omnes editos in lucem catulos, sed quosdam cum matre periisse.

Quis negat.] Natus est Bacchus ex Semele fulminata, & nutritus intra femora Jovis. Vide Epig. 67. lib. 5. fabulosam hanc historiam sic lepidè irridet Poeta.

De eadem. XIII.

ICTA gravi telo, confossaque vulnere, mater
Sus pariter vitam perdidit, atque dedit.
O quam certa fuit librato dextera ferro!
Hanc ego Lucinæ credo fuisse manum.
Experta est numen moriens utriusque Dianæ,
Quaque soluta parens, quaque peremta fera est.

Sus genitrix amisit vitam simul & impertiit vulnerata lethali jaculo, & vulnere transfadacta. O quam directò dextra contorsit telum! ego arbitror hanc fuisse manum Lucinæ. Occumbens periclitata est numen utriusque Dianæ, & qua mater liberata est, & qua fera est occisa.

Numen utriusque Dianæ.] Venatricis, scil. & obstetricis.

De sue prægnante. XIV.

SUs fera jam gravior, maturi pignora ventris
Emisit fœtum, vulnere facta parens.
Nec jacuit partus, sed matre cadente cucurrit.
O quantum est subitis casibus ingenium!

Sus fera mox paritura facta mater vulnere edidit partum pignora uteri maturi. Nec fœtus procubuit, sed cucurrit moriente genitrice. O quanta est solertia eventibus repentinis!

Pignora.] Hoc est partum edidit pignus, scil. ventris; appositio est, legunt alii *pignore*, alii *pondere*.

O quantum est subitis.] Quam multa fiunt casu, quæ nullo ingenio, nulla machina effici potuissent.

De Carpophoro venatore fortissimo. XV.

SUMMA tuæ, Meleagre, fuit quæ gloria famæ:
Quantula Carpophori portio, fusus aper!
Ille & præcipiti venabula condidit urso,
Primus in Arctoi qui fuit arce poli:
Stravit & ignota spectandum mole leonem,
Herculeas potuit qui decuisse manus,
Et volucrem longo porrexit vulnere pardum,
Præmia cum laudis ferret, adhuc poterat.

Jacens aper, ô Meleagre, summum fuit decus tuæ famæ, quam verò exigua pars Carpophori! Ille quoque venabulo transfodit ursum irruentem, qui maximus fuit in arce poli Septentrionalis: profligavit etiam leonem conspicuum proceritate inaudita, qui potuit honestare manus Herculis; & mortifero vulnere extendit pardum velocem, cum reportaret mercedem gloriæ suæ, adhuc vigebat.

Summa tua.] Meleager comitatus Atalanta aprum Calydonium interfecit, unde summam gloriam reportavit. Ovidius lib. 8. Metam. Pausanias Meleagri meminit in Messenicis.

Quantula Carpophori.] Juvenis erat Domitiano carissimus, quod mirus esset excipiendis venabulo feris. Legunt alii, *est quota*, sic lib. 5. Epig. 66. *quota pars spectatur arena.*

Primus in Arctoi.] Arx sumitur hic pro sylvis in montibus Septentrionis. Alii, *axe.*

Pardum.] Qui mas pantheræ vocatur a Plinio cap. 17. lib. 8. de cujus celeritate agit Oppianus lib. 3. Cyneget.

Adhuc poterat.] Adhuc habebat vires integras.

De

De tauro qui Herculem ſuſtulit in cælum. XVI.

RAPTUS abit media quod ad æthera taurus arena;
Non fuit hoc artis, ſed pietatis opus.
Vexerat Europen fraterna per æquora taurus,
At nunc Alciden taurus in aſtra tulit.
Cæſaris, atque Jovis confer nunc ſchema: juvenci
Par onus ut tulerint: altius iſte tulit.

Non tam artificio quam pietati tribuendum eſt, quod taurus cælum petit abreptus de media arena: Taurus portaverat Europen per undas fratris Neptuni, ſed taurus nunc rapuit Herculem in cælum. Compara nunc figuram Jovis & Cæſaris: fac juvenci portaverint pondus æquale, iſte altius portavit.

Non fuit hoc artis.] Jupiter in taurum converſus per undas fratris Neptuni vexit Europen: Ovidius lib. 2. Metam. Nunc idem Jupiter ſub figura tauri fingitur tollere in aërem Alciden ſuum filium, Domitianum nempe qui ſe Herculem prædicabat. Epig. 104. lib. 9.

Hac minor Alcides; major quæ geſſerit audi.

Alii, ut comparatio magis quadret, intelligunt ipſum Domitianum fuiſſe incluſum in hac machina quæ Herculem ſuſtulit in cælum, id eſt in amphitheatri faſtigium. Durum tamen hoc ſentire, inquit Raderus, & ſanè periculoſum Imperatori. Judicet lector.

Confer nunc ſchema.] Compara taurum a Domitiano effictum cum Jove in taurum converſo. Legunt alii *Confer nunc ſtemma, juventus.* Alii *Confer nunc, Roma, juvencos.*

Par onus ut.] Licet tuliſſent onus æquale (quamvis nec onus par fuerit, per undas enim Jupiter puellam, Domitiani verò machina Herculem per aërem rapuit.) attamen, inquit poëta, Domitiani taurus altius portavit ſuum onus, atque ita nobilior eſt. Videtur poëta ludere in voce, *altius*, hoc ſenſu, per altum mare vexit Jupiter ſuam puellam, at per aërem altiorem portavit Herculem taurus Domitiani.

De ſupplice elephante. XVII.

QUOD pius, & ſupplex elephas te, Cæſar, adorat,
Hic modo qui tauro tam metuendus erat:
Non facit hoc juſſus; nulloque docente magiſtro,
Crede mihi, numen ſentit & ille tuum.

O Cæſar, quod hic elephantus pius & ſummiſſus te veneratur, qui paulò ante adeo formidandus erat tauro, non facit hoc imperatus; nec ullo erudiente magiſtro, mihi fidem adhibe, habet ille quoque ſenſum tui numinis.

Adorat.] Plinius lib. 8. cap. 1. *Nam quod ad docilitatem attinet Regem adorant, genua ſubmittunt, coronas porrigunt.* Vide cap. ſequentia. 3. 4. 5.

Nullque docente.] Legunt alii *nullove docente magiſtro*, accipe hoc non ποιητικῶς dictum a poëta, quod ſine magiſtro faciat, verè enim bellua prudens intelligit per ſe etiam principis majeſtatem Raderus.

Numen ſentit.] Senſum religionis habere elephantos docet Plinius lib. 8. cap. 1. *Religio quoque ſiderum, ſoliſque ac Lunæ veneratio.* Nempe eſt Elephantis. Domitianus verò Deum ſe prædicabat cui ingenioſè blanditur poëta: cujus numen ab elephante ut a populo Romano adorari intelligit.

De

De sue prægnante. XIV.

SUs fera jam gravior, maturi pignora ventris
Emisit fœtum, vulnere facta parens.
Nec jacuit partus, sed matre cadente cucurrit.
O quantum est subitis casibus ingenium!

Sus fera mox paritura facta mater vulnere edidit partum pignora uteri maturi. Nec fœtus procubuit, sed cucurrit moriente genitrice. O quanta est solertia eventibus repentinis!

Pignora.] Hoc est partum edidit pignus, scil. ventris; appositio est, legunt alii *pignore*, alii *pondere*.

O quantum est subitis.] Quam multa fiunt casu, quæ nullo ingenio, nulla machina effici potuissent.

De Carpophoro venatore fortissimo. XV.

SUMMA tuæ, Meleagre, fuit quæ gloria famæ:
Quantula Carpophori portio, fusus aper!
Ille & præcipiti venabula condidit urso,
Primus in Arctoi qui fuit arce poli:
Stravit & ignota spectandum mole leonem,
Herculeas potuit qui decuisse manus,
Et volucrem longo porrexit vulnere pardum,
Præmia cum laudis ferret, adhuc poterat.

Jacens aper, ô Meleagre, summum fuit decus tuæ famæ, quam verò exigua pars Carpophori! Ille quoque venabulo transfodit ursum irruentem, qui maximus fuit in arce poli Septentrionalis: profligavit etiam leonem conspicuum proceritate inaudita, qui potuit honestare manus Herculis; & mortifero vulnere extendit pardum velocem, cum reportaret mercedem gloriæ suæ, adhuc vigebat.

Summa tuæ.] Meleager comitatus Atalanta aprum Calydonium interfecit, unde summam gloriam reportavit. Ovidius lib. 8. Metam. Pausanias Meleagrl meminit in Messenicis.

Quantula Carpophori.] Juvenis erat Domitiano carissimus, quod mirus esset excipiendis venabulo feris. Legunt alii, *est quota*, sic lib. 5. Epig. 66. *quota pars spectatur arena.*

Primus in Arctoi.] Arx sumitur hic pro sylvis in montibus Septentrionis. Alii, *axe*.

Pardum.] Qui mas pantheræ vocatur a Plinio cap. 17. lib. 8. de cujus celeritate agit Oppianus lib. 3. Cyneget.

Adhuc poterat,] Adhuc habebat vires integras.

De

De tauro qui Herculem sustulit in cælum. XVI.

RAPTUS abit media quod ad æthera taurus arena;
Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.
Vexerat Europen fraterna per æquora taurus,
At nunc Alciden taurus in astra tulit.
Cæsaris, atque Jovis confer nunc schema: juvenci
Par onus ut tulerint: altius iste tulit.

Non tam artificio quam pietati tribuendum est, quod taurus cælum petiit abreptus de media arena: Taurus portaverat Europen per undas fratris Neptuni, sed taurus nunc rapuit Herculem in cælum. Compara nunc figuram Jovis & Cæsaris: fac juvenci portaverint pondus æquale, iste altius portavit.

Non fuit hoc artis.] Jupiter in taurum conversus per undas fratris Neptuni vexit Europen: Ovidius lib. 2. Metam. Nunc idem Jupiter sub figura tauri fingitur tollere in aërem Alciden suum filium, Domitianum nempe qui se Herculem prædicabat. Epig. 104. lib. 9.

Hac minor Alcides; major qua gesserit audi.

Alii, ut comparatio magis quadret, intelligunt ipsum Domitianum fuisse inclusum in hac machina quæ Herculem sustulit in cælum, id est in amphitheatri fastigium. Durum tamen hoc sentire, inquit Raderus, & sanè periculosum Imperatori. Judicet lector.

Confer nunc schema.] Compara taurum a Domitiano effictum eum Jove in taurum converso. Legunt alii *Confer nunc stemma, juventus.* Alii *Confer nunc, Roma, juvencos.*

Par onus ut.] Licet tulissent onus æquale (quamvis nec onus par fuerit, per undas enim Jupiter puellam, Domitiani verò machina Herculem per aërem rapuit.) attamen, inquit poëta, Domitiani taurus altius portavit suum onus, atque ita nobilior est. Videtur poëta ludere in voce, *altius*, hoc sensu, per altum mare vexit Jupiter suam puellam, at per aërem altiorem portavit Herculem taurus Domitiani.

De supplice elephante. XVII.

QUOD pius, & supplex elephas te, Cæsar, adorat,
Hic modo qui tauro tam metuendus erat:
Non facit hoc jussus; nulloque docente magistro,
Crede mihi, numen sentit & ille tuum.

O Cæsar, quod hic elephantus pius & summissus te veneratur, qui paulò ante adeo formidandus erat tauro, non facit hoc imperatus; nec ullo erudiente magistro, mihi fidem adhibe, habet ille quoque sensum tui numinis.

Adorat.] Plinius lib. 8. cap. 1. *Nam quod ad docilitatem attinet Regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt.* Vide cap. sequentia. §. 4. 5.

Null. que docente.] Legunt alii *ullove docente magistro*, accipe hoc non ἀπιστικῶς dictum a poëta, quod sine magistro faciat, verè enim bellua prudens intelligit per se etiam principis majestatem Raderus.

Numen sentit.] Sensum religionis habere elephantos docet Plinius lib. 8. cap. 1. *Religio quoque siderum, solisque ac Lunæ veneratio.* Nempe est Elephantis. Domitianus verò Deum se prædicabat cui ingeniosè blanditur poëta: cujus numen ab elephante ut a populo Romano adorari intelligit.

De

De tigride, & leone ab illa lacerato. XVIII.

LAMBERE securi dextram consueta magistri,
Tigris ab Hyrcano gloria rara jugo,
Sæva ferum rabido laceravit dente leonem:
Res nova, non ullis cognita temporibus.
Ausa est tale nihil, sylvis dum vixit in altis:
Postquam inter nos est, plus feritatis habet.

Tigris summum decus montium Hyrcaniæ solebat lingere manum custodis tuti. Crudelis discerpsit dente furenti sævum leonem: res inaudita, nec ullis seculis nota. Dum vixit in densis sylvis, non ea fuit audacia: ubi ad nos translata est, ferocior evasit.

Hyrcano jugo.] Hyrcania Asiæ regio de qua Strabo lib. 11. & Plinius lib. 6. cap. 6. In cujus montibus tigres sunt ferocissimæ. Virgilius lib. 4. Æneid,

——— *Hyrcanæque admorunt ubera tigres.*

Rara gloria.] Quod hæc tigris alias magnitudine superabat.

Plus feritatis.] Hoc est animosior evasit, utpote quæ fortitudinem a Romanis acceperit. Intelligunt alii hoc loco Romanos & ipsum Imperatorem carpi a nostro Poëta, apud quos feræ crudeliores fierent, cum mitiores esse debuissent. Sed hoc Martiali periculosissimum fuisset.

De elephante qui taurum interfecit. XIX.

QUI modò per totam, flammis stimulatus, arenam
Sustulerat raptas taurus in astra pilas,
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli sic elephanta putat.

Taurus qui paulò ante per omnem arenam igne incitatus jactaverat in cælum pilas abreptas, denique periit percussus ardore cornuto, dum credit ita facile posse jactari elephantum.

Cornuto ardore.] Ita cornuta, hoc est cornibus irati elephanti, seu dentibus quos cornua vocat, ut Epigr. 73. lib. 1. Pausanias lib. 5. *Ad hæc, dentes igne domari nequeunt: at boum & elephantorum cornua sic igne emolliuntur, ut vel ex teretis planam, vel aliam quamlibet accipiant figuram.* Ramiresius legit *cornuto ardore petitus*, id est, inquit, toto conatu cornuum ardentium nisus est taurus in altum tollere elephantum, & potius est cornuto ardore, hoc est cornuum suorum vehementia ipsa victus est: hunc loquendi modum usurpavit Plautus in Caprivis act. 1. scena 2.

Postquam natus tuus petitus est hostium,

subintelligitur *imperio*, & passivè sumitur, id est ab hostibus victus. Judicet lector.

Sic tolli.] Veluti pilas objectas, quæ fiebant aliquando ad instar humanæ effigiei, ex pannis purpureis fœno stramineve fartis, quo colore tauri maximè efferantur. Vide Epig. 9. supra. Rutgersius huic Epigrammati subjungit duos versus qui sunt in fine hujus libri:

Cedere majoris virtutis fama secunda est:
Illa gravis palma est, quam minor hostis habet.

Quo sensu videat lector.

Assentatur

Assentatur Cæsari quem ab indulgentia commendat. XX.

DUM peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum.
Promisit pariter Cæsar utraque manu.
Non potuit melius litem finire jocosam.
O dulce invicti principis ingenium!

Dum factio hæc Myrinum postularet, illa verò Triumphum, Cæsar pollicitus est simul ambabus manibus. Nequivit melius decidere contentionem facetam. O suavem solertiam Imperatoris invicti!

Dum peteret pars.] Duas intellige factiones amphitheatrales, quarum altera Myrinum, cujus meminit Epig. 29. lib. 12. altera Triumphum gladiatores eximios postulabat. Suetonius in Domitiano cap. 4. *Præterea Quæstoriis muneribus, quæ olim omissa revocaverat, ita semper interfuit, ut populo potestatem faceret, bina paria e suo ludo postulandi, quæ novissima aulico apparatu inducerct.* Quæstores suis impensis munera edere cogebantur: at Domitianus e sua familia duos istos gladiatores libenter concessit, atque extensâ utraque manu duabus factionibus diversa petentibus benignè satisfecit. Subtiliùs Scaliger explicat: nempe promisit Imperator gladiatores pugnaturos utraque manu, seu binis sicis, sine parma, &c.

Ad Cæsarem de Orphei fabula in amphitheatro exhibita. XXI.

QUICQUID in Orpheo Rhodope spectasse theatro
Dicitur, exhibuit, Cæsar, arena tibi.
Repserunt scopuli, mirandaque sylva cucurrit,
Quale fuisse nemus creditur Hesperidum.
Affuit immixtum pecudum genus omne ferarum,
Et supra vatem multa pependit avis.
Ipse sed ingrato jacuit laceratus ab urso,
Hæc tamen ut res est facta, ita ficta alia est.

O Cæsar, arena repræsentavit tibi quidquid Rhodope fertur vidisse in theatro Orphei. Saxa repserunt, & admirabilis sylva cucurrit, quale fuisse fertur nemus Hesperidum. Promiscuè interfuit omne genus ferarum pecudum, & plurimæ volucres suspensæ fuerunt super poëtam. Sed ipse procubuit discerptus ab urso immemori: nihilominus ut hæc res est peracta, sic alia fuit excogitata.

Rhodope.] Mons Thraciæ de quo jam dictum Epig. 3. supra.

Orpheum theatrum.] Nec arte nec manu factum, sed nativum: vallis nempe fuit, qualis describitur a Seneca in Troade act. 5.

——— & clivo levi
Erecta medium vallis includens locum
Crevit theatri more.

Lege Ovidium in fine lib. 10. & initio lib. 11. Metam. Ορφεύς substant. Ορφεῖος adjectivè.

Repserunt scopuli.] Mediam nempe in arenam sylvæ & saxa trahebantur machinis quibusdam miro artificio fabricatis.

Nemus Hesperidum.] Quarum horti describuntur a Virgilio, Plinio, Solino in Mauritania Tingitana. Prope Lixum urbem, ita Ortelius. In illis hortis poma erant aurea, quorum mentionem facit Athenæus lib. 3. cap. 5.

Pecudum genus.] hoc est omne genus ferarum cantu mansuefactarum adfuit.

Pecus

Pecus pecudis significat omne animal quod gregatim pascitur. Justin. Inst. de lege Aquilia, veluti boves, equi, asini, &c. Aliquando tamen sumitur pro omni animali præter hominem. Virgilius 4. Georg. de apibus loquens,

——— *pecudum custodia solers.*

Lucretius de piscibus agens,

Squammigeræ pecudes.

Aliàs pro ove, quo sensu hîc accipitur meo judicio, nempe omnes feræ veluti oves mansuetæ canentem Orpheum audiverunt. Legunt alii, *adfuit immixtum pecori genus omne ferarum.*

Ab urso ingrato.] Qui vatis musicam crudelitate compensavit. Hic Orpheus datus in spectaculum, ab urso in arenam misso dilaniatus fuit, qui Mænadum partes explevit, a quibus verus Orpheus discerptus fingitur. Ovidius lib. 11. Metam. Ultimum versum non esse Martialis suboluit Gronovio.

De rhinocerote
pugnante cum urso. XXII.

SOLLICITANT pavidi dum rhinocerotà magistri,
Seque diu magnæ colligit ira feræ:
Desperabantur promissi prælia Martis:
Sed tamen is rediit cognitus ante furor.
Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum,
Jactat ut impositas taurus in astra pilas.

Dum timidi rectores irritant rhinocerota, & sensim crescit ira ingentis belluæ; certamina Martis promissi desperabantur: sed tamen illa ferocitas antea nota reversa est: etenim gemino cornu ita erexit ponderosum ursum, sicut taurus in cælum mittit pilas objectas.

Prælia Martis.] id est venatio arenæ in qua colebatur Mars.

Seque diu.] Difficilè enim irritabatur rhinoceros epig. 9. supra.

Gemino cornu.] Rhinoceros geminum cornu habet. Pausanias lib. 9. εἶδον δὲ καὶ ταύρους τούς τε Αἰθιοπικοὺς, οὓς ἐπὶ τῷ συμβεβηκότι ὀνομάζουσι ῥινόκερως, ὅτι σφίσιν ἐπ' ἄκρῳ τῇ ῥινὶ ἓν ἑκάστῳ κέρας, καὶ ἄλλο ὑπὲρ αὐτὸ οὐ μέγα, &c. Latinè: Vidi etiam Æthiopicos tauros, quos ex reipsa rhinocerotas nominant, quod illis e nare extrema cornu prominet, & paulò superius alterum non sanè magnum. Legunt alii *urum*, hoc est bovem sylvestrem cui imperitum vulgus bubali nomen imposuit, teste Plinio lib. 8. cap. 15.

Pilas.] De quibus dictum epig. 19. supra.

De Carpophoro
venatore quem a dexteritate & robore laudat. XXIII.

DORICA quam certo venabula dirigit ictu
Fortis adhuc teneri dextera Carpophori!
Ille tulit geminos facili cervice juvencos:
Illi cessit atrox bubalus atque bison:
Hunc leo cum fugeret præceps in tela cucurrit:
I nunc, & lentas corripe turba moras.

Quam certo ictu manus strenua Carpophori adhuc teneri regit tela Dorica! Ille interfecit duos tauros, quorum *cervix agilis* erat; *bubalus ferox, & bison ab ipso victus est: cum leo hunc vitaret, impetuosus irruit in venabula: i nunc, ô multitudo, & incusa cunctationes tardas.*

Dorica.] Dores teste Homero in Odyssea τ Cretæ sunt populi, Cretenses verò sagittandi arte peritissimos fuisse nemo nescit. Alii *Dorica* interpretantur Græca,

sa, quod venabuli auctores fuere Græci. Turnebus lib. 17. cap. 2. Dorica interpretatur Laconica: juventus enim Laconum, inquit, montes venatu assiduè lustrabat, venabula gerens: nemo autem ignorat eos Dorici generis fuisse.

Facili cervice.] hoc est nullo labore, sed facili nisu portavit duos tauros a se occisos; alii explicant *tulit* interfecit: *facili cervice*, hoc est, inquiunt, taurorum cervix facilè ferro violata est. Ramiresius intelligit facilem cervicem taurorum, nempe qui facile caput movebant, quo Carpophori tela declinarent. Itaque quamtumvis facili & agili cervice tauros occidit: quæ sententia videtur melior.

Bubalus a que bison.] Plinius lib. 8. cap. 15. *Paucissima Scythia gignit inopia fruticum: pauca contermina illi Germania, insignia tamen boum ferorum genera, jubatos bisontes, excellentique & vi, & velocitate uros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit cum id gignat Africa, vituli potius, cervive quadam similitudine.*

I nunc.] Vox est insultantis, sic populo insultat Poëta quod certaminis moram alias impatienter ferret, quem jam conqueri non posse subintelligit, cum feras celerrimè interficiat Carpophorus.

De naumachia Domitiani. XXIV.

SI quis ades longis serus spectator ab oris, Cui lux prima sacri muneris ipsa fuit: Ne te decipiat ratibus navalis Enyo; Et par unda fretis; hîc modò terra fuit. Non credis? spectes, dum laxent æquora Martem; Parva mora est; dices, hîc modò pontus erat.	*O spectator si quis tardè huc venisti a regionibus remotis, qui primo hoc die vides sacrum spectaculum: ne te navibus circumveniat navalis Enyo, nec unda æqualis mari: hîc paulò ante tellus fuit. Non adhibes fidem? attendas, dum mare solvat Martem; brevis cunctatio est, affirmabis, hîc paulò ante erat mare.*

Serus.] Nempe propter itineris longitudinem primùm ades sacro spectaculo, quod Neptuno esset dedicatum, vel fortè sacrum dicitur, quod à divo Domitiano ederetur.

Navalis Enyo.] hoc est prælium navale. Enyo enim Bellona bellorum Dea, Martis soror, significat prælium per metonymiam.

Spectes.] hoc est attendas: alii interpretantur expectes: sed verbum *spectare* non videtur significare expectare, nec hujus significationis exemplum reperire potui. Videat lector. Præterea non repeteret Martialis, *parva mora est*, hoc est non expectabis diu.

Dum laxent.] id est, dum emissa aqua locum det gladiatoribus, qui aqua impediebantur ne in arenam descenderent. Suetonius in Tito cap. 7. *Dedit & navale prælium in veteri naumachia, ibidem & gladiatores, atque uno die quinque millia omne genus ferarum.* Post naumachiam ergo exhibebantur aliquando gladiatores, ut patet ex hoc loco, unde colligo & ex verbis etiam nostri Poëtæ, navali huic Domitiani prælio successisse gladiatores quibus præest Mars.

De Leandro naumachiario. XXV.

QUOD nocturna tibi, Leandre, pepercerit unda, Desine mirari: Cæsaris unda fuit. Cum peteret dulces audax Leandrus amores, Et fessus tumidis jam premeretur aquis; Sic miser instantes affatus dicitur undas:	*O Leandre, finem impone admirationi tuæ, quod tibi ignoverit fluctus nocturnus: fluctus fuit Cæsaris. Cum audax Leandrus adiret suavem amicam, & jam defatigatus urgeretur undis inflatis; infelix fertur ita alloquutus urgentes*

Parcite,

Parcite, dum propero; mergite, dum redeo.

fluctus: ignoscite festinanti; me verò redeuntem obruite.

Quod nocturna.] Leandri noctu natantia ad Heronem suam amicam historia satis nota ex epistola 17. Ovidii exhibita est, cujus fabulæ actor ex undis Cæsaris evasit: sed vero Leandro non pepercerunt fluctus maris, quod Neptuni essent, quem sævitiæ accusans, Domitianum a clementia commendat noster Poëta. Vide Epig. 181. lib. 14.

De natatoribus varios in aquis ludos facientibus. XXVI.

LUSIT Nereidum docilis chorus æquore toto,
Et vario faciles ordine pinxit aquas.
Fuscina dente minax, nexu fuit anchora curvo:
Credidimus remum credidimusque ratem:
Et gratum nautis sidus fulgere Laconum,
Lataque perspicuo vela tumere sinu.
Quis tantas liquidis artes invenit in undis?
Aut docuit lusus hos Tethys, aut didicit.

Flexibile Nereidum agmen lusit toto mari, atque expressit diversas figuras in aqua obsequente. Tridens dente minans fuit repræsentatus anchora quoque exhibita curvato nexu: putavimus naviculam, & putavimus remos adesse: & jucundum naviculariis Castoris & Pollucis astrum splendere, & vela ampla turgenti sinu explicata. Quis excogitavit tanta artificia in aquis fluidis? aut Tethys docuit hos ludos, aut ipsa edocta est.

Æquore toto.] hoc est per omne naumachiæ spatium.

Nereidum chorus.] Nereides Nymphæ maris, Nerei & Doridis filiæ de quibus Hesiodus in Theogonia, quas repræsentaverunt natatores Domitiani in aquis ludentes.

Fuscina dente.] Ille chorus sic fuit ordinatus, ut ipsa natantium dispositio, modò tridentem, modò anchoræ speciem effingeret in aqua, modò etiam remos & naviculam compacti inter se natatores exprimerent.

Sidus Laconum.] Castor & Pollux Laeones dicti sunt a matre Leda quæ erat Lacæna: sidus est navigantium amicum. Horatius ode 12. lib. 1. carm.

Quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor:
Concidunt venti: fugiuntque nubes.

Plinius lib. 2. cap. 37.

Aut didicit.] Tethya Dea maris epig. 3. supra hos ludos didicit a Domitiani natatoribus, aut ipsa docuit. Suetonius in Domitiano cap. 4. *in amphitheatro navale quoque*, supple commisit prælium. Alii tamen hoc Nereidum spectaculum ad Titum referunt freti Dionis auctoritate in Tito τὸ γὰρ θέατρον αὐτὸ ἐκεῖνο ὕδατος ἐξαίφνης πληρώσας, εἰσήγαγε μὲν καὶ ἵππους, καὶ ταύρους καὶ ἄλλα τινὰ χειροήθη δεδιδαγμένα πάνθ' ὅσα ἐπὶ τῆς γῆς πράττειν, καὶ ἐν τῷ ὑγρῷ εἰσήγαγε δὲ καὶ ἀνθρώπους ἐπὶ πλοίων &c. Nam amphitheatro derepente aqua impleto, in ipsum equos taurosque, aliaque mansueta animalia introduxit, quæ facere didicerant ea quæ in terra consueverant. In hanc aquam introducti sunt homines in navibus, &c.

Blandit

Blanditur Cæsari de pugna Carpophori beſtiarii. XXVII.

SÆCULA Carpophorum, Cæſar, ſi priſca tuliſſent,
Jam nullum monſtris orbe fuiſſet opus.
Non Marathon taurum, Nemee frondoſa leonem,
Arcas Mænalium non timuiſſet aprum.
Hæc armata manus hydræ mors una fuiſſet,
Huic percuſſa foret tota chimæra ſemel.
Ignipedes poſſet ſine Colchide vincere tauros:
Solvere & Heſionam ſolus, & Andromeden.
Herculeæ laudis numeretur gloria: plus eſt
Bis denas pariter perdomuiſſe feras.

Si Carpophorus, ô Cæſar, natus eſſet priſcis temporibus, nullus amplius labor fuiſſet per orbem in monſtris domandis. Marathon non metuiſſet taurum, nec Nemee frondifera leonem, nec Arcas aprum Mænalium. Hæc dextera Carpophori armis munita interfeciſſet hydram una nece, uno illius ictu tota chimæra cæſa fuiſſet. Abſque Medea ope potuiſſet ſuperare tauros ignipedes: atque ſolus liberare Heſionam, & Andromeden. Eximiæ Herculis laudes recenſeantur: amplius eſt ſimul interfeciſſe viginti feras.

Carpophorum.] De quo epig. 23. ſupra, quem Herculi præfert Poëta.

Jam nullum.] Jam ſignificat amplius hoc loco. Terentius in Andria act. 1. ſcen. 2.

Uxorem jam non dat Chremes.

Alii *nullum in monſtris.*

Marathon.] Urbs eſt decem millibus paſſuum diſtans ab Athenis, hodie *Maraſona* vel *Maratona*, quò ex Creta taurum a Paſiphaë adamatum Hercules adduxit ad Euryſtheum, illicque illum interfecit. Alii tamen taurum Marathonium a Theſeo domitum affirmant, de quo lib. 4. Anthologiæ, & lib. 7. Metam. Ovidii.

Nemee.] Sylva Peloponneſi ubi leo ab Hercule proſtratus eſt Epig. 6. ſupra.

Mænalium.] Mænalus mons Arcadiæ ubi ingentem aprum interfecit Hercules lib. 5. epig. 66.

Nemea terror, & Arcas aper.

Hydræ mors una.] hoc eſt Lernæam illam peſtem uno ictu interfeciſſet Carpophorus, quam multis repetitis vulneribus vix occidit Hercules, capitibus nempe aliis cæſorum loco renaſcentibus.

Chimæra.] Monſtrum fuit triforme: habebat enim leonis caput, ventrem capræ, & draconis caudam, quod occidit Bellerophon. Ovidius lib. 9. Metam.

Heſionam.] Filiam Laomeduntis Trojanorum regis objectam monſtro marino, & devinctam ſaxo liberavit Hercules. Ovid. 11. Metam.

——— regis quoque filia monſtro
Poſcitur æquoreo, quam dira ad ſaxa revinctam
Vindicat Alcides.

Andromeden.] Quæ filia fuit Cephei regis Æthiopum, ceto expoſita liberata eſt a Perſeo pacto ejus nuptias. Ovidius 4. Metam. Manilius lib. 5. copiosè deſcribit hanc hiſtoriam.

Propoſita eſt merces, veſano dedere Ponto
Andromeden, teneros ut bellua manderet artus

Ignipedes.] Ovidius 7. Metam. legit *Æripedes.* Hos verò tauros vellus aureum cuſtodientes vicit Jaſon ope Medeæ Colchidis, cujus hiſtoria ſatis patet ex Ovidio & Valerio Flacco.

Herculea laudis.] hoc eſt ſi labores Herculis numeres duodecim tantum & quidem diverſis temporibus exantlatos reperies, at vero Carpophorus uno die viginti feras interfecit.

Laus Augusti cujus naumachiam Domitiani naumachiæ postponit. XXVIII.

AUGUSTI laudes fuerant, committere classes,
Et freta navali sollicitare tuba:
Cæsaris hæc nostri pars est quota? vidit in undis
Et Thetis ignotas, & Galatea feras:
Vidit in æquoreo ferventes pulvere currus,
Et domini Triton ipse putavit equos.
Dumque parat sævis ratibus fera prælia Nereus,
Abnuit in liquidis ire pedester aquis.
Quidquid & in circo spectatur, & amphitheatro,
Dives Cæsarea præstitit unda tibi.
Fucinus, & pigri taceantur stagna Neronis:
Hanc norint unam secula naumachiam.

Augusti gloria fuerat classes inducere ad pugnam, atque incitare mare classico. Quota est hæc pars Cæsaris nostri? Thetis & Galatea aspexerunt in aquis belluas incognitas. Triton ipse spectavit in pulvere maritimo quadrigas fervidas, & credidit esse equos sui heri. Et dum Nereus instruit feras naves ad sæva certamina, recusat pedibus incedere in undis fluidis. Aqua Cæsaris opulenta tibi exhibuit quidquid videtur in Circo & Amphitheatro. Fucinus lacus, atque inertis Neronis stagna sileantur: unicum hoc navale prælium innotescat posteris.

Laus Augusti.] Melius inscriberetur *De naumachia Cæsaris.* Ut plurimum corrupta sunt lemmata a grammaticis inscripta. Libro enim 13. & 14. tantum videntur apposita ab ipso Martiale epig. 3. lib. 13. & epig. 2. lib. 14.

Committere classes.] De naumachia Domitiani agit Suetonius in Domitiano cap. 4.

Et freta navali.] hoc est excitare prælium navale.

Et Galatea feras.] Tauros puta, equos &c. Vide epig. 16. supra. Galatea verò una est Nereidum. De Thetide. Vide epig. 3.

In æquoreo pulvere.] Multi intelligunt pontes leniter aquæ superficiei substratos, & super hos currus tractos fuisse. Tacitus lib. annalium 12. de naumachia Claudii ait. *Eoque tempore in erjecto, altius effossi specus; & contrahendæ rursus multitudini, gladiatorum spectaculum editur, inditis pontibus pedestrem ad pugnam.* Aquæ autem spuma pedibus equorum currentium, vel si pontes non fuerint, natantium excitata imitabatur pulverem Circi.

Ferventes currus.] Propter motum velocem quo etiam in aqua fervidi trahebantur. Horatius ode 1. carm.

————————*Metaque fervidis*
Evitata rotis.

Triton.] Salaciæ & Neptuni filius ejusdemque tubicen.

Abnuit.] Suo enim curru per undas vehebatur: Nereus verò Deus maris Nereidum scilicet pater, pro ipso mari etiam sumitur. Vide Hesiodum in Theogonia.

Dives.] Omni ludorum genere abundans. *Cæsarea* hujus vocis ultima producitur propter sequentes duas consonantes. Alii legunt *Cæsareo* amphitheatro nimirum.

Fucinus.] Marsorum lacus ubi pugnam navalem edidit Claudius. Tacitus loco supra citato, & Suetonius in Claudio cap. 21.

Et pigri Neronis.] Quod solis voluptatibus deditus Nero, nihil principe dignum fecerit, piger dicitur. Alii legunt *diri* forte melius. De stagnis Neronis jam dictum epig. 2. supra.

Secula.] Hic significant posteritatem. *Naumachia* hic significat prælium navale, alias locus est in quo fit pugna navalis, Suetonius in Domitiano.

De

De Prisco & Vero gladiatoribus qui diu Marte dubio pugnaverant. XXIX.

CUM traheret Priscus, traheret certamina Verus,
Esset & æqualis Mars utriusque diu;
Missio sæpe viris magno clamore petita est:
Sed Cæsar legi paruit ipse suæ.
Lex erat, ad digitum posita concurrere palma:
Quod licuit; lances, donaque sæpe dedit.
Inventus tamen est finis discriminis æqui;
Pugnavere pares, succubuere pares.
Misit utrique rudes, & palmas Cæsar utrique:
Hoc pretium virtus ingeniosa tulit.
Contigit hoc, nullo nisi te sub principe, Cæsar,
Cum duo pugnarent, victor uterque fuit.

Cum Verus & Priscus producerent pugnam, & diu par esse pugna utriusque, populus crebro postulavit magna voce missionem pro illis viris: sed Cæsar obtemperavit edicto suo. Edictum verò erat: proposito pramio pugnare ad digitum: quod permissum fuit, frequenter largitus est opsonia *in lancibus & munera* alia. *Nihilominus inventus est terminus pugnæ æqualis, æqualiter certaverunt: æqualiter* quoque *victi sunt. Cæsar utrumque donavit rudibus, & palmis. Solers fortitudo reportavit hanc mercedem. O Cæsar hoc non accidit sub ullo imperatore, nisi sub te: cum duo certarent, uterque victor evasit.*

Missio.] Erat scilicet, cum vulneratus gladiator vitam a populo, vel principe, aut munerario obtinebat. Hoc epigramma desideratur in antiquis editionibus. Primus Jos. Scaliger edidisse fertur.

Ad digitum.] hoc est pugnare sine spe missionis, donec gladiatorum alter digitum tollat, ideft victum se fateatur. Ita hunc locum explicat Musambertius. Alii interpretantur *ad digitum concurrere*, digitis pugnare, quod uno verbo micare. Quintilianus lib. 8. cap. ε. *Contra eandem fororem gladiatoris, cujus modo feci mentionem, ad digitum pugnavi.* Hoc est digito pugnavi, sensus est concursu digitorum a dimicatione palmam inter se sortiti Verus & Priscus gladiatores. Judicet lector. *Digitum* hic accipit Raderus pro converso & infesto Cæsaris pollice, qui signum mortis.

Quod licuit lances.] Ut ejusmodi donis impatientem populum moraretur; vel potius intellige opsonia missa gladiatoribus, quibus vires reficerent.

Succubuere pares.] Simul nempe alter ab altero læsus est.

Rudes.] Erant virgæ quibus donati gladiatores ab arena liberabantur in omnem vitam.

Victor uterque.] Hoc quasi miraculum felicitati Domitiani tribuit Poëta.

De dama & canibus. XXX.

CONCITA veloces fugeret cum dama molossos,
Et varia obliquas necteret arte moras,
Cæsaris ante pedes supplex, similisque roganti
Constitit; & prædam non tetigere canes.
. . . .
Hæc intellecto principe dona tulit,
Numen habet Cæsar. Sacra est vis, sacra potestas.
Credite: mentiri non didicere feræ.

Cum dama commota fugeret celeres canes, atque afferret cunctationes obliquat diverso artificio, humilis & precanti similis se tenuit ante pedes Cæsaris: & molossi non violaverunt prædam... Hæc cognito imperatore dedit munera. Cæsar habet numen, sacra est vis, sacra potestas. Fidem adhibete: feræ nesciunt mentiri.

Et varia obliquat. Legunt alii. *Et varia lyncas necteret arte mora.* Hoc epig. non est in antiquis quibusdam editionibus.

Non tetigere.] Veriti scilicet numen Domitiani ad quem confugerat dama.

Hac intellecto.] Hujus carminis explicatio pendet ex superiori hexametro quod deest. Ultimi distichi sententia perspicua est.

Dona.] hoc est gratiam hanc consecuta est ut ipsi parcerent canes, sic videtur intelligere interpres græcus Joseph Scaliger.

Ad Cæsarem cui excusat carmina extemplo facta. XXXI.

DA veniam subitis: non displicuisse meretur,
Festinat Cæsar qui placuisse tibi.

Parce repentinis: qui properat, ô Cæsar, tibi placere, non meretur injucundus esse.

Alterum de pugna imparium. XXXII.

CEDERE majori, virtutis fama secunda est.
Illa gravis palma est, quam minor hostis habet.

Secunda fama est fortitudinis primas dare superiori. Palma illa gravis est quam inferior adversarius reportat.

Cedere majori.] Ut apud Virgilium de Lauso 10. Æneid.

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem
Æneæ magni dextra cadis.

Gravis est.] Quasi fructibus onusta. Hoc est illustris & eximia est victoria quam minor hostis reportat.

Aliud, apud antiquum Juvenalis Scholiasten. XXXIII.

FLAVIA gens, quantum tibi tertius abstulit hæres!
Pene fuit tanti, non habuisse duos.

O Familia Flaviorum, quantum tibi detraxit tertius heres! ferè utile fuit, non habuisse duos.

Tertius heres.] Domitianus nempe inhumanus & ferox, qui suæ genti dedecori fuit: ubique palam Domitiano palpatur Poëta, attamen hoc loco illum acerbissimè carpit: quare Martialis esse vix crediderim.

Non habuisse duos.] Vespasianum, & Titum.

De tigride, & leone ab illa lacerato. XVIII.

LAMBERE securi dextram consueta magistri,
Tigris ab Hyrcano gloria rara jugo,
Sæva ferum rabido laceravit dente leonem:
Res nova, non ullis cognita temporibus.
Ausa est tale nihil, sylvis dum vixit in altis:
Postquam inter nos est, plus feritatis habet.

Tigris summum decus montium Hyrcaniæ solebat lingere manum custodis tuti. Crudelis discerpsit dente furenti sævum leonem: res inaudita, nec ullis seculis nota. Dum vixit in densis sylvis, non ea fuit audacia: ubi ad nos translata est, ferocior evasit.

Hyrcano jugo.] Hyrcania Asiæ regio de qua Strabo lib. 11. & Plinius lib. 6. cap. 6. In cujus montibus tigres sunt ferocissimæ. Virgilius lib. 4. Æneid,

——— *Hyrcanæque admorant ubera tigres.*

Rara gloria.] Quod hæc tigris alias magnitudine superabat.

Plus feritatis.] Hoc est animosior evasit, utpote quæ fortitudinem a Romanis acceperit. Intelligunt alii hoc loco Romanos & ipsum Imperatorem carpi a nostro Poëta, apud quos feræ crudeliores herent, cum mitiores esse debuissent. Sed hoc Martiali periculosissimum fuisset.

De elephante qui taurum interfecit. XIX.

QUI modò per totam, flammis stimulatus, arenam
Sustulerat raptas taurus in astra pilas,
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli sic elephanta putat.

Taurus qui paulò ante per omnem arenam igne incitatus jactaverat in cælum pilas abreptas, denique periit percussus ardore cornuto, dum credit ita facile posse jactari elephantum.

Cornuto ardore.] Ita cornuta, hoc est cornibus irati elephanti, seu dentibus quos cornua vocat, ut Epigr. 73. lib. 1. Pausanias lib. 5. *Ad hæc, dentes igne domari nequeunt: at boum & elephantorum cornua sic igne emolliuntur, ut vel ex tereti planam, vel aliam quamlibet accipiant figuram.* Ramiresius legit *cornuto ardore potitus*, id est, inquit, toto conatu cornuum ardentium nisus est taurus in altum tollere elephantum, & potitus est cornuto ardore, hoc est cornuum suorum vehementia ipsa victus est: hunc loquendi modum usurpavit Plautus in Captivis act. 1. scena 2.

Postquam natus tuus potitus est hostium.

subintelligitur *imperio*, & passivè sumitur, id est ab hostibus victus. Judicet lector.

Sic tolli.] Veluti pilas objectas, quæ fiebant aliquando ad instar humanæ effigiei, ex pannis purpureis fœno stramineve fartis, quo colore tauri maximè efferantur. Vide Epig. 9. supra. Rutgersius huic Epigrammati subjungit duos versus qui sunt in fine hujus libri:

Cedere majoris virtutis fama secunda est:
Illa gravis palma est, quam minor hostis habet.

Quo sensu videat lector.

Assentatur

Assentatur Cæsari quem ab indulgentia commendat. XX.

DUM peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum.
Promisit pariter Cæsar utraque manu.
Non potuit melius litem finire jocosam.
O dulce invicti principis ingenium!

Dum factio hæc Myrinum postularet, illa verò Triumphum, Cæsar pollicitus est simul ambabus manibus. Nequivit melius decidere contentionem facetam. O suavem solertiam Imperatoris invicti!

Dum peteret pars.] Duas intellige factiones amphitheatrales, quarum altera Myrinum, cujus meminit Epig. 29. lib. 12. altera Triumphum gladiatores eximios postulabat. Suetonius in Domitiano cap. 4. *Præterea Quæstoriis muneribus, quæ olim omissa revocaverat, ita semper interfuit, ut populo potestatem faceret, bina paria e suo ludo postulandi, quæ novissima aulico apparatu induceret.* Quæstores suis impensis munera edere cogebantur: at Domitianus e sua familia duos istos gladiatores libenter concessit, atque extensa utraque manu duabus factionibus diversa petentibus benignè satisfecit. Subtiliùs Scaliger explicat: nempe promisit Imperator gladiatores pugnaturos utraque manu, seu binis sicis, sine parma, &c.

Ad Cæsarem de Orphei fabula in amphitheatro exhibita. XXI.

QUICQUID in Orpheo Rhodope spectasse theatro
Dicitur, exhibuit, Cæsar, arena tibi.
Repserunt scopuli, mirandaque sylva cucurrit,
Quale fuisse nemus creditur Hesperidum.
Affuit immixtum pecudum genus omne ferarum,
Et supra vatem multa pependit avis.
Ipse sed ingrato jacuit laceratus ab urso,
Hæc tamen ut res est facta, ita ficta alia est.

O Cæsar, arena repræsentavit tibi quidquid Rhodope fertur vidisse in theatro Orphei. Saxa repserunt, & admirabilis sylva cucurrit, quale fuisse fertur nemus Hesperidum. Promiscuè interfuit omne genus ferarum pecudum, & plurimæ volucres suspensæ fuerunt super poëtam. Sed ipse procubuit discerptus ab urso immemori: nihilominus ut hæc res est peracta, sic alia fuit excogitata.

Rhodope.] Mons Thraciæ de quo jam dictum Epig. 3. supra.

Orpheum theatrum.] Nec arte nec manu factum, sed nativum: vallis nempe fuit, qualis describitur a Seneca in Troade act. 5.

——— *& clivo levi*
Erecta medium vallis incindens locum
Crevit theatri more.

Lege Ovidium in fine lib. 10. & initio lib. 11. Metam. Ὀρφεύς substant. Ὀρφεῖος adjectivè.

Repserunt scopuli.] Mediam nempe in arenam sylvæ & saxa trahebantur machinis quibusdam miro artificio fabricatis.

Nemus Hesperidum.] Quarum horti describuntur a Virgilio, Plinio, Solino in Mauritania Tingitana. Prope Lixum urbem, ita Ortelius. In illis hortis poma erant aurea, quorum mentionem facit Athenæus lib. 3. cap. 5.

Pecudum genus.] hoc est omne genus ferarum cantu mansuefactarum adfuit.

Pecus pecudis significat omne animal quod gregatim pascitur. Justin. Inst. de lege Aquilia, veluti boves, equi, asini, &c. Aliquando tamen sumitur pro omni animali præter hominem. Virgilius 4. Georg. de apibus loquens,

——— *pecudum custodia solers.*

Lucretius de piscibus agens,

Squammigeræ pecudes.

Aliàs pro ove, quo sensu hic accipitur meo judicio, nempe omnes feræ veluti oves mansuetæ canentem Orpheum audiverunt. Legunt alii, *adfuit immixtum pecori genus omne ferarum.*

Ab urso ingrato.] Qui vatis musicam crudelitate compensavit. Hic Orpheus datus in spectaculum, ab urso in arenam misso dilaniatus fuit, qui Mænadum partes explevit, a quibus verus Orpheus discerptus fingitur. Ovidius lib. 11. Metam. Ultimum versum non esse Martialis suboluit Gronovio.

De rhinocerote
pugnante cum urso. XXII.

SOLLICITANT pavidi dum rhinocerotà magistri,
Seque diu magnæ colligit ira feræ:
Desperabantur promissi prælia Martis:
Sed tamen is rediit cognitus ante furor.
Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum,
Jactat ut impositas taurus in astra pilas.

Dum timidi rectores irritant rhinocerota, & sensim crescit ira ingentis belluæ; certamina Martis promissi desperabantur: sed tamen illa ferocitas antea nota reversa est: etenim gemino cornu ita erexit ponderosum ursum, sicut taurus in cœlum mittit pilas objectas.

Prælia Martis.] id est venatio arenæ in qua colebatur Mars.

Seque diu.] Difficilè enim irritabatur rhinoceros epig. 9. supra.

Gemino cornu.] Rhinoceros geminum cornu habet. Pausanias lib. 9. εἶδον δὲ καὶ ταύρους τούς τε Αἰθιοπικοὺς, οὓς ἐπὶ τῷ συμβεβηκότι ὀνομάζουσι ῥινόκερως, ὅτι σφίσιν ἐπ' ἄκρῳ τῇ ῥινὶ ἓν ἑκάστῳ κέρας, καὶ ἄλλο ὑπὲρ αὐτὸ οὐ μέγα, &c. Latinè: Vidi etiam Æthiopicos tauros, quos ex reipsa rhinocerotas nominant, quod illis e nare extrema cornu prominet, & paulò superius alterum non sanè magnum. Legunt alii *uram*, hoc est bovem sylvestrem cui imperitum vulgus bubali nomen imposuit, teste Plinio lib. 8. cap. 15.

Pilas.] De quibus dictum epig. 19. supra.

De Carpophoro
venatore quem a dexteritate & robore laudat. XXIII.

DORICA quam certo venabula dirigit ictu
Fortis adhuc teneri dextera Carpophori!
Ille tulit geminos facili cervice juvencos:
Illi cessit atrox bubalus atque bison:
Hunc leo cum fugeret præceps in tela cucurrit:
I nunc, & lentas corripe turba moras.

Quam certo ictu manus strenua Carpophori adhuc teneri regit tela Dorica! Ille interfecit duos tauros, quorum *cervix agilis* erat; *bubalus ferox, & bison ab ipso victus est: cum leo hunc vitaret, impetuosus irruit in venabula: i nunc, ô multitudo, & incusa cunctationes tardas.*

Dorica.] Dores teste Homero in Odyssea τ Cretæ sunt populi, Cretenses verò sagittandi arte peritissimos fuisse nemo nescit. Alii *Dorica* interpretantur Græca,

ea, quod venabuli auctores fuere Græci. Turoebus lib. 17. cap. 2. Dorica interpretatur Lacoonica: juventus enim Laconum, inquit, montes venatu assiduè lustrabat, venabula gerens: nemo autem ignorat eos Dorici generis fuisse.

Facili cervice.] hoc est nullo labore, sed facili nisu portavit duos tauros a se occisos; alii explicant *tulit* interfecit: *facili cervice*, hoc est, inquiunt, taurorum cervix facilè ferro violata est. Ramiresius intelligit facilem cervicem taurorum, nempe qui facile caput movebant, quo Carpophori tela declinarent. Itaque quamtumvis facili & agili cervice tauros occidit: quæ sententia videtur melior.

Bubalus atque bison.] Plinius lib. 8. cap. 15. *Paucissima Scythia gignit inopia fruticum: pauca contermina illi Germania, insignia tamen boum ferorum genera, jubatos bisontes, excellentique & vi, & velocitate uros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit cum id gignat Africa, vituli potius, cervive quadam similitudine.*

I nunc.] Vox est insultantis, sic populo insultat Poëta quod certaminis moram aliàs impatienter ferret, quem jam conqueri non posse subintelligit, cum feras celerrimè interficiat Carpophorus.

De naumachia Domitiani. XXIV.

Si quis ades longis serus spectator ab oris,
  Cui lux prima sacri muneris ipsa fuit:
Ne te decipiat ratibus navalis Enyo;
  Et par unda fretis; hìc modò terra fuit.
Non credis? spectes, dum laxent æquora Martem;
  Parva mora est; dices, hìc modò pontus erat.

O spectator si quis tardè huc venisti a regionibus remotis, qui primo hoc die vides sacrum spectaculum: ne te navibus circumveniat navalis Enyo, nec unda æqualis mari: hîc paulò ante tellus fuit. Non adhibes fidem? attendas, dum mare solvat Martem; brevis cunctatio est, affirmabis, hîc paulò ante erat mare.

Serus.] Nempe propter itineris longitudinem primùm ades sacro spectaculo, quod Neptuno esset dedicatum, vel fortè sacrum dicitur, quod a divo Domitiano ederetur.

Navalis Enyo.] hoc est prælium navale. Enyo enim Bellona bellorum Dea, Martis soror, significat prælium per metonymiam.

Spectes.] hoc est attendas: alii interpretantur expectes: sed verbum *spectare* non videtur significare expectare, nec hujus significationis exemplum reperire potui. Videat lector. Præterea non repeteret Martialis, *parva mora est*, hoc est non expectabis diu.

Dum laxent.] id est, dum emissa aqua locum det gladiatoribus, qui aqua impediebantur ne in arenam descenderent. Suetonius in Tito cap. 7. *Dedit & navale prælium in veteri naumachia, ibidem & gladiatores, atque uno die quinque millia omne genus ferarum.* Post naumachiam ergo exhibebantur aliquando gladiatores, ut patet ex hoc loco, unde colligo & ex verbis etiam nostri Poëtæ, navali huic Domitiani prælio successisse gladiatores quibus præest Mars.

De Leandro naumachiario. XXV.

Quod nocturna tibi, Leandre, pepercerit unda,
  Desine mirari: Cæsaris unda fuit.
Cum peteret dulces audax Leandrus amores,
  Et fessus tumidis jam premeretur aquis;
Sic miser instantes affatus dicitur undas:

O Leandre, finem impone admirationi tuæ, quod tibi ignoverit fluctus nocturnus: fluctus fuit Cæsaris. Cum audax Leandrus adiret suavem amicam, & jam defatigatus urgeretur undis inflatis; infelix fertur ita allocutus urgentes

Parcite,

Parcite, dum propero; mergite, dum redeo.

fluctus: ignoscite festinanti; me verò redeuntem obruite.

Quod nocturna.] Leandri noctu natantis ad Heronem suam amicam historia satis nota ex epistola 17. Ovidii exhibita est, cujus fabulæ actor ex undis Cæsaris evasit: sed vero Leandro non pepercerunt fluctus maris, quod Neptuni essent, quem sævitiæ accusans, Domitianum a clementia commendat noster Pœta. Vide Epig. 181. lib. 14.

De natatoribus
varios in aquis ludos facientibus. XXVI.

Lusit Nereidum docilis chorus æquore toto,
Et vario faciles ordine pinxit aquas.
Fuscina dente minax, nexu fuit anchora curvo:
Credidimus remum credidimusque ratem:
Et gratum nautis sidus fulgere Laconum,
Lataque perspicuo vela tumere sinu.
Quis tantas liquidis artes invenit in undis?
Aut docuit lusus hos Tethys, aut didicit.

Flexibile Nereidum agmen lusit toto mari, atque expressit diversas figuras in aqua obsequente. Tridens dente minans fuit repræsentatus anchora quoque exhibita *curvato nexu: putavimus naviculam, & putavimus remos adesse: & jucundam naviculariis Castoris & Pollucis astrum splendere, & vela ampla turgere sinu explicata. Quis excogitavit tanta artificia in aquis fluidis? aut Tethys docuit hos ludos, aut* ipsa *edocta est.*

Æquore toto.] hoc est per omne naumachiæ spatium.

Nereidum chorus.] Nereides Nymphæ maris, Nerei & Doridis filiæ de quibus Hesiodus in Theogonia, quas repræsentaverunt natatores Domitiani in aquis ludentes.

Fuscina dente.] Ille chorus sic fuit ordinatus, ut ipsa natantium dispositio, modò tridentem, modò anchoræ speciem effingeret in aqua, modò etiam remos & naviculam compacti inter se natatores exprimereot.

Sidus Laconum.] Castor & Pollux Laeones dicti sunt a matre Leda quæ erat Lacæna: sidus est navigantium amicum. Horatius ode 12. lib. 1. carm.

Quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor:
Considunt venti: fugiuntque nubes.

Plinius lib. 2. cap. 37.

Aut didicit.] Tethys Dea maris epig. 3. supra hos ludos didicit a Domitiani natatoribus, aut ipsa docuit. Suetonius in Domitiano cap. 4. *in amphitheatro navale quoque*, supple commisit prælium. Alii tamen hoc Nereidum spectaculum ad Titum referunt freti Dionis auctoritate in Tito; *τὸ γὰρ θέατρον αὐτὸ ἐκεῖνο ὕδατος ἐξαίφνης πληρώσας, εἰσήγαγε μὲν καὶ ἵππους, καὶ ταύρους καὶ ἄλλα τινὰ χειροήθη δεδιδαγμένα πάνθ' ὅσα ἐπὶ τῆς γῆς πράττειν, καὶ ἐν τῷ ὑγρῷ εἰσήγαγε δὲ καὶ ἀνθρώπους ἐπὶ πλοίων*, &c. Nam amphitheatro derepente aqua impleto, in ipsum equos taurosque, aliaque mansueta animalia introduxit, quæ facere didicerant ea quæ in terra consueverant. In hanc aquam introducti sunt homines in navibus, &c.

Blanditur

Blanditur Cæsari de pugna Carpophori bestiarii. XXVII.

SÆCULA Carpophorum, Cæsar, si prisca tulissent,
Jam nullum monstris orbe fuisset opus.
Non Marathon taurum, Nemee frondosa leonem,
Arcas Mænalium non timuisset aprum.
Hæc armata manus hydræ mors una fuisset,
Huic percussa foret tota chimæra semel.
Ignipedes posset sine Colchide vincere tauros:
Solvere & Hesionam solus, & Andromeden.
Herculeæ laudis numeretur gloria: plus est
Bis denas pariter perdomuisse feras.

Si Carpophorus, ô Cæsar, natus esset priscis temporibus, nullus amplius labor fuisset per orbem in monstris domandis. *Marathon non me uisset taurum, nec Nemee frondifera leonem, nec Arcas aprum Mænalium. Hæc dextera* Carpophori *armis munita interfecisset hydram una nece, uno illius ictu tota chimæra cæsa fuisset. Absque Medea ope potuisset superare tauros ignipedes: atque solus liberare Hesionam, & Andromeden. Eximiæ Herculis laudes recenseantur: amplius est simul interfecisse viginti feras.*

Carpophorum.] De quo epig. 23. supra, quem Herculi præfert Poëta.

Jam nullum.] Jam significat amplius hoc loco. Terentius in Andria act. 2. scen. 2.

Uxorem jam non dat Chremes.

Alii *nullum in monstris.*

Marathon.] Urbs est decem millibus passuum distans ab Athenis, hodie *Marasona* vel *Maratona*, quò ex Creta taurum a Pasiphaë adamatum Hercules adduxit ad Eurystheum, illicque illum interfecit. Alii tamen taurum Marathonium a Theseo domitum affirmant, de quo lib. 4. Anthologiæ, & lib. 7. Metam. Ovidii.

Nemee.] Sylva Peloponnesi ubi leo ab Hercule prostratus est Epig. 6. supra.

Mænalium.] Mænalus mons Arcadiæ ubi ingentem aprum interfecit Hercules lib. 5. epig. 66.

Nemea terror, & Arcas aper.

Hydræ mors una.] hoc est Lernæam illam pestem uno ictu interfecisset Carpophorus, quam multis repetitis vulneribus vix occidit Hercules, capitibus nempe aliis cæsorum loco renascentibus.

Chimæra.] Monstrum fuit triforme: habebat enim leonis caput, ventrem capræ, & draconis caudam, quod occidit Bellerophon. Ovidius lib. 9. Metam.

Hesionam.] Filiam Laomeduntis Trojanorum regis objectam monstro marino, & devinctam saxo liberavit Hercules. Ovid. 11. Metam.

——— *regis quoque filia monstro*
Poscitur æquoreo, quam dura ad saxa revinctam
Vindicat Alcides.

Andromeden.] Quæ filia fuit Cephei regis Æthiopum, ceto exposita liberata est a Perseo pacto ejus nuptias. Ovidius 4. Metam. Manilius lib. 5. copiosè describit hanc historiam.

Proposita est merces, vesano dedere Ponto
Andromeden, teneros ut bellua manderet artus

Ignipedes.] Ovidius 7. Metam. legit *Æripedes.* Hos verò tauros vellus aureum custodientes vicit Jason ope Medeæ Colchidis, cujus historia satis patet ex Ovidio & Valerio Flacco.

Herculea laudis.] hoc est si labores Herculis numeres duodecim tantum & quidem diversis temporibus exantlatos reperies, at vero Carpophorus uno die viginti feras interfecit.

Laus Augusti cujus naumachiam Domitiani naumachiæ postponit. XXVIII.

AUGUSTI laudes fuerant, committere classes,
Et freta navali sollicitare tuba:
Cæsaris hæc nostri pars est quota? vidit in undis
Et Thetis ignotas, & Galatea feras:
Vidit in æquoreo ferventes pulvere currus,
Et domini Triton ipse putavit equos.
Dumque parat sævis ratibus fera prælia Nereus,
Abnuit in liquidis ire pedester aquis.
Quidquid & in circo spectatur, & amphitheatro,
Dives Cæsarea præstitit unda tibi.
Fucinus, & pigri taceantur stagna Neronis:
Hanc norint unam secula naumachiam.

Augusti gloria fuerat classes inducere ad pugnam, atque incitare mare classico. Quota est hæc pars Cæsaris nostri? Thetis & Galatea aspexerunt in aquis belluas incognitas. Triton ipse spectavit in pulvere maritimo quadrigas fervidas, & credidit esse equos sui heri. Et dum Nereus instruit feras naves ad sæva certamina, recusat pedibus incedere in undis fluidis. Aqua Cæsaris opulenta tibi exhibuit quidquid videtur in Circo & Amphitheatro. Fucinus lacus, atque inertis Neronis stagna sileantur: unicum hoc navale prælium innotescat posteris.

Laus Augusti.] Melius inscriberetur *De naumachia Cæsaris.* Ut plurimum corrupta sunt lemmata a grammaticis inscripta. Libro enim 13. & 14. tantum videntur apposita ab ipso Martiale epig. 3. lib. 13. & epig. 2. lib. 14.

Committere classes.] De naumachia Domitiani agit Suetonius in Domitiano cap. 4.

Et freta navali.] hoc est excitare prælium navale.

Et Galatea feras.] Tauros puta, equos &c. Vide epig. 26. supra. Galatea verò una est Nereidum. De Thetide. Vide epig. 3.

In æquoreo pulvere.] Multi intelligunt pontes leniter aquæ superficiei substratos, & super hos currus tractos fuisse. Tacitus lib. annalium 12. de naumachia Claudii ait. *Eoque tempore in trjecto, altius effossi specus; & contrahendæ rursus multitudini, gladiatorum spectaculum editur, inditis pontibus pedestrem ad pugnam.* Aquæ autem spuma pedibus equorum currentium, vel si pontes non fuerint, natantium excitata imitabatur pulverem Circi.

Ferventes currus.] Propter motum velocem quo etiam in aqua fervidi trahebantur. Horatius ode 1. carm.

———*Metaque fervidis*
Evitata rotis.

Triton.] Salaciæ & Neptuni filius ejusdemque tubicen.

Abnuit.] Suo enim curru per undas vehebatur: Nereus verò Deus maris Nereidum scilicet pater, pro ipso mari etiam sumitur. Vide Hesiodum in Theogonia.

Dives.] Omni ludorum genere abundans. *Cæsarea* hujus vocis ultima producitur propter sequentes duas consonantes. Alii legunt *Cæsareo* amphitheatro nimirum.

Fucinus.] Marsorum lacus ubi pugnam navalem edidit Claudius. Tacitus loco supra citato, & Suetonius in Claudio cap. 21.

Et pigri Neronis.] Quod solis voluptatibus deditus Nero, nihil principe dignum fecerit, piger dicitur. Alii legunt *diri* forte melius. De stagnis Neronis jam dictum epig. 2. supra.

Secula.] Hic significant posteritatem. *Naumachia* hic significat prælium navale, alias locus est in quo fit pugna navalis, Suetonius in Domitiano.

De

De Prisco & Vero gladiatoribus qui diu Marte dubio pugnaverant. XXIX.

CUM traheret Priscus, traheret certamina Verus,
Esset & æqualis Mars utriusque diu;
Missio sæpe viris magno clamore petita est:
Sed Cæsar legi paruit ipse suæ.
Lex erat, ad digitum posita concurrere palma:
Quod licuit; lances, donaque sæpe dedit.
Inventus tamen est finis discriminis æqui;
Pugnavere pares, succubuere pares.
Misit utrique rudes, & palmas Cæsar utrique:
Hoc pretium virtus ingeniosa tulit.
Contigit hoc, nullo nisi te sub principe, Cæsar,
Cum duo pugnarent, victor uterque fuit.

Cum Verus & Priscus producerent pugnam, & diu par esse pugna utrinsque, populus crebro postulavit magna voce missionem pro illis *viris: sed Cæsar obtemperavit edicto suo. Edictum* verò *erat: proposito præmio pugnare ad digitum: quod permissum fuit, frequenter largitus est* opsonia *in lancibus & munera* alia. *Nihilominus inventus est terminus pugnæ æqualis, æqualiter certaverunt: æqualiter* quoque *victi sunt. Cæsar utrumque donavit rudibus, & palmis. Solers fortitudo reportavit hanc mercedem. O Cæsar hoc non accidit sub ullo imperatore, nisi sub te: cum duo certarent, uterque victor evasit.*

Missio.] Erat scilicet, cum vulneratus gladiator vitam a populo, vel principe, aut munerario obtinebat. Hoc epigramma desideratur in antiquis editionibus. Primus Jos. Scaliger edidisse fertur.

Ad digitum.] hoc est pugnare sine spe missionis, donec gladiatorum alter digitum tollat, idest victum se fateatur. Ita hunc locum explicat Musambertius. Alii interpretantur *ad digitum concurrere*, digitis pugnare, quod uno verbo micare. Quintilianus lib. 8. cap. 5. *Contra eandem sororem gladiatoris, cujus modo feci mentionem, ad digitum pugnavi.* Hoc est digito pugnavi, sensus est concursu digitorum a dimicatione palmam inter se sortiti Verus & Priscus gladiatores. Judicet lector. *Digitum* hic accipit Raderus pro converso & infesto Cæsaris pollice, qui signum mortis.

Quod licuit lances.] Ut ejusmodi donis impatientem populum moraretur; vel potius intellige opsonia missa gladiatoribus, quibus vires reficerent.

Succubuere pares.] Simul nempe alter ab altero læsus est.

Rudes.] Erant virgæ quibus donati gladiatores ab arena liberabantur in omnem vitam.

Victor uterque.] Hoc quasi miraculum felicitati Domitiani tribuit Poëta.

De dama & canibus. XXX.

CONCITA veloces fugeret cum dama molossos,
Et varia obliquas necteret arte moras,
Cæsaris ante pedes supplex, similisque roganti
Constitit; & prædam non tetigere canes.
. . . .
Hæc intellecto principe dona tulit,
Numen habet Cæsar. Sacra est vis, sacra potestas.
Credite: mentiri non didicere feræ.

Cum dama commota fugeret celeres canes, atque afferret cunctationes obliquas diverso artificio, humilis & precanti similis se tenuit ante pedes Cæsaris: & molossi non violaverunt prædam. . . Hæc cognito imperatore dedit munera. Cæsar habet numen, sacra est vis, sacra potestas. Fidem adhibete: feræ nesciunt mentiri.

Et varia obliquat. Legunt alii. *Et varia lyncat necteret arte mora.* Hoc epig. non est in antiquis quibusdam editionibus.

Non tetigere.] Veriti scilicet numen Domitiani ad quem confugerat dama.

Hac intellecto.] Hujus carminis explicatio pendet ex superiori hexametro quod deest. Ultimi distichi sententia perspicua est.

Dona.] hoc est gratiam hanc consecuta est ut ipsi parcerent canes, sic videtur intelligere interpres græcus Joseph Scaliger.

Ad Cæsarem cui excusat carmina extemplo facta. XXXI.

DA veniam subitis: non displicuisse meretur,
Festinat Cæsar qui placuisse tibi.

Parce repentinis: qui properat, ô Cæsar, tibi placere, non meretur injucundus esse.

Alterum de pugna imparium. XXXII.

CEDERE majori, virtutis fama secunda est.
Illa gravis palma est, quam minor hostis habet.

Secunda fama est fortitudinis primas dare superiori. Palma illa gravis est quam inferior adversarius reportat.

Cedere majori.] Ut apud Virgilium de Lauso 10. Æneid.
Hoc tamen infelix miseram solabere mortem
Æneæ magni dextra cadis.

Gravis est.] Quasi fructibus onusta. Hoc est illustris & eximia est victoria quam minor hostis reportat.

Aliud, apud antiquum Juvenalis Scholiasten. XXXIII.

FLAVIA gens, quantum tibi tertius abstulit hæres!
Pene fuit tanti, non habuisse duos.

O Familia Flaviorum, quantum tibi detraxit tertius heres! ferè utile fuit, non habuisse duos.


Tertius heres.] Domitianus nempe inhumanus & ferox, qui suæ genti dedecori fuit: ubique palam Domitiano palpatur Poëta, attamen hoc loco illum acerbissimè carpit: quare Martialis esse vix crediderim.

Non habuisse duos.] Vespasianum, & Titum.

M. VAL.



Spect. 27 *epigr.* 6 *verf.*
Chimæra] In *Num.* Latinorum Græcorumque (quippe Corinthi fymbolum) obvia. En è M. Aurelii *Num.*



I *Lib.* 50 *epigr.* 4 *verf.*
Equis & arma] Unde & in Bilbilitanorum *Num.* armatus eques.



Spect. 28 *epigr.* 6 *verf.*
Domini] Neptuni, quem currui infiftentem exhibet Caracallæ pulchrum *Numifma.*



I *Lib.* 50 *epigr.* 31 *verf.*
Toga] Romanis proprium veftimentum. Sic & ipfi Imperatores in *Numis* togati.



I *Lib.* 32 *epigr.* 2 *verf.*
Lacones] Caftor & Pollux qui in Romanis *Numis*, five pedites, five & equites, frequenter obvii. Hi verò è Maxentii *Num.*



I *Lib.* 71 *epigr.* 4 *verf.*
Vefta] Ejus ædes obvia in Neronis & Vefpafiani *Num.* apud *Lipfium*, *lib. de Veft.* *Oudanum* ejufque interpretem *Oyzelium.*

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM

LIBER PRIMUS.

Epiſtola ad lectorem, nullum virum probum conqueri poſſe de his ſcriptis.

SPERO me ſecutum in libellis meis tale temperamentum, ut de illis queri non poſſit, quiſquis de ſe bene ſenſerit, cum ſalva infimarum quoque perſonarum reverentia ludant; quæ adeo antiquis auctoribus defuit, ut nominibus non tantum veris abuſi ſint, ſed etiam magnis. At mihi fama vilius conſtet, & probetur in me noviſſimum ingenium. Abſit a jocorum noſtrorum ſimplicitate malignus interpres, nec epigrammata mea ſcribat. Improbè facit, qui in alieno libro ingenioſus eſt. Laſcivam verborum licentiam, id eſt Epigrammaton linguam excuſarem, ſi meum eſſet exemplum: ſic ſcribit Catullus, ſic Marſus, ſic Pedo, ſic Gætulicus, ſic quicunque perlegitur. Si quis tamen tam ambitioſè triſtis eſt, ut apud illum in nulla pagina Latine loqui fas ſit, poteſt epiſtola, vel potius titulo contentus eſſe. Epigrammata illis ſcribuntur, qui ſolent ſpectare Florales. Non intret Cato theatrum noſtrum; aut ſi intraverit, ſpectet. Videor mihi meo jure facturus, ſi epiſtolam verſibus clauſero.

INTERPRETATIO.

Confido me ſtatuiſſe talem modum meis libris, ut quicunque boni conſcius ſibi fuerit, nequeat conqueri de illis, cum jocentur ſalvo honore etiam perſonarum obſcurarum; quem ita neglexerunt auctores priſci, ut abuſi ſint non ſolùm nominibus propriis, ſed etiam magnis. Sed fama comparetur mihi viliori pretio, & nondum cognita ingenii mei ſolertia *laudetur. Malitioſus interpres removeatur a ſimplicitate noſtrorum ludorum, nec ſcribat mea epigrammata. Iniquè agit qui ſolers eſt in alieno libro. Purgarem laſcivam libertatem verborum, hoc eſt linguam epigrammaton, ſi præirem exemplo: ita ſcribit Catullus, ita Marſus, ita Pedo, ita Gætulicus, ita quicunque perlegitur. Nihilominus ſi quis tam affectatè moroſus eſt, ut non liceat latine loqui apud illum in nulla pagina, poteſt contentus eſſe epiſtola, aut potius inſcriptione. Epigrammata ſcribuntur illis, qui conſueverunt adeſſe Floralibus. Cato non ingrediatur theatrum noſtrum; aut ſi ingreſſus fuerit, ſpectet. Cenſeo me facturum jure meo, ſi abſolvero epiſtolam carminibus.*

NOTÆ.

NOTÆ.

Secutum.] Alii secuturum. Prior lectio melior.

Cum salva.] Lib. 10. epig. 33.

Hunc servare modum nostri novere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Antiquis auctoribus] Lucilio nempe Catullo & multis aliis. De Lucilio Persius Sat. 1.

——————secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.

Plinius lib. 36. cap. 6 *Hic namque est Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus.*

Sed etiam magnis.] Principum scilicet, & nobilium virorum quos in famosis suis libris nominabant antiqui poëtæ; sed nominibus fictis utitur Martialis lib. 7. epig. 11.

Ludimus innocuis verbis; hoc jure potentis
Per genium famæ Castaliumque gregem.

Legunt alii *Ludimus innocui: scis hoc bene,* &c.

Vilius constet] Quam illis antiquis qui ex aliorum infamia sibi famam quærebant. Lib. 7. epig. 11.

Ut mea nec justè quos odit, pagina lædit,
Et mihi de nullo fama rubore placet.

Novissimum ingenium.] hoc est, comparare famam sine alterius rubore res est ingeniosa, priscis poëtis non cognita, nec ab illis usitata: volo ergo ingenium hoc novissimum, seu novam hanc scribendi rationem in me probari. Vilius ergo constat fama quam sibi vitiis notatis, personis vero silentio præteritis sibi comparat noster Poëta.

Nec epigrammata mea scribat.] hoc est aliter atque ego, interpretetur; nec fictorum nominum loco vera & propria substituat.

Verborum licentiam.] Apertam rerum pudendarum appellationem: hac de re prolixè agit Plinius Secundus lib. 4. epistola 14. Alii *verborum veritatem* Videat lector.

Sic Catullus.] De his poëtis dicemus suo loco: de Gætulico nihil reperi. Vossius in libro de poetis Latinis meminit Lentuli Gentulici poëtæ, qui Tiberii ac Claudii temporibus fuit.

Tam ambitiosè tristis.] Morum severitas appellatur propriè ambitiosa tristitia, si aliquid affectationis inest.

Latinè loqui.] hoc est, simpliciter & apertè sine ulla verborum dissimulatione loqui: Latini enim simplices habebantur, & nomine proprio res singulas nominabant, Lib. 11. epig. 21.

Cæsaris Augusti lascivos livide versus
Sex lege, qui tristis verba latina legis.

Turnebus lib. 24. cap. 5. dicit verba latina appellari a nostro Poëta, quæ apertè & ingenuè lasciviam & flagitia enunciant; qualis est epigrammaton lingua.

Vel potius titulo.] Qui abhorret a lascivis epigrammatibus, legat tantum eorum lemmata. Epig. 2. lib. 14.

Lemmata si quæris cur sint adscripta, docebo:
Ut, si malueris, lemmata sola legas.

Florales.] Ludos institutos in honorem Deæ Floræ, quos describit Ovidius lib. 5. Fastorum lascivos prorsus.

Non intret Cato.] Vide epig. 3. infra.

Ad Lectorem gloriatur Poëta de fama sibi viventi concessa. I.

HIc est quem legis, ille quem requiris
Toto notus in orbe Martialis,
Argutis epigrammaton libellis:
Cui lector studiose, quod dedisti
Viventi decus, atque sentienti,
Rari post cineres habent poëtæ.

Hic quem evolvis, est ille Martialis quem quæris, celebris per totum orbem acutis libris epigrammatum. O lector cupide, pauci poetæ post mortem consequuntur famam, quam concessisti ipsi vivo & audienti.

Post cineres.] Metonymia, id est post obitum: rarò enim excellentes viri laudantur, dum vivunt: rationem reddit Horat.

Urit enim fulgore suo qui prægravat artes
Infra se positas, extinctus amabitur idem.

Vide ep. 10. lib. 5.

Ad Lectorem ubi libri venales. II.

QUI tecum cupis esse meos ubicunque libellos,
Et comites longæ quæris habere viæ;
Hos eme, quos arctat brevibus membrana tabellis:
Scrinia da magnis, me manus una capit.
Ne tamen ignores ubi sim venalis, & erres
Urbe vagus tota: me duce certus eris.
Libertum docti Lucensis quære Secundum
Limina post Pacis, Palladiumque forum.

Qui expetis meos libros versari tecum in quovis loco, & optas socios habere longinqui itineris; hos tibi compara, quos membranula stringit tabellis angustis: repone magnos in capsis, una manus me comprehendit. Tamen ne te fugiat, ubi sim promercalis, & ne errans discurras per totam civitatem; eris certus me ductore. Investiga Secundum libertum periti Lucensis juxta templum Pacis, & forum Palladis.

Membrana arctat.] hoc est qui exiguo volumine sunt compacti. Scribebant antiqui in membranis; & tabellis vel citreis, vel ex alia materia includebantur libri.

Quære.] Bibliopola erat hic Secundus. Turnebus lib. 18. cap. 3. *Suspicatur in patronorum libertis ordinem quendam fuisse, quod alteri apud patronum priorem locum obtinerent: alteri proximum.* Judicet lector. Alii *Secundi* ut sit nomen ipsius patroni: sed sine auctore.

Palladium.] Ita appellabatur forum Romanum ab æde Palladis quæ in eo fuit juxta templum Pacis.

Ad Catonem nimis austerum. III.

NOSSES jocosæ dulce cum sacrum Floræ,
Festosque lusus, & licentiam vulgi,
Cur in theatrum Cato severe venisti?
An ideo tantum veneras, ut exires?

O Cato austere, quare theatrum adisti, cum non ignorares suave sacrificium Floræ festivæ, festosque ludos, & libertatem plebis? an idcirco tantum accesseras ut discederes?

Jocosæ dulce.] Floralia intelligit, quæ ab impudicis mulieribus nudis celebrabantur Romæ in honorem Deæ Floræ. Vide epistolam supra & epig. 36. infra. Præsente autem Catone populum puduit postulare ut mimæ nudarentur; quod cum cognovisset Cato, discessit e theatro: quod adire non debuit, cum impudicum Floralium morem non ignoraret. Alii hoc epigramma primum hujus libri ponunt.

Ad librum suum gestientem exire foras. IV.

ARGILETANAS mavis habitare tabernas,
Cum tibi, parve liber, scrinia nostra vacent.
Nescis, heu, nescis dominæ fastidia Romæ:
Crede mihi, nimium Martia turba sapit.
Majores nusquam ronchi, juvenesque senesque,
Et pueri nasum rhinocerotis habent.
Audieris cum grande sophos, dum basia captas,
Ibis ab excusso missus in astra sago.

O libelle, magis tibi placet degere in officinis Argiletanis, cum capsæ nostræ tibi pateant. Non cognoscis, heu non cognoscis despicientiam Romæ dominæ: mihi fidem adhibe, Martis populus sagacior est. Nullibi majores sunt *irrisiones, adolescentes, decrepiti, pueri ipsi habent nasum rhinocerotis. Cum auscultaveris grande sophos, dum ambis osculationes, in aërem jactaberis sagulo exagitato. At tu ne toties emendationes heri*

Sed tu ne toties domini patiare lituras,
Neve notet lusus tristis arundo tuos.
Ætherias lascive cupis volitare per auras:
I, fuge; sed poteras tutior esse domi.

calamus severus animadvertat in tuos jocos. O proterve expetis volare per regiones aëris: abi, fuge, at poteras esse securior domi.

Argiletanas.] Argiletum locus erat Romæ in quo erant bibliopolia.

Domina Roma.] hoc est Romanorum rerum Dominorum, qui te excipient veluti domini suos servos.

Martia turba.] Mars pater Romuli fingitur, a quo originem duxerunt Romani, Vide Plutarchum in Romulo.

Ronch.] Ronchus est sonus nasi qui fit stertendo, quo judicium fastidiosum intelligit Poëta.

Et pueri nasum.] His verbis significat etiam pueros Romæ irridere, & carpere auctorum scripta. Cornu rhinocerotis quod appellat nasum, fortissimum nempe ut acerrimum ostendat judicium. Vide lib. Spectac. epig. 9. Plin. lib. 11. cap. 37. *Et alitor homini tantum, quem novi mores subdole irrisioni dicavere, nasus.* Nasus irrisioni dicatus est. Vide epig. 2. lib. 13.

Grande sophos.] σοφῶς sapienter. Erat frequentissima acclamatio eorum qui recitantis scripta laudabant. Vide epig. 50. infra. *Mercetur alius grande & insanum sophos.*

Basia captas.] approbationes. Nam osculabantur antiqui quos recitantes probaverant. Vide epig. 77. infra.

Ibis ab excusso.] Suetonius in Othone cap. 2. *Ferebatur & vagari noctibus solitus: atque invalidum quemque obviorum, vel potulentum corripere: ac distento sago impositum in sublime jactare.* Gallicè *berner.*

Tristis arundo.] Quod censura omnis severa sit & tetrica, ex arundine verò præsertim Ægyptia fiebant calami scriptorii. Vide epig. 38. lib. 14.

Ad Cæsarem cui excusat lasciviam epigrammatum. V.

CONTIGERIS nostros, Cæsar, si forte libellos,
Terrarum dominum pone supercilium.
Consuevere jocos vestri quoque ferre triumphi,
Materiam dictis nec pudet esse ducem.
Qua Thymelen spectas, derisoremque Latinum,
Illa fronte precor carmina nostra legas.
Innocuos censura potest permittere lusus;
Lasciva est nobis pagina, vita proba est.

O Cæsar, si casu tractaveris nostros libros, depone supercilium dominum orbis, Vestri etiam triumphi soliti sunt tolerare cavillationes, nec Imperator erubescit præbere argumentum dicteriis. Te rogo ut legas versus nostros eo vultu quo aspicis Thymelen, & facetum Latinum. Censura potest pati jocos innoxios: mihi est liber procax, vita verò integra.

Supercilium.] Usurpat pro fastu & severitate, *terrarum dominum* vocat, quod eo terrarum orbis gubernaretur.

Ferre triumphi.] In ipsa triumphi pompa per jocum dicteriis & conviciis Imperatorem consectabantur milites. Suetonius in Julio cap. 49.

Qua Thymelen.] Thymele & Latinus mimi erant Domitiano gratissimi. Juvenalis sat. 1.

Et a trepido Thymele summissa Latino.

Innocuos.] Personis enim pepercit noster Poeta, ut patet ex epistola huic libro præfixa, & vitia tantum carpsit, unde nec a gravissimo censore Domitiano reprehendi potuit. Vide Suetonium in Domitiano cap. 8. *vita proba.* Lege epig. 29. lib. 9.

Ad Marcum de libro intempestive oblato. VI.

DO tibi naumachiam, tu das epigrammata nobis,
Vis puto cum libro, Marce, natare tuo.

Exhibeo tibi prælium navale, tu nobis offers epigrammata, ô Marce, ut arbitror, cupis nare cum tuo libello.

Do tibi.] Introducit Domitianum respondentem sibi, quasi intempestive obtulisset epigrammata. Vide epig. 54. lib. 5. De naumachia epig. 24. lib. Spect.
Vis puto.] Vis hic mergi cum tuis versibus cum sis importunus.

De Leone Cæsaris. VII.

ÆTHERIAS aquila puerum portante per auras
Illæsum timidis unguibus hæsit onus:
Nunc sua Cæsareos exorat præda leones,
Tutus & ingenti ludit in ore lepus.
Quæ majora putas miracula? summus utrique:
Auctor adest: hæc sunt Cæsaris, illa Jovis.

Onus incolume adhæsit sollicitis unguibus aquila ferente puerum per regiones aeris: nunc Cæsaris leones flectuntur præda propria, & lepus securus ludit in ore vasto. Quæ existimas majora prodigia? utrum, ne habet supremum auctorem: hæc edidit Cæsar, illa Jupiter.

Puerum.] Ganymedem scil. Trois filium, quem rapi ab aquila jussit Jupiter. Plinius lib. 34. cap. 8. Nota est fabula Jovis in aquilam conversi. Ovid. lib. 10. Metam.
Timidis unguibus.] Ne puer caderet vel offenderetur. Metaphora est.
Cæsareos.] A Cæsare exhibitos.
Quæ majora.] Aquilæ, an leonis?
Summus.] Uterque Deus est, nam Domitianus Deus appellari voluit, cujus jussu captum leporem dimittebat leo, sicut Jove jubente Ganymedem rapuit aquila. Vide infra epig. 23. 49. 52. 61.

Ad Maximum de columba Stellæ. VIII.

STELLÆ delicium mei columba,
Verona licet audiente dicam,
Vicit, Maxime, passerem Catulli.
Tantò Stella meus tuo Catullo,
Quantò passere major est columba.

O Maxime, asseverabo, quantumvis Verona auscultante, columba voluptas mei Stellæ superavit passerem Catulli. Tanto meus Stella major est tuo Catullo, quanto columba major est passere.

Stellæ columba.] Stella poeta Patavinus columbam amicæ suæ deflevit, ad imitationem passeris Catulli. Columba pro opere de columba sumitur, caussa nempe pro effectu. Vide epig. 21. lib. 6. & epig. 13. lib. 7.
Verona.] Patria Catulli, urbs Italiæ satis nota.
Catullo tuo.] hoc est populari vel forte quem admirari solebat Maximus.

Deciani dogma laudat. IX.

QUOD magni Thraseæ, consummatique Catonis
Dogmata sic sequeris, salvus ut esse velis;

O Deciane agis, quod cupiam te agere, quod ita sectaris placita magni Thraseæ, & Catonis perfecti, ut tuendæ

Pecto-

Pectore nec nudo strictos incurris in enses,
Quod fecisse velim te, Deciane, facis.
Nolo virum, facili redimit qui sanguine famam:
Hunc volo, laudari qui sine morte potest.

esse similis illis, nec irruis in gladios districtos nudato pectore. Non probo eum virum qui quærit existimationem prompta morte: probo illum qui potest celebrari sine interitu.

Magni.] Exitum Thraseæ & Catonis improbat, qui Stoicorum doctrinam professi voluntaria morte laudem quæsiverunt. Satis notus Catonis exitus; Pæti Thraseæ meminit Suetonius in Nerone cap. 37. Tacit. lib. 16. Annal. *Thrasea, Serranoque & Servilia datur mortis arbitrium.*
Talis es.] ut eorum exemplo constans & fortis habearis. Alii legunt *salvus ut esse velis*: hoc est ut te non interficias, sicut se interfecerunt illi.
Facili sanguine.] facilitate mortis voluntariæ.
Laudari qui.] Eum probo qui mala constanter pati possit, nec morte se ab illis liberet: quod mollis animi est.

Jocatur in Cottam. X.

BELLUS homo & magnus vis idem, Cotta, videri,
Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

O Cotta, cupis habere speciem simul belli hominis & magni; sed, Cotta, qui homo bellus est, parvus est.

Bellus.] diminutivum a bono, τὸ verbum *bellus* de rebus pusillis dicitur. Cotta igitur, si bellus homo sit, non est magnus homo, sed pusillus & tenuis. Vide epig. 7. lib. 2. & epig. 62. lib. 3.

De Gemello captatore, *& Maronilla* tabescente. XI.

PETIT Gemellus nuptias Maronillæ,
Et cupit, & instat, & precatur, & donat.
Adeone pulchra est? immo fœdius nil est:
Quid ergo in illa petitur & placet? tussit.

Gemellus expostit matrimonium Maronillæ, & desiderat, & urget, & rogat, & dat munera. An usque eo formosa est? e contrario nihil turpius est. Quid igitur in illa postulatur, & gratum est? Laborat tussi.

Tussit.] Tussientes vetulas a se amari fingebant pauperes atque avari homines, quod eas brevi morituras crederent, & earum hereditatem habituros se sperarent. Epig. 26. lib. 2. Alii *tussis*.

Ad Sextilianum potorem. XII.

CUM data sint equiti bis quina numismata, quare
Bis decies solus, Sextiliane, bibis?
Jam defecisset portantes calda ministros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

O Sextiliane, cur tu unus potas viginti nummos sestertios, cum decem donati sint equiti? Jam aqua calida defuisset servis ferentibus, nisi, Sextiliane, biberes vinum purum.

Cum data sint.] Si equiti cuivis sportulæ nomine decem sestertii ad emendum panem, edulia & etiam ad bibendum dantur; cur tu, Sextiliane, adeo intemperanter te geris, ut solus vinum bibas pro viginti sestertiis. Sic Ramiresius. Vide Turnebum lib. 18. cap. 30. Ad sitim levandam in spectaculo longius producto distributa scribit

ſcribit viritim per quatuordecim ordines decem numiſmata. Quæ fuerint illa, quis audeat adfirmare ? Sed non magni pretii fuiſſe apparet, partim ex epig. 27. infra, ubi appellantur æra, partim ex oppoſito, *bis decies bibis*, Gron.

Calda.] Aqua calida in deliciis habita fuit apud antiquos, vel quam vino infunderent, vel quam ſolitariam biberent, vel etiam qua lavarentur.

De Regulo fere obruto ruina veteris porticus. XIII.

ITUR ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,
Canaque ſulphureis Albula fumat aquis.
Rura, nemuſque ſacrum, dilectaque jugera Muſis
Signat vicina quartus ab urbe lapis:
Hic rudis æſtivas præſtabat porticus umbras.
Heu quam pene novum porticus auſa nefas!
Nam ſubito collapſa ruit, cum mole ſub illa
Geſtatus bijugis Regulus eſſet equis,
Nimirum tenuit noſtras fortuna querelas,
Quæ par tam magnæ non erat invidiæ.
Nunc & damna juvant: ſunt ipſa pericula tanti:
Stantia non poterant tecta probare deos.

Qua iter eſt ad frigidum caſtellum Tiburis Herculei, & Albula candida emittit fumum aquis ſulphureis. Quartum ab urbe propinqua milliare deſignat villam, & ſylvam conſecratam, atque agros gratos Muſis. Porticus impolita exhibebat hic umbras tempore æſtatis: heu quam inauditum ſcelus fere patravit porticus! Nam labefactata repente concidit, poſtquam Regulus fuiſſet vectus bigis ſub illa mole. Fortuna nempe quæ erat impar tanto odio impedivit querimonias noſtras. Nunc & detrimenta proſunt: diſcrimina parvi ſunt æſtimanda: ſtans porticus nequibat demonſtrare deos.

Herculei.] Hercules enim Tibure colebatur. Tibur hodie *Tivoli.*

Cana Albula.] Planiciem Tiburi vicinam intellige, ubi a colore albo quem a venis ſulphureis trahunt, aquæ albulæ dicuntur.

Quæ par.] hoc eſt, verita eſt omnium invidiam, quam Regulo oppreſſo ſuſtinere non potuiſſet. De Regulo longe aliter ſentit Plinius Junior lib. 1. epiſt. 5. Neſcio an idem fuerit. Vide epig. 83. infra, *tenuit*: alii *timuit.*

Sunt ipſa.] hoc eſt, non oportet timere pericula, cum ex illis propulſis probetur Deorum providentia, quibus curæ fuit Regulus. Sic locutus eſt Cicero Ver. 2. *Eſt mihi tanti, Quirites, hujus invidiæ falſæ atque iniquæ tempeſtatem ſubire, dummodo, &c.* id eſt tanti non facio periculum invidiæ. Vel ſic interpretare: ipſa pericula pluris æſtimanda ſunt, quæ probant Deos eſſe, &c.

De Arria & Pæto,
cui gladium porrexit qua ipſa ſe perfoderat. XIV.

CASTA ſuo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis.
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

Cum pudica Arria ſuo Pæto porrigeret enſem, quem ipſa eduxerat ex ſuis inteſtinis. Si mihi credis, ait, plaga quam mihi intuli, non me angit: ſed hæc, Pæte, me angit, quam tu tibi infliges.

Caſta ſuo.] Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium moverat; fuerat Pætus in ejus partibus, cui tandem mori coacto uxor Arria porrexit gladium, quo pectus

pectus suum perfoderat, addita hac voce immortali ac pene divina: *Pæte, non dolet.* Sic fere Plinius Junior epist. 16. lib. 3. Vide Tacitum lib. 16. annal.

Ad Cæsarem, de spectaculo leonum ac leporum. XV.

DELICIAS, Cæsar, lususque jocosque leonum
Vidimus: hoc etiam præstat arena tibi,
Cum prensus blando toties a dente rediret,
Et per aperta vagus curreret ora lepus.
Unde potest avidus captæ leo parcere prædæ?
Sed tamen esse tuus dicitur, ergo potest.

O Cæsar, spectavimus ludos leonum, oblectationes, & festivitates: hoc quoque tibi exhibet arena, cum lepus toties captus dimitteretur dente benigno, atque errans teneret cursum per ora patentia. Qua ratione leo rapax potest veniam dare prædæ captivæ? verùm tuus esse fertur, ergo potest.

Lusus ac jocosque.] quoniam feræ non cædebantur a leonibus. Vide epig. 105. infra.

A dente rediret.] hoc est ex leonis dentibus dimitteretur. Vide epig. 7. supra, & epig. 49. infra.

Ergo potest.] parcere nempe, quia refert clementiam tuam, ô Cæsar.

Ad Julium quem invitat ad voluptates. XVI.

O MIHI post nullos, Juli memorande, sodales:
Si quid longa fides, canaque jura valent.
Bis jam pene tibi consul trigesimus instat,
Et numerat paucos vix tua vita dies.
Non bene distuleris, videas quæ posse negari,
Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
Exspectant curæque, catenatique labores,
Gaudia non remeant, sed fugitiva volant.
Hæc utraque manu, complexuque assere toto:
Sæpe fluent imo sic quoque lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere, Vivam.
Sera nimis vita est crastina: vive hodie.

O Juli, mihi celebrande ante omnes amicos, si vetus amicitia atque antiqua consuetudo aliquid possunt. Jam ferè sexaginta anni tibi imminent. & tua vita vix computat paucos dies. Non rectè protraxeris quæ posse tibi eripi animadvertas, & existimes hoc tantum esse tuum quod præteriit. Anxietates, atque invicem connexi labores nos manent, lætitia non redit, sed profuga avolat: hanc tibi vindica ambabus manibus, & toto amplexu, sic quoque fugax sæpe elabetur ex imo tuo gremio. Mihi fidem adhibe, non decet sapientem dicere, Vivam; crastina vita tardior est, vive hodie.

O mihi.] sic Ovidius lib. 1. Tristium incipit Elegiam quartam. Sæpe amicos ad voluptates hortatur noster Poëta, quod celeriter fluant.

Bis jam.] Annuo consulatu annos numerabant Romani.

Et numerat paucos.] Vide epig. 70. lib. 6 solos enim dies computabat, quibus genio indulgebat.

Gaudia non remeant.] Alii legunt *remanent.* Videat lector.

Vive hodie.] hoc est voluptatibus fruere.

Ad Avitum, de suis libris quos extenuat. XVII.

SUNT bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,
Quæ legis: hic aliter non fit, Avite, liber.

Ex iis *quæ evolvis, quædam bona sunt, quædam* verò *modica, multa* autem *nullius pretii: hic libellus non componitur alio modo.*

Non

Non fit liber.] hoc eſt, liber non creſcit intra juſtam magnitudinem. Vide epig. 8. lib. 2.

Ad Titum, a quo ad cauſſas dicendas impellebatur. XVIII.

COGIT me Titus actitare cauſſas,
Et dicit mihi ſæpe, magna res eſt.
Res magna eſt, Tite, quam facit colonus.

Titus me compellit ad cauſſas perorandas, & me crebro obtundit, res eſt magna. O Tite, res eſt magna cui incumbit agricola.

Res magna eſt.] Domitius legit per interrogationem hoc ſenſu: Eſtne res magna quam facit colonus? coloni enim agricultura derelicta fiebant cauſſidici: quaſi dicat Poëta, Mihi non placet illud vitæ genus, quod multi ſequi poſſunt. Ramireſius verò mihi videtur melius ſic explicare hunc locum: Colonus dum colit agros, multam pecuniam congerit, nempe magnam rem facit, neque tamen improbus ille labor licet fructuoſus mihi arridet. Itaque Titus fruſtra invitat noſtrum Poëtam; mavult enim Muſas colere licet ſteriles, quam facere rem.

Ad Tuccam avarum. XIX.

QUID te, Tucca, juvat vetulo miſcere Falerno
In Vaticanis condita muſta cadis?
Quid tantum fecere boni tibi peſſima vina?
Aut quid fecerunt optima vina mali?
De nobis facile eſt: ſcelus eſt jugulare Falernum,
Et dare Campano toxica ſæva mero.
Convivæ meruere tui fortaſſe perire:
Amphora non meruit tam pretioſa mori.

O Tucca, quid te delectat infundere veteri Falerno muſta recondita in cadis Vaticanis? quonam tanto beneficio te devinxit vinum viliſſimum? aut quo malo te affecit vinum pretioſiſſimum? Facile eſt nos jugulare, Falernum verò nefas, & miſcere venenum crudele vino Campaniæ. Tui convivæ forte digni ſunt morte, lagena adeo exquiſita non meritaᵹ eſt perire.

In Vaticanis.] Vinum Vaticanum eſt vappa. Vide lib. 6. epig. 92. lib. 10. epig. 45. lib. 12. epig. 48.

De nobis.] hoc eſt jugulare nos convivas res eſt levis momenti, at ſcelus eſt occidere vinum quod per metaphoram vivere dicitur: de Falerno nobili Campaniæ vino dicemus lib. 13.

Amphora] Proprie eſt menſura liquidorum octoginta libras Romanas continens, hic verò ſumitur pro vaſe vinario.

Ad Æliam edentulam. XX.

SI memini, fuerant tibi quatuor, Ælia, dentes:
Exſpuit una duos tuſſis, & una duos.
Jam ſecura potes totis tuſſire diebus;
Nil iſtic, quod agat, tertia tuſſis habet.

Ælia, ſi recordor, habueras quatuor dentes, una tuſſis excreavit duos, altera duos. Tuta jam potes tuſſire per totum diem, nihil ſupereſt certa tuſſi quod faciat iſtic.

Nil iſtic.] Quia nulli ſuperſunt dentes, vide epig. 92. lib. 3. Alii *Nil tibi quod tollat.*

Ad

Ad Cæcilianum helluonem. XXI.

Dic mihi, quis furor est? turba spectante vocata,
Solus boletos, Cæciliane, voras.
Quid dignum tanto tibi ventre, gulaque precabor?
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Rogo te, qua insania est? ô Cæciliane, tu unus deglutis boletos convivis invitatis aspicientibus. Quid tibi precabor conveniens tanto abdomini, & helluationi? comedas boletum, qualem comedit Claudius.

Qualem Claudius.] Boletus fungus est optimi saporis, quem auro atque argento præfert epig. 48. lib. 13. Agrippina vero Claudium Cæsarem maritum boleto venenato extinxit. Juven. sat. 5.

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis
Boletus domino: sed qualem Claudius edit
Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.

De Porsena & Mucio Scævola quem celebrat. XXII.

Dum peteret regem decepta satellite dextra,
Injecit sacris se peritura focis.
Sed tam sæva pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis jussit abire virum.
Urere quam potuit contemto Mucius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Major deceptæ fama est, & gloria dextræ.
Si non errasset, fecerat ille minus.

Dum manus invaderet regem decepta a stipatore perstura immisit se in ignes sacros, sed hostis pietate motus non passus est prodigium adeo ferox, atque imperavit dimitti virum ab igne ereptum. Porsena non potuit aspicere hanc dexteram, quam cremare potuit Mucius flammis despectis. Laus dextera errantis, & honor major est. Illa minus peregisset, nisi aberrasset.

Dum peteret.] Hæc historia Porsenæ & Mucii Scævolæ satis nota est ex Livio.
Satellite.] Quem percussit Mucius regem illum existimans. Alii *Ingessit*.
Si non errasset.] Majorem quippe laudem consecutus est Mucius, cum amissa manu hostem vicit, quam si armata occidisset.

De leone & lepore. XXIII.

Quid nunc sæva fugis placidi lepus ora leonis?
Frangere tam parvas non didicere feras.
Servantur magnis isti cervicibus ungues,
Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.
Præda canum lepus est, vastos non implet hiatus,
Non timeat Dacus Cæsaris arma puer.

O lepus, quid nunc vitas ora fera leonis benigni, non consueverunt rumpere feras tam exiguas. Isti ungues servantur magnis capitibus, nec tanta sitis lætatur modico sanguine. Lepus est præda canum, non replet hiatus latos, Dacus puer non metuat arma Cæsaris.

Magnis cervicibus.] Taurorum puta, cervorum, aprorum, &c. Vide epig. 7. & 15. supra.
Dacus puer.] hoc est hostis imbellis; nam Dacos domuit Domitianus: quasi dicat, in hostes debiles non sævit Cæsar. Dacia comprehendit hodie Transsilvaniam, Moldaviam, & Walachiam.

XXIV.

XXIV.

Ad Decianum, de quodam homine molli. XXV.

ADSPICIS incomptis illum, Deciane, capillis,
Cujus & ipse times triste supercilium.
Qui loquitur Curios, assertoresque Camillos,
Nolito fronti credere, nupsit heri.

O Deciane, illum intueris crinibus incultis, cujus & ipse vereris supercilium severum. Qui prædicat Curios & Camillos liberatores, ne credas tristitiæ frontis, nupsit heri.

Triste supercilium.] hoc est gravitatem quæ in superciliis videtur. Epig. 57. lib. 7. est huic simile.

Qui loquitur Curios.] hoc est qui grandia & severa verba profert digna probis his viris. Juven. sat. 2.

Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.

Nolito fronti.] Sic Juven. eodem:
Fronti nulla fides.

Ad Faustinum ut suos libros edat in lucem. XXVI.

EDE tuos tandem populo, Faustine, libellos,
Et cultum docto pectore profer opus:
Quod nec Cecropiæ damnent Pandionis arces,
Nec sileant nostri, prætereantque senes.
Ante fores stantem dubitas admittere famam,
Teque piget curæ præmia ferre tuæ?
Post te victuræ, per te quoque vivere, chartæ
Incipiant: cineri gloria sera venit.

O Faustine, tandem profer in lucem tuos libros, & prome opus elaboratum perito ingenio: quod urbs Cecropis & Pandionis non improbet, nec quod *senes nostri taceant aut prætermittant. Haresne famam excipere consistentem ante januam, & tædet te reportare mercedem tuorum studiorum? Libri tui post te vita fruituri, per te etiam exordiantur frui vita: honor tardus consequitur mortem.*

Et cultum.] Pectus sumitur pro ingenio.

Cecropiæ.] Cecrops gente Ægyptius migrat cum colonis in Atticam, Actæi regis affinitatem, & regni successionem virtute promeretur; monstrat olivæ usum, condit arcem, & urbem Athenas. Pandion quoque regnavit Athenis. Reineccius de familiis.

Prætereantque.] Candidati præteriti dicebantur, qui nullum suffragium tulissent. Poëta ergo intelligit opus Græcis & Latinis laudandum.

Cineri gloria.] his verbis hortatur Faustinum, ut vivens & sentiens sua fruatur fama & gloria. Vide epig. 2. supra.

Ad Sextilianum potatorem. XXVII.

SEXTILIANE, bibis, quantum subsellia quinque,
Solus: aqua toties ebrius esse potes.
Nec consessorum vicina numismata tantum,
Æra sed a cuneis ulteriora petis.
Non hæc Pelignis agitur vindemia prælis,
Uva nec in Tuscis nascitur ista jugis.

Sextiliane, tu solus potas tantum, quantum quinque equites, temulentus esse potes hausta toties aqua. Nec rogas solummodo nummos ab iis qui tibi assident, sed pecuniam poscis a multitudine procul distante. Hæc vindemia non premitur prælis Pelignis, nec racemus ille crescit in collibus

Testa

Testa sed antiqui felix siccatur Opimi,
Egerit & nigros Massica cella cados.
A caupone tibi fæx Laletana petatur,
Si plus quam decies, Sextiliane, bibis.

Thuscis. Sed exhauritur pretiosa amphora veteris Opimiani, & nigri cadi vini Massici extrahuntur ex cavea. Sextiliane, si potas plusquam decies, a caupone pete fæcem Laletanam.

Subsellia quinque.] hoc est, quantum quinque equites qui subsellia in quatuordecim ordinibus occupabant. Est synecdoche. De Sextiliano jam dictum epig. 12. supra. Vide epig. 8. lib. 5.

Edictum Domini Deique nostri
Quo subsellia certiora fiunt
Puros eques ordines recepit.

Aqua toties.] Hyperbole est.

Cuneus] Pro caterva hominum sumitur qui in formam cunei sedebant.

Non hac.] Neque Sextilianus bibit vilia vina Peligna aut Tusca, sed Opimiana & Massica, de quibus lib. 13.

Fæx Laletana.] hoc est vinum turbidum. Lib. 7. epig. 52.

Et Laletana nigra lagena sapa.

Laletania autem regio est Hispaniæ non procul a Tarracone.

Si plusquam,] Vide Lipsium in suo convivio lib. 3. Antiq. ubi ait:

Decem cyathi summa potio sunto.

Ad Procillum quem inter pocula pridie ad cœnam invitaverat. XXVIII.

HESTERNA tibi nocte dixeramus,
Quincunces, puto, post decem peractos,
Cœnares hodie, Procille, mecum.
Tu factam tibi rem statim putasti,
Et non sobria verba subnotasti,
Exemplo nimium periculoso.
Μισῶ μνήμονα συμπότην, Πρόκιλλε.

Procille, hesterna nocte te invitaveram, opinor, post decem quincunces exhaustos, ut cœnares hodie mecum. Tu statim existimasti tibi provenisse lucrum, & memoria retinuisti sermones vinolentos exemplo nimis damnoso. O Procille, odi memorem compotorem.

Post decem.] Quincunx est, poculum quinque cyathorum. Rem facere significat multum lucrari. Horat.

Isne tibi melius suadet, qui ut rem facias, rem
Si possis recte, si non, quocunque modo rem.

Odio autem habebat Procillum, qui memoria teneret verba quæ per jocum proferrent ebrii. Raderus copiosè describit mensutas antiquorum hoc loco, &c.

De Acerra potore. XXIX.

HESTERNO fœtere mero, qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem semper Acerra bibit.

Allucinatur qui existimat Acerram malè olere vino hesterno; Acerra potat semper ad diem usque.

In lucem.] ita ut vinum recens haustum semper redolcat. Hesterna crapula appellabatur, quam ne nox quidem concoquere potuerat.

Ad Fidentinum plagiarium. XXX.

FAMA refert nostros te, Fidentine, libellos,
Non aliter populo, quam recitare tuos.
Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam,
Si dici tua vis, hæc eme, ne mea sint.

Fidentine, rumor est, te populo recitare meos libros tanquam tuos. Gratuito ad te mittam versus, si vis ut existimentur mei: verùm si cupis ut habeantur tui, hos tibi compara, ne pertineant ad me.

Ne mea sint.] Lege epig. 20. lib. 2. *Nam quod emas possis dicere jure tuum.*

De Diaulo medico. XXXI.

CHIRURGUS fuerat, nunc est vespillo Diaulus.
Cœpit, quod poterat, clinicus esse modo.

Diaulus exercuerat chirurgiam, nunc verò est vespillo, clinicus esse incipit ea ratione qua valebat.

Clinicus.] Clinici medici erant dicti, ἀπὸ τῆς κλίνης, hoc est a lecto, quod ægrotos lecto jacentes viserent curarentque. Jocans Martialis ait ex chirurgo Diaulum esse factum clinicum; sed non potuisse aliter esse clinicum quam efferendo cadavera, ut indicet Diaulum factum esse vespillonem, qui efferret cadavera, & sic clinicus posset appellari: nam in κλίναις efferebantur mortui.

De Encolpo qui in gratiam sui domini suas comas voverat Phœbo. XXXII.

HOs tibi Phœbe vovet totos a vertice crines
Encolpus, domini centurionis amor.
Grata Pudens meriti tulerit cum præmia pili,
Quam primum longas, Phœbe, recide comas.
Dum nulla teneri sordent lanugine vultus,
Dumque decent fusæ lactea colla jubæ:
Utque tuis longum, dominusque, puerque fruatur
Muneribus, tonsum fac cito, sero virum.

O Apollo, Encolpus deliciæ centurionis sui heri tibi consecras omnes capillos capitis. Cum Pudens reportaverit jucundam mercedem pili debiti, statim, Phœbe, rescinde longos crines. Dum molles genæ nondum squalent barba recenti, & dum capilli sparsi ornant cervicem roseam: effice ut Encolpus *celeriter tondeatur: tarde* tamen *vir fiat, ut herus & servus diu potiantur suis donis.*

Præmia pili.] hoc est ubi primum Pudens meus dominus fuerit factus primipilus, seu primus primæ cohortis centurio: moris verò erat apud antiquos comas & primam barbam Phœbo consecrare.

Fac cito.] ut Pudens fiat primipilus.

Sero virum.] id est sero adultum.

Ad Sabidium quem non amabat. XXXIII.

NON amo te Sabidi, nec possum dicere quare,
Hoc tantum possum dicere, non amo te.

O Sabidi, non diligo te, nec valeo reddere rationem: hoc unum dicere valeo, Non diligo te.

Nec possum.] Vel quod tota Sabidii natura, vultus, mores, Martiali displicerent, vel forte aliquod summum esse in Sabidio flagitium intelligit, quod nominare non audeat. Alii *Savidium.*

De Gellia & fictis ejus lacrymis. XXXIV.

AMISSUM non flet, cum sola est Gellia, patrem:
Si quis adest, jussæ prosiliunt lacrymæ.

Cum Gellia est sola, non luget parentem mortuum: si quis adstat, imperatæ lacrymæ prorumpunt. O Gellia, quisquis

Non

Non dolet hic, quisquis laudari Gellia quærit:
Ille dolet verè, qui sine teste dolet.

captat plausum, hic non mæret: is verè luget, qui mæret sine teste.

Jussæ.] Fletum juxta ac risum semper paratum habet femina. Juven. sat. 6.

Uberibus semper lacrymis, semperque paratis
In statione sua, atque expectantibus illam
Quo jubeat manare modo.

Ad Lesbiam meretricem procacem. XXXV.

INcustoditis, & apertis Lesbia semper
Liminibus, peccas, nec tua furta tegis.
Et plus spectator, quam te delectat adulter:
Nec sunt grata tibi gaudia, si qua latent.
At meretrix abigit testem veloque seraque:
Raraque, si memini, fornice rima patet.
A Chione saltem, vel ab Helide disce pudorem:
Abscondunt spurcas hæc monumenta lupas.
Nunquid dura tibi nimium censura videtur?
Deprendi veto te Lesbia, non futui.

O Lesbia, peccas patentibus, nec custoditis foribus, nec abscondis tua stupra: spectator te afficit majori voluptate quam adulter, si qua delitescit oblectatio, non est jucunda tibi. At scorta expellunt testem opponendo velamina, & obices: vix ulla fissura patescit in lupanari, si recordor. Saltem accipe documentum verecundiæ a Chione, vel Helide: hæc monumenta tegunt turpia prostibula. An reprehensio asperior tibi videtur? Prohibeo ne deprehendaris, ô Lesbia, non....

Incustoditis.] hoc est sine janitore qui custodiat januam. Ovid. eleg. 13. lib. 3. Amorum:

Ignoto meretrix corpus junctura Quiriti
Opposita populum summovet ante sera.

Si memini.] Alii legunt *Summœni*, id est lupanarium in Summœnio; namque illic habitabant meretrices, unde dicebantur uxores Summœnianæ. Farnab.

A Chione.] Notissima nempe erant illius temporis scorta.

Abscondunt.] Has meretrices bustuarias mœchas appellat lib. 3. epig. 93. quæ scil. extra urbem ad monumenta mancipiis vilissimis prostituebantur.

Deprendi.] Hoc verbum solenne est de iis qui in aliquo crimine & re turpi inveniuntur.

Ad Cornelium hominem severum. XXXVI.

VErsus scribere me parum severos,
Nec quos perlegat in schola magister,
Corneli quereris: sed hi libelli,
Tanquam conjugibus suis mariti,
Non possunt sine mentula placere.
Quid si me jubeas Thalassionem
Verbis dicere non Thalassionis?
Quis floralia vestit, & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?
Lex hæc carminibus data est jocosis,
Ne possint, nisi pruriant, juvare.
Quare deposita severitate,

O Corneli, expostulas a me compini carmina parum gravia, nec quæ dictet præceptor in schola: at hi libri nequeunt probari sine aculeo, veluti mariti suis uxoribus. Quid si me cogas celebrare Thalassionem verbis non convenientibus Thalassioni? Quis induit ludos Florales, & concedit scortis verecundiam stolatam? Hoc jus concessum est versibus festivis, ut nequeant placere nisi titillent. Quapropter petimus ut austeritate abjecta veniam des ludis & facetiis:

Par-

Parcas lusibus, & jocis, rogamus:
Nec castrare velis meos libellos.
Gallo turpius est nihil Priapo.

nec exseces meos libros, nihil fedius est Priapo Gallo.

Perlegat] Cum enim versus quidam sint obscœni, non omnia epigrammata leguntur in schola. Alii *prælegat*.

Thalassionem.] Sic dictus est a Romanis Deus qui præest nuptiis; a Græcis Hymenæus nuncupatus, cujus laudes versu lascivo celebrari solebant. Itaque ineptus videretur, qui Thalassionem verbis honestis celebrari juberet, eodem modo ineptus est ille, qui vult epigrammata scribi verbis non lascivis: epigrammata enim amant verba lasciva, aperta, & dominantia.

Quis floralia.] Nudæ meretrices celebrabant floralia. Vide epig. 3. supra

Stolatum.] Pro stola pudica matronarum, qua uti vetabantur meretrices.

Gallo Priapo] hic est castrato Priapo: nam castrati sacerdotes Cybeles vocabantur Galli.

Ad Lucanum & Tullum fratres inter se conjunctissimos. XXXVII.

Si Lucane tibi, vel si tibi Tulle darentur,
Qualia Ledæi fata Lacones habent:
Nobilis hæc esset pietatis rixa duobus,
Quod pro fratre mori vellet uterque prior.
Diceret, infernas & qui prior isset ad umbras,
Vive tuo frater tempore, vive meo.

Si tibi Tulle, vel tibi, Lucane, sors ea concederetur, qua usui ut Ledæi fratres: ambobus hæc esset præclara contentio pietatis, quod uterque cuperet prior interire pro fratre. Qui primus descendisset ad tenebras tartareas, exclamaret, ô frater, age tuum ævum, age quoque meum.

Si Lucane] Vide epig. 20. lib. 3. Domitii Tulli mentionem facit Plinius Junior epist. 18. lib. 8. Vide epig. 52. lib. 9.

Ledæi Lacones.] Castor & Pollux filii Jovis & Ledæ quæ Lacæna fuit: Pollux autem fratri mortuo dimidiam vitam concessit, ut alternis diebus viverent. Hæc historia satis nota est. Vide epig. 06. lib. 9.

Vive tuo.] hoc est in tenebris semper manebo, ut tu luce semper fruaris.

Ad Bassam luxuriosam. XXXVIII.

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro
Bassa: bibis vitro. carius ergo cacas.

O Bassa demittis pondus uteri in miserum vas aureum, nec erubescis: potas vitreo poculo. Igitur majori pretio exoneras alvum.

Misero auro.] Quia stercori serviebat. Vide epig. 12. lib. 11.

Ad Fidentinum plagiarium. XXXIX.

Quem recitas, meus est ô Fidentine libellus:
Sed male cum recitas, incipit esse tuus.

Fidentine, meus est ille liber, quem recitas, at cum recitas male, incipit pertinere ad te.

Sed male.] Versus enim licet boni, si male pronuncientur, mali videbuntur: de Fidentino vilioris notæ poeta agit adhuc epig. 54. infra, & epig. 30. supra.

 Ad

Ad Decianum virum moris antiqui. XL.

SI quis erit, raros inter numerandus amicos,
Quales prisca fides, famaque novit anus:
Si quis Cecropiæ madidus, Latiæque Minervæ
Artibus, & vera simplicitate bonus,
Si quis erit recti custos, imitator honesti,
Et nihil arcano qui roget ore Deos:
Si quis erit magnæ subnixus robore mentis,
Dispeream, si non hic Decianus erit.

Si quis erit recensendus inter amicos raros, quales vidit antiqua fides, & fama vetus. Si quis imbutus artibus Minerva Atheniensis, & Latina, & probus candore vero: si quis observator æquitatis, & honestatis æmulator fuerit, & qui clanculum nihil petat a Diis: Si quis erit fultus viribus animi fortis, intercam, nisi hic erit Decianus.

Anus.] id est fama vetusta: nam τὸ *quales* ad præcedens nomen *amicos* optime referri potest. Catullus ita est locutus ad Mallium epig. 69.

Sed dicam vobis, vos porro dicite multis
Millibus, & facile hæc charta loquatur anus.

Vide epig. 4. lib. 12. *fama fuisse loquax, chartaque dicit anus.* Alii *famaque novit avos.* Id est priscos qui propter fidem & probitatem laudibus ornantur.

Si quis Cecropiæ.] id est græcis & latinis literis eruditus. Vide epig. 26. supra.

Ore arcano.] Nam qui clam Deos precabantur, improba vota facere censebantur. In quos Persius invebitur, sat. 2.

Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.

Ad Lividum. XLI.

QUI ducis vultus, & non legis ista libenter,
Omnibus invideas, Livide, nemo tibi.

O Invide, qui contrahis frontem, nec æquo animo legis ista, invidia labores in omnes, in te vero nullus.

Nemo tibi.] Ille enim omnium miserrimus est, cui nemo invidet.

In Cæcilium scurram procacem. XLII.

URBANUS tibi Cæcili videris,
Non es, crede mihi. quid ergo? verna es.
Hoc quod Transtyberinus ambulator,
Qui pallentia sulphurata, fractis
Permutat vitreis: quod otiosæ
Vendit qui madidum cicer coronæ:
Quod custos dominusque viperarum:
Quod viles pueri Salariorum:
Quod fumantia qui tomacla raucus
Circumfert tepidis cocus popinis:
Quod non optimus Urbicus poeta:
Quod de Gadibus improbus Magister:

O Cæcili, te ipsum judicas facetum, mihi fidem adhibe, non es, quid igitur? scurra es idem ac Transtyberinus ambulator, qui sulphura a pallida commutat vitreis vasibus ruptis: idem ac qui venundat humidum cicer conventui inerti: idem ac custos & dominus viperarum: idem ac servi abjecti Salariorum: idem ac raucus cocus qui circumportat tomacula fumantia popinis calidis: idem ac poëta Urbicus non egregius: idem ac herus nequam ex Gadibus, idem ac

Quod

Quod bucca est veruli loquax cinædi:
Quare desine jam tibi videri,
Quod soli tibi, Cæcili, videris:
Qui Galbam salibus tuis, & ipsum
Posses vincere Sextium Caballum.
Non cuicunque datum est habere nasum.
Ludit qui stolida procacitate,
Non est Sextius ille, sed Caballus.

garru'um os cinædi exoleti: quapropter, ô Cæcili, omitte de te judicare, quod judicas solus: tu qui poss.s tuis facetiis superare Galbam, & ipsum Sextium Caballum Non est concessum cuique habere nasum Qui jocatur stulta petulantia, is non est Sextius, sed Caballus.

Verna.] Servus nempe qui domi natus est ex ancilla, sumitur hic pro scurra impudenti & procaci: *hoc quod*, nempe hoc ea quod est ille, &c.

Ambulator.] Viliorea personæ trana Tyberim habitabant.

Sulphurata.] Gallicè *allumettes*, quæ vitreia fragmentia commutari solere docet etiam Juvenalis sat. 5.

Siccabis calicem nasorum quattuor, ac jam
Quassatum, & rupto poscentem sulphura vitro.

& epig. 3. lib. 10.

Quæ sulphurato nolit empta ramento
Vatiniorum proxenet:a fractorum.

Quod otiosa.] Plebeculam intellige in theatro vel circo otiose sedentem ad spectandum.

Madidum cicer.] hoc est crudum & aqua maceratum.

Quod custos.] id est circulator medicus, qui viperas brachiis & collo implicitas gestat: ejusmodi vero homines erant procaces, & dicteria scurrilia in quemvia jaciebant.

Salariorum.] Salarii dicuntur qui salsamenta vendunt.

Tomacula.] Nomen habent a frequenti incisione; nam *τέμνω* significat incido, ex porcorum abdomine, testiculis, & vulvia fiebant.

Non optimus Urbicus.] id est Exodiorum & Atellanarum scriptor: erant autem hæ Atellanæ fabulæ urbanissimis jocis refertæ, quo risus excitaretur, & ideo auctores earum dicebantur Urbici, quasi urbani. Poëta hoc loco non absolute dicit Cæcilium assimilari Urbico Puciæ, sed non optimo: ut hodieque videmus apud nostrates aliqua exodia comœdiarum urbanissima, & multi artificii; alia vero insulsa & ineptissims. Sic Ramiresius. Vide epig. 79. lib. 5. & 71. lib. 6.

Qui Galbam] Stolidus hic Cæcilius Galbam & Sextium Caballum scurras insulsoa a se superari posse existimabat. Ironicè notat Poëta Cæcilii stoliditatem, qui nec scurrilitatem ab urbanitate discerneret.

Habere nasum.] hoc est argute jocari: derisionis enim sedes est nasus, epig. 4. supra.

Sed Caballus.] Non est Sextius Caballus, quem tu, ô Cæcili, urbanissimum judicas; sed caballua quadrupes bellua.

De Porcia cujus fortitudinem laudat. XLIII.

CONJUGIS audisset fatum cum Porcia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor:
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?
Credideram, satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes avido bibit ore favillas.
I nunc, & ferrum turba molesta nega.

Cum Porcia accepisset mortem Bruti mariti, & cum mœror exquireret ferrum sib subductum: Nondum tenetis, inquit, non posse denegari interitum? Existimaveram vos satis didicisse hoc a parente meo. Locuta est, atque ore cupido hausit scintillas accensas: O turba otiosa ito nunc, & denega gladium.

Porcia.] filia Catonia Uticensis, uxor Bruti, qui pugnans contra Augustum occubuit in campia Philippicis in Thessalia: cujus morte audita Porcia vitam finut haustis carbonibus accensis.

Vos docuisse.] Cato enim sibi mortem conscivit: illiua historia nota est ex Appiano, & passim cuique obvia.

I nunc.] vox est insultantis.

In Mancinum avarum & ſordidum. XLIV.

BIs tibi triceni fuimus, Mancine, vocati,
Et poſitum eſt nobis nil here, præter aprum.
Non quæ de tardis ſervantur vitibus uvæ,
Dulcibus aut certant quæ melimela favis,
Non pyra, quæ lenta pendent religata geneſta,
Aut imitata breves punica mala roſas.
Ruſtica lactantes nec miſit fiſcina metas,
Nec de Picenis venit oliva cadis.
Nudus aper; ſed & hic minimus, qualiſque necari
A non armato pumilione poteſt.
Et nihil inde datum eſt, tantum ſpectavimus omnes.
Ponere aprum nobis ſic & arena ſolet.
Ponatur tibi nullus aper poſt talia facta:
Sed tu ponaris, cui Charidemus, apro.

O Mancine, nos ſexaginta invitaſti, & heri nihil appoſuiſti, excepto apro. Non appoſiti ſunt racemi qui cuſtodiuntur ex vitibus ſeris, aut melimela quæ contendunt cum favis ſuavibus. Nec pyra quæ ſuſpenduntur colligata e geneſta flexibili, vel mala punica exprimentia roſas breves. Nec caniſtrum agreſte miſit metam lacteam. Nec oliva allata eſt ex cadis Picenis. Aper nudus, & hic quidem *perexiguus* appoſitus eſt, *& qualis poteſt interfici ab inermi nano. Exinde nihil eſt donatum, cuncti ſolummodò aſpeximus, atque hoc modo arena conſuevit nobis exhibere aprum. Poſt ejuſmodi commiſſum nullus aper apponatur tibi; ſed tu apponaris apro cui Charidemus* objectus fuit.

Here.] Priſce pro heri.

De tardis vitibus.] Propterea quod uvæ in vitibus aſſervabantur fere uſque ad putationem vitium; epig. 58. lib. 3

Hic poſt novembres imminente jam bruma
Seras putator horridus refert uvas.

nam id erat proprium vitium putandarum tempus. Ramireſius.

Lenta.] Idem eſt hoc loco ac flexibilis.

Aut imitata breves] Non intelligas punica mala brevitate temporis imitari roſas, ſed figura potius & colore. Sic Ramireſius

Metas] Pro lacte coagulato accepta forma, ut puto, metarum; nam meta in ludis inſtar rotundæ columnæ ſurgebat, in quam ſpeciem lac coagulatum mitti videmus. Sic Domitius. Vide epig. 58. lib. 3.

Piceni] Populi ad mare Adriaticum, ubi optimæ creſcunt olivæ, hodie *la Marche d'Ancone.*

Nudus aper.] ſine aliis cibis.

Ponere aprum.] hoc eſt exhibere; ponere ſignificat etiam cibos apponere; unde luſus Poëtæ.

Sed tu ponaris.] hoc eſt, apponaris, aut potius objiciaris diſcerpendus ab eo apro, a quo dilaniatus fuit Charidemus quidam juſſu Domitiani, de quo Suetonius in Domitiano.

Ad Stellam de ludis leporum & leonum. XLV.

LAscivos leporum curſus, luſuſque leonum,
Quod major nobis charta, minorque gerit:
Et bis idem facimus; nimium ſi Stella videtur

Quod charta grandior & brevior nobis refert curſus feſtivos leporum, & jocos leonum: atque idem bis agimus: O Stella, ſi judicaveris hoc nimium, in bis

Hoc

Hoc tibi: bis leporem tu quoque pone mihi.

appone etiam mihi leporem.

Majorque.] Pro quacunque charta ponitur, vel ita interpretare majorem & minorem: hoc est, si multis versibus & paucis scripsi lusus leonum, & idem bis feci, potes hac repetitione lacessitus ulcisci bis apposito mihi lepore. Epig. 105. infra.

De Libro suo. XLVI.

EDITA ne brevibus pereat mihi charta libellis,
Dicatur potius τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.

Ne charta a me edita pessum eat propter brevitatem librorum, potius repetatur huic respondens.

Edita ne.] Potius quam chartarum jactura fiat propter pauca carmina, imitabor Homerum qui sæpius idem repetit, maxime vero τὸν δ' ἀπαμειβόμενος, quod Virgilius interpretatus est *quem contra.*

XLVII.

De Diaulo medico. XLVIII.

NUPER erat medicus, nunc est vespillo Diaulus:
Quod vespillo facit, fecerat & medicus.

Diaulus erat medicus paucis ante diebus, nunc vero est vespillo, quod agit vespillo, hoc quoque egerat medicus.

Quod vespillo.] hoc est, cum esset medicus nempe imperitus efferebat ægrotos, hoc est occidebat, ut nunc factus vespillo effert mortuos. Vide epig. 31. supra.

De leone & lepore. XLIX.

RICTIBUS his tauros non eripuere magistri,
Per quos præda fugax, itque, reditque lepus.
Quodque magis mirum, velocius exit ab hoste,
Nec nihil a tanta nobilitate refert.
Tutior in sola non est cum currit arena,
Nec caveæ tanta conditur ille fide.
Si vitare canum morsus, lepus improbe quæris:
Ad quæ confugias, ora leonis habes.

Domitores leonum non liberarunt tauros ex iis rictibus, per quos lepus præda fugitiva vadit, & revertitur. Et quod magis stupendum, celerius egreditur ab adversario, & reportat aliquid ex tanta magnanimitate. Non est securi r cum currit in arena deserta, nec tanta securitate occultatur in cavea. O lepus lascive, si vis declinare morsus canum: ora leonis tibi præsto sunt ad quæ perfugias.

Nec nihil.] hoc est aliquid, vires scil. atque animos accipit a leonis fortitudine. Alii legunt *cum nihil a tanta nobilitate refert*: nihil vulneris scil. accipit in tanto cursu & recursu, ingressu & egressu. Minus bene. Vide epig. 7. supra.

Sola arena.] in qua non sunt feræ.

Ad Licianum de Hispaniæ locis. L.

VIR Celtiberis non tacende gentibus,
Noſtræque laus Hiſpaniæ,
Videbis altam Liciane Bilbilim,
Equis, & armis nobilem,
Sterilemque Caunum nivibus, effractis ſacrum
Vadaveronem montibus:
Et delicati dulce Botrodi nemus,
Pomona quod felix amat.
Tepidum natabis lene Congedi vadum,
Molleſque nympharum lacus.
Quibus remiſſum corpus adſtringas brevi
Salone, qui ferrum gelat.
Præſtabit illic ipſa figendas prope
Voberta prendenti feras.
Æſtus ſerenos aureo franges Tago
Obſcurus umbris arborum.
Avidam rigens Dircenna placabit ſitim,
Et Nemea, quæ vincit nives.
At cum December canus, & bruma impotens
Aquilone rauco mugiet,
Aprica repetes Tarraconis littora,
Tuamque Laletaniam.
Ibi illigatas mollibus damas plagis
Mactabis, & vernas apros,
Leporemque forti callidum rumpes equo:
Cervos relinques villico.
Vicina in ipſum ſylva deſcendet focum
Infante cinctum ſordido.
Vocabitur venator, & veniet tibi
Conviva clamatus prope.
Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga,
Olidæque veſtes murice.
Procul horridus Liburnus, & querulus cliens:
Imperia viduarum procul.
Non rumpet altum pallidus ſomnum reus,
Sed mane totum dormies.
Mercetur alius grande, & inſanum ſophos:
Miſerere tu felicium,
Veroque fruere non ſuperbus gaudio,
Dum Sura laudatur tuus.
Non impudenter vita, quod reliquum eſt, petit:
Cum fama, quod ſatis eſt, habet.

O Liciane, vir celebrande Celtiberis populis, & decus noſtræ Hiſpaniæ, ſpectabis excelſam Bilbilim equis & armis claram, & Caunum infecundum nivibus, montibus præruptis Vadaveronem ſacrum, & amœnam ſylvam Botrodi mollis, quæ grata eſt Pomonæ beatæ. Leniter tranabis vadum tepens Congedi, & dulces lacus nympharum, quibus ſoluta membra comprimas parvo Salone, qui gelu conſtringit ferrum. Illic ipſa Voberta ſylva tibi venanti exhibebit feras fodiendas. Arborum umbraculis tectus retundes ardores ſerenæ dies ad ripas Tagi auriferi. Frigidus fons Dircenna ſedabit ſitim ardentem, & Nemea quæ frigore ſuperat nives. Sed cum December caneſcens, & hyems ſæviens ſtridebit fremente Borea, redibis ad oras Tarraconis expoſitas ſoli, & tuam in Laletaniam. Illic interficies damas impeditas retibus remiſſis, atque apros indigenas, & valido equo franges leporem verſutum: relinques cervos cuſtodi villæ. Lignum ex ſylva proxima adlabetur in ipſum caminum circundatum pueris incomptis: venationis ſocius invitabitur, & conviva vocatus e vicinia te adibit. Nuſquam lunata pellis aderit, & nuſquam toga, & veſtimenta muricis infectionem olentia. Terribilis Liburnus longe, & cliens queribundus: longe etiam juſſa viduarum. Reus pallens non franget profundum ſomnum, ſed dormitabis toto matutino tempore. Alius emat magnum & veſanum ſophos: teneat te miſericordia beatorum; nec arrogans utere lætitia ſolida, dum Sura amicus tuus celebratur Romæ. Vita ſibi poſtulat non turpiter quod ſupereſt, cum famæ aſſecuta eſt quod ſufficit.

Ad

Ad Licianum.] Alii *Licinianum.*

Vir Celtiberis.] Qui populi sunt Hispaniæ ad fluvium Iberum.

Bilbilis.] Hispaniæ Tarraconensis oppidum cujus situs hodie ignoratur: pagum esse nunc apud *Calatayud* affirmat Ferrarius.

Equis &c.] Legendum aquis inquit Ramiresius: tum quod Bilbilitanos equos in pretio fuisse non constat: tum quod Salonis aquæ quarum infra fit mentio, temperando ferro, quo arma fabricantur, nobilissimæ sunt & lib. 4. epig. 55.

Armorum salo temperator ambit.

Caunum.] Qui est mons Hispaniæ Tarraconensis in Celtiberis inter Iberum & Turiasonem urbem in Castellæ & Arragoniæ continiis: *Moncayo* qui etiam latine Catus mons dicitur. Sic Ferrarius in suo lexico geographico. Alii, *senemque Catum. Effractis.* Alii, *& fractis.*

Vadaveronem.] *Vadavicor*, mons Hispaniæ Tarraconensis in Celtiberis ab aliis montibus separatus; Hieronymus Paulus lib. 5. de fluminibus & montibus Hispaniæ: quidam, inquit, non temere montem Celtiberiæ esse existimant ab aliis effractum, & in insulam positum, quæ nunc *Vadavicorem* vocant. Alii legunt divisim *vada Veronem* seu vada Veronis illumque Celtiberiæ fluvium in Salonem influentem faciunt. Malim ego *Vadaveronem* legere.

Botrodi] Botrodus nemus Hispaniæ Tarracon. in Celtiberis: ubi olim oppidum fuisse, nunc vicum, apud Segobrigam urbem scribit Perottus ex Polyb. teste Ferrario.

Lene.] hoc est leniter... alii aliter: natabis lene, id est navigio: lenis enim, inquiunt, parvula navis est: Cujacius lib. 10. obser. cap. 15. sed hæc interpretatio non placet, improprie enim Poëta dixisset natare navi; nec enim natantibus opus est navi.

Congedi.] Hodie *Congedo.*

Remissum corpus.] Aquis enim Congedi, & lacubus Nympharum tepentibus corpus relaxatur, & pori aperiuntur.

Adstringas.] Etenim corpus meatus claudit aqua frigida.

Salone brevi.] Id est non profundo: fluvius est qui illabitur in Iberum, hodie *Xalon. brevi* adverbium est, inquit Sipontinus, hoc est statim: auctor ille hoc epigramma explicat, a quo pluribus in locis dissentimus.

Voberca.] Sive ut alii legunt Voberca. *Boberca*, & *Bubierca* teste Varrerio: Oppidum Hispaniæ Tarraconensis in finibus Celtiberorum, ac regni Arragonii, inter Bilbilim ad Boream 3. & Segontiam ad meridiem 13. leucis. Sic Ferrarius. Illic sane ejusdem nominis erat sylva in qua magna ferarum copia.

Prandenti.] Alii *prandenti*: hoc est prandio accumbens venari poteris & ex mensa feras jaculis contigere: magis mihi placet prior lectio, videat lector.

Æstus serenos.] hoc est calores æstivos fugies, vel mersus auriteris Tagi undis, vel delitesces in umbrosis sylvis quæ Tagi ripas inumbrant: Tagi vero fontes in montibus Celtiberiæ.

Dircenna.] Fons Hispaniæ gelidissimus, apud Bilbilim urbem, in Salonem fluvium labens: Tarraco vero nobile est oppidum hodie *Tarragona.*

Laletanam.] Laletani populi fuere Hispaniæ Tarrac. inter Indigetes ad ortum & Cosetanos ad occasum, ubi nunc magna pars Cataloniæ, inter Gerundam & Tarraconem, & versus oram maris Mediterranei.

Apros vernas.] hoc est illic natos: legunt alii *vernos*: male meo judicio, cum de hyeme loquatur Poëta.

Nusquam lunata pellis.] id est non aderunt nobiles Romani, quibus moris erat Lunæ formam in calceis gestare, ut significarent se ab Evandro genus suum repetere, qui ipse a Luna ortum se diceret.

Non toga.] Nec anteambulones toga induti, nec clientes.

Olidaque.] hoc est viri purpura induti: teter quippe odor proveniebat ex lotio quo temperabatur purpura.

Liburnus] Præco nempe publicus ex Liburnis hodie *Croatia*. Horridus dicitur quod horrorem incuteret iis quos citabat Juv. sat. 4. versu 75.

Primus clamante Liburno, &c.

Imperia viduarum.] Quæ mortuis maritis familiam administrant & quidem arrogan-ter, patronorumque opera sæpius utuntur.

Grande sophos.] σοφῶς sapienter: frequentissima erat acclamatio eorum qui recitantis scripta laudabant; *insanum sophos* vocat quod insanus poëta ab insana plebe expectabat.

Miserere tu felicium.] Id est divitum qui licet negotiis sint implicati, se tamen felices prædicant.

Veroque fruere.] Verum gaudium appellat Martialis vitam genialem a labore, atque ab omni curis immunem.

Non impudenter.] Jure merito otium partes sibi vindicat, cum fama suas implevit, atque ita laudat J num, qui famam adeptus sibi jam beat.

Jocta

Jocus ex Homero in cocum. LI.

SI tibi Mistyllus cocus, Æmiliane, vocatur;
Dicetur quare non Taratalla mihi?

Æmiliane, si appellas cocum Mistyllum, cur ego non vocabo illum Taratalla?

Si tibi Mistyllus.] Jocus est in Æmilianum qui Mistyllum vocaverat cocum, non alia forte de caussa quam quod apud Homerum legerat *μίστυλλον τ' ἄρα τ' ἄλλα.* id est secabant sane & alia; nec erat potior ratio cur primum carminis verbum usurpasset, quam sequentia quæ sunt *τ' ἄρα τ' ἄλλα.* Attamen Æmilianus videtur fuisse argutus homo, qui quoties vocabat cocum suum, *Mistylle*, utebatur voce imperante verbi *μιστύλλω*, hoc est, seco. quo facetus esset jocus, ut quoties vocaret cocum, imperaret etiam ut scinderet opsonia, similis est jocus apud Petronium. *Vides, inquit, illum qui opsonium carpit? carpus vocatur, itaque quotiescunque* Trimalcio *dicit carpe, eodem verbo & vocat & imperat.*

Ad Leporem nimis ambitiosum. LII.

NON facit ad sævos cervix, nisi prima, leones.
Quid fugis hos dentes ambitiose lepus?
Scilicet a magnis ad te descendere tauris,
Et, quæ non cernunt, frangere colla velint.
Desperanda tibi est ingentis gloria fati:
Non potes hoc tenuis præda sub hoste mori.

Feris leonibus non convenit nisi maximum caput. O lepus superbe quid vitas hos dentes? quasi vero dignentur se invadere relictis tauris proceris, & rumpere cervicem quam nequidem vident. Tibi ponenda est spes gloriosæ mortis: tu præda exigua nequis interire sub hoc adversario.

Non facit.] Non convenit leoni nisi caput taurorum, aprorum, &c. Vide epig. 23. supra.
Ambitiose.] Qui nempe mortem nimis gloriosam vereris.
Ingentis fati.] Hoc est mortis: vinci quippe a fortibus nonnulla laus est, Virg. 10. Æneid.

Hoc tamen infelix miseram solaberè mortem,
Æneæ magni dextra cadis, &c.

Quinctianum facit assertorem. LIII.

COMMENDO tibi, Quinctiane, nostros,
Nostros dicere si tamen libellos
Possim, quos recitat tuus Poëta.
Si de servitio gravi queruntur,
Assertor venias, satisque præstes,
Et, cum se dominum vocabit ille,
Dicas esse meos, manuque missos.
Hoc si terque, quaterque clamitaris,
Impones plagiario pudorem.

Quinctiane, fidei tuæ committo nostros, si tamen licet appellare nostros libros, quos recitat tuus Poeta; si dolent servitutem molestam vindex accedas, & fidejubeas, & asseveres meos esse, & donatos libertate; cum ille se nuncupabit dominum, si ter aut quater hoc exclamaveris, pudore afficies plagiarium.

Quos recitat.] Plagiarius poëta Fidentinus sane de quo epig. sequenti & 39. supra.

Assertor venias.] hoc est assere eos in libertatem: metaphora ducta ab iis qui in servitute injusta detinebantur, & a quocunque in libertatem vindicari poterant.

Nam ego illam liberali assero caussa manu.

Terent. Adelph. Act. 2. sc. 1.

Satisque præstes.] Hoc est, defendas, & tuearis; verbum Juris est, Gallice, *soyez ma caution.*

Et cum se dominum.] Hoc est auctorem: at vero jura formulam usurpat Poëta: possessores enim se dominos vocabant.

Manuque misses] Eandem allegoriam hominis liberi, qui injuste detinetur in servitute, persequitur hoc sensu, versus meos manumitte, id est, eaudi in lucem, nec plagiarius debet eos detinere tanquam suos.

Impones.] Acclamatione tua plagiarius Poëta pudore victus cedet. Vide tit. D. *ad legem Faviam de plagiariis.*

Ad Fidentinum Poëtam plagiarium. LIV.

UNA est in nostris tua, Fidentine, libellis
Pagina, sed certa domini signata figura,
Quæ tua traducit manifesto carmina furto:
Sic interpositus vitio contaminat uncto
Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus:
Sic Aretinæ violant crystallina testæ:
Sic niger, in ripis errat cum forte Caystri,
Inter Ledæos ridetur corvus olores:
Sic ubi multisona fervet sacer Atthide lucus,
Improba Cecropias offendit pica querelas.
Indice non opus est nostris, nec vindice libris.
Stat contra, dicitque tibi tua pagina, fur es.

Fidentine, una est tua pagina in libris nostris, sed notata signo sui domini, quæ arguit tuos versus aperta compilationis: sic bardocucullus Lingonicus interjectus fœdat vitio uncto urbana Tyrianthina: sic testæ Aretinæ polluunt crystallina: sic corvus ater ludibrio habetur inter cygnos Ledæos, cum forte vagatur in ripis Caystri: sic improba pica offendat querimonias Cecropias, ubi sacrum nemus resonat cantibus Philomelæ multisonâ. Libelli nostri non egent delatore, nec assertore: tua pagina stat contra, & tibi dicit, Fur es.

Sed certa.] Nam inepta illa pagina declarat quis ejus dominus & auctor sit.

Vitio contaminat uncto.] id est, oleum olente. Raderus legit *filo* crasso, nempe aut villo. Sensus est, ut bardocucullus inter Tyrianthina fœdet, ita tuum carmen in meo libello. *Bardocucullus* vero vestis erat Gallica crassioris fili qua plebei & viliores homines induebantur.

Lingonicus.] hoc est Gallicus; nam Lingones sunt Galliæ populi. Vide epig. 128. lib. 14.

Urbica Tyrianthina.] vestes erant violaceæ, quarum color e purpura & viola factus.

Sic Aretinæ.] Aretium urbs Hetruriæ, nunc *Arezo*, ubi fictilia vasa fiebant.

Caystri] Cayster fluvius Ioniæ ex Phrygia magna oriens, ac inter Ephesum & Colophonem in mare decurrens: illic magna olorum copia.

Ledæos olores.] Quoniam Jupiter sub forma cygni Ledam compressit.

Fervet Atthide.] quæ fuit filia Pandionis regis Atheniensium, in avem Philomelam commutata. Ovidius lib. 6. Metamorph.

Offendit.] suavissimos Philomelæ Atheniensis cantus. Alii *effundit*, alii *offundit.*

Indice.] hoc est accusatore: cum enim versus meis conjuncti indicant te furem. *Index* dicitur qui crimen aliquod indicat.

Stat contra.] Metaphora desumpta a subselliis judiciorum ubi patroni adversi sedebant, accusator contra defensorem; & quando dicebat accusator stabat: stare igitur contra est surrexisse accusatorem vel defensorem ad dicendum. Sic Ramiresius ex Ciceronis oratione pro Sexto Roscio Amer.

De

De Amicorum judicio. LVI.

SI quid Fusce vacas adhuc amari:
Nam sunt hinc tibi, sunt & hinc amici,
Unum si superest locum rogamus.
Nec me, quod tibi sum novus, recuses.
Omnes hoc veteres tui fuerunt.
Tu tantum inspice, qui novus paratur,
An possit fieri vetus sodalis.

Fusce, si quis adhuc apud te locus superest amicitiæ: nam hinc & inde habes amicos, petimus unum locum si reliquus est. Nec me rejicias quod sum recens apud te; omnes antiqui tui amici *extiterunt hoc* idem. *Tu solummodo considera, an socius qui recens comparatur, possit antiquus evadere.*

Si quid Fusce.] hoc est, si novo amico locus sit apud te: de Fusco vide epig. 76. lib. 6.

Omnes hoc.] quia scilicet novi fuerunt.

Ad Frontonem de voto vitæ suæ. LVI.

VOTA tui breviter si vis cognoscere Marci,
Clarum militiæ Fronto, togæque decus:
Hoc petit, esse sui, nec magni, ruris arator,
Sordidaque in parvis otia rebus amat.
Quisquam picta colit Spartani frigora saxi,
Et matutinum portat ineptus ave:
Cui licet exigui nemoris, rurisque beati
Ante focum plenas explicuisse plagas?
Et piscem tremula salientem ducere seta,
Flavaque de rubro promere mella cado?
Pinguis inæquales onerat cui villica mensas,
Et sua non emtus præparat ova cinis?
Non amet hanc vitam, quisquis me non amat. opto:
Vivat & urbanis albus in officiis.

O Fronto, insigne ornamentum belli & pacis, si cupis summatim discere vota tui Marci; hoc postulat, arare agrum suum nec amplum, & diligit quietem squalentem in rebus tenuibus. An *quisquam veneratur frigidum marmor Laconicum pictum, & ineptus fert salutationem matutinam: cui fas est expedire ante focum retia plena* feris *sylva parva, atque agri felicis? & pilo tremente trahere piscem exilientem, & mella flava extrahere ex amphora rubenti? cui villica obesa ministrat ad mensam imparem, & cinis non emtus apparat sua ova? Cupio* ut *hanc vitam non diligat, quisquis non diligit me: albus vitam agat in obsequiis urbis.*

Fronto.] Fuit hic Fronto, juxta Raderi conjecturam, cum Trajano postea Imperatore Consul, in cujus Consulatu periit Domitianus.

Quisquam picta.] Picta frigora per metalepsim pro frigora saxi picti: ironikōs dictum de adulatoribus, & matutinis salutatoribus, qui in atriis Laconico marmore ornatis manè ambulabant, expectantes intromitti salutatum, & deducere amicum magnum anteambulones. Sic Ramiresius.

Explicuisse.] Alii *extricuisse*.

Et piscem tremula.] & cui piscari licet virga ex qua tremente pendet seta. Vide epig. 30. lib. 10.

Inæquales.] Tenuioris fortunæ homines mensas inæqualibus quandoque pedibus fultas habebant. Ovidius lib. 8. Metamorph.

——— *mensæ sed erat pes tertius impar*
Testa parem fecit.

Non emtus.] id est ignis non emtus; nam ligna caro pretio emebantur Romæ.

Albus.] id est toga alba indutus inter anteambulonum & niveorum Quiritum officia, aut cretatus, & candidatus in comitiis. Sic Lipsius 1. Elect. cap. 13.

Ad Cauponem perfidum. LVII.

CONTINUIS vexata madet vindemia nimbis:
Non potes, ut cupias, vendere caupo merum.

Vindemia agitata perpetuis imbribus perfunditur: ô caupo, nequis venundare vinum purum, etiamsi velis.

Ut cupias.] Sensus, est: etiamsi cupias bonus & fidus esse, tamen nequis: sic argute cauponum perfidiam notat Poëta, qui etiam volentes probi esse non possint.

Ad Flaccum qualem velit puellam. LVIII.

QUALEM Flacce velim, quæris nolimve puellam?
Nolo nimis facilem, difficilemque nimis.
Illud quod medium est, atque inter utrumque probamus,
Nec volo, quod cruciat, nec volo, quod satiat.

Flacce rogas-ne, qualis puella mihi placeat, aut displiceat? nimium indulgens, & nimium fastidiosa mihi non arridet. Placet quod est medium, atque inter utrumque: nec amo quod torquet, nec amo quod saturat.

LIX.

Ad Flaccum de sportula. LX.

DAT Baiana mihi quadrantes sportula centum.
Inter delicias quid facit ista fames?
Redde Lupi nobis, tenebrosaque balnea Grylli:
Tam male cum cœnem, cur bene Flacce lavor?

Accipio centum quadrantis ex Baiana sportula: quid efficit ista esuries inter voluptates balnei? restitue nobis obscuras thermas Lupi & Grylli: ô Flacce, cum tam male epuler, cur lavor bene?

Dat Baiana.] Potentiores suis clientibus dabant sportulam, quæ erat calathus, quo primum opsonia, postea vero pecunia data est; unde sportula frequenter pro cibo, vel pecunia usurpatur. Noster autem Poëta forte Baias comitatus erat Flaccum, a quo cum perexiguam sportulam accepisset, conqueritur. *Baia.* Vulgo *Baia* oppidum Campaniæ ad sinum Baianum inter Puteolos & Cumas.

Quid facit.] Exiguam sportulam centum quadrantum famem appellat, quia non satiabat esurientem. Epig. 7. lib. 3.

Redde Lupi.] Cum male cœnet, male quoque lavari optat in balneis obscuris, qualia erant Lupi, & Grylli.

Tam male.] Nam male cœnato thermæ vel suavissimæ non placent.

De lepore & leone ludentibus. LXI.

INTRES ampla licet torvi lepus ora leonis,
Esse tamen vacuo se leo dente putat.

O Lepus, quamvis ingrediaris ora vasta leonis horribilis: nihilominus leo credit habere os

Quod

Quod ruet in tergum, vel quos procumbet in armos,
Alta juvencorum vulnera figet ubi?
Quid frustra nemorum dominum, regemque fatigas?
Nonnisi delecta pascitur ille fera.

vacuum. In quod tergum prorumpet, vel quos invadet humeros, ubi infliget plagas profundas taurorum? quid defatigas inutiliter dominum, & regem sylvarum? ille non nutritur nisi bellua selecta.

Alta juvencorum.] Qui nempe cum pingues & crassiores sint altis vulneribus locum præbent, secus vero lepores. Vide supra epig. 23. & 49.

Ad Licianum, scriptores unde. LXII.

VERONA docti syllabas amat vatis
Marone felix Mantua est:
Censetur Apona Livio suo tellus:
Stellaque, nec Flacco minus.
Apollodoro plaudit imbrifer Nilus,
Nasone Peligni sonant,
Duosque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.
Gaudent jocosæ Canio suo Gades,
Emerita Deciano meo.
Te Liciane gloriabitur nostra,
Nec me tacebit Bilbilis.

Verona diligit syllabas periti Poetæ: Mantua beata est Virgilio. Apona terra æstimatur Livii sui, Stella, nec minus Flacci gratia. Nilus imbrifer favet Apollodoro, Peligni resonant Nasone, Corduba eloquens prædicat duos Senecas, & unum Lucanum. Festivæ Gades lætantur Canio suo, Emerita Deciano meo. Liciane, nostra Bilbilis se jactabit propter te, nec silebit me.

Docti vatis.] Catulli nempe Veronensis: quos hic enumerat auctores satis per se noti sunt. De Stella dictum epig. 8 supra.

Syllabas.] hoc est numeros & versus.

Apona.] Aponus *Abano* vicus cum fonte & balneis in agro Patavino, ubi T. Livius ortus dicitur a Patavio 5. mill. pass.

Imbrifer Nilus.] Qui inundatione sua, vice imbrium (qui in Ægypto rari) fungitur in terra irriganda.

Peligni.] Populi Italiæ ubi erat Sulmo patria Ovidii a quo commendatur, regio nunc *Valva*. Ovid. lib. 4. de Ponto elegia 14.

Gens mea Peligni, regioque domestica Sulmo.

Jocosa Gades.] Hispaniæ populi ad fretum Gaditanum choreis & saltationibus mire dediti. Vide epig. 42. supra. Vulgo *Cadix*.

Emerita.] Urbs Lusitaniæ hodie *Merida*: Corduba nunc *Cordoua* urbs Hispaniæ Bœticæ.

Bilbilis.] Urbs in Celtiberia, Martialis patria de qua epig. 50. supra ad Licianum.

De Lævina casta, & ad Baias adultera. LXIII.

CASTA, nec antiquis cedens Lævina Sabinis,
Et quamvis tetrico tristior ipsa viro.
Dum modo Lucrino, modo se permittit Averno,
Et dum Baianis sæpe fovetur aquis:

Lævina pudica, nec primas dans priscis Sabinis, & ipsa mæstior marito licet severo, dum se credit nunc Lucrino, nunc Averno: & dum sæpius calefit aquis Baianis;

Inci-

Incidit in flammas, juvenemque secuta, relicto
Conjuge, Penelope venit, abit Helene.

correpta est amore, & comitata est adolescentem deserto marito accessit Penelope, recessit Helene.

Sabinis.] Quarum mores sancti & incorrupti erant. Juv. sat. 6. vers. 163.
Intactior omni
Crinibus effusis bellum dirimente Sabina.
Lucrinus.] Lacus est ad Baias hodie *Lago Licola.*] Alii melius interpretantur *Mar morto.*

Penelope venit.] id est casta: abit Helene, hoc est adultera: harum historia satis nota est. *Abit* ultima syllaba producitur propter contractionem pro *abiit*. *Helene*, alii *Thymele*. Baiis porro multa luxuriæ exempla.

Ad Celerem recitatorem importunum. LXIV.

UT recitem tibi nostra rogas epigrammata, nolo.
Non audire, Celer, sed recitare cupis.

Oras ut tibi legam nostra epigrammata, non places. O Celer, non vis esse auditor, sed recitator.

Non audire.] Mea scil. carmina: *sed recitare* tua nempe. Vide epig. 74. lib. 5. & epig. 2. lib. 7.

Ad Fabullam ambitiosam. LXV.

BELLA es, novimus: & puella, verum est:
Et dives, quis enim potest negare?
Sed dum te nimium, Fabulla, laudas,
Nec dives, neque bella, nec puella es.

Pulchra es, scimus: & puella, certum est: & opulenta: nam quis potest inficiari? sed, ô Fabulla, cum te effers nimiis laudibus, nec opulenta, nec pulchra, nec juvenis es.

Sed dum te.] Modestia enim & verecundia commendantur puellæ. Plinius Junior lib. 1. epist. 8. *Etenim si aliena quoque laudes parum æquis auribus recipi solent, quam difficile est obtinere, ne molesta videatur oratio de se, aut de suis differentes.*

Ad Cæcilianum de genere & declinatione ficus. LXVI.

CUM dixi, ficus, rides quasi barbara verba,
Et dici ficos, Cæciliane, jubes.
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci:
Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

Cum protuli, ficus, risisti perinde ac barbaram vocem, & vis, Cæciliane, dici ficos. Proferemus ficus, quas novimus produci in arbore: at vero, Cæciliane, dicemus ficos tuos.

Cum dixi ficus.] Ramiresius & Farnabius lemma esse emendandum contendunt, nec generis, sed tantum declinationis mentionem fieri hoc loco, ita ut *ficus* fœminini generis secundæ & quartæ declinationis significet arborem & fructum ejusdem arboris. Sed *ficus* secundæ declinationis, inquit Ramiresius, significans morbum ignoratur cujus sit generis; *Tuos* enim non refert ad *ficus* ut legit, vel *ficos* ut legunt alii, sed intelligit familiam in qua omnes ficosi essent. Eadem turpitudine notavit aliam familiam lib. 7. epig. 70. & ficum appellari ficosum hominem probat epig. 52. lib. 4. Alii *ficos tuos* explicant morbum sic dictum a similitudine ficus, & ficos

& ficos in illa significatione esse tantum secundæ declinationis, & masculini generis. Videat lector. Vide & epig. 33. lib. 4.

Ad furem de libro suo. LXVII.

ERRAS, meorum fur avare librorum,
Fieri Poëtam posse qui putas tanti,
Scriptura quanti constat, & tomus vilis.
Non sex paratur, aut decem sophos nummis.
Secreta quære carmina, & rudes curas,
Quas novit unus, scrinioque signatas
Custodit ipse virginis pater chartæ,
Quæ trita duro non inhorruit mento.
Mutare dominum non potest liber notus.
Sed pumicata fronte, si quis est nondum,
Nec umbilicis cultus, atque membrana:
Mercare tales ab eo, nec sciet quisquam.
Aliena quisquis recitat, & quærit famam;
Non emere librum, sed silentium debet.

Allucinaris fur avare meorum libellorum, qui credis vatem evadere posse eo pretio quo comparatur scriptura, & tomus vilis. Sophos non acquiritur sex aut decem nummis. Require versus latentes, & studia non edita, quæ novit, & sigillata in arca servat solus parens virginis chartæ, quæ attrita non exhorruit mento aspero. Libellus cognitus nequit commutare herum. Sed si quis est nondum fronte polita pumice, nec ornatus umbilicis, & membrana: eme ab ipso ejusmodi librum, *nec ullus resciet. Quisquis pronunciat aliena, & aucupatur existimationem, non debet mercari libellum, sed reticentiam auctoris.*

Fur avare.] Non vocat avarum ob furtum librorum, sed ideo avarum vocat quia Poëta haberi volebat vilissimo pretio.

Tomus.] a verbo τέμνω scindo: id est pars, vel frustum, quæ quidem pars si involveretur in spiram, volumen vocari poterat.

Sophos.] Acclamatio erat eorum qui recitantibus applauderent. Vide epig. 4. supra.

Et rudes curas.] hoc est carmina quæ nondum in lucem edita sunt.

Virginis pater chartæ.] virginem chartam vocat, quæ nondum viri alicujus manu attrita fuerat. *Pater*, id est carminum auctor. Vel virginem chartam intellige, ex qua nullum exemplar transcriptum sit.

Mento duro.] Dicit Poëta chartam multorum lectorum manibus attrectatam horridam fieri mento, hoc est fieri pilosam, & barbatam dum usu atteritur, & basia captat epig. 4. supra, & epig. 93. lib. 10.

Fronte pumicata.] Frontes libri eæ sunt extremitates membranæ in spiram complicatæ, quæ pumice poliebantur, cum in lucem libri ederentur.

Nec umbilicis cultus.] id est bacillis cedrinis vel buxeis super quos membranæ involverentur: quibus in volumen complicatis, in medio utrinque apparebat lignum, & ideo dicebatur similitudine quadam umbilicus: & cum is non assueretur membranis, nisi opere jam absoluto, hinc natum proverbium ad umbilicum perducere, id est absolvere librum. Umbilicis autem affigi solebant capitula cornea, ossea, vel eburnea, ornatus caussa, quæ plerumque coloribus pingebantur, & vocabantur cornua. Ita Ramiresius.

Ad Chœrilum nullius pretii hominem. LXVIII.

LIBER homo es nimium dicis mihi, Chœrile, semper.
In te qui dicit, Chœrile, liber homo est.

O Chœrile, mihi dicis assiduè, Nimis es dicax. O Chœrile, qui verba facit in te, homo est otiosus.

Liber homo es nimium.] id est nimium liberi animi, qui nemini parcis.

Liber homo est.] hoc est sine negotiis, quia indignus es reprehensione, & omnino contemnendus. Vel sic intellige, Qui in te dicit, homo est liber, id est ingenuus cujus est libere dicere quæ sentiat. Jocus est in verbo *liber*.

De Rufo & Nævia quam misere amabat Rufus. LXIX.

QUIDQUID agit Rufus, nihil est, nisi Nævia Rufo,
Si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.
Cœnat, propinat, poscit, negat, innuit, una est
Nævia. si non sit Nævia, mutus erit.
Scriberet hesterna patri cum luce salutem,
Nævia lux, inquit, Nævia numen, ave.
Hæc legit, & ridet demisso Nævia vultu.
Nævia non una est, quid vir inepte furis?

Quicquid facit Rufus, cogitat solam Næviam si lætatur, si lacrymatur, si silet, commemorat illam. Epulatur, propinat, petit, recusat, assentitur, prædicat unam Næviam: si Nævia absit elinguis erit. Cum die hesterno nunciaret salutem genitori, Salve, Nævia, ait, lux mea, Nævia numen meum. Nævia legit hæc, & risum edit depressis oculis. Nævia non una est; quid insanis, marite ridicule?

Si tacet.] Insanum quippe suum erga Næviam amorem gestu significabat.

Nævia non una est.] Ludit in ambiguitate verbi *una*: supra enim dixerat *una est Nævia*, id est de Nævia sola loquitur Rufus: deinde ait, *non una est*, quia duplex est, id est uxor duorum: habebat enim adulterum cujus & uxor dicebatur: nam adulterium unius matrimonium vocabatur, ut ait Seneca 3. de Beneficiis cap. 16. *Infrunita & antiquata est quæ nesciat matrimonium vocari unius adulterium.* Vide epig. 9. lib. 6.

Ad Maximum de Canio Poëta ridiculo. LXX.

COEPIT, Maxime, Pana, quæ solebat,
Nunc ostendere Canium, Terentos.

O Maxime, Terentos cœpit nunc monstrare Canium, qua consueverat monstrare Pana.

Nunc ostendere Canium.] Pan & Satyri risu perpetuo lasciviunt: cum ergo ridentem Canium Poëtam deridere velit, ait, non ostendi amplius statuam Panos in Terento (locus scilicet erat in Campo Martio) ridentis habitu illic formatam; sed Canium qui æque videret ac Pan. Lib. 3. epig. 20.

Ad Librum, quem Proculo viro humanissimo mittit. LXXI.

VADE salutatum; pro me liber ire juberis
Ad Proculi nitidos officiose Lares.
Quæris iter? dicam: vicinum Castora canæ
Transibis Vestæ, virgineamque domum.
Inde sacro veneranda petes palatia clivo,
Plurima qua summi fulget imago ducis.
Nec te detineat miri radiata Colossi,
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.
Flecte vias hac, qua madidi sunt tecta Lyæi,

Ito salutatum; ô libelle obsequiose, mandaris adire meo loco splendidam domum Proculi. Rogas ne viam? transgredieris templum Castoris propinquum antiquæ Vestæ, atque ædes Virginum Vestalium. Illinc adibis regiam venerabilem in colle sacro, ubi multæ effigies supremi Imperatoris resplendent. Nec te moretur siderea moles admirandi colossi, qua lætatur superare opus Rhodium. Flecte iter qua sunt

Et Cybeles picto ſtat Corybante tholus.
Protinus a læva clari ſub fronte Penates,
Atriaque excelſæ ſunt adeunda domus.
Hanc pete, ne metuas faſtus, limenque ſuperbum:
Nulla magis toto janua poſte patet.
Nec propior quam Phœbus amat, doctæque ſorores,
Si dicet, quare non tamen ipſe venit?
Sic licet excuſes, quia qualiacumque leguntur
Iſta, ſalutator ſcribere non potuit.

ædes uvidi Bacchi, & qua erectus eſt tholus Cybeles depicto Corybante. Subito ædes ſplendida ſunt adeunda ad frontem ſiniſtram, atque aula domicilii alti. Hoc adi, ne metuas ſuperbiam atque acceſſum difficilem, nulla janua magis panditur, nec ulla quam diligat Phœbus propitior, & perita ſorores. Si dicet, cur tamen ipſe non venit? ſic potes me excuſare, quoniam ſalutator nequivit componere iſta qualiacumque evolvuntur.

Lares.] Dii ſunt domeſtici qui in ædibus privatim colebantur, ſumpti pro domo ipſa.

Cana Veſta.] Veſta Saturni filia ex Ope, quæ caſtitatis Dea habita Veſtalibus nomen dedit.

Summi Ducis.] Domitiani.

Nec te detineat.] Vide epig. 2. lib. Spect.

Opus Rhodium.] Coloſſum intellige inter ſeptem orbis miracula recenſitum. Epig. 2. lib. Spect.

Tholus.] Teſtudo Templi ubi eſt quaſi ſcutum breve in medio Templi tecto quo trabes connectuntur, & dona ſuſpenduntur, ſupra quem Corybas veſtibus pictis ornatus ſtabat. Radarus. Corybantes verò miniſtri Cybeles in Ida monte Phrygiæ ſaltando & cantando illius Deæ ſacra faciebant: iidem feruntur fuiſſe cuſtodes Jovis adhuc infantis.

Penates.] Dii domeſtici ſumpti pro domo ipſa.

Hanc.] Alii *hâc*.

Nec propior.] hoc eſt nulla domus noſtræ vicinior eſt quæ ametur ab Apolline & Muſis. Vel, ut interpretatus ſum, nullis ædibus propitior eſt Apollo.

Quia qualiacumque.] quia non fuiſſet illi otium ſcribendi hæc qualiacumque ſint epigrammata, ſi ſalutandi officiis vacaſſet.

Ad ſomnum nulla veniente amica. LXXII.

NÆVIA ſex cyathis, ſeptem Juſtina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuſo numeretur amica Falerno;
Et quia nulla venit, tu mihi ſomne veni.

Nævia bibatur ſex cyathis. Juſtina ſeptem, Lycas quinque, Lyde quatuor, Ida tribus. Omnis amaſia recenſeatur a vino infuſo: & quoniam nulla accedit, tu, ſomne, accede ad me.

Nævia ſex.] Veteres ſolebant tot haurire cyathos, quot literas includebant amicarum nomina: Nævia ſex habebat literas propter diphthongum *æ* quæ duabus æquivalet: ſex ergo cyathos hauriendos eſſe dicit Poëta in honorem Næviæ. Vide epig. 51. lib. 8. 95. lib. 9. 37. lib. 11.

Omnis ab.] Sic enim amicæ nomen conjectandum relinquebant, ubi haurirent tot cyathos, quot eſſent literæ in illius nomine.

Tu mihi ſomne.] Alluſit ad veterem morem quo ad ſomnum conciliandum poſcebatur ultimum poculum, Mercurio tanquam ſomni præſidi conſecratum: pocula autem apud Græcos ſacra erant tria: primum Διὸς Σωτῆρος, Jovis Servatoris; ſecundum ἀγαθῦ δαίμονος, boni dæmonis; tertium Ἑρμῦ, Mercurii, quod ultimum hauriebatur in ejus honorem.

Ad

Ad Fidentinum Poëtam plagiarium. LXXIII.

NOSTRIS versibus esse te Poëtam,
Fidentine putas, cupisque credi?
Sic dentata sibi videtur Ægle,
Emtis ossibus, Indicoque cornu:
Sic, quæ nigrior est cadente moro,
Cerussata sibi placet Lycoris.
Hac & tu ratione, qua Poëta es,
Calvus cum fueris, eris comatus.

O Fidentine, an credis, & vis haberi Poeta nostris carminibus? Sic Ægle putat se esse dentatam, ossibus comparatis, & cornu Indico: sic Lycoris quæ magis est atra moro cadente fucata sibi jucunda est. Cum fueris calvus, eris crinitus hac ratione, qua nunc es Poëta.

Indicoque cornu.] hoc est ebore, quo significat dentes eboreos.
Cerussata.] Cerussa genus est pigmenti quo illinitur vultus ad candorem conciliandum. Plin. lib. 35. cap. 6.
Sibi placet.] Sibi candida videtur: morum vero maturum & cadens maxime nigrum.
Eris comatus.] Emtis nempe aut surreptis capillis. Vide epig. 54. supra de Fidentino.

Ad Cæcilianum maritum ingeniosum. LXXIV.

NULLUS in urbe fuit tota, qui tangere vellet
Uxorem gratis, Cæciliane, tuam,
Dum licuit: sed nunc positis custodibus ingens
Turba fututorum est, ingeniosus homo es.

O Cæciliane, nullus extitit in omni civitate, qui vellet tangere conjugem tuam gratis, dum permissum fuit: at nunc custodibus datis, magna turba est mœchorum, homo es solers.

Qui tangere.] Vult Poëta Cæciliani uxorem deformem a nemine tactam etsi gratis, hoc est sine pretio licebat, sive etsi ultro dabat, vel nisi ipsa pecuniam suppeditabat: posita vero custodia mœchos venisse pretium afferentes: itaque sagacem & solertem esse Cæcilianum dicit: Jocus sane lepidus.

Ad Paullam adulteram. LXXV.

MOECHUS erat: poteras tamen hoc tu, Paulla, negare:
Ecce vir est. numquid, Paulla, negare potes?

Adulter erat: nihilominus, Paulla, poteras id inficiari; ecce maritus est: num id inficiari vales, ô Paulla?

Mœchus erat.] is cui nupsisti.
Numquid potes.] Fassa nempe fuisti adulterium cum nupseris illi qui vivo marito mœchus tuus credebatur. Vide epig. 22. lib. 6.

De Lino non solvente debita. LXXVI.

DIMIDIUM donare Lino, quam credere totum,
Qui mavult: mavult perdere dimidium.

Qui mavult Lino donare dimidium, quam mutuo dare totum, mavult amittere dimidium.

Mavult perdere dimidium.] cum enim mutuum non redderet Linus, qui totum credidisset, totum perdidisset: at vero qui dimidium donat, perdidit tantum alterum dimidium quod credidit.

Ad Flaccum
ut versus facere desinat, forum vero adeat. LXXVII.

O MIHI curarum precium non vile meārum,
Flacce Antenorei spes, & alumne Laris.
Pierios differ cantusque chorosque sororum:
Æs dabit ex istis nulla puella tibi.
Quid petis a Phœbo? nummos habet arca Minervæ:
Hæc sapit, hæc omnes fœnerat una deos.
Quid possent ederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat varias pondere nigra comas.
Præter aquas Helicon, & serta, lyrasque deorum
Nil habet, & magnum semper inane sophos.
Quid tibi cum Cirrha? quid cum Permessidos unda?
Romanum propius, divitiusque forum est.
Illic æra sonant: at circum pulpita nostra,
Et steriles cathedras, basia sola crepant.

O Flacce digna merces mea sollicitudinis, spes, atque alumne Antenorei Laris. Proroga concentus Pierios, & chorus Musarum; nulla puella ex istis tibi donabit pecuniam. Quid postulas ab Apolline? nummi sunt in capsa Minervæ: hæc sapit, hæc sola mutuum dat omnibus diis. Quid donare valerent edera Bacchi? atra arbor Palladis gravitate incurvat ramos varios. Nihil est in Helicone, nisi aqua, & corona, & cythara deorum, & magnum sophos semper infructuosum. Quid tibi negotii cum Cirrha? quid cum aqua Permessidos? forum Romanum vicinius est, & opulentius. Illic pecunia sonat: sed oscula sola strepunt circa pulpita nostra, & steriles cathedras.

Precium non vile.] Hoc est, ô Flacce tu dignus es qui me interponam in tuam rem, hancque curam conferam ad tuam utilitatem, ut te moneam Musas esse relinquendas, forum vero adeundum: hic est Flaccus qui scripsit Argonautica.

Laris Antenorei.] Id est, Patavii quod condidit Antenor. Lares sunt dii domestici qui sæpius pro ædibus sumuntur, hic vero pro urbe.

Nulla puella.] Nulla Musa.

Quid petis a Phœbo.] Paupere nempe.

Arca Minervæ.] Hoc est Minerva dives est, & habet opes quas largiatur caussidicis suis cultoribus. Ab ea autem pendent cæteri dii,

ἅπαντα τῷ πλουτεῖν γὰρ ἔσθ' ὑπήκοα.

Pecuniæ obediunt omnia, Aristoph. in Plut. Act. 1. Sc. 2.

Palladis arbor.] Oliva cujus rami fructuum pondere incurvantur.

Varias comas.] Frondes varii coloris, baccis graves, hoc est Minerva locupletet caussidicus.

Helicon.] Bœotiæ mons Phocidi vicinus non procul a Parnasso, qui & ipse Apollini sacer est & Musis.

Sophos.] Acclamatio erat qua recitantes Poëtæ excipiebantur, sed nihil emolumenti accipiebant. Vide Epig. 4. supra.

Permessidos unda.] Permessis fluvius ex Helicone dilabitur.

Illic æra sonant.] In foro nempe ubi pecuniam accipiunt caussidici.

Basia.] Quos enim recitantes probaverant, osculabantur antiqui. Vide Epig. 4. supra, *dum basia captas, &c.*

Steriles cathedras.] Nullum emolumentum afferentes. Juv. Sat. 7.

Pœnituit multos vanæ sterilisque cathedræ.

De

De Charino homine molli. LXXVIII.

PULCHRE valet Charinus, & tamen pallet.
Parce bibit Charinus, & tamen pallet.
Bene concoquit Charinus, & tamen pallet.
Sole utitur Charinus, & tamen pallet.
Tingit cutem Charinus, & tamen pallet.
Cunnum Charinus lingit, & tamen pallet.

Bene se habet Charinus, & nihilominus pallet, Charinus potat temperate, & nihilominus pallet. Charinus digerit recte, & nihilominus pallet. Charinus apricatur, & tamen pallet. Charinus colorat cutem, & tamen pallet....

Sole utitur.] Ut cutem coloret. Omnibus his adhibitis semper pallebat Charinus, sic illum turpi vitio laborare notat Poëta.

De Festo moribundo. LXXIX.

INDIGNAS premeret pestis cum tabida fauces,
Inque ipsos vultus serperet atra lues:
Siccis ipse genis flentes hortatus amicos,
Decrevit Stygios Festus adire lacus.
Nec tamen obscuro pia polluit ora veneno,
Aut torsit lenta tristia fata fame.
Sanctam Romana vitam sed morte peregit,
Dimisitque animam nobiliore rogo.
Hanc mortem fatis magni præferre Catonis
Fama potest: hujus Cæsar amicus erat.

Cum pestilentia contagiosa urgeret guttur immeritum, & nigra contagio irreperet in faciem ipsam: ipse Festus siccis genis excitans amicos lacrymantes statuit petere paludem Stygiam. Nihilominus non fœdavit os sanctum turpi toxico, aut cruciavit mortem diram esurie lenta. Sed morte Romana finivit vitam inviolatam, atque egit spiritum busto illustriore. Fama potest anteponere hunc interitum morti magni Catonis; huic carus erat Cæsar.

Siccis ipse.] Id est, Non flens.
Sed morte Romana.] Nempe pectus transfodit exemplo Lucretiæ, Catonis & multorum aliorum Romanorum.
Nobiliore rogo.] Rogum sumit pro morte ipsa. Legunt alii *nobiliore via.*
Hujus Cæsar.] Se enim interemit Cato metu aut odio Cæsaris, at vero Domitianus hujus Festi amicus fuit.

Ad Attalum ardelionem. LXXX.

SEMPER agis caussas, & res agis Attale semper.
Est, non est, quod agas, Attale, semper agis.
Si res, & caussæ desunt, agis Attale mulas.
Attale, ne quod agas, desit, agas animam.

Attale dicis caussas, atque assidue tractas negotia. Attale continuo agis, sive sit, aut non sit quod agas. Si negotia, & lites deficiunt, Attale, ducis mulas; Attale ne deficiat, quod geras, emittas spiritum.

Agas animam.] Id est, pereas. Lusus epigrammatis est in varia significatione verbi *ago.*

Ad Canum helluonem. LXXXI.

SPORTULA, Cane, tibi suprema nocte petita est.
Occidit, puto, te Cane, quod una fuit.

O Cane, poposcisti sportulam ultima nocte. O Cane, interfecit te, ut arbitror, quod unica extitit.

Quod una fuit.] Quæ nempe huic helluoni non sufficeret, unde contracto dolore periit.

Ad Sosibianum vilem hominem. LXXXII.

E Servo scis te genitum, blandeque fateris,
Cum dicis dominum, Sosibiane, patrem.

O Sosibiane, non ignoras te natum ex mancipio, & comiter confiteris, cum parentem tuum appellas dominum.

E servo.] Quod nempe mater adultera ex servo suscepisset Sosibianum: vel forte melius legendum *e serva*: cum enim partus ventrem sequatur, ex serva & patrefamilias natus Sosibianus servus est, & patrem habet eundem & dominum. Vide Epig. 85. infra.

De Regulo fere obruto ruina veteris porticus. LXXXIII.

HÆc quæ pulvere dissipata multo
Longas porticus explicat ruinas,
En quanto jacet absoluta casu.
Tectis nam modo Regulus sub illis
Gestatus fuerat, recesseratque:
Victa est pondere cum suo repente,
Et postquam domino nihil timebat,
Securo ruit incruenta damno.
Tantæ, Regule, post metum querelæ,
Quis curam neget esse te deorum,
Propter quem fuit innocens ruina?

Hæc porticus quæ dissoluta exponit longa excidia in multo pulvere, en quanto casu liberata procumbit: paulo enim ante Regulus vectus fuerat sub illis tectis, & discesserat: cum subito desedit sua mole, & postquam nihil metuebat hero, incruenta concidit ruina tuta. O Regule, post imorem tantæ querimoniæ, quis inficietur deos habere curam tui, cujus gratia ruina fuit innoxia?

En quanto.] Vide epig. 13. supra.
Post metum.] Epig. citato,

Nimirum tenuit nostras fortuna querelas.

De Manneia fœtida. LXXXIV.

OS, & labra tibi lingit Manneia catellus:
Non miror, merdas si libet esse cani.

Catellus tibi lambit os & labra, non mirum est, si canis amat comedere stercus.

Os & labra.] Ora, & labia Manneiæ fœtida fuisse notat, canes quippe lambendis immundiciis delectantur; quæ tetro odore non superant fœditatem sui oris. Juven. sat. 10.

————— *Bona tota feruntur*
Ad Phialen, tantum artificis valet halitus oris.

De

De Quirinali cœlibe. LXXXV.

UXOREM habendam non putat Quirinalis,
Cum vult habere filios, & invenit.
Quo poſſit iſtud more? futuit ancillas,
Dominumque, & agros implet equitibus vernis:
Pater familiæ verus eſt Quirinalis.

Quirinalis non exiſtimat conjugem eſſe ducendam, cum cupit ſuſcipere natos, & reperit. Qua ratione id queat? rem habet cum ancillis, implet agros & domicilium equitibus vernis: Quirinalis verus eſt paterfamilias.

More? Legunt alii ſine interrogatione, unde alius ſenſus efficitur.

Implet vernis.] Verna ſervus eſt domi natus, *equitibus* autem dixit quia Quirinalis eques erat.

Pater.] Sic enim blando nomine dominum ſervi appellabant patrem familias, ſed hîc verum dicit Poëta patrem familiæ Quirinalem, quod ejus familia ab ipſo eſſet genita.

De Mario & faceto præcone. LXXXVI.

VENDERET excultos colles cum præco facetus,
Atque ſuburbani jugera pulchra ſoli:
Errat, ait, ſi quis Mario putat eſſe neceſſe
Vendere: nil debet, fœnerat imo magis.
Quæ ratio eſt igitur? ſervos ubi perdidit omnes,
Et pecus, & fructus, non amat inde locum.
Quis faceret pretium, niſi qui ſua perdere vellet
Omnia? ſic Mario noxius hæret ager.

Cum præco argutus vellet vendere colles excultos, & pulchra jugera fundi ſuburbani: ſi quis, inquit, arbitratur opus eſſe Mario alienare, allucinatur: nihil debet, imo magis dat mutuum. Quæ cauſſa eſt ergo? ubi amiſit omnia mancipia, & armenta, & fructus, exinde non delectatur eo loco. Quis liceretur, niſi qui vellet amittere omnia ſua? ſic campus peſtilens remanſit penes Marium.

Servos ubi perdidit.] Hanc ſcilicet ſubjecit cauſſam malitioſus præco, qua emptores omnes ab emendo deterruit.

De Novio micropſycho & ſordide parco. LXXXVII.

VICINUS meus eſt, manuque tangi
De noſtris Novius poteſt feneſtris.
Quis non invideat mihi, putetque
Horis omnibus eſſe me beatum,
Juncto cui liceat frui ſodale?
Tam longe eſt mihi, quam Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenen.
Non convivere, nec videre ſaltem,
Non audire licet, nec urbe tota
Quiſquam eſt tam prope, tam proculque nobis.

Novius habitat in mea vicinia, & poteſt manu attingi de noſtris feneſtris. Quis non invideat mihi, & credat me eſſe felicem omnibus horis, cui fas ſit uti ſocio vicino? tam procul a me diſtat quam Terentianus, qui nunc gubernat Syenem Niliacam. Non datur poteſtas ſimul vivendi, nec ſaltem aſpiciendi, non auſcultandi, nec in omni civitate ullus eſt tam prope, & tam longe a nobis. Oportet me vel illum

Migrandum est mihi longius, vel illi.
Vicinus Novio, vel inquilinus
Sit, si quis Novium videre non vult.

longius abire. Si quis non vult aspicere Novium, fiat vicinus Novio, vel inquilinus.

De Novio.] μικρόψυχος, pusillanimis, illiberalis. Sic Novium avaritiæ accusat Poëta. Alii delendam hanc vocem *micropsycho* arbitrantur & nonnullos exagitari a Poëta qui quæ ad manum habent, contemnunt; at vero quæ remotiora sunt & paratu difficiliora, sectantur. Judicet lector.

Quam Terentianus.] Qui tunc erat præfectus Ægypto, cujus Syene urbs ad Nilum sita, quæ hodie ab aliis appellatur *Guegere*, ab aliis *China*, ab aliis vero *Asna*.

Inquilinus.] Qui nempe in Novii ædibus conductis habitet.

Migrandum est.] Hoc facete dicit Poëta.

Ad Fesceniam vinolentam. LXXXVIII.

NE gravis hesterno fragres, Fescenia, vino,
Pastillos Cosmi luxuriosa voras.
Ista linunt dentes jentacula: sed nihil obstat,
Extremo ructus cum venit a barathro.
Quid quod olet gravius mistum diapasmate virus,
Atque duplex animæ longius exit odor?
Notas ergo nimis fraudes, deprensaque furta
Jam tollas, & sis ebria simpliciter.

O Fescenia intemperans, deglutis pastillos Cosmi, ne male oleas gravis hesterna potatione. Ista jentacula ungunt dentes, sed nihil impedit, cum ructus venit ab imo stomacho: quid quod venenum diapasmate commixtum fœtet pejus, & geminus animæ odor procedit longius? igitur jam removeas fallacias nimium cognitas, & sis temulenta simpliciter.

Pastillos Cosmi.] Cosmus myropola erat, qui conficiebat ejusmodi pastillos ex aromatibus. & pulveribus odoratis.

Ista linunt.] hoc est, cum jejuna sumis illos pastillos; possunt illi quidem opprimere fœtorem in dentibus hærentem, nequeunt vero illum coërcere, qui venit ex stomacho.

Cum ructus.] cruditatis exhalatio est.

Diapasma.] unguenti genus quod fit ex rosis aridis, de quo Plinius lib. 21. cap. 19.

Virus.] ponitur pro halitu gravi.

Duplex odor.] hesterni vini, & diapasmatis.

Deprensaque.] vitium quod cum cura legitur, furtum appellatur a Poëta.

Sis ebria simpliciter.] Ne simul vinum & ejusmodi medicamenta oleas. Vide epig. 42. lib. 3. & epig. 7. lib. 6.

Ad Alcimum cujus mortem deflet. LXXXIX.

ALCIME, quem raptum domino crescentibus annis
Labicana levi cespite velat humus:
Accipe non Phario nutantia pondera saxo,
Quæ cineri vanus dat ruitura labor:
Sed fragiles buxos, & opacas palmitis umbras,
Quæque virent lacrymis humida prata meis.
Accipe, chare puer, nostri monumenta doloris,
Hic tibi perpetuo tempore vivit honor,

Alcime, quem tegit Labicana terra levis gramine, abreptum hero annis juvenilibus; accipe non molem vacillantem ex silice Ægyptia, quam lapsuram extruit cineri labor inanis; sed buxos caducas, atque umbras obscuras palmitis, & prata quæ virescunt rigata meis fletibus. O dilecte puer, recipe pignora nostri mœroris: hoc decus tibi duret omni tempore. Cum Lachesis mihi perneverit ultimos annos, non

Cum

Cum mihi supremos Lachesis perneverit annos:
Non aliter cineres mando jacere meos.

alio modo jubes jacere meos cineres.

Labicana humus.] via Labicana ducebat ad Labicum mediterraneum, Latii pagum, hodie *Valmontone*.

Levi cespite.] hoc est non superbo tumulo, vel potius alludit ad formulam antiquam *S. T. T. L.* hoc est *sit tibi terra levis*. Vide epig. 35. lib. 5.

Non Phario] non pyramides, obeliscos, & statuas quibus tumulos ornabant Ægyptii. Vide epig. 1. lib. Spect.

——————— *pendentia Mausolea.*

Pharos colonia, & oppidum Ægypti apud Alexandriam. Alii *Pario*: marmor Parium notum est.

Sed fragiles buxos.] spatium quoddam sepulchro destinatum in agris religiosum erat, quod variis arborum generibus decorabant antiqui: Martialis vero in honorem Alcimi pueri buxos insevit quibusdam in pratis, quæ per hyperbolen suis lacrymis irrigari dicit.

Monumenta doloris.] hæc carmina, sc. buxos & prata.

Hic tibi perpetuo.] Id de perpetuitate suorum carminum auguratur Poëta ut lib. 10. epig. 2.

Est chartis, nec furta nocent, nec secula, prasunt,
Solaque non norunt hæc monumenta mori.

Lachesis.] Una e Parcis quæ humanæ vitæ stamen net.

Non aliter tumulum.] hoc est tumulum meum versibus egregii Poëtæ ornari tantum cupio.

Ad Cinnam semper demisse loquentem. XC.

GARRIS in aurem semper omnibus, Cinna.
Garris & illud, teste quod licet turba.
Rides in aurem, quereris, arguis, ploras.
Cantas in aurem, judicas, taces, clamas.
Adeone penitus sedit hic tibi morbus,
Ut sæpe in aurem, Cinna, Cæsarem laudes?

O Cinna, perpetuo susurras cunctis in aurem, susurras & illud, quod fas est multitudine præsente; rides in aurem, expostulas, reprehendis, fles. Cantas in aurem, decernis, siles, vociferaris. Adeone penitus hoc vitium tibi inveteratum, ut sæpe, ô Cinna, Cæsarem celebres in aurem.

Hic morbus.] Garriendi in aurem vitium.

Ut sæpe.] Sic Cæsarem acute laudat Poëta innuens laudes ejus palam esse proferendas.

XCI.

Ad Lælium Poëtam vilem & mordacem. XCII.

CUM tua non edas, carpis mea carmina, Læli.
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

O Læli, cum non publices tuos versus, reprehendis meos: noli reprehendere meos, vel publica tuos.

Vel ede tua.] Quæ vicissim carpere possim.

Sed spectat oculis devorantibus draucos:
Nec otiosis mentulas videt labris.
Quæris quis hic sit? excidit mihi nomen.

per: ... rogas quis hic sit? oblitus sum nominis.

Scazon.] versus Iambo similis, excepto ultimo pede in quo est spondæus, unde claudicare dicitur à verbo σκάζω. idcirco Poëta dicit, *si non molestum est*. De Materno diximus lib. 10. epig. 37. Alloquitur versum suum.

Amator ille.] nempe cui placent vestes pullæ.

Et Baticatus.] Bœtis fluvius est Hispaniæ, hodie *Guadalquivir*, ad quem sunt oves quarum lana subrutili est coloris nativi: hoc est qui habet vestes non tinctas. Vide epig. 133. lib. 14.

Leucophæatus.] Nomen compositum a verbo græco λευκόφαιος ex albo & fusco mixtus.

Coccinatus.] id est existimat eos esse effœminatos, qui vestibus utuntur tinctis cocco.

Amethystinas.] vestes amethystini coloris a lapide Amethysto, cujus color purpureus est.

Nativa.] quæ non sunt artificio tincta; quales sunt vestes Bœticæ, de quibus epig. 133. lib. 14.

Non est lana mihi mendax, nec mutor aheno,
Sic placeant Tyriæ, me mea tinxit ovis.

Galbanos.] Alii *Galbinos*. Galbanus vero color pallidus, flavus dicitur, secundum quosdam cæruleus, & viros dedecet, ut mollior & effœminatior; hoc est mores effœminatos. Juven. sat. 2.

Cærulea indutus scutulata, aut Galbana rasa.

Ad Nævolum caussidicum ignarum. XCVIII.

CUM clamant omnes, loqueris tu, Nævole, semper,
Et te patronum, caussidicumque putas.
Hac ratione potest nemo non esse disertus.
Ecce tacent omnes: Nævole, dic aliquid.

Cum cuncti vociferantur, tu, Nævole, semper facis verba, & te existimas patronum & caussidicum. Hoc modo quilibet potest videri facundus. Ecce cuncti silent, Nævole, profer aliquid

Cum clamant.] Aliis strepentibus & clamantibus ignarus hic rabula verba faciebat; tacentibus vero, & ipse propter imperitiam tacebat. Alii,

Dum clamant omnes, loqueris tunc, Nævole, tantum.

Ad Flaccum de Diodoro litigatore avaro. XCIX.

LITIGAT, & podagra Diodorus, Flacce, laborat;
Sed nil patrono porrigit: hæc chiragra est.

O Flacce, Diodorus litigat, & vexatur podagra; at nihil offert caussidico, chiragra est.

Chiragra est.] Podagra morbus est pedum, chiragra vero manuum: cum patrono nihil daret Diodorus, non podagra illum, sed chiragra laborare facete dicit Poëta.

Ad Calenum avarum re facta. C.

NON plenum modo vicies habebas:
Sed tam prodigus, atque liberalis,
Et tam lautus eras, Calene, ut omnes
Optarent tibi centies amici.
Audit vota deus, precesque nostras,

Paulo ante non possidebas completum vicies; sed, ô Calene, eras adeo profusus & beneficus, atque adeo splendidus, ut cuncti amici tibi precarentur centies. Deus excepit vota & obtestationes nostras; &

Atque

Atque intra, puto, septimas Calendas
Mortes hoc tibi quatuor dederunt.
At tu sic quasi non foret relictum,
Sed raptum tibi centies, abisti
In tantam miser esuritionem,
Ut convivia sumptuosiora,
Toto quæ semel apparas in anno,
Nigræ sordibus explices monetæ;
Et septem veteres tui sodales
Constemus tibi plumbea selibra.
Quid dignum meritis precemur istis?
Optamus tibi millies, Calene,
Hoc si contigerit, fame peribis.

quatuor funera donarunt hoc tibi, opinor, intra septem menses. Sed tu, infelix, tanquam non foret tibi relictum centies, sed ablatum, lapsus es in tantam famem, ut sordibus monetæ nigræ instruas epulas lautiores, quas semel celebras toto in anno; & impendas selibram plumbeam pro septem veteribus tuis amicis. Quid optemus dignum meritis istis? O Calene, precamur tibi millies, si advenerit hoc, morieris fame.

Plenum vicies.] id est non omnino vicies centena millia sestertiûm: post adverbia decies, vicies, & cetera ejusmodi, subintellige centena millia.

Intra septimas.] septem menses: Calendæ enim significant primum mensis diem.

Mortes.] mortuorum hereditates.

Tantam.] Tam avarus, tam sordidus & famelicus esse cœpisti.

Nigræ monetæ.] æreæ nempe, quod Calenus iste aurum aut argentum in conviviis impendere nollet: porro ærea moneta videtur precium vilissimorum ciborum, quos apponeret suis amicis.

Plumbea selibra.] monetam plumbeam in usu fuisse apud Romanos negant Interpretes: sed hanc pro vilissima usurpat Poëta epig. 74. lib. 10. Quoties plumbeam monetam vocat Martialis, vilia, instar plumbi, ærea numismata intelligit. Gronovius.

Hoc si contigerit.] Ex eo quod Calenus centies adeptus, in summam esuritionem abierit: Lepide collegit Poëta famei illum periturum si millies consequatur. Sic acute Ovidius:

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

De Afra vetula. CI.

MAMMAS atque tatas habet Afra: sed ipsa tatarum
Dici, & mammarum maxima mamma potest.

Afra habet mammas atque tatas: sed ipsa potest dici mamma vetustissima tatarum & mammarum.

Afra.] Ut puella videretur, more infantium patrem tatam appellabat, matrem vero mammam: forte & papillas grandiores habebat, quæ & mammæ dicuntur. Vide epig. 66. lib. 14.

De Afro Demetrio

Librario cujus acerbam mortem deflet. CII.

ILLA manus quondam studiorum fida meorum,
Et felix domino, notaque Cæsaribus,
Destituit primos virides Demetrius annos:
Quarta tribus lustris addita messis erat.

Olim fidelis illa manus meorum studiorum, & utilis hero, & cognita Cæsaribus, Demetrius deseruit primos annos florentes; quatuor anni adjuncti erant tribus lustris. Attamen providimus ne ser-

Ne

Ne tamen ad Stygias famulus descenderet umbras,
Ureret implicitum cum scelerata lues,
Cavimus; & domini jus omne remisimus ægro:
Munere dignus erat convaluisse meo.
Sensit deficiens sua præmia, meque patronum
Dixit, ad infernas liber iturus aquas.

vus delaberetur ad umbras Stygias, cum pestis improba combureret irretitum, atque ægroto condonavimus omne jus heri: merebatur sanari meo dono. Moriens agnovit suam mercedem, & liber profecturus ad undas infernas me appellavit patronum.

Illa manus.] per metonymiam manum sumpsit pro servo amanuensi, qui Poëtæ epigrammata scribebat mittenda Tito & Domitiano Cæsaribus.

Quarta messis.] Annus quartus additus tribus lustris, id est quindecim annis: sic novemdecim annos natus erat Demetrius.

Scelerata lues.] pestem interpretor: alii vero febrem. Vide epig. 75. supra.

Jus domini.] id est illum manumisimus.

Sua præmia.] libertatem nempe.

Ad Lycorim deformem. CIII.

QUI pinxit Venerem tuam Lycori,
Blanditus, puto, pictor est Minervæ.

O Lycori pictor qui expressit tuam Venerem, meo quidem judicio adulatus est Minervæ.

Blanditus est Minervæ.] Venere scilicet deformiter picta, cum qua olim de forma contendit Minerva. Vide epig. 41. lib. 5. Lycorim sane deformem carpit Poëta quam male picta Venus ejus jussu Veneribus suis non ornabat.

Ad Scævolam avarum re facta. CIV.

SI dederint superi decies mihi millia centum,
Dicebat nondum Scævola factus eques:
Qualiter ô vivam, quam large, quamque beate!
Riserunt faciles, & tribuere dei.
Sordidior multo post hoc toga; penula pejor:
Calceus est sarta terque, quaterque cute.
Deque decem plures semper servantur olivæ,
Explicat & cœnas unica mensa duas;
Et Vejentani bibitur fæx crassa rubelli;
Asse cicer tepidum constat, & asse Venus:
In jus ô fallax, atque inficiator, eamus:
Aut vive, aut decies, Scævola, redde deis.

Si dii mihi concesserint decies centena millia, aiebat Scævola, nondum eques factus: qualem ducam vitam, quam profusam, & quam felicem! Superi faciles riserunt & concesserunt. Postea toga multo turpior, penula deterior est: habet calceum ex pelle sarta ter & quater. Ex decem olivis semper plures reservantur, atque unum ferculum instruit duas cœnas, & fæx densa Vejentani rubelli potatur, cicer tepens, & Venus emitur asse. O fraudulente & inficiator, eamus in jus, aut vive genialiter, *ô Scævola, aut Superis restitue decies.*

Nondum factus eques.] Cum nondum legitimum censum equestrem, id est quadringenta sestertia. Alii legunt *justus eques*: illud enim *justus* dicitur proprie de equite qui justam habet quadringentorum sestertiorum summam ad censum equestrem. Epig. 67. lib. 4.
Ut posset domino plaudere justus eques.
Videat lector. Ejusdem argumenti est hoc epigramma, cum centesimo supra.

Rise.

Riserant.] Dii vota Scævolæ irriserunt, sed exceperunt.

Deque decem,] id est, major pars ex decem reservatur in proximam cœnam, epig. 48. lib. 10.

——— *cænisque tribus jam perna superstes.*

Unica mensa.] Est unicum ferculum; nam epulæ ipsæ appellantur mensæ. Ovidius de nuce:

Poma cadunt mensis non interdicta secundis.

Et Veientani.] Vinum Veientanum pessimum erat: rubellum dicitur ab uvis rubentibus. *Vei* urbs est: Veientes gens hodie *Martheniano*: est aliis Civita Castellana.

Asse Venus.] Lib. 2. epig. 53.

Si plebeia Venus gemino tibi vincitur asse.

Inficiator.] sordidam enim vitam ducens a diis decies se accepisse inficiabatur.

De spectaculo leonum & leporum aliis omnibus anteponendo. CV.

PICTO quod juga delicata collo
Pardus sustinet, improbæque tigres
Indulgent patientiam flagello:
Mordent aurea quod lupata cervi,
Quod frænis Libyci domantur ursi
Et quantum Calydon tulisse fertur,
Paret purpureis aper capistris:
Turpes esseda quod trahunt bisontes,
Et molles dare jussa quod choreas
Nigro bellua nil negat magistro:
Quis spectacula non putet deorum?
Hæc transit tamen, ut minora, quisquis
Venatus humiles videt leonum,
Quos velox leporum timor fatigat.
Dimittunt, repetunt, amantque captos,
Et securior est in ore præda,
Laxos cui dare, pervi sque rictus
Gaudent, & timidos tenere dentes:
Mollem frangere dum pudet rapinam,
Stratis cum modo venerint juvencis.
Hæc clementia non paratur arte,
Sed norunt cui serviant leones.

Quod pardus vario collo subit juga mollia, & tigres feroces ferunt patienter virgas: quod cervi mordent aurea fræna, quod ursi Libyci subigentur impatis, & tantus aper, quantus fuisse Calydonius dici ur, obtemperat purpureis capistris; quod bisontes deformes ducunt currus, & quod bellua imperata agere saltationes molles nihil recusat nigro rectori: quis non credat spectacula numinum? attamen hac præteris ut inferiora, quisquis aspicit humiles venationes leonum, qui defatigantur celeri metu leporum. Dimittunt, repetunt, & diligunt captos, atque in ore tutior est præda, cui lætantur prabere ora aperta & pervia, & cohibere dentes timidos: dum pudet comminuere prædam delicatam, cum paulo ante tauris interfectis accedant. Hæc clementia non comparatur artificio, sed leones sciunt cujus serviunt patiantur.

Picto collo.] Variis enim maculis distincti sunt pardi.

Improbæ tigres.] Quod ferocissimum sit illud animal, difficillimeque mansuefiat.

Indulgent patientiam.] hoc est, lubenter patiuntur flagellum, nec resiliunt, licet possint.

Calydon.] Oppidum Ætoliæ hodie Ayton, ubi Meleager interemit aprum ingentis magnitudinis. Epig. 15. lib. Spect. De bisontibus dictum epig. 23. lib. Spect.

Nigro bellua.] Elephantum intellige quem nigri Æthiopes regunt, de ejus autem ingenio mira referuntur. Vide Ælianum lib. 2. cap. 11. de natura animalium: & Plinium lib. 8. cap. 2. *Germanici Cæsaris munere gladiatorio quosdam inconditos motus edidere saltantium modo.* Elephantos intellige.

Venatus humiles.] De leonum & leporum spectaculo egimus supra epig. 7. 15. 23.

Stratis cum.] hoc est, cum hos ludos edant, & tam benigne lepores tractent, occisis tamen paulo ante tauris.

Cui

Cui serviant.] Cæsari scil. Domitiano cujus clementiam numine ejus afflati referunt: epig. 17. lib. spect. *Crede mihi, numen sensit & ille tuum.*

Ad Ovidium de veteri vino Nomentano. CVI.

IN Nomentanis, Ovidi, quod nascitur agris,
Accepit quoties tempora longa merum,
Exuit annosa mores, nomenque senecta,
Et quidquid voluit, testa vocatur anus.

Ovidi, vinum quod gignitur in Nomentanis agris, quoties vetustum factum est, amittit naturam & nomen senectute longæva, atque amphora vetus potest appellari quovis nomine.

In Nomentanis.] In Nomentano agro non procul ab urbe vineam habebat Poëta, cujus vinum recens quidem insuave, at vetus contendebat cum vino generosissimo. Vide epig. 119. lib. 13. De Ovidio epig. 43. & 44. lib. 7. & alibi.

Agris.] Alii *arvis.*

Exuit mores.] Asperitatem interpretare & ingratum saporem: at vero vetus factum dici poterat vel Falernum, vel aliud præstantissimum vinum.

Ad Rufum ut curas solvat vino. CVII.

INTERPONIS aquam subinde, Rufe,
Et si cogeris a sodale, raram
Diluti bibis unciam Falerni.
Numquid pollicita est tibi beatam
Noctem Nævia, sobriasque mavis
Certæ nequitias fututionis?
Suspiras, retices, gemis: negabit.
Crebros ergo bibas licet trientes,
Et durum jugules mero pudorem.
Quid parcis tibi, Rufe? dormiendum est.

O Rufe, frequenter infundis aquam, & si impelleris a socio, potas raram unciam mixti Falerni. An Nævia tibi promisit noctem felicem, & incundiores tibi sunt lascivia sicca...? Suspiras, taces, gemitus facis: recusabit. Igitur fas est ut haurias trientes frequentes, & vino neces asperum pudorem. O Rufe, cur non indulges genio? Dormiendum est.

Interponis aquam.] vinum enim purum vires Veneris enervare, dilutum vero accendere dicitur.

Negabit.] Quod auguratur Poëta ex Rufi suspiriis: hoc est, non stabit promissis, licet pollicita sit: quam lectionem antiquam retineo. Enimvero si negavisset, ut legunt alii *negavit*, ab initio cœnæ non subinde aquam interposuisset Rufus, cum nihil spei ipsi superfuisset. Ergo bene *negabit*, id est non dabit.

Trientes.] Triens est tertia pars assis, & mensuræ genus quatuor cyathos continens.

Et jugules.] Scyphi quippe nati sunt in usum lætitiæ.

Pudorem.] quæ lectio est in antiquis codicibus: pudor enim dicitur ob aliquam rem sordidam timor, ut ait Sipontinus apud Robertum Stephanum in Thesauro Linguæ Latinæ, ubi adducuntur exempla ex Cicerone. Hoc sensu patet sententia hujus versus; quippe Rufus timebat, ne puella Nævia esset caritura. Alii *dolorem.*

Ad Lucium Julium, se facturum versus victuros si merces esset speranda. CVIII.

SÆPE mihi dicis, Luci, clarissime Juli,
Scribe aliquid magnum: desidiosus homo es.

O clarissime Luci Juli, frequenter mihi dicis, Compone aliquid magnum, homo es iners.

Otia

Otia da nobis: sed qualia fecerat olim
  Mœcenas Flacco, Virgilioque suo.
Condere victuras tentem per secula curas,
  Et nomen flammis eripuisse meum.
In steriles campos nolunt juga ferre juvenci:
  Pingue solum lassat, sed juvat ipse labor.

Nobis fac tranquillitatem vitæ sed qualem Mæcenas dederat olim Horatio & suo Virgilio. Coner componere versus victuros per secula, & vindicare nomen meum ab igne. Tauri nolunt ferre juga in agros infœcundos, ager opimus defatigat quidem *sed labor ipse placet.*

Qualia fecerat.] Mœcenas locupletavit Horatium & Virgilium. Vide epig. 56. lib. 8.

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.

Curas.] sic lib. 3. epig. 20.

Utrumne chartis tradit ille victuris
Legenda temporum acta Claudianorum?

unde legunt alii *chartas.*

Et nomen flammis.] rogi sc. & funeris, id est superstes ero meæ morti, seu, versus mei non peribunt.

Pingue solum.] Operosum sane est arare, maxime vero solum pingue; at fructuosus ille labor placet agricolæ: ita difficile quidem est versus non perituros scribere; sed si merces inde speraretur, arduus ille labor Poëtæ esset gratissimus.

Ad Gallum cui se excusat quod mane ad eum salutandum non iret. CIX.

Est tibi, sitque precor, multos crescatque per annos,
  Pulchra quidem, verum Transtyberina domus.
At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus:
  Factus in hac ego sum jam regione senex.
Migrandum est, ut mane domi te, Galle, salutem:
  Es tanti vel si longius illa foret.
Sed tibi non multum est, unum si præsto togatum:
  Multum est, hunc unum si mihi, Galle, nego.
Ipse salutabo decima, vel serius hora:
  Mane tibi pro me dicat avere liber.

Habes, & habeas, cupio, ædes exornatas, sed trans Tyberim, atque augeantur per multos annos. Sed mea cœnacula respiciunt Vipsanas lauros: ego senui in hac regione: procul eundum est, ô Galle, ut mane dicam tibi salutem domi: tam carus es vel si illa distaret longius. At tibi non est magni momenti, si exhibeo tibi unum togatum; mihi verò magni est, ô Galle, si non exhibeo hunc, unum. Ipse salutem nunciabo hora decima vel tardius: mane autem *libellus dicat tibi salutem pro me.*

At mea.] Laurus Vipsanas intellige ornatam lauris porticum Vipsanii Agrippæ, quem ad summos honores evexit Augustus. *Laurus* autem secundæ & quartæ declinationis est.

Cœnacula.] superiores sunt domus partes in quibus pauperes habitabant. Juvenalis sat. 10.

——— *rarus venit in cœnacula miles.*

Infra epig. 118.

Et scalis habito tribus. sed altis.

Migrandum est.] Migrare proprie est aliò ad habitandum ire, sed hic significat longe ire: cum addat Poëta,

——— *vel si longius illa foret,*

tua domus nempe, attamen etiam lubens te adirem.

Si præsto togatum.] hoc est clientem toga indutum. Sensus est, parvi tibi est momenti ut te summo mane salutem, mea vero maxime interest ut domi maneam.

Sic

Sic licet excuses: quia qualiacumque leguntur
Ista, salutator scribere non potuit.

Epig. 71. supra.
Hora decima.] scilicet ab ortu solis. De horis dicemus epig. 8. lib. 4.

De Catella Publii. CX.

ISSA est passere nequior Catulli.
Issa est purior osculo columbæ.
Issa est blandior omnibus puellis.
Issa est carior Indicis lapillis.
Issa est deliciæ catella Publi.
Hanc tu, si queritur, loqui putabis.
Sentit tristitiamque gaudiumque.
Collo nixa cubat, capitque somnos,
Ut suspiria nulla sentiantur.
Et desiderio coacta ventris,
Gutta pallia non fefellit ulla:
Sed blando pede suscitat, toroque
Deponi rogat, & monet levari.
Castæ tantus inest pudor catellæ.
Ignorat Venerem: nec invenimus
Dignum tam tenera virum puella.
Hanc ne lux rapiat suprema totam,
Picta Publius exprimit tabella,
In qua tam similem videbis Issam,
Ut sit tam similis sibi nec ipsa.
Issam denique pone cum tabella:
Aut utramque putabis esse veram,
Aut utramque putabis esse pictam.

Issa est lascivior passere Catulli. Issa est purior suavio columba. Issa est suavior omnibus puellis. Issa pretiosior est gemmis India. Catella ista est voluptas Publii. Credes hanc loqui, si queritur, habet sensum doloris & tristitia, collo domini *innixa recumbit & dormit,* sic, *ut nulla suspiria audiantur. Et impulsa desiderio alvi, non fœdavit pallia ulla gutta: sed excitat* dominum *tenero pede, atque orat deponi e lecto, & monet exonerari. Pudica catella tantam habet verecundiam. Non novit Venerem, nec reperimus maritum dignum puella tam delicata. Ne supremus dies auferat totam, Publius hanc effingit picta tabella, in qua spectabis Issam tam similem ut nec ipsa melius exprimat se. Tandem confer Issam cum tabella, vel credes utramque esse veram, vel credes utramque esse effictam.*

Issa.] Est nomen catellæ Publii.
Passere Catulli.] Tacite præfert Martialis hoc epigramma poëmatio Catulli, de passere Lesbiæ, & poëmatio Stellæ de columba amicæ ejus. Vide epig. 8. supra.
Sentit tristitiam.] Sentit tristitiam nempe, & gaudium quibus afficitur Publius.
Pallia.] Propria erant Græcorum, quibus etiam Romani usi sunt in cœna, epig. 24. lib. 11.

Ad cœnam venies: sed sic divisa recumbes,
Ut non tangantur pallia nostra tuis.

Et in lecto etiam palliis utebantur. Ovidius 1. amorum Eleg. 2.

Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur
Strata? nec in lecto pallia nostra sedent?

Levari.] Onera scilicet ventris. Alii *lavari.*

Ad Velocem postulantem brevia epigrammata. CXI.

SCRIBERE me quereris, Velox, epigrammata longa.
Ipse nihil scribis: tu breviora facis.

O Velox, expostulas a me componi epigrammata longa. Ipse nihil componis: tu scribis magis concisa.

E

Scri-

Scribere me quereris.] Præcedenti elegantissimo epigrammati, quod longius videbatur, recte subjicit hoc distichum, quo irridet Velocem quemdam qui nihil prorsus scriberet. Vide epig. 77. lib. 2.

Ad Regulum doctum & pium. CXII.

CUm tibi sit sophiæ par fama, & cura deorum,
Ingenio pietas nec minor ipsa tuo.
Ignorat meritis dare munera qui tibi librum,
Et qui miratur, Regule, thura dari.

Cum æstimeris æque sapiens ac cultor deorum, nec habeas pietatem inferiorem tuo ingenio: qui miratur donari tibi librum, & thura, nescit afficere merita donis.

Cum tibi sit.] Liber virum doctum, religiosum vero decet thus, quo dii coluntur, unde stolidus erat qui miraretur hujusmodi munera a Martiale mitti ad Regulum doctum juxta ac pium.

In Priscum avarum. CXIII.

CUm te non nossem, dominum regemque vocabam:
Cum bene te novi, jam mihi Priscus eris.

Cum te non haberem cognitum, appellabam herum & regem: cum bene te cognovi, jam appellabo te Priscum.

Jam mihi.] Cum noverim te hominem sordidum atque avarum, jam honoris caussa non dominum & regem, sed proprio nomine Priscum appellabo. Lib. 2. epig. 68.

Quod te nomine jam tuo saluto,
Quem regem & dominum prius vocabam, &c.

Ad lectorem ubi libri venales. CXIV.

QUæcunque lusi juvenis & puer quondam,
Apinasque nostras, quas nec ipse jam novi,
Male collocare si bonas voles horas,
Et invidebis otio tuo, lector:
A Valeriano Pollio petes Quincto,
Per quem perire non licet meis nugis.

Quæcumque olim puer & adolescens jocatus sum, & apinas nostras, ô lector, quas nec ipse jam notas habeo, posces a Quincto Pollio Valeriano, cujus opera meæ ineptiæ vindicantur ab interitu, si cupies male insumere bonas horas, & te capiet invidia otii tui.

Apinas.] id est, nugas meas. Plinius lib. 3. cap. 11. *Diomedes delevit urbes duas, quæ in proverbii ludicrum vertere, Apinam & Tricam.* Epig. 1. lib. 14.

Sunt apinæ tricæque, & si quid vilius istis.

Ad Faustinum de acerba morte Antullæ. CXV.

HOs tibi vicinos, Faustine, Telesphorus hortos
Fænius, & breve rus, udaque prata tenet.

O Faustine, Telesphorus Fænius possidet hos hortos tibi propinquos, & villam exiguam & prata humida. Hic

Con-

Condidit hîc natæ cineres, nomenque ſacravit,
Quod legis Antullæ, dignior ipſe legi.
Et Stygias æquum fuerat patrem iſſe ſub umbras:
Sed quia non licuit, vivit, ut oſſa colat.

repoſuit filiæ cineres, & ipſe dignior qui legeretur, conſecravit nomen Antullæ quod legis. Par fuerat patrem petere umbras infernas, ſed quoniam fas non fuit, vivit, ut veneretur oſſa.

Nomenque ſacravit.] Sepulchro nempe inſcribebant D. M. S. *Diis Manibus Sacrum*, addito mortui nomine. Vide epig. 89. ſupra.

Dignior ipſe legi.] Ante filios mori debet pater, cujus nomen, non vero Antullæ filiæ ſepulchro fuerat inſcribendum; nempe non turbato ordine mortalitatis.

In Procillum invidum. CXVI.

QUÆDAM me cupit, invide Procille,
Toto candidior puella cycno,
Argento, nive, lilio, liguſtro:
Sed quandam volo nocte nigriorem
Formica, pice, graculo, cicada.
Jam ſuſpendia ſæva cogitabas:
Si novi bene te, Procille, vivis.

O Procille invide, me amat quædam puella candidior toto cycno, argento, nive, lilio, liguſtro: ſed quamdam amo nigriorem nocte, formica, pice, graculo, cicada. Jam meditabaris ſuſpendia fera: ſi intus te cognovi, ô Procille, reſpiras.

Liguſtrum.] Gallice *fleur de troëſne.* Virgilius ecloga. 2.

Alba liguſtra cadunt.

Vivis.] Alii legunt *vives*, id eſt non ſuſpendes te, cum me nigræ puellæ amore perditum videas: etenim præ invidia moriturus erat ille Procillus, ſi didiciſſet Martialem amari a formoſiſſima puella quam viciſſim redamaſſet: hæc quippe eſt natura invidorum ut alterius felicitatem doleant, malo autem lætentur.

De Antulla rapta morte immatura. CXVII.

HOc nemus æterno cinerum ſacravit honore,
Fænius, & culti jugera pauca ſoli.
Hoc tegitur cito rapta ſuis Antulla ſepulchro:
Hoc erit Antullæ miſtus uterque parens.
Si cupit hunc aliquis, moneo, ne ſperet agellum:
Perpetuo dominis ſerviet iſte ſuis.

Fænius perpetuo decore cinerum dedicavit hunc lucum, & pauca jugera agri exculti. Antulla ſuis velociter ablata conditur hoc tumulo, eodem uterque parens conjunctus erit Antullæ. Si aliquis expetit hunc agellum, ſuadeo ne ſperet illum; iſte ſerviet ſuis dominis æternum.

Æterno honore.] quod ſepulchra in æternum ſacra eſſent.

Hoc erit.] pro more veterum qui ſolebant eodem tumulo eos condere quos mutuus amor viventes conjunxiſſet. Vide epig. 71. lib. 10.

Perpetuo dominis.] Ager enim ſepulchro deſtinatus ſacer erat, nec alienari poterat, imo nec aliquando ſequebatur heredes. *H. EXT. N. S. heredes externos ne ſequatur.* Horatius ſat. 8, lib. 1.

Hoc miſera plebi ſtabat commune ſepulchrum
Pantolabo ſcurræ, Nomentanoque nepoti,
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat; heredes monumentum ne ſequeretur.

In Lupercum avarum ubi libri venales. CXVIII.

OCCURRIS quoties, Luperce, nobis:
Vis mittam puerum subinde dicis,
Cui tradas epigrammaton libellum,
Lectum quem tibi protinus remittam.
Non est, quod puerum, Luperce, vexes.
Longum est, si velit ad Pyrum venire,
Et scalis habito tribus, sed altis.
Quod quæris, propius petas licebit:
Argi nempe soles subire letum.
Contra Cæsaris est forum taberna,
Scriptis postibus hinc & inde totis,
Omnes ut cito perlegas poëtas.
Illinc me pete: ne roges Atrectum,
Hoc nomen dominus gerit tabernæ.
De primo dabit, alterove nido
Rasum pumice, purpuraque cultum
Denariis tibi quinque Martialem.
Tanti non es, ais. sapis, Luperce.

O Luperce, quoties nobis venis obviam, statim interpellas, placet mittam servum tibi, cui des librum epigrammatum, quem cum legero statim remittam? O Luperce, non est quod defatiges servum. Longinquum est, si cogitet venire ad Pyrum, domicilium habeo tribus scalis, sed excelsis. Poteris poscere propius quod rogas: nimirum consuevisti adire Argiletum. Est officina e regione fori Cæsaris, hinc & inde januis totis inscriptis, ut celeriter perlegas omnes poëtas. Illinc posce me, ne quæras Atrectum: sic vocatur dominus tabernæ: denariis quinque de primo aut secundo nido tradet tibi Martialem abrasum pumice, & purpura ornatum. Non tanti vales, inquis: O Luperce, sapiens es.

Ad Pyrum.] nomen regionis in qua habitabat Martialis, alii insigne esse ædium putant: alii legunt *ad pilam*, ut epig. 23. lib. 5.

Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ.

Et scalis habito.] hoc est in cœnaculo alto, de quo epig. 19. supra.

Argi letum.] Tmesis est seu divisio: *Argiletum* est regio quædam urbis ubi habitabat bibliopola Atrectus epig. 4. supra,

Argiletanas mavis habitare tabernas.

Scriptis postibus.] in quibus nempe inscripta erant librorum venalium nomina, ut hodie apud nos.

Ne roges Atrectum.] Ne sit opus rogare alios nomen bibliopolæ, Atrectus vocatur. Alii legunt *me roges Atrectum*, hoc est me petas a bibliopola Atrecto. Alii *nec roges Atrectum.*

De primo dabit.] hoc est de primo vel secundo armario.

Tanti non es.] hoc est, tui libri non valent quinque denariis.

Sapis.] Non tam laudat Lupercum, quam sordes ejus & avaritiam irridet.


Ad Cæcilianum apud quem extenuat sua epigrammata. CXIX.

CUI legisse satis non est epigrammata centum,
Nil illi satis est, Cæciliane, mali.

O Cæciliane, cui non sufficit evolvisse centum epigrammata, nullum illi malum sufficit.

Cui legisse.] Longiorem hunc librum modeste excusat, & Cæciliano petenti plura epigrammata respondet ex mente Callimachi apud Athenæum lib. 3. cap. 1. *Magnum librum magno malo parem esse.*

M. VAL.



I *Lib.* 71 *epigr* 8 *verf.*
Rhodium] Rhodus insula Soli dicata. Hinc ejus radiatum caput toties in Rhodiorum *Numis*, apud *Goltzium*, *Graec.* 23 *Tab.* *Begerum*, *&c.*



II *Lib.* 2 *epigr.* 5 *verf.*
Idumaeos] Judaeos; quorum subacta regio in *Num.* Vespasianorum sub palma residens, hic luget.



I *Lib.* 103 *epigr.* 1 *verf.*
Venerem] Quae in Augustarum *Numis* modo Victrix, modo Genetrix, modo Felix, &c.



II *Lib.* 2 *epigr.* 6 *verf.*
Dacis] A Domitiano certè non devicti; verum à Trajano. En Dacorum spolia ex hujus *Num.*



II *Lib.* 2 *epigr.* 3 *verf.*
Rheno] Germaniae nobilissimo fluvio; qui in *Num.* victoris nempe Domitiani, aliorumque augg.



II *Lib.* 43 *epigr.* 7 *verf.*
Cadmi] Qui, draconem saxo oppugnans, spectatur in *Num.* Tyriorum.

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATUM

LIBER II.

Ad Decianum, a quo reprehendi se fingit, quod utatur hac epistola.

QUID nobis, inquis, cum epistola? parum ne tibi præstamus, si legimus epigrammata? quid hîc porro dicturus, quod non possis versibus dicere? Video quare tragœdi epistolam accipiant, quibus pro se loqui non licet: epigrammata Curione non egent, & contenta sunt sua, id est, mala lingua. In quacumque pagina visum est, epistolam faciunt. Noli ergo, si tibi videtur, rem facere ridiculam, & togam saltanti inducere personæ. Denique videas, an te delectet contra retiarium ferula. Ego inter illos sedeo qui protinus reclamant. Puto mehercule, Deciane, verum dicis. Quid, si scias, cum qua, & quam longa epistola negotium fueris habiturus? Itaque quod exigis, fiat. Debebunt tibi, si qui in hunc librum inciderint, quod ad primam paginam non lassi pervenient.

INTERPRETATIO.

Quid nobis rei est, ais, cum epistola? an parum meremur de te, si evolvimus epigrammata? sed quid hic dicturus es, quod nequeas exponere carminibus? scio cur tragœdi utantur epistola, quibus non est permissum explicare suas cogitationes: curione non est opus epigrammatibus, & sufficit ipsis sua, hoc est, improba lingua. In quacumque pagina libet, scribunt epistolam. Ne igitur, si ita censes, facias rem absurdam, nec accommodes togam personæ saltanti. Tandem animadvertas, an ferula tibi placeat contra retiarium. Ego sedeo inter illos, qui statim contradicunt. O Deciane, mehercule, opinor, loqueris verum, quid, si teneas, cum qua & quam longa epistola ratio tibi intercessura fuerit? quamobrem fiat, quod postulas. Si qui incurrerint in hunc librum, de te promerebuntur, quod non defatigati accedent ad primam paginam.

NOTÆ.

Quid nobis.] Fingit poëta Decianum, de quo epig. 40. lib. 1. mirari, quod utatur epistola in principio hujus libri, cum mentem suam versibus explicare possit.

Quibus pro se loqui.] Ideo nempe epistola utuntur tragœdi, ut aliqua de re auditores vel

vel lectores moneant, quod in tragœdia præter argumentum fabulæ, nihil ipsis proloqui liceat.

Curione non egent.] hoc est, præcone qui palam legeret epistolam, qua se vel populo, vel principi commendarent tragœdi. De curione Plinius Secundus epist. 7. lib. 4. *Scripsit publice, ut e curionibus eligeretur vocalissimus aliquis ex ipsis qui legeret eum populo*, librum intellige, quem scripserat Regulus de vita filii sui mortui.

Mala lingua.] hoc est, mordaci & libera, qua mentem suam ubique aperire potest epigrammatum scriptor.

Ec togam saltanti.] Gravitatis & dignitatis caussa cives Romani utebantur toga, qua ridiculum pantomimum indui non convenisset. Idcirco poëta epig. 24. lib. 6. irridet quemdam Carisianum, qui Saturnalium tempore togatus ambulabat, dum alii positis togis syntheses induerent. Sensus est, noli versibus tuis orationem solutam accommodare, hoc enim indecorum videtur.

Contra retiarium ferula.] id est, inquit Lipsius Saturnalium sermonum lib. 1. cap. 15. *rudis contra tridentem*: rudis autem gladius erat e ligno, retiarius vero tridente ferreo utebatur. Juv. sat. 8. *Movet ecce tridentem.* Idem Lipsius Saturnalium sermonum lib. 2. cap. 8. tridens enim sive fuscina illi, pro gladio. Domitius existimat proverbium hoc dici in eos qui infirmo præsidio contra maxime instructum pugnabant: sic contra obtrectatores epistola defendere se non debuit Martialis, sed epigrammate, quo vehementior erat. Sensus est, inquit Raderus: operam ludes, poëta, si te epistola contra Zoilos defendes, ego primus reclamo, & dissuadeo.

Puto mehercule.] Deciano respondet Martialis, & assentitur atque ita epistolam, quam longam erat facturus, breviter concludit.

Ad librum suum de commodis libri brevis. I.

TERCENTENA quidem poteras epigrammata ferre:
Sed quis te ferret, perlegeretque liber?
At nunc succincti, quæ sunt bona disce libelli.
Hoc primum est, brevior quod mihi charta perit.
Deinde quod hæc una peragit librarius hora,
Nec tantum nugis serviet iste meis.
Tertia res hæc est, quod si cui forte legeris,
Sis licet usque malus, non odiosus eris.
Te conviva leget misto quincunce: sed ante
Incipiat positus quam tepuisse calix.
Esse tibi tanta cautus brevitate videris.
Hei mihi, quam multis sic quoque longus eris.

O Libelle, valebas quidem capere trecenta epigrammata; at quis te toleraret, & evolveret totum? sed nunc accipe quæ sunt commoda brevis libri. Hoc primum est, quod minor est jactura mea chartæ; praterea quod scriba transcribit hac una hora, nec tandiu iste occupabitur meis ineptiis. Tertium commodum hoc est, quod si quis forsan te evolvet, quamvis semper sis futilis, non eris molestus. Conviva te evolvet misto quincunce: sed prius quam tepefiat positum poculum. Tanta brevitate existimas te tutum, hei mihi, hoc etiam modo quam multis videberis prolixus,

Ferre.] Priori versu continere, posteriore pati & tolerare significat.

Si cui.] Si ab aliquo legeris.

Misto.] Etenim aqua calida vinum diluebant antiqui: quincunx autem quinque cyathos continet, liber itaque meus legetur antequam vinum aqua calida fervens reducatur ad teporem.

Ad Cæsarem Domitianum, cujus triumphum de Dacis celebrat. II.

CRETA dedit magnum, majus dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodque Metellus habet.
Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer hoc dignus nomine Cæsar eras.
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos;
Quæ datur ex Dacis laurea, tota tua est.

Creta imposuit magnum nomen, Africa majus, quo appellatus est Metellus, & quo appellatus est victor Scipio. Devicto Rheno Germania dedit clarius nomen, & hoc merebaris puer, o Cæsar. Frater meritus est triumphos Idumæos cum patre, tibi soli debetur laurea quæ conceditur ex Dacis.

Creta.] Nomen Cretensis a devicta Creta traxit Lucius Metellus: ab Africa vero domita Africanus dictus est Scipio.

Nobilius.] Domitianus admodum juvenis, devictis Germanis qui Rhenum accolunt, nobilius *Germanici* cognomen assecutus est: Germani quippe Afris & Cretensibus bellicosiores sunt. Vide Suetonium in Domitiano cap. 2. & Tacitum lib. 4. historiar.

Frater] Titus scilicet qui cum patre Vespasiano Judæos domuit. Suetonius in Tito cap. 6. Solus vero Domitianus Dacos subegit. Dacia hodie complectitur Transylvaniam; Walachiam, & Moldaviam.

Idumæos.] Idumæa regio Palæstinæ inter Arabiam Petræam & Ægyptum, a qua Judæi dicti sunt Idumæi.

Ad Sextum debitorem pauperem. III.

SEXTE, nihil debes; nil debes, Sexte, fatemur.
Debet enim, si quis solvere, Sexte, potest.

O Sexte, non es in ære alieno; non es, concedimus; nam, Sexte, si quis solvendo est, in ære alieno est.

Debet enim.] Qui solvendo non est, nihil debet, quod scilicet nihil auferri possit ab eo qui nihil habeat. Lib. 9. epig. 105.

Quod tibi non possum solvere, Phœbe, meum est.

In Amianum quem incesti accusat. IV.

O Quam blandus es, Amiane, matri!
Quam blanda est tibi mater, Amiane!
Fratrem te vocat, & soror vocatur.
Cur vos nomina nequiora tangunt?
Quare non juvat hoc, quod estis, esse?
Lusum creditis hoc, jocumque: non est
Mater, quæ cupit esse se sororem;
Nec matrem juvat esse, nec sororem.

O Amiane, quam suavis es matri! O Amiane, quam suavis est tibi genitrix! te appellat fratrem, & soror appellatur. Quare nomina lasciviora vos movent? Cur non placet esse quod estis? Hoc putatis esse festivitatem & facetiam: non est genitrix quæ expetit se esse sororem, nec placet ut sit mater nec soror.

Fratrem te vocat.] Fratris & sororis nomine turpitudo tegebatur. Vide epig. 20. lib. 12. & epig 65. lib. 10.

Sororem.] In penultimo versu amicam interpretare: in ultimo intellige proprie hoc sensu, nollet esse mater nec soror, sed uxor.

Ad Decianum cujus videndi desiderio teneri se dicit. V.

NE valeam, si non totis, Deciane, diebus,
Et tecum totis noctibus esse velim.
Sed duo sunt, quæ nos distinguunt millia passûm.
Quatuor hæc fiunt, cum rediturus eam.
Sæpe domi non es: cum sis quoque, sæpe negaris:
Vel tantum caussis, vel tibi sæpe vacas.
Te tamen ut videam, duo millia non piget ire.
Ut te non videam, quatuor ire piget.

Dispeream, ô Deciane, ni cupiam tecum versari totis diebus & totis noctibus. Sed sunt duo mille passus qui nos disjungunt. Hi quatuor fiunt, cum reversurus iter faciam. Crebro non es domi, etiam cum sis, crebro diceris abesse: aut das operam caussis duntaxat, aut frequenter tibi. Nihilominus non tædet emetiri duo milliaria, ut fruar tuo conspectu; sed tædet emetiri quatuor, ut non fruar.

Cum sis quoque.] Sic acute carpit Decianum, qui dum sibi vel forensibus orationibus vacaret, salutantes excludebat.

Ad Severum lectorem oscitantem. VI.

I Nunc, edere me jube libellos,
Lectis vix tibi paginis duabus,
Spectas ἐσχατοκωλικὸν Severe,
Et longas trahis oscitationes.
Hæc sunt, quæ relegente me solebas
Rapta scribere, sed Vitellianis.
Hæc sunt singula, quæ sinu ferebas
Per convivia cuncta, per theatra.
Hæc sunt, aut meliora, si qua nescis.
Quid prodest mihi tam macer libellus,
Nullo crassior ut sit umbilico,
Si totus tibi triduo legatur?
Nunquam deliciæ supiniores.
Lassus tam cito deficis viator,
Et cum currere debeas Bovillas,
Interjungere quæris ad Camœnas.
I nunc, edere me jube libellos.

I nunc, roga me publicem libros, duabus paginis vix à te lectis, o Severe, inspicis finem libri, & ducis oscitationes longas. Hæc sunt quæ, relegente me, consueveras erepta describere, sed Vitellianis. Hæc sunt singula quæ sinu gestabas per omnia convivia, per theatra. Hæc sunt aut elegantiora, si tamen quædam ignoras. Quid me juvat liber adeo tenuis, ut nullo umbilico densior sit, si triduum insumas ad illum legendum totum? Nunquam voluptas ignavior. Tam celeriter defatigatus viator langues, & cum tibi currendum sit Bovillas, vis immorari ad Camœnas. I nunc, roga me ut publicem libros.

I nunc.] Formula indignantis & insultantis, epig. 43. lib. 1.

ἐσχατοκωλικὸν.] τὸ ἐν ἐσχάτῳ κώλῳ γεγραμμένον, id est, quod in ultima parte scriptum est: hoc est vix una aut altera pagina lecta, fastidii signa jam ostendis: Correxit Scaliger ἐσχατοκόλλιον, & interpretatur partem postremam adglutinatam: sed hæc ipsa interpretatio ostendit verius esse Salmasii ἐσχατοκόλλιον; nam κόλλα gluten, non κῶλον. Sic alii.

Sed Vitellianis.] Vitelliani erant pugillares,

res, quibus res amatoriæ & lascivæ scribebantur. Vide epig. 8 lib. 14.

Rapta.] Alii *raptim* metri caussa, ut aiunt, sed vocalis brevis ante duas consonantes potest produci. Sic miratur Poëta, quod tam cito Severus defatigetur lectione epigrammatum, quæ aliàs recitata tanta festinatione scribebat in suis pugillaribus. Alii *rapta exscribere.*

Hæc sunt.] Singula epigrammata magnifaciebat Severus: in unum vero librum redacta fastidiebat: quod absurdum videtur.

Per convivia.] ubi nempe recitabantur: sinu ferre significat carum habere, epig. 5. lib. 3.

Si qua nescis.] Si tamen quædam sunt epigrammata, quæ nondum legeris.

Nullo umbilico.] de quo dictum supra epig. 67. lib. 1. hoc est, frustra curavi ut liber umbilici crassitudinem non excederet, si tamen tu delicatus & supinus lector triduum illi legendo insumas. Farnabius.

Si totus.] Videtur legendum *toto.*

Supiniores.] hoc est segnes, & oscitanter perceptæ.

Bovillas.] urbs est in Latio. Plinius lib. 3. cap. 5 hodie *Babuca.*

Interjungere.] Significat jumenta solvere a jugo. Lib. 3. epig. 67.

Exarsitque dies, & hora lassos
Interjungit equos meridiana.

Seneca de tranquillitate vitæ. *Quidam interjunxerunt, & in pomeridianis operas aliquid levioris operæ distulerunt.* Alii minus bene *iter jungere.* Sensus est, non uno decursu perlegis tenuem librum, sed oscitanter hæres, & differs in triduum.

Camœnas.] Templum Camœnarum erat Bovilles inter & Urbem: Sensus est, meos versus legere vix incipis, & jam defatigatus es.

In Attalum cujus jactationem irridet. VII.

Declamas belle: caussas agis, Attale, belle.
Historias bellas, carmina bella facis.
Componis belle mimos, epigrammata belle,
Bellus grammaticus, bellus es astrologus.
Et belle cantas, & saltas, Attale, belle.
Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.
Nil bene cum facias, facis attamen omnia belle.
Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.

O Attale, bene recitas: bene dicis caussas. Componis historias egregias, & versus elegantes. Bene facis mimos, bene epigrammata, bonus es Grammaticus, bonus Astrologus. Bene cantas, & bene, ô Attale, agis choreas. Peritus es arte lyra, & arte pila. Cum nihil agas bene, nihilominus bene agis cuncta. Placet, proferam, quid sis? Magnus es ardelio.

Declamas.] Declamatio est domestica exercitatio, & umbratilis, quo in genere pueri apud magistros exercentur. De Attalo jam dictum lib. 1. epig. 80.

Mimos.] Poëmata ridicula in quibus solus risus quærebatur.

Magnus es ardelio.] Proverbialiter ardeliones vocantur illi qui in nihil agendo toti occupati sunt: hoc nomen alii deducunt ab ardore & impetu tentantis multa, nihil vero perficientis: alii ab ardeola ave, quæ sæpissime diu alas quatiens, in aëre veluti pendet, nec loco movetur.

Ad Lectorem quem accusat, se vero excusat. VIII.

Si qua videbuntur chartis tibi, lector, in istis,
Sive obscura nimis, sive Latina parum:
Non meus est error: nocuit librarius illis,
Dum properat versus annumerare tibi.
Quod si non illum, sed me peccasse putabis:

O Lector, si judicaveris quædam in istis chartis aut nimium obscura, aut parum Latina: mea non sunt menda: scriba obfuit carminibus, dum festinat repræsentare illa tibi. Quod si credis illum non errasse, sed me; tunc ego existimabo te hebetem

Tunc ego te credam cordis habere nihil:
Ista tamen mala sunt: quasi nos manifesta negemus:
Hæc mala sunt: sed tu non meliora facis.

betem ingenio. Nihilominus ista mala sunt; quasi non fateamur rem evidentem? hæc quidem mala sunt, sed tu non componis eleganti ra.

Librarius.] Poëtæ versus, quos in taberna venderet bibliopola, transcribebant librarii, & præ nimia festinatione menda plura faciebant, versus quippe aliquando integros præteribant, aut loco mutabant.

Tunc ego te.] Ramiresius legit forte minus bene *numne ego te credam cordis habere nihil?* id est, inquit, si dixeris me peccasse, te cordatum, & sapientem judicabo. Ex conclusione autem evidenter colligitur, quod poëta non se hic pro more solito vituperet, sed facete irrideat hebetem lectorem.

Ista tamen.] Instat lector, sed tui versus mali sunt, nec librarii vitio, sed tuo.

Quasi nos manifesta.] Respondet Poëta malos quidem esse suos versus, sed ab ipsis censoribus elegantiores non componi. Legunt alii, *Quæ si manifesta negamus.* Quam lectionem non intelligo. Alii, *qui sic manifesta negemus?* Videtur bona hæc lectio.

De Nævia amica. IX.

SCRIPSI, rescripsit nil Nævia. non dabit ergo?
Sed puto, quod scripsi, legerat. ergo dabit.

Scripsi, Nævia nihil rescripsit. Ergo non concedet? Sed, opinor, legerat quod scripsi, ergo concedet.

Legerat.] Epistolas enim ab amatore missas cum legit puella, se non inexorabilem fore indicat. Ovidius lib. I. de arte amandi.

Legerit, & nolit rescribere; cogere noli:
Tu modo blanditias fac legat ipsa tuas.
Quæ voluit legisse, volet rescribere dictis
Per numeros venient ista, gradusque suos.

In Postumum male olentem. X.

BASIA dimidio, quæ das mihi Postume labro,
Laudo: licet demas hinc quoque dimidium:
Vis dare majus adhuc, & inenarrabile munus?
Hoc tibi habe totum, Postume, dimidium.

O Postume, placent oscula quæ mihi libas dimidio labro: permitto hinc etiam tollas dimidium, placetne largiri majus donum, atque inexplicabile. O Postume, serva tibi totum hoc dimidium.

Quæ das.] Alii *quod das.* Videat lector.
Hoc tibi habe.] Male quippe olebat iste Postumus, de quo iterum epig. 12. & 21. infra.

In Selium moestum quod domi esset cœnaturus. XI.

QUOD fronte Selium nubila vides, Rufe,
Quod ambulator porticum terit serus,
Lugubre quiddam quod tacet piger vultus,

O Rufe, quod spectas Selium vultu obscuro, quod tardus ambulator emetitur porticum, quod frons iners silet quiddam funestum, quod nasus turpis

Quod

Quod pene terram tangit indecens nasus,
Quod dextra pectus pulsat, & comam vellit:
Non ille amici fata luget, aut fratris.
Uterque natus vivit & precor vivat.
Salva est & uxor, sarcinæque, servique:
Nil Colonus, villicusque decoxit.
Mœroris igitur caussa, quod domi cœnat.

fere demissus est ad terram usque, quod manus percutit pectus, atque evellit capillos; ille non deflet mortem amici, aut fratris. Uterque filius fruitur vita, & opto ut fruatur. Incolumis est uxor, & supellex, & mancipia salva sunt: *colonus, & custos villa nihil dilapidavit, ergo doloris ratio est, quod cœnat domi.*

In Selium.] Alii, *ad Rufum de Selio cœnipeta.*

Porticum.] Europes sane, ubi plerique divites ambulabant, a quibus ad cœnam invitari se sperabat Selius. Vide epig. 14. infra.

Lugubre quiddam.] Vultus nempe præ se fert signa tristitiæ.

Quod pene.] Per hyperbolen ostendit poëta, quam demitteret caput Selius præ pudore, & mœstitia, quod a nemine invitaretur ad cœnam.

Quod domi cœnat.] Alii, *Mœroris igitur caussa quæ? domi cœnat.* Judicet lector.

In Postumum fœtidum. XII.

Esse quid hoc dicam, quod olent tua basia myrrham,
Quodque tibi est nunquam non alienus odor?
Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Postume, semper:
Postume non bene olet, qui bene semper olet.

Quid colligam ex eo, quod odor myrrha insit tuis osculis, & ex eo quod semper habes odorem externum? in eo mihi subest suspicio, ô Postume, quod bene oles semper: ô Postume, qui semper bene olet, non bene olet.

Non bene olet.] Sic carpit Postumum, qui animæ suæ fœtorem, atque oris spurcitiem unguentorum accito odore dissimulare conabatur. Vide epig. 55. lib. 6.

Ad Sextum debitorem litigiosum. XIII.

Et judex petit, & petit patronus.
Solvas censeo, Sexte, creditori.

Et judex exigit, & patronus exigit. O Sexte, suadeo ut satisfacias creditori.

Et judex petit.] Nolentem solvere debita Sextum carpit, simul & Romanos Judices, qui pecuniam a litigantibus extorquerent. Præstat ergo, inquit Poeta, absque lite uni creditori satisfacere, quam tribus, judici, patrono, & creditori, si litigaveris.

Ad Paulinum de Selio parasito. XIV.

Nil intentatum Selius, nil linquit inausum,
Cœnandum quoties jam videt esse domi.
Currit ad Europen, & te, Pauline, tuosque
Laudat Achilleos, sed sine fine, pedes.

Selius nihil non molitur, nihil non audet, quoties sentit jam sumendam esse cœnam domi. Properat ad Europen, & te, ô Pauline, laudibus assidue extollit, & tuos pedes Achilleos. Si ni-

Si

Si nihil Europe fecit, tum Septa petuntur,
  Si quid Phyllirides præstet, & Æsonides.
Hinc quoque deceptus Memphitica templa frequentat,
  Assidet & cathedris mœsta juvenca tuis.
Inde petit centum pendentia tecta columnis,
  Illinc Pompeii dona, nemusque duplex.
Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,
  Nec Grylli tenebras, Æoliamque Lupi:
Nam thermis iterum cunctis, iterumque lavatur;
  Omnia cum fecit, sed renuente deo.
Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit,
  Si quis ibi serum carpat amicus iter.
Per te, perque tuam, vector lascive, puellam,
  Ad cœnam Selium tu, rogo, Taure, voca.

hil profuit Europe, tum transfert se ad Septa, si quid proficiat Phyllirides & Æsonides. Hinc etiam frustratus adit ædes Memphiticas, & sedet prope tuas cathedras, o juvenca tristis. Inde adit porticum innixam centum columnis, illinc munera Pompeii, & lucum duplicem. Nec contemnit balnea Fortunati, nec Fausti, nec tenebras Grylli, & Æoliam Lupi. Rursum enim & rursum abluitur in balneis omnibus; cum peregit omnia, sed adversante numine. Ablutus redit ad buxeta Europes tepentis, si quis amicus sero ambulet illic. O Taure vector libidinose, oro per te & per tuam puellam, tu invita Selium ad cœnam.

Currit ad Europen.] prope campum Martium porticus fuit, in qua picta erat Europes a Jove in Taurum converso raptæ fabula. Strabo lib. 5. πλησίον δ' ἐστὶ τοῦ πεδίου τούτου, καὶ ἄλλο πεδίον, καὶ στοαὶ κύκλῳ παμπληθεῖς, καὶ ἄλση, καὶ θέατρα τρία, &c. Prope hunc campum, *Martium* nempe, alius est campus, porticusque circumcirca permultæ, tum luci, theatra tria, &c. De hoc Selio vide epig. 11. supra. Sensus est, Quocunque ibat Selius ut inveniret aliquem, a quo ad cœnam invitaretur.

Achilleos pedes.] h. e. celeritatem tuorum pedum, quam passim Achilli tribuit Homerus: πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς, velox pedibus Achilles. In campo Martio cursu se exercebant Romani. Lege Strabonem loco citato.

Si nihil Europe.] Si nullum illic reperiat a quo invitetur, se confert ad Septa, quæ & ovilia dicta, loca nimirum tabulis vallata, in quibus populus Romanus suffragia laturus claudebatur.

Si quid Phylliridès.] In Septis sane fuit porticus in qua Argonautarum fabula miro artificio erat depicta: inter Argonautas vero fuit Chiron Neptuni & Phyllirae filius, & Jason ab Æsone procreatus, unde Æsonides dicitur. De his picturis fuse agit Plinius lib. 35. cap. 10.

Memphitica.] hoc est Ægyptia: Memphis urbs Ægypti clarissima, de qua epig. 1. lib. Spect. Juven. sat. 6. v. 530.

ut spargat in æde
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili.

hoc est, prope Septa in campo Martio erat templum Isidis.

Mœsta juvenca.] Io, ut legitur apud Ovidium lib. 1. Metam. Inachi fluvii filia, a Jove fuit compressa, & in vaccam deinde mutata transiit in Ægyptum, ubi regi Osiridi nupsit, cujus mortem ita deflevit, ut suis lacrymis Nilum auxerit, teste Pausania in Phocicis. Vide Strabonem lib. 17. Reineccius de Argivorum origine & nomine sic ait: Ex Jaso rege nascitur Io, quæ destinata Junonis sacerdotio, seu Phœnicum raptu, seu spontanea migratione ad Ægyptum appellit, ubi Telegano matrimonio juncta Epaphum parit, & novo Isidis nomine honoratur. Cognomentum *Isis* in Io repetitum propter ejus merita & virtutem: nam quæ prima id habuit, cum Osiride, quod nomen aliqui a Mizraim gentis conditore, propagant, fuisse scribitur. Unde postea Antonius cum se Osiridem nominaret, Cleopatram Isidem dixit.

Centum columnis.] Alii porticum Vipsanam de qua epig. 109. lib. 1. & epig. 20. lib. 3. Alii Corinthiam Cn. Octavii fuisse existimant.

Illinc Pompeii.] Porticum Pompeïam intellige. Vide Plinium lib. 35. cap. 10. Ovidium lib. 1. de arte amandi:

Tu modo Pompeia lentus spatiare sub umbra.

Nonasque duplex.] Vide locum Strabonis supra citatum, ubi agit de lucis. Alii intelligunt duos Pompeii hortos de quibus Cicero pro Milone.

Fortunati.] qui fuit balneator quidam ignobilis, sicut Faustus.

Nec Grylli.] Cujus tenebrosa erant balnea. Vide epig. 60. lib. 1.

Æoliamque.] Balnea sane habuit Lupus eo in loco ubi ventus flaret vehementissimus, unde vocat Æoliam a regia Æoli regis ventorum.

Europes tepida.] quia post meridiem illic plerique apricabantur. Vide epig. 20. lib. 3.

Voca ad cœnam.] Adime vitam Selio: nam si cœnabit cum Jove, e vita discederet quod urbane dixit, cum aliud sentire videretur.

In Hermum hominem spurcum. XV.

QUOD nulli calicem tuum propinas,
Humane facis, Herme, non superbe.

O Herme, benigne agis, non arroganter, quod nemini propinas tuum poculum.

Quod nulli.] Potes intelligere Hermi calicem fuisse venenatum: vel quod magis placet os illius fœtidum fuisse. Propinare, est proprie prægustato leviter vino poculum alteri offerre.

In Zoilum ægrotum ut stragula ostentaret. XVI.

ZOILUS ægrotat: faciunt hanc stragula febrem.
Si fuerit sanus, coccina quid facient?
Quid torus a Nilo, quid sindone tinctus olenti?
Ostendit stultas quid nisi morbus opes?
Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omneis.
Vis fieri sanus? stragula sume mea.

Zoilus morbo laborat; peristromata pariunt febrem. Si salvus fuerit, quid facient coccina? quid thalamus a Nilo, quid sindon olenti tinctu? quid invaletudo demonstrat præter divitias insanas? quid rei est tibi cum medicis? remove omnes Machaonas. Cupis ne bene valere? accipe mea peristromata.

Zoilus.] Ut opes lecti ostentaret, ægrotum se simulabat. Invidi, obtrectatores, ostentatores Zoili dicti sunt a Zoilo quodam, qui injuriosos in Homerum commentarios scripsit. Ælianus lib. 11. cap. 10. variar. histor.

Coccina.] Stragula nimirum cocco tincta.

Si fuerit sanus.] Si valeret, stragula cocco tincta ostendere non posset.

Quid torus.] Lecti scil. ornamentum maximi pretii habebatur, si ex lino Ægyptio; unde dicitur torus a Nilo, id est ab Ægypto.

Quid sindone tinctus.] hoc est, quid sindon olenti tinctura? alii legunt *cinctus*, id est, torus cinctus sindone tincta murice olenti. Bayfius de re vestiaria, *Sindon*, inquit, *est* amictus ex lino Ægyptiaco, sic dicta, ut opinor, quia primum in Sidone urbe hujusmodi amictus fieri cœpit. Ob id Tyria dicta epig. 19. lib. 4.

Machaonas.] Medici sic dicti sunt a Machaone filio Æsculapii.

Vis fieri sanus.] Ad mentem, & ad corpus refer. Vide epig. 84. lib. 6.

Sume mea.] Quoniam ea ostentare non cupies; sunt enim vilissima, atque ita fies sanus: hoc est, non simulabis te ægrotum.

Ad Amianum de tonstrice saccularia. XVII.

TONSTRIX Suburæ faucibus sedet primis,

Tonstrix habitat in aditu Suburæ, ubi sanguinolenta car

Cruenta

Cruenta pendent qua flagella tortorum,
Argique letum multus obsidet sutor.
Sed ista tonstrix, Amiane, non tondet.
Non tondet, inquis? ergo quid facit? radit.

nificum virga sunt suspensa, & ubi plures sutores occupant Argiletum. Sed ista tonstrix, Amiane, non tondet. Non tondet, ais? Quid igitur agit? radit.

Subura.] quædam urbis regio erat Subura.
Cruenta.] hoc est locus ubi rei puniebantur.
Argique letum.] Divisio est epig. 118. lib. 1. pro *Argiletum*, ubi multæ erant sutrinæ.
Non tondet.] Mœcha nempe quæ nec capillos, nec barbam, sed adolescentum pecunias radebat, id est eorum marsupium emungebat.
Inquis.] Amiani responsio. Alii, *Non tondet, inquam: quid ergo facit? Radit.*

In Maximum captatorem servilem. XVIII.

CAPTO tuam, pudet heu, sed capto,
Maxime, cœnam:
Tu captas aliam. jam sumus ergo pares,
Mane salutatum venio: tu diceris isse
Ante salutatum. jam sumus ergo pares.
Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo
regis,
Tu comes alterius. jam sumus ergo pares.
Esse sat est servum: Iam nolo vicarius esse.
Qui rex est, regem, Maxime, non habeat.

O Maxime, aucupor tuam cœnam, heu erubesco, sed aucupor: tu aucuparis aliam. Igitur jam æquales sumus. Mane accedo salutem dicturus: comperio te jam ivisse salutatum. Igitur jam sumus æquales. Ipse sum tuus assecla, atque anteambulo regis superbi: tu assecla alterius. Igitur jam sumus æquales. Sufficit esse mancipium: jam nolo esse vicarius. Qui rex est, o Maxime, non habeat regem.

Sum comes.] Clientes enim regem suum seu patronum honoris gratia comitabantur.
Vicarius.] Alii erant servi ordinarii, qui conservos in suo peculio habebant, quos vicarios vocabant.
Qui rex est.] hoc est, qui dominus est, non serviat alteri domino, seu regem non habeat epig. 32. infra.

Non bene, crede mihi, servo servitur amico,
Sit liber, dominus qui volet esse meus.

Ad Zoilum, cujus cœna beari solos mendicos dicit. XIX.

FELICEM fieri credis me, Zoile, cœna:
Felicem cœna, Zoile, deinde tua?
Debet Aricino conviva recumbere clivo,
Quem tua felicem, Zoile, cœna facit.

O Zoile, putas me beatum fieri cœna: an beatum cœna, o Zoile, & quidem tua? O Zoile, oportet eum convivam recumbere colli Aricino, quem beat tua cœna.

Debet Aricino.] Aricia in via erat Appia 160 stadiis ab urbe Roma in clivo sita. Strabo lib. 5. ubi erant multi mendici. Juv. sat. 4.

Cæcus, adulator, dirusque a ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.

Ludit in verbo *recumbere*, quod humi jacere, & mensæ accumbere significat.

De

De Paullo plagiario. XX.

CARMINA Paullus emit, recitat sua carmina Paullus.
Nam quod emas, possis dicere jure tuum.

Paullus mercatus est versus; Paullus recitat suos versus. Jure enim possis appellare tuum, quod emas.

Nam quod emas.] V. de epig. 30. lib. 1. & epig. 12. lib. 5. Nam qui emit, rei emtæ acquirit dominium. Festive plagiarium carpit.

In Postumum male olentem. XXI.

BASIA das aliis, aliis das, Postume, dextram.
Dicis, utrum mavis, elige? malo manum.

O Postume, libas oscula aliis, porrigis manum aliis: opta, inquis, utrum places? placet dextera.

Das dextram.] Quam tangant alii, nempe velut fidei, & amicitiæ pignus, vel quam osculentur; quod tamen soli imperatores & quidem superbi facere solebant. Suetonius in Domitiano cap. 12.

Malo manum.] Quam basia tua male olentia. Epig. 10. & 12. supra.

De eodem, Musas sibi nocere ait. XXII.

QUID mihi vobiscum est, ô Phœbe, novemque sorores?
Ecce nocet vati Musa jocosa suo.
Dimidio nobis dare Postumus ante solebat
Basia, nunc labro cœpit utroque dare.

O Apollo, & novem Musæ, quid mihi rei est vobiscum? ecce Musa festiva afficit suo poëta. Postumus prius consueverat præbere oscula dimidio labro; cœpit nunc præbere utroque.

Ecce nocet.] Antea enim dimidio tantum labro me osculabatur Postumus, epig. 10. supra, nunc vero propter versus me amat, atque impurum os suum totum mihi admovet.

De eodem, cujus basia horret. XXIII.

NON dicam, licet usque me rogetis,
Quis sit Postumus in meo libello.
Non dicam. quid enim mihi necesse est
Has offendere basiationes,
Quæ se tam bene vindicare possunt?

Non proferam in meo libro, quis sit Postumus; quamvis me assidue obsecretis, non proferam. Quid enim mihi opus est injuriam facere illis osculis quæ possunt sumere tantam vindictam.

Non dicam.] Caussas reddit cur verum nomen ficti hujus Postumi non proferat; quod nempe, inquit, sub amicitiæ specie libans mihi oscula male olentia de me pœnas & quidem acerbissimas sumeret.

In Candidum ingratum. XXIV.

SI det iniqua tibi triſtem fortuna reatum,
Squallidus hærebo, pallidiorque reo.
Si jubeat patria damnatum excedere terra,
Per freta, per ſcopulos exſulis ibo comes.
Dat tibi divitias. ecquid ſunt iſta duorum?
Das partem. multum eſt. Candide, das aliquid?
Mecum ergo miſer es. quod ſi Deus ore ſereno
Annuerit: felix, Candide, ſolus eris.

Si ſors injuſta tibi imponat criminationem mæſtam, horridus atque accuſato pallidior adſtabo. Si impetet condemnatum te diſcedere e terra patria, profugi ſocius ſequar per maria, & ſcopulos. Tibi largitur opes. Num communicas iſta mecum? largiriſne partem? Nimium eſt. O Candide, donaſne aliquid? Igitur mutua eſt inter nos calamitas. Quod ſi numen vultu placido aſſenſerit: O Candide, ſolus eris beatus.

Squalidus hærebo.] hoc eſt, ſi reus factus fueris, ego mutata veſte ſordidatus quocunque te comitabor: rei autem ſordidam veſtem induebant, ut judices ſuos ad miſericordiam commoverent.

Das partem.] Dimidiam ſubintelligere mihi videtur.

Das aliquid?] imo nihil das omnino.

Mecum ergo.] Alii *mecum eris, ergo miſer*: at vero, inquit poëta, ego tecum non ſum felix, ſed proſpera fortuna ſolus frueris.

Ad Gallam non ſtantem promiſſis. XXV.

DAs nunquam, ſemper promittis, Galla, roganti:
Si ſemper fallis, jam rogo, Galla, nega.

O Galla, ſemper polliceris petenti, nunquam concedis. O Galla, ſi ſemper decipis, nunc oro, recuſa.

Si ſemper fallis.] Facete jocatur poëta, & Gallam irridet, quæ ſi pollicita ſemper decipiat, cum negaverit, dabit.

Ad Bithynicum inhiantem hereditati Næviæ tuſſientis. XXVI.

QUod querulum ſpirat, quod acerbum Nævia tuſſit,
Inque ſuos mittit ſputa ſubinde ſinus:
Jam te rem factam, Bithynice, credis habere?
Erras: blanditur Nævia, non moritur.

Quod Nævia flebilem ducit ſpiritum, quod laborat acerba tuſſi, & identidem ſalivam effundit in ſinus ſuos: O Bithynice, putaſne jam tibi provenisse lucrum? Allucinaris: Nævia adulatur, non interit.

Quod acerbum.] Tuſſis enim ſignum erat vicinæ mortis. Vide epig. 11. lib. 1.

Inque ſuos.] Nam præ imbecillitate longius ſpuere nequibat.

Blanditur Nævia.] Te vana ſpe lactat nec moritura, imo diutius victura te heredem appellat.

De Selio adulatore. XXVII.

LAUDANTEM Selium cœnæ cum retia tendit,
Accipe ſive legas, ſive patronus agas.
Effœte, graviter, cito, nequiter, euge, beate!
Hoc volui. facta eſt jam tibi cœna. tace.

Audi Selium laudantem, ſive recites, ſive dicas cauſſas, cum ille parat retia cœnæ. Effœte, graviter, expedite, malitioſe, præclare, beate! hoc placet, jam obtinuiſti cœnam, ſile.

Effœte.] Effœta dicuntur, quæ omnino fœtum emiſerunt: per metaphoram Effœte dicitur in laudem illius qui nihil amplius dicendum reliquerit in ea re quam agit. Sic Ramireſius. Mature & ſapienter interpretatur Raderus. Alii legunt *effecte*, hoc eſt, plene, ut nihil ſupra. *Nequiter* verſute. Alii *naviter*.

Hoc volui.] Verba ſunt recitatoris, vel patroni reſpondentis acclamationibus Selii.

Tace.] Satis enim adulatus es, hodie cœnabis mecum.

XXVIII.

Ad Rufum de quodam ſervo litterato ad equeſtrem dignitatem evecto. XXIX.

RUFE, vides illum ſubſellia prima terentem,
Cujus & hinc lucet ſardonychata manus:
Quæque Tyron toties epotavere lacernæ,
Et toga non tactas vincere juſſa nives:
Cujus olet toto pinguis coma Marceliano,
Et ſplendent vulſo brachia trita pilo.
Non extrema ſedet lunata lingula planta,
Coccina non læſum cingit aluta pedem,
Et numeroſa linunt ſtellantem ſplenia frontem.
Ignoras quis ſit? ſplenia tolle, leges.

O Rufe, cernis illum occupantem primas ſedes cujus dextera ornata ſardonyche ſplendet etiam abhinc: & lacernæ quæ toties hauſerunt Tyron, & toga imperata ſuperare nives puras: cujus uncti crines redolent totum Marcelianum, & brachia lævia fulgent evulſo pilo. Lingula non vulgaris appoſita eſt calceis lunatis, pellis coccinea circundat pedem inoffenſum; & frequentia emplaſtra ungunt frontem ſtellantem, neſcis quis ſit? amove emplaſtra, leges.

Illum terentem.] Alii *tenentem*, hoc eſt, in amphitheatro inter primos equites ſedentem in quatuordecim ſubſelliis. Vide epig. 27. lib. 1. & epig. 8. lib. 5. Domitius ſubſellia judicum intelligit, in quibus ſedebant equites. Superbum hunc ſervum, aut forte alterum ad equeſtrem dignitatem evectum inſectatur poëta, epig. 14. lib. 5.

Sedere primo ſolitus in gradu ſemper.

Sardonychata.] Habebat quippe annulum Sardonyche ornatum quem geſtabant equites Romani.

Quæque Tyron.] Cujus lacernæ toties epotaverunt purpuram, id eſt toties Tyrio murice tinctæ ſunt. Lacernæ vero togæ ſuperinduebantur epig. 137. lib. 14.

Cum tegat algentes noſtra lacerna togas.

Marceliano.] unguento deliburus Marcelii unguentarii cujus myropolium exhauſerat novus iſte eques.

Et ſplendent.] pumice lævigata.

Non extrema.] hoc eſt teſtibus Ramireſio & Farnabio, non vulgaris, ſed pretioſa. Legunt alii, & forte melius,

Cuique heſterna ſedet.

id eſt nova, ut notet hunc ſervum hominem novum, & hodie primum nobilitatum. Hoc ſenſu Perſius ſat. 3. dixit *heſternos*

nes Quirites pro novis civibus. Judicet lector.

Lingula.] Auream vel argenteam fibulam ad formam linguæ intellige : lunatus autem calceos gestabant nobiles Romani, epig. 50. lib. 1.

Lunata nusquam pellis.

Non læsum.] Nam si læsum fascia coccinea, calceoque molliore fovisset, reprehensione caruisset. Raderus.

Splenia.] Emplastra quædam ex unguentis, vel medicamine aliquo ad capitis dolorem, vel oculorum morbum adhibita; ut autem frontis honor & elegantia constaret, fascia candida adhibebatur, inquit, Raderus. Porro quidam frontem liniebant unguento, vel cerusa : deinde panniculum, sive fasciam ponebant, quod splenium dicebatur : a quibusdam existimatum oculorum operimentum ad arcendam nimiam lucem. Lib. 10. epig. 22.

Stellantem.] hoc est nitentem, splendentem propter candorem fasciæ: vel a stellis fasciæ seu splenio ornatus caussa attextis. Hæc Raderus. Legunt alii stillantem, hoc est frontem madidam fluentibus stillis unguenti Marcelliani.

Leges.] Ex literis fronti ejus inustis cognosces eum fuisse servum stigmaticum.

In Caium avarum. XXX.

MUTUA viginti sestertia forte rogabam,
Quæ vel donanti non grave munus erat.
Quippe rogabatur felixque, vetusque sodalis;
Et cujus laxas arca flagellat opes.
Is mihi, dives eris, si caussas egeris, inquit.
Quod peto da, Cai, non peto consilium.

Forte petebam mutuo viginti sestertia, quæ vel danti non erat molestum donum. Etenim petebam a divite, atque ab antiquo socio, & cujus arca premit divitias amplas. Ille mihi respondet, opulentus fies, si dixeris caussas. O Cai, dono quod rogo, non rogo consilium.

Arca flagellat.] Turnebus lib. 21. cap. 4. Flagellare divitias, & flagellare annonam dicuntur, qui magnas arcis clausas opes tenent, & horreis fruges : quod invitas velut verberibus, & carceribus coërcitas erumpere foras non sinant. Vide epig. 13. lib. 5. epig. 18. lib. 1. & epig. 40. lib. 3. Papinius lib. 2. Sylvar.

Non tibi sepositas infelix strangulat arca
Divitias.

XXXI.

In Ponticum

cujus servilem & timidum animum arguit. XXXII.

LIs mihi cum Balbo est, tu Balbum offendere non vis,
Pontice: cum Licino est, hic quoque magnus homo est.
Vexat sæpe meum Patrobas confinis agellum:
Contra libertum Cæsaris ire times.
Abnegat & retinet nostrum Laronia servum:
Respondes, orba est, dives, anus, vidua.

Litigo cum Balbo, o Pontice, tu non vis in offensa esse apud Balbum: cum Licino, hic etiam est vir magnus. Patrobas vicinus crebro populatur meum agellum: metuis aggredi libertum Cæsaris. Laronia denegat & eruat mancipium nostrum: respondes, est sine liberis, opulenta, vetula, vidua.

Non

Non bene, crede mihi, servo servitur amico.
Sit liber, dominus qui volet esse meus.

Mihi fidem adhibe, inhonestum est pati servitutem amici mancipii, qui cupiet esse herus meus, sit liber.

Lis mihi.] Acute carpit caussidicum hunc Ponticum, qui divitum gratia ductus opem suam negabat ipsi. Usus est poeta nominibus fictis, ut professus est epistola primi libri. De Licino Persius sat. 2. Patrobii cujusdam liberti Neronis mentionem facit Suetonius in Galba cap. 20. Laroniæ vero meminit Juvenalis sat. 2. cujus orbæ hereditatem cum captaret Ponticus, in eam dicere nolebat.

Non bene.] epig. 18. supra.

Esse sat est servum : jam nolo vicarius esse.

Ergo deinceps Ponticum colere non vult poeta.

In Philænim deformem. XXXIII.

CUR non basio te, Philæni? calva es.
Cur non basio te, Philæni? rufa es.
Cur non basio te, Philæni? lusca es.
Te qui basiat, hic, Philæni; fellat.

Quare non osculor te, ô Philæni? calva es. Quare non do tibi suavium, ô Philæni? rufa es. Quare non libo tibi osculа, ô Philæni? lusca es. O Philæni, qui te osculatur..

Cur non basio te.] Deformem hanc mulierem irridet poëta quam ideo non basiabat, quod ejus caput Priapi speciem præ se fert.

In Gallam anum libidinosam. XXXIV.

CUM placeat Phileros, tota tibi dote redemtus,
Tres pateris natos, Galla, perire fame.
Præstatur cano tanta indulgentia cunno,
Quem nec casta potest jam decuisse Venus.
Perpetuam dî te faciant Philerotis amicam,
O mater, qua nec Pontia deterior.

O Galla, cum adeat Phileroтem a te conductum omni dote, sustines fame interire tres filios . . . . faxint dii semper ames Philerotem, & genitrix, qua nec pejor Pontia.

Redemptus.] Forte illum ex servitute redemerat; vel conduxerat ejus operas, ut interpretatus sum.

Galla.] Tam vetula erat, ut nec jam de nuptiis legitimis cogitare debuerit: attamen tanta libidine ardebat, ut in suum mœchum omne patrimonium effunderet: sic ergo sibi decrepitæ nimium indulgebat.

Dî te faciant.] Phileros veneficus uxores suas veneno necabat: Martialis igitur quasi prædicens futurum Gallæ interitum optat ex commiseratione, ut perpetua fit Phileroti amica, id est uxor. Lib. 10. epig. 43.

Septima jam, Phileros, tibi conditur uxor in agro:
Plus nulli, Phileros, quam tibi reddit ager.

Pontia deterior.] Juven. sat. 6. v. 637.
——————*sed clamat Pontia, feci,*
Confiteor, puerisque meis aconita paravi.

Legunt alii *Pontica*, & Medeam interpretantur quæ suos liberos crudeliter necavit.

Ad Phœbum varum. XXXV.

CUm ſint crura tibi ſimulent quæ cornua Lunæ,
In rhytio poteras, Phœbe, lavare pedes.

O Phœbe, cum habeas crura quæ repræſentent cornua Lunæ, poteras abluere pedes in rhytio.

O Phœbe.] Cornibus Lunæ ſimilia crura habebat Phœbus, ſeu varus erat diductis nempe poplitibus, plantis vero coeuntibus: itaque dicit poëta poſſe Phœbum in rhytio lavari: ῥυτὸν rhytum poculi genus eſt cornibus ſimile, ſed perforatum, ex quo tenuiſſime profluente vino inferne bibitur. Rhytium vero eſt diminutivum. De Rhyto agit Athenæus lib. 10. & lib. 11.

In Pannicum effœminatum. XXXVI.

PEctere te nolim, ſed nec turbare capillos.
Splendida ſit nolo, ſordida nolo cutis.
Nec tibi mitrarum, nec ſit tibi barba reorum.
Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum.
Nunc tibi crura pilis, & ſunt tibi pectora ſetis.
Horrida: ſed mens eſt, Pannice, vulſa tibi.

Nolim a te componi crines, ſed nec confundi. Non libet ut cutis niteat, nec libet ſqualeat. Nec habeas barbam mitrarum nec ſontium. O Pannice, non mihi placet vir nimium, aut parum. Nunc crura horreſcunt pilis, & ſtomachus pilis; ſed, ô Pannice, habes animum depilatum.

Nec tibi mitrarum.] Mitræ ſunt ornamenta mulierum. Senſus eſt: Ne barbam omnino reſeces fœminarum more: vel ne elegantius barbam componas, ut ſolent homines effœminati. *Pectere*: alii *flectere*.

Barba reorum.] qui barbam promiſſam & ſqualidam alebant, ut commiſerationem excitarent.

Nimium virum.] horridum & piloſum, ſed volo teneas medium. Ovidius lib. 1. de arte amandi:

Forma viros neglecta decet.

Mens vulſa.] Alii *volſa*. Metaphora eſt: mens enim neque hirſuta, neque vulſa eſt: at menti tribuit quod effœminato corpori convenit.

In Cæcilianum helluonem. XXXVII.

QUidquid ponitur hinc & inde verris:
Mammas ſuminis, imbricemque porci,
Communemque duobus attagenam,
Mullum dimidium, lupumque totum,
Murenæque latus, femurque pulli,
Stillantemque alica ſua palumbum.
Hæc cum condita ſunt madente mappa
Traduntur puero domum ferenda,

Quicquid apponitur hinc & inde, rapis; papillas ſuminis, & imbricem porci, atque attagenam communem duobus, dimidium mullum, atque integrum lupum, & latus murenæ, & femur pulli, & palumbum ſtillantem ſua alica. Cum hæc involuta ſunt mappa madida, ſervo dantur portan-

Nos

Nos accumbimus otiosa turba.
Ullus si pudor est, repone cœnam.
Cras te, Cæciliane, non vocavi.

da domum. Nos otiosa turba accumbimus. Si quæ verecundia est, restitue cœnam: O Cæciliane, non te invitavi cras.

Suminis.] Quod farcimen erat e papillis porcæ statim ab edito fœtu interfectæ, epig. 44. lib. 13.
Imbricemque porci.] Alii interpretantur vertebrum demptis costis, alii vero auriculam.
Attagenam communem.] Duobus convivis appositam: avis est saporis exquisiti epig. 61. lib. 13.
Mullum & Lupum.] Pisces delicatos.
Alica.] Genus præstantissimi tritici, quo saginatus erat palumbus: hic sumitur alica pro pinguedine ipsa, vel pro condimento ex alica confecto quo perfusus erat palumbus.
Hac cum.] Solebant Romani ad convivia mappas ferre, & præcipue ii qui rogato convivii rege quosdam cibos ferre domum volebant, epig. 29. lib. 12.
Otiosa turba.] Collectivum nomen jungitur numero plurali: hoc est accumbimus otiosi, nihil habentes in quo dentes exerceamus.
Non vocavi.] Solœcismus est, sed argutissimus, *cras non vocavi*, nimirum non in crastinum, sed hodiernum diem te invitavi, ergo repone cœnam. Domitius reposuit *vocavi* cum legeretur *vocabo*.

In Linum quem oderat. XXXVIII.

QUID mihi reddat ager, quæris, Line, Nomentanus?
Hoc mihi reddit ager, te, Line, non video.

O Line, rogas quid percipiam ex Nomentano fundo? id percipio ex fundo, ô Line, non te aspicio.

Non video.] Ut fugeret Linum sibi invisum, secedebat poëta in agrum, qui alioquin sterilis, satis tamen commodi præstabat, quod ipsi Lini conspectum auferret.

De muneribus mœchæ. XXXIX.

COCCINA famosæ donas, & ianthina mœchæ.
Vis dare, quæ meruit munera? mitte togam.

Das coccina, & ianthina infami adulteræ. Placet largiri dona, quibus digna est? mitte togam.

Mitte togam.] Matronarum stola, meretricum vero & adulterarum deprehensarum toga erat propria. Epig. 52. lib. 10.
Thelin viderat in toga spadonem,
Damnatam Numa dixit esse mœcham.
Juvenalis sat. 2.
———————— *est mœcha Labulla*
Damnetur, si vis, etiam Carphinia: talem
Non sumet damnata togam . . .
Coccina & ianthina vestes intellige purpureas & violaceas.

In Tongilium
fingentem se ægrotare ut cibos delicatiores ederet. XL.

URI Tongilius male dicitur hemitritæo.
Novi hominis mores: esurit, atque sitit.

Immerito dicitur Tongilius ardere hemitritæo. Mihi compertum est hominis ingenium; premitur fame & siti. Falla-

 Sub-

Subdola tenduntur crassis modo retia turdis,
Hamus & in mullum mittitur, atque lupum.
Cæcuba saccentur, quæque annus coxit Opimi:
Condantur parco fusca Falerna vitro.
Omnes Tongilium medici jussere lavari.
O stulti, febrem creditis esse? gula est.

cces plaga tantummodo tenduntur pinguibus turdis, & hamus dirigitur in mullum, & lupum. Cæcuba liquentur, & quæ maturavit annus Opimii: subnigra Falerna apponantur vitro modico. Omnes medici præceperunt ablui Tongilium. O dementes, an putatis esse febrem? helluatio est.

Tongilius.] Gulosus, qui ut bene cœnaret, febri laborare se simulabat: Hemitritæus est semitertiana febris.

Modo.] Alii nunc, hoc est, morbum simulat ut ab amicis turdos & pisces delicatos statim accipiat. Tongilii cujusdam meminit Juvenalis sat. 7.

Cæcuba saccentur.] id est, colo transmittantur, de vino cæcubo dicemus epig. 115. lib. 13. Alii *siccentur*, quæ lectio viris doctis non probatur.

Annus Opimi.] id est vinum Opimianum; eo enim anno quo L. Opimius consulatum gessit, fuit temperies cœli ad vini maturitatem aptissima. Epig. 27. lib. 1. & epig. 113. lib. 13. de Falerno epig. 111. lib. 13.

Parco vitro.] Exiguo calice propinetur illi, quod cum esset generosissimum, modice sumptum, vel bibaci sufficiebat.

In Maximinam edentulam. XLI.

RIDE, si sapis, ô puella, ride,
Pelignus, puto, dixerat poëta:
Sed non dixerat omnibus puellis.
Quamvis dixerit omnibus puellis,
Non dixit tibi, Tu puella non es.
Et tres sunt tibi, Maximina, dentes,
Sed plane picei que, buxeique.
Quare si speculo, mihique credis,
Debes non aliter timere risum,
Quam ventum Spanius, manumque Priscus:
Quam cretata timet Fabulla nimbum,
Cerussata timet Sabella Solem:
Vultus indue tu magis severos,
Quam conjux Priami, nurusque major.
Mimos ridiculi Philistionis,
Et convivia nequiora vita,
Et quidquid lepida procacitate
Laxat perspicuo labella risu.
Te mœstæ decet assidere matri,
Lugentique virum, piumque fratrem,
Et tantum tragicis vacare Musis.
At tu, judicium secuta nostrum,
Plora, si sapis, ô puella, plora.

Pelignus vates, opinor, dixerat, Ride, ô puella, si sapis: sed non dixerat omnibus puellis. Licet dixerit omnibus puellis, non dixit tibi. Tu non es puella. Et habes tres dentes, ô Maximina, sed prorsus piceos & buxeos. Quapropter si adhibes fidem speculo & mihi, non debes metuere risum minus, quam Spanius ventum, & Priscus manum; nam Fabulla cretata metuit pluviam, & Sabella cerussata metuit Solem; tu compone vultum ad severitatem magis quam uxor Priami, & nurus major. Fuge mimos ridiculi Philistionis, & epulas lasciviores, & quidquid jocularibus dictis pandit labra risu aperto. Tibi convenit assidere genitrici dolenti & mœrenti maritum, & pium fratrem, & solummodo operam dare Musis tragicis. Sed tu obsecuta monitis nostris, ô puella, lacrymare, si sapis, lacrymare.

Pe-

Pelignus poëta.] Ovidius. Peligni populi Italiæ; hodie *Valva*, Ovidii patria. Domitius putat Martialem alludere ad quosdam versus de Arte amandi, qualis est iste lib. 3.

Spectantem specta: ridenti mollia ride.

Alii putant Ovidii versum esse integrum petitum ex Medea. Angelus vero Politianus esse ex epigrammatis Ovidii, non ex Medea. Nam quorsum Phaleucium in tragœdia aut Medæa? Ab Angelo Politiano stare placet. Hæc ex Radero.

Sed non dixerat.] Quæ enim nigros dentes habent, aut edentulæ sunt, ridere non debent.

Spanius, & Priscus.] Hos obiter perstringit, quorum alter studiosius capillos componebat; alter vero cum elegantiores haberet vestes manu nolebat tangi, epig. 63. lib. 3.

Pallia vicini qui refugit cubiti,

& epig. 83. lib. 10.

Cretata Fabulla.] Plinius lib. 35. cap. 17. cretæ plura genera enumerat. Alia, inquit, creta argentaria appellatur, nitorem argento reddens; qua sane utebatur Fabulla, quæ timebat pluviam, ne fucus ille madidus difflueret.

Cerussa.] Genus est pigmenti quo illinitur vultus ad candorem conciliandum, & calore Solis liquefit. De hoc pigmento lib. citato.

Conjux Priami.] Quam mœsto & severo vultu introducunt poëtæ.

Nurus major.] Andromache Hectoris uxor quæ major nurus erat, cum nupsisset Hectori primogenito Priami ex Hecuba, minor vero nurus Helena Paridis adultera.

Mimos.] Poëmata sunt ad excitandum risum. Philistio comicus Sardianus mortuus est Socratis tempore, & quidem risu immoderato, teste Suida.

Mæsta matri.] Sensus est, assidere debes Hecubæ mœstæ, Andromache Hectorem maritum lugenti, & Electræ Orestem fratrem deflenti. cum de illis fabula agitur. Assidere autem dixit, quod sederent antiqui dum mortuos lugerent. Tibullus lib. 2. elegia 7.

Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.

Piumque fratrem.] In patrem nempe Agamemnonem, cujus mortem ultus est occisa sua matre Clytemnestra; vel in Pyladem pro quo mori cupiebat.

Tragicis vacare Musis] Quæ luctuosa tantum & tristia exhibent spectacula.

In Zoilum hominem impurum. XLII.

Zoile, quid solium subluto podice perdis?
Spurcius ut fiat, Zoile, merge caput.

O Zoile, quid contaminas solium abluto podice? ut impurius fiat, immerge caput.

Solium.] vas quo in balneis mulieres utebantur, & in quo sedentes lavabantur. Suetonius in Augusto cap. 82. *Contentus hoc erat, ut insidens ligneo solio, quod ipse Hispanico verbo duretam vocabat, manus ad pedes alternis jactaret.* Epig. 81. lib. 6. & 96. lib. 11.

Merge Caput.] Quod cum obscœnum sit, magis fœdabit solium.

In Candidum verbis liberalem, reapse avarum. XLIII.

Candide κοινὰ φίλων, hæc sunt tua, Candide, πάντα,
Quæ tu magniloquus nocte dieque sonas.

O Candide, hæc sunt tua verba, Omnes amicorum communia, quæ tu ostentator jactas die & nocte. Tu rogans

Te Lacedæmonio velat toga lota Galeſo,
 Vel quam ſepoſito de grege Parma dedit.
At me quæ paſſa eſt Furias & cornua tauri,
 Noluerit dici quam pila prima ſuam.
Miſit Agenoridæ Cadmi tibi terra lacernas:
 Non vendes nummis coccina noſtra tribus.
Tu Libycos Indis ſuſpendis dentibus orbes:
 Fulcitur teſta fagina menſa mihi.
Immodici tibi flava tegunt chryſendeta mulli:
 Concolor in noſtra cammare lance rubes.
Grex tuus Iliaco poterat certare cinædo.
 At mihi ſuccurrit pro Ganymede manus:
Ex opibus tantis veteri fidoque ſodali
 Das nihil, & dicis, Candide, κοινὰ φίλων.

induis lotam Galeſo Lacedæmonio, vel quam donavit Parma de grege electo. Verum illam induo, *quæ ſuſtinuit furores & cornua tauri, quam ſuam prædicari recuſaverit pila prima. Tellus Cadmi ex Agenore nati miſit ad te lacernas: tribus* vero *nummis non vendes coccina noſtra. Tu pedibus eburneis fulcis menſas Libycas: ego teſta fulcio menſam faginam. Ingentes mulli implent flava tua chryſendeta: O cammare, rubes eodem colore quo lanx mea. Grex tuus poterat contendere Trojano cinædo. Sed ego pro Ganymede utor manu mea. Ex tantis divitiis nihil largiris antiquo & fideli amico, & prædicas, ô Candide*, communia amicorum.

Toga lota Galeſo.] Oves in Galeſo fluvio Tarentino lavabantur, ex quarum nobili vellere togæ conficerentur. Lacedæmonium dixit, quia Tarentum condiderunt Lacedæmones.

Parma.] Italiæ urbs nota. Lib. 14. epig. 155.

Velleribus primis Apulia, Parma ſecundis.

Pila prima.] De pilis quæ trita & lacera veſte induebantur, ut tauris objicerentur, dictum eſt lib. Spect. epig. 19. & 22. Dicitur prima, quia ordine diſponebantur illæ pilæ, humanæ ſcilicet effigies viliſſimis pannis indutæ: prima autem erat, quæ primum taurorum impetum patiebatur.

Terra Cadmi.] Tyrus nempe tibi mittit veſtes purpureas.

Noſtra coccina.] Ironicôs pannos ſuos vocat coccineas lacernas, quas negat valere tribus ſeſtertiis nummis.

Libycos orbes.] Periphraſis menſarum, quæ fiebant e citro quo abundat Atlas mons Libyæ. Epig. 89. lib. 14. Juvenalis ſat. 11. verſ. 121.

Indis dentibus.] hoc eſt pedibus eburneis,

——— *latos niſi ſuſtinet orbes*
Grande ebur.

Nempe ex dentibus elephantorum, quibus abundat Indis. Virgilius Georgicorum lib. 1.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

Chryſendeta.] Turnebus lib. 14. cap. 3. Chryſendeta vaſa doctiſſimi viri explicant cruſtis aureis illigata & exornata: ut in Martiale lib. 2. epig. 43. ego vaſa gemmata eſſe puto, quorum gemmæ conſertæ & contextæ tenerentur.

Cammare.] Viliſſimus ex cancrorum ſpecie piſcis cammarus fictilis ſuæ lancis rubrum colorem referebat.

Grex tuus.] Pueri tui de elegantia & venuſtate cum Ganymede diſputare poſſunt. In Ida monte fuit Ganymedes ad cœlum raptus ab aquila Jovis, cui ſervus a menſa dictus eſt.

At mihi.] Ego vero mihi ipſi ſervio: alii aliter explicant ex epig. 42. lib. 9. & epig. 74. lib. 11.

In Sextum cujus avaritiam lepide depingit. XLIV.

EMI seu puerum, togamve pexam,
Seu tres, ut puto, quatuorve libras:
Sextus protinus ille fœnerator,
Quem nostis veterem meum sodalem,
Ne quid forte petam, timet cavetque,
Et secum, sed ut audiam, susurrat,
Septem millia debeo Secundo,
Phœbo quatuor, undecim Phileto,
Et quadrans mihi nullus est in arca.
O grande ingenium mei sodalis!
Durum est, Sexte, negare, cum rogaris.
Quanto durius, antequam rogeris!

Sive mercatus sum servum, aut togam politam, sive tres, ut opinor, aut quatuor libras. Subito Sextus ille fœnerator, quem scitis antiquum meum esse amicum, metuit ne quid forte rogem & cavet, & secum mutit, sed ut auscultem, debeo Secundo septem millia, Phœbo quatuor, Phileto undecim, & nullum habeo quadrantem in arca. O mentem sublimem mei amici! O Sexte, grave est, recusare, cum a te petitur, quanto gravius priusquam petatur.

Togamve.] Pexa toga est nova & polita epig. 58. infra.

Pexatus pulchre rides mea Zoile trita.

Ut puto.] Heraldus legit *supputo*, existimatque. Summam esse aliquam pecuniæ quam Martialis secum audiente Sexto forte computabat: attamen cum loquatur Poëta de emptionibus suis, alii melius meo judicio retinent, *ut puto*, quod interponitur dubitationis caussa, deficiente scilicet memoria, atque argenti facti libras intelligit Poëta: forte legendum *libros* non *libras*. Statim vero, inquit Poëta, rationes suas secum tacite computat Sextus, ita tamen ut audiam, ne forte ab ipso pecuniam mutuer. Vide epig. 85. lib. 7. ubi de libra argenti.

O grande.] Per ironiam *ingenium* dixit pro sordibus & avaritia.

Durum est.] Acute Sextum avarum reprehendit, quod preces, atque ejus petitionem occupasset.

Ad Glyptum eviratum. XLV.

QUÆ tibi non stabat, præcisa est mentula, Glypte.
Demens cum ferro quid tibi? Gallus eras.

O Glypte, resecuisti penem, qui non arrigebat. O stulte, quid tibi opus ferro? Gallus eras.

Gallus.] Galli sacerdotes Cybeles Samia testa sibi resecabant genitalia: at non debuit Glyptus sibi præcidere mentulam, cum esset eviratus: quapropter jam Gallus erat antea.

In Nævolum amicum avarum. XLVI.

FLORIDA per varios ut pingitur Hybla colores,
Cum breve Sicaniæ ver populantur apes:
Sic tua suppositis perlucent præla lacernis:
Sic micat innumeris arcula synthesibus.
Atque unam vestire tribum tua vellera possunt,
Appula non uno quæ grege terra tulit.
Tu spectas hyemem succincti lentus amici,
(Proh scelus!) & lateris frigora trita times.

Quemadmodum florea hybla depingitur diversis coloribus, cum apes vere depascuntur candidos Siciliæ flores: ita tua prala nitescunt subjectis lacernis: ita arca collucet innumeris synthesibus. Atque tuæ lanæ possunt vestire unam tribum, quas de multis gregibus produxit Apulia. Tu immisericors aspicis frigus sodalis succincti (ô nefas!) & metuis frigus, cui subjiciunt latus meum vestes tritæ.

Quan-

Quantum erat infelix pannis fraudare duobus!
Ne metuas, non te, Nævole, ſed tineas.

Quanti erat momenti privare duobus pannis! Ne timeas, non te, ô Nævole, ſed tineas.

Hybla.] Mons Siciliæ floribus omnis generis abundans, quos breves ſeu caducos veris tempore depaſcuntur apes.

Sic tua.] Nam veſtes quo nitidiores eſſent, prælis premi ſolebant. Vulgara lectio habet,

Sic tua appoſitis perlucent præla lucernis.

Seneca lib. 1. de tranquillitate vitæ cap. 1.

Synthesibus.] Hoc loco accipitur ſynthesis pro quavis veſte, ut plurimum vero ſignificat veſtem cœnatoriam. De illius uſu varia eſt mens interpretum. Vide epig. 1. lib. 14.

Lentus.] id eſt, ſine miſericordia. Lenti enim ſpectare dicuntur, qui nec ad commiſerationem, nec ad iracundiam commoventur. *Succincti* vero, hoc eſt pene nudi, & quaſi ad iter capeſcendum accincti.

Et lateris.] hoc eſt ſodalis; latus enim, ut aiunt interpretes, ſumit Poeta pro laterone qui latus cingit. *Frigora trita*, id eſt frigora, quæ admittunt tritæ lacernæ. Lipſius legit *tute frigora*, hoc eſt, ego, ô Nævole, adeo frigeo, ut tu ipſe quantumvis veſtibus tuis ſecurus verearis, ne meum frigus ad te perveniat. Forte melius legeretur *frigora tanta mei*, hic locus perobſcurus eſt. Vulgata lectio haber *frigora tuta*, id eſt, Ego tantopere algeo, ut tu licet tutus & munitus multis veſtibus, nihilominus timeas frigus, quo corripior.

Ne metuas.] hoc eſt, quanti erat momenti, ô miſer, privare duobus pannis: *ne metuas*, non dico te privare, ô Nævole, ſed duobus pannis defraudare tineas, a quibus veſtes tuæ in arca incluſæ corroduntur. Legit Heraldus:

Quid tenuis? non te, Nævole, ſed tineas.

Vulgata lectio habet,

Non metuas mortem, Nævole, ſed tineas.

Qua ultima lectione recepta ſubaudiendum eſſet, *non te*, poſt hemiſtichion *non metuas mortem*. Hoc ſenſu, ne timeas mortem; non te fraudare, quæro, ſed tineas.

XLVII.

Ad Rufum de vita quieta & frugali. XLVIII.

CAUPONEM laniumque, balneumque,
Tonſorem, tabulamque, calculoſque,
Et paucos, ſed ut eligam, libellos:
Unum non nimium rudem ſodalem,
Et caram puero meo puellam,
Et grandem puerum diuque lævem:
Hæc præſta mihi, Rufe, vel Bitonti,
Et thermas tibi habe Neronianas.

O Rufe, ſuppedita mihi vel Bitonti cauponem, & lanium, & balneum, tonſorem, tabulamque luſoriam, & calculos, & paucos libros, ſed a me electos, unum amicum mediocriter eruditum, & puellam gratam meo ſervo, & grandem puerum diu imberbem: & tu fruere thermis Neronis.

Et caram puero.] Qui amore irretitus domi aſſiduus eſſet.

Vel Bitonti.] Legunt alii *Bitontis*, obſcurum erat Appuliæ oppidum.

Et thermas.] Cæteris nempe amœniores: ego autem vel in obſcuriſſimo oppido rebus ſupra enumeratis contentus ero.

XLIX.

L.

LI.

De

De Dasio balneatore. LII.

NOVIT loturas Dasius numerare: poposcit
Mammosam Spatalen, pro tribus illa dedit.

Dasius cognovit loturas: petiit a mammosa Spatale, illa dedit pro tribus.

Novit loturas.] hoc est eas quæ lavare cupiunt. Alii *lectoras*, minus bene.
Mammosam.] Spatales mammæ tantæ erant magnitudinis, ut trium mulierum locum occuparet, atque ita triplicem mercedem ab ipsa exegit balneator. Hic sensus præ alia obscœna explicatione quidem placet: nempe Spatale & duæ illius mammæ trium locum occupabant.

In Maximum, qua ratione veram libertatem consequi possit. LIII.

VIs, fieri liber? mentiris, Maxime, non vis:
Sed fieri si vis, hac ratione potes.
Liber eris, cœnare foris si, Maxime, nolis:
Veientana tuam si domat uva sitim:
Si ridere potes miseri chrysendeta Cinnæ:
Contentus nostra si potes esse toga.
Si plebeia Venus gemino tibi vincitur asse:
Si tua non rectus tecta subire potes:
Hæc tibi si vis est, si mentis tanta potestas,
Liberior Partho vivere rege potes.

Cupisne consequi libertatem? mentiris, ô Maxime, non cupis: sed si cupis, licet hoc modo. O Maxime, liber fies, si recuses captare alienam cœnam: si vinum Veientanum restinguit sitim, si potes contemnere chrysendeta infelicis Cinnæ: si potes contentus esse nostra toga: si domas venerem plebeiam duobus assibus: si potes incurvus ingredi tuam domum. Si habes hanc vim, & tantum imperium in te, potes ducere vitam liberiorem rege Parthorum.

Cœnare foris.] Durum enim est aliena vivere quadra, ut docet Juvenalis sat. 5. epig. 11. lib. 9.
Liber non potes, & gulosus esse.
Veientana.] Vinum ex agro Veientano vilissimum.
Chrysendeta.] Vasa gemmis ornata de quibus epig. 43. supra.
Miseri Cinnæ.] Præ nimia talium vasorum cupiditate.
Si plebeia.] Si meretricibus contentus non sectaris matronas.
Si tua non rectus.] Vel easam humilem intellige, vel quod magis placet, superiores domus contignationes, quæ cœnacula vocabantur, ubi habitabant pauperes, in quæ nisi incurvi adscendere nequibant.
Liberior.] Parthorum regis libertatem acerrime semper propugnaverunt, & regum reges vocabantur, ut docet Suetonius in Caligula cap. 5.

LIV.

Ad Sextum superbum. LV.

VIs te, Sexte, coli: volebam amare.
Parendum est tibi: quod jubes, coleris.
Sed si te colo, Sexte, non amabo.

O Sexte cupis observari: volebam te diligere. Obtemperandum est tibi: quod imperas, observaberis. Sed si te observo, ô Sexte, non diligam.

Vir

Vis coli.] Observantiam a me exigis.
Volebam amare.] Te familiariter uti cupiebam.
Non amabo.] id est, te odio habebo: amor enim, & ea quam exigebat Sextus observantia, non conveniunt.

De uxore Galli quam adulterii accusat. LVI.

GENTIBUS in Libycis uxor tua, Galle, notatur
Immodicæ fœdo crimine avaritiæ.
Sed mera narrantur mendacia: non solet illa
Accipere omnino. quid solet ergo? dare.

O Galle, apud Libya populos conjux tua notatur turpi crimine avaritiæ immoderatæ. Sed mendacia pura dicuntur: prorsus illa non consuevit accipere. Quid igitur consuevit? dare.

Gentibus in Libycis.] Hinc colligere est hunc Gallum in Libya, magistratum gessisse; cujus uxor a provincialibus munera accipere dicebatur, at illius avaritiam falsè excusat Poëta: dare quippe verbum est obscœnum hoc loco.

In fictum divitem. LVII.

HIc, quem videtis gressibus vagis lentum,
Amethystinatus media qui secat septa;
Quem non lacernis Publius meus vincit,
Non ipse Codrus alpha penulatorum:
Quem grex togatus sequitur, & capillatus,
Recensque sella, linteisque, lorisque:
Oppigneravit ad modo Claudii mensam
Vix octo nummis annulum, unde cœnaret.

Hic, quem cernitis tardum passibus incertis, qui amethystinatus dividit media septa; quem lacernis non superat meus Publius, non Codrus ipse primus penulatorum: quem comitatur grex togatus, & comatus, & sella nova velis & corrigiis; paulo ante ad Claudii mensam dedit pignori annulum vix octo nummis, quibus emeret cœnam.

Gressibus vagis lentum.] Tardus incessus gravitatis & dignitatis signum.
Amethystinatus.] hoc est, vestibus conductis ornatus amethysti colorem violaceum referentibus, epig. 57. lib. 1. De septis dictum epig. 14. supra.
Media secat] hoc est, viam sibi aperit per mediam turbam. Ut factum ficti hujus divitis graphice depingat Poëta, hæc subjungit.
Publius.] Qui tamen pretiosis lacernis erat indutus, sicut Codrus.
Non ipse Codrus.] Cujus & vestes erant elegantissimæ. Raderus explicat hunc Codrum a Martiale intelligi principem pauperum, de quo epig. 27. lib. 5. & Juv. sat. 3. hoc est, qui habet æque tritas vestes ac Codrus. Prior interpretatio mihi videtur melior: judicet lector.
Togatus grex.] Anteambulonum scilicet, quorum indumentum erat toga, epig. 109. lib. 1.
Capillatus.] Grex puerorum, qui longas comas alebant, epig. 62. lib. 10.
Recensque sella.] De sella, & linteis quibus velabatur fuse agit Lipsius Elect. lib. 1. cap. 19. Juvenalis sat. 1.
Nova cum veniat lectica Mathonis.
Claudii.] Mensarii nempe. Indicium vero erat extremæ egestatis, annuli vel venditio vel oppigneratio. Juv. sat. 11.
Talibus a dominis post cuncta novissimus exit
Annulus.

In Zoilum vestibus alienis ornatum. LVIII.

PEXATUS pulchre rides mea, Zoile, trita.

O Zoile, tu ornate pexatus derides mea vestimenta vilia.

Sunt

Sunt hæc trita quidem, Zoile: sed mea sunt.

O Zoile, hæc sane vilia sunt; sed pertinent ad me.

Pexatus.] Turnebus lib. 5. cap. 14. Vestes illæ pexæ sunt, in quibus nec stamen, nec subtegmen apparet, eminente & operiente villo. Epig. 44. supra.

Mea sunt.] Quas vero tu habes vestes, conduxisti.

De cœnatione micæ. LIX.

MICA vocor. quid sim cernis? cœnatio parva.
Ex me Cæsareum prospicis ecce tholum.
Frange toros: pete vina; rosas cape: tingere nardo:
Ipse jubet mortis te meminisse Deus.

Mica appellor, videsne quid sim? diæta exigua. Ex me prospectas tholum Cæsaris. Rumpe lectos: posce vina: accipe rosas: ungere nardo: Deus ipse imperat te recordari mortis.

Mica vocor.] Loquitur cœnatio quam Domitianus extruxerat, & micam vocaverat propter exiguitatem: cœnatio vero est locus ad cœnandum. Juvenalis sat. 7. versu 81.

Surgat, & algentem rapiat cœnatio Solem.

Illud addam auctarii loco, antiquorum luxuriam versatilia cœnationum laquearia fecisse, & ita coagmentasse, ut subinde alia facies atque alia succederet, & toties tecta, quoties fercula mutarentur. Sic Philander in cap. 3. lib. 4. Vitruvii.

Prospicis ecce tholum.] Tholus, teste Philandro ad lib. 4. Vitruvii cap. 7. est ædificii camera, quæ altius crescens rotunda forma in fastigiatum cacumen desinit, &c. Si conjecturæ locus est, inquit Ramiresius, existimaverim micam hanc ita esse exædificatam, ut ex ipso triclinio prospiceretur aliquis tholus ædificii, quod sepulchrum alicujus Imperatoris contineret; & ausim affirmare esse Mausoleum D. Augusti. Quo viso, de sua sorte admonebantur convivæ: mortis vero memoria ad vitæ lautitias illos excitabat. Martialis se ipsum explicuisse videtur epig. 65. lib. 5.

Jam vicina jubent nos vivere Mausolea,
Cum doceant, ipsos posse perire deos.

Raderus Scaligerum secutus Ausonianarum lectionum lib. 2. cap. 26. intelligit tholum interiorem ipsius micæ, a quo pendebat cranium, quod convivas de morte admonebat, ut eo largius viverent, & potationibus vacarent. Vide epig. 71. lib. 1. ubi de tholo jam facta mentio.

Frange toros.] Assiduus accumbe, ut usu diurno nocturnoque frangatur torus seu lectus cui accumbebas conviva. Epig. 8. lib. 4.

Rosas cape.] Coronati floribus bibere solebant veteres, epig. 51. lib. 13. Plinius lib. 21. cap. 19. *Crapulam & gravedines capitis impositis coronis, olfactuve discutiunt.* Heraldus hoc loco fuse agit de more illo antiquorum.

Tingere nardo.] Ungaris nardino unguento. *Nardinum sive foliatum constat omphacio, balanino, junco, costo, nardo, amomo, myrrha, balsamo.* Plinius lib. 13. cap. 1.

Te meminisse Deus.] Domitianus ipse Deus extructa aurea diæta, ex qua prospicitur Mausoleum Augusti, vel ex cujus tholo suspensum est cranium, monet ut genio hilariter indulgeas. Idem fere legea apud Petronium in Trimalcionis convivio: *Larvam*, inquit, *argenteam attulit servus, hanc cum super mensam semel iterumque abjecisset, Trimalcio adjecit:*

Heu nos miseros, quam totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti postquam nos auferet orcus.
Ergo vivamus, dum licet esse, bene.

Te meminisse.] Alii *dememinisse*, hoc est oblivisci mortis.

LX.

LXI.

LXII.

In

In Milichum luxuriosum. LXIII.

SOLA tibi fuerant sestertia, Miliche, centum,
Quæ tulit e sacra Leda redemta via.
Miliche, luxuria est, si tanti dives amares.
Non amo, jam dices: hæc mage luxuria est.

O Miliche, tantum habebat centum sestertia, quæ abstulit Leda empta ex sacra via. O Miliche, intemperantia est, etiamsi locuples amares tanto pretio. Jam respondebis, Non amo; hac intemperantia major est.

Leda.] Alii putant Ledam hanc meretricem fuisse, & centum sestertia a Milicho amatore ei data foisse: alii vero melius intelligunt servam formæ, vel ministerii caussa emptam: cum subjiciat Milichoa se non esse captum amore Ledæ; unde concludit Poëta, minus illum esse excusandum, qui nulla motus voluptate tantam pecuniæ summam profuderit: in sacra via servi & res aliæ vendebantur.

In Taurum cunctatorem. LXIV.

DUM modo caussidicum, dum te modo rhetora fingis,
Et non decernis, Taure, quid esse velis:
Peleos, & Priami transit, vel Nestoris ætas,
Et fuerat serum jam tibi, desinere.
Incipe, tres uno perierunt rhetores anno,
Si quid habes animi, si quid in arte vales.
Si schola damnatur, fora litibus omnia fervent:
Ipse potest fieri Marsya caussidicus.
Eia age, rumpe moras. quo te spectabimus usque?
Dum, quid sis, dubitas, jam potes esse nihil.

Dum te simulas nunc caussidicum, nunc rhetorem, nec statuis, ô Taure, quid cupias amplecti; ætas Peleos, & Priami, vel Nestoris præterit, & jam tardior esses ad desistendum. Incipe, tres rhetores uno anno mortui sunt, si quid ingenii habes, si quid polles in arte. Si non placeat schola, omnia fora plena sunt controversiarum: Marsya ipse potest evadere caussidicus. Macte animo, discute cunctationes. Quandiu te expectabimus? Dum ambigis quid sis, jam potes esse nihil.

Dum modo.] Caussas dicere in foro, vel in schola docere cogitas.

Peleos.] Græcus genitivus. Peleus pater Achillis longævus fuit, Priamus quoque, & Nestor, de quibus alias.

Et fuerat serum.] Si artem aliquam professus fuisses, jam serum esset ab ea desistere, atque ita tardissimum est incipere.

Tres perierunt.] quorum nomina ignorantur.

Ipse potest.] Tam facile est caussas dicere, ut vel statua Marsyæ saxea in foro posita dicendi artem addiscere possit. Lipsius lib. 3. antiquarum lectionum. Ad Marsyæ statuam Romani vadimonia obibant. Legunt alii,

Ipse potes fieri Marsya caussidicus.

hoc est, tu ipse stupidus ut Marsya potes caussas dicere. De Marsya epig. 62. lib. 10.

Spectabimus.] Alii *sperabimus*, quod expectare significat: nam qui sperat, expectat. Forte legendum *expectabimus*: *spectare* enim vix significet *expectare*, epig 24. lib. Spect.

Esse nihil.] Vita te deficiet, priusquam vitæ genus amplexus fueris.

In

In Saletanum cujus casum non tam deflet, quam doti ejus uxoris invidet. LXV.

CUR tristiorem cernimus Saletanum?
An caussa levis est? extuli, inquis, uxorem.
O grande fati crimen! ô gravem casum!
Illa, illa dives mortua est, Secundilla,
Centena decies quæ tibi dedit dotis?
Nollem accidisset hoc tibi, Saletane.

Quare videmus Saletanum mæstiorem? An levis ratio est? Extuli uxorem, ais. O ingens scelus fati! O acerbum infortunium! An illa, illa locuples Secundilla periit, quæ tibi attulit decies centena millia in dotem? O Saletane, nollem hoc tibi obvenisset.

Extuli.] verbum est funeris proprium.

Grande crimen.] fictum Saletani dolorem irridens fatum accusat Poëta.

Centena decies.] millia sc. sestertiûm. Juvenalis sat. 10. vers. 334.

——— *& ritu decies centena dabuntur Antiquo*

Vide epig. 38. lib. 5. epig. 24. lib. 11.

Nollem accidisset.] hæc nempe uxoris hereditas, cum videatur dicere: Nollem amisisses tuam uxorem. *Mortua in matrimonio muliere, dos a patre profecta ad patrem revertitur*, quintis in singulos liberos in infinitum relictis penes virum. Quod si pater non sit, apud maritum remanet. Adventitia autem dos penes maritum remanet, præterquam si is qui dedit, *ut sibi redderetur, stipulatus sit*, &c. Ulpianus in suis Fragmentis tit. 6. de dotibus.

In Lalagen, cui ob insolentiam imprecatur calvitiem. LXVI.

UNUS de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, incerta non bene fixus acu.
Hoc facinus, Lalage, speculo, quo viderat, ulta est;
Et cecidit sectis icta Plecusa comis.
Desine jam Lalage tristeis ornare capillos,
Tangat & insanum nulla puella caput.
Hoc Salamandra notet, vel sæva novacula nudet,
Ut digna speculo fiat imago tuo.

Unus cincinnus non recte fixus acu incerta erraverat ex toto orbe crinium. Lalage repetiit pœnas hujus criminis eo speculo quo aspexerat, & Plecusa percussa concidit capillis laceratis. O Lalage, jam cessa componere comas mæstas, nec ulla puella tangat caput furens. Salamandra inficiat illud, aut sæva novacula depilet, ut effigies fiat digna speculo tuo.

Incerta acu.] quæ crines fideliter non constrinxerat. Alii *inserta*.

Hoc facinus.] Errorem nimirum Plecusæ ornatricis in componendis capillis perinde ac delictum punit furens Lalage. Juvenalis sat. 6. versu 490.

Componit crinem laceratis ipsa capillis,
Nuda humeros Psecas infelix, nudisque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? taurea punit
Continuo flexi crimen, facinusque capilli.

Et cecidit.] Non quidem interfecta est, sed humi procubuit graviter læsa ictu speculi.

Desine jam.] Alii *tam*, hoc est tanta cura. *Tristes* vero dixit quod ancillæ ornatrici tristitiam parerent.

Hoc Salamandra notet.] id est, inquit Raderus, caput dignum sanie Salamandræ, qua imbutum totum depiletur, aut certe ferro ad cutem radatur, ut caput sit tam nudum ac ipsum speculum est: nihil autem turpius est calva muliere.

Ut digna.] vel intellige ut caput calvitie de-

deformatum merito percutiatur eo speculo quo immerito percussa est infelix Plecusa. | In hac voce *digna* ultimam producit propter sequentes duas consonantes.

In Postumum otiosum. LXVII.

OCcurris quocumque loco mihi, Postume, clamas
Protinus, & prima est hæc tua vox, quid agis?
Hoc, si me decies una conveneris hora,
Dicis. habes puto tu, Postume, nil quod agas.

O Postume, ubicunque mihi obvius es, statim vociferaris, & primum verbum tuum hoc est, Quid facis? Una hora si me adiveris decies, hoc dicis. O Postume, ut opinor, tu nihil habes agendum.

Quid agis.] hac scilicet formula obvios salutabant antiqui. Plinius Secundus epist. 20. lib. 3. *Et hercule, quousque illa vulgaria? Eho quid agis? Ecquid commode vales?*

Ad Olum, se tandem esse liberum. LXVIII.

QUod te nomine jam tuo saluto,
Quem regem & dominum prius vocabam,
Ne me dixeris esse contumacem.
Totis pilea sarcinis redemi.
Reges & dominos habere debet,
Qui se non habet, atque concupiscit
Quod reges dominique concupiscunt.
Servum si potes, Ole, non habere;
Et regem potes, Ole, non habere.

Ne existimaveris me superbum, quod jam nomine tuo te saluto, quem antea appellabam regem, & dominum. Redemi pilea omnibus sarcinis. Is debet habere reges & dominos, qui sibi non imperat, & appetit quod appetunt reges & domini. Ole, si potes carere servo; potes, Ole, etiam carere domino.

Quem regem.] Vide epig. 113. lib. 1.
Totis pilea.] hoc est, omni mea supellectili vendita collegi pecuniam, unde sine mea sportula vivere potero. Antiquitus vero servi statum mutantes, ac manumissi capite raso pileum accipiebant. Plautus in Amphitryone:
Quod ille faciat Jupiter
Ut ego hodie raso capite calvus capiam pileum.
Hæc sunt servi Sosiæ verba qui optat manumitti. Nostri Poëtæ sensus est, Non indigeo domino, sed tenui mea re contentus vivo liber.
Qui se.] Is dicitur se habere, qui suas cupiditates coërcet.
Quod reges concupiscunt.] Divitias, servos, clientes. Hæc vero ut acquirant domini, majoribus serviunt dominis, ut hodie nobiliores aulici. Ego vero, inquit Poëta, me habeo, nihil quæro aliud.
Servum si.] Qui parce vivit, nec servos nec divitias appetit, carere potest domino, a quo hæc consecuturum se speret.

In Classicum parasitum. LXIX.

INvitum cœnare foris te, Classice, dicis:
Si non mentiris, Classice, dispeream.
Ipse quoque ad cœnam gaudebat Apicius ire;
Cum cœnaret, erat tristior ille, domi.

O Classice, dicis te non libenter cœnare foris: O Classice, ne vivam, nisi dicis mendacium. Ipse etiam Apicius latabatur ire ad cœnam. Ille erat mæstior, cum cœnaret domi.

Si

Si tamen invitus vadis, cur, Classice, vadis?
Cogor, ais: verum est, cogitur & Selius.
En rogat ad cœnam, Melior, te, Classice, rectam.
Grandia verba ubi sunt? si vir es, ecce nega.

Nihilominus si non is libenter, quare is, ô Classice? Cogor, inquis: verum est, cogitur & Selius. O Classice, en Melior te invitat ad cœnam rectam. Ubi sunt voces magnificæ? Si vir es, ecce recusa.

Apicius.] Sensus est, Si ditissimus & luxuriosissimus Apicius, de quo epig. 22. lib. 3. libenter cœnavit foris, cur tu pauper invitus cœnabis?

Cogor.] Ab amicis, inquit Classicus.

Cogitur &c.] Gula nempe cogit vos. De Selio dictum epig. 11. & 14. supra.

Melior.] Cujus tanta fuit mensæ elegantia, ut nitidus fuerit appellatus. Statius lib. 2. Sylvarum de arbore Atedii.

Stat quæ perspicuas nitidi Melioris opacet Arbor aquas.

Suetonius in Domitiano cap. 7. *Sportulas publicas sustulit, revocata cœnarum rectarum consuetudine.* Fuit vero cœna recta ea qua simul cum patrono excipiebantur clientes, epig. 50. lib. 8.

Grandia.] Te scilicet invitum cœnare foris.

Si vir es.] Si gulam cohibere potes, dic te nolle ad cœnam Melioris ire.

LXX.

Ad Cæcilianum invidum. LXXI.

CANDIDIUS nihil est te, Cæciliane: notavi
Si quando ex nostris disticha pauca legis,
Protinus aut Marsi recitas, aut scripta Catulli.
Hæc mihi das, tanquam deteriora legas,
Ut collata magis placeant mea? credimus illud.
Malo tamen recites, Cæciliane, tua.

O Cæciliane, nihil est simplicius te, animadverti, si quando legis pauca disticha ex nostris, statim recitas carmina Marsi aut Catulli. Hæc mihi tradis, tanquam legas pejora, an ut mea comparata magis placeant? opinamur illud. Attamen, ô Cæciliane, malo recites tua.

Candidius.] Candidus ille dicitur, qui ingenue, & absque invidia judicat.

Marsi.] Qui epigrammatum scriptor fuit non ignobilis. Vide epistolam lib. 1. & epig. 5. lib. 5.

Hæc mihi das.] Carmina Catulli, aut Marsi a te recitata, ut ipse judicem meis versibus esse deteriora.

Credimus.] Per ironiam subjicit Poëta, credo te eo fine & animo veterum Poëmata recitare, ut meis collata, deteriora videantur.

Malo.] Tuis enim scriptis collati mei versus facile meliores judicabuntur. Vel, malo ut tua recites, eaque cum egregiis Catulli & Marsi versibus conferas.

LXXII.

LXXIII.

In Saufellum fictum divitem. LXXIV.

CINCTUM togatis post & ante Saufellum,
Quanta reduci Regulus solet turba,

O Materne, an vides Saufellum stipatum anteambulonibus a fronte atque a tergo, quanta multitudine solet Regulus

Ad

Ad alta tonſum templa cum reum miſit,
Materne cernis? invidere nolito.
Comitatus iſte ſit precor tuus nunquam.
Hos illi amicos, & greges togatorum,
Fuſciculenus præſtat, & Faventinus.

reduci domum; cum miſit reum tonſum ad templa excelſa? ne invideas. Opto nunquam habeas talem comitatum. Fuſciculenus & Faventinus comparant illi hos amicos, & greges clientum.

Quanta reduci.] Inſignis fuit cauſſarum patronus hic Regulus, de quo epig. 13. lib. 1. domum vero patroni, cum cauſſas obtinuerant, ab amicis reorum abſolutorum deducebantur.

Ad alta tonſum.] Rei nec barbam nec capillos reſecabant, epig. 24. ſupra: abſoluti vero tondebantur, & Jovi Capitolino gratias acturi adſcendebant Capitolium, idcirco tonſum reum dixit pro abſoluto.

Fuſciculenus & Faventinus.] Duo fœneratores, a quibus mutuam pecuniam acceperat Saufellus, qua hunc togatorum comitatum conduceret, epig. 57. ſupra. Fuſciculenus & Faventinus prædia vel vendita vel pignori data, ut eſſet unde adulatoribus his ſatisfaceret: nam prædiorum potius quam fœneratorum nomina ſunt. Heraldus.

De leone manſueto, ſed ad feritatem reverſo. LXXV.

VERBERA ſecuri ſolitus leo ferre magiſtri,
Inſertamque pati blandus in ora manum:
Dedidicit pacem, ſubito feritate reverſa,
Quanta nec in Libycis debuit eſſe jugis.
Nam duo de tenera puerilia corpora turba,
Sanguineam raſtris quæ renovabat humum,
Sævus & infœlix furiali dente peremit.
Martia non vidit majus arena nefas.
Exclamàre libet, crudelis, perfide prædo,
A noſtra pueris parcere diſce lupa.

Leo aſſuetus pati flagella rectoris ſui, & benignus ferre manum immiſſam in ora; oblitus eſt patientiæ, immanitate protinus reverſa, quanta nec eſſe debuit in montibus Africæ: Nam ferus & miſer dente furioſo interfecit duos pueros ex turba tenera, quæ raſtris verſabat terram cruentam. Majus ſcelus non viſum eſt in arena Romana. Placet exclamare, O ſæve, ô perfide prædo, a noſtra lupa diſce ignoſcere pueris.

Securi magiſtri.] nihil metuentis. Vide epig. 10. lib. Spect.

In Libycis.] Libya abundat leonibus.

Sanguineam.] Arenam ſcilicet ſanguine & humano & ferino cruentam, quam theatrales miniſtri ſolebant cum raſtris verſare, ut lubrica multo ſanguine terra ſtabilis fieret & firma ad ſtandum & pugnandum. Hoc munus implebant ſimul cum aliis hi duo pueri a furioſo leone dilaniati.

Sævus.] præter morem ſuum; *& infelix*, quia ipſe poſtea interfectus eſt.

Martia arena.] in qua tamen cædes quamplurimæ perpetrabantur.

Noſtra lupa.] quæ non modo Romulo & Remo infantibus pepercit, ſed ipſos uberibus admotis nutrivit. Hæc hiſtoria ſatis nota eſt ex Plutarcho in Romulo & aliis.

De Mario cujus heredipetam irridet. LXXVI.

ARGENTI libras Marius tibi quinque reliquit.
Cui nihil ipſe dabas, is tibi verba dedit.

Marius tibi reliquit quinque libras argenti. Is tibi dedit verba, cui ipſe nihil donabas.

Argenti libras.] Ab inſtituto herede Marius heredipetæ, cujus nomen ignoratur, reliquit tantum quinque libras argenti, unde deceptus eſt, relicto nempe exiguo

quo quinque librarum argenti legato, cum totam hereditatem expectaret captator ille. In eo jocus est, quod cum verba tantum, non munera, Mario dedisset captator, vicissim Marius verba dedit, seu illum spe sua frustravit.

In Cosconium,
quænam sint brevia epigrammata. LXXVII.

Cosconi, qui longa putas epigrammata nostra,
Utilis ungendis axibus esse potes.
Hac tu credideris longum ratione colossum,
Et puerum Bruti dixeris esse brevem.
Disce, quod ignoras: Marsi, doctique Pedonis,
Sæpe duplex unum pagina tractat opus.
Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis:
Sed tu, Cosconi, disticha longa facis.

O Cosconi, qui existimas epigrammata nostra longa, potes esse aptus ungendis axibus. Hoc modo tu existimaveris colossum esse longum, & dixeris puerum Bruti esse brevem. Accipe, quod nescis: sæpe unum opus Marsi, atque eruditi Pedonis occupat duas paginas. Non sunt longa, quæ nihil habent quod possis tollere: verum tu, ô Cosconi, componis disticha longa.

Utilis ungendis.] hoc est, esses aptior aurigæ servus, qui in circo axes ad celeritatem ungeres, cum sis celeritatis seu brevitatis studiosus, quam lector epigrammatum. Ramiresius Cosconium hebetem & stolidum per circumlocutionem a Poëta dici putat: axes enim unguine unguntur: unguen autem extrahitur ab animalibus obesis: obesi vero homines dicuntur ut plurimum stolidi. Si ergo ungendis axibus utilis est Cosconius, pinguis, obesus, atque ita stolidus est.

Hac ratione.] Qua tu censes longa esse mea epigrammata, ita dices longum esse colossum, qui longus esse nequit, cum habeat suam proportionem.

Et puerum Bruti.] statuam pueri a Bruto amati, qui formosissimus fuit, sed exiguæ staturæ, nec tamen parvus dici debet, utpote qui membra habeat proportionata. Lib. 9. epig. 51. lib. 14. epig. 171.

Marsi & Pedonis.] Poëtæ nempe egregii fuerunt, qui vel unum epigramma duabus paginis absolvebant. De Marso supra dictum epig. 71. Pedonis vero Albinovani restat consolatio ad Liviam.

Sed tu.] qui nec venuste quicquam, nec argute dicere potes. Brevis vero est ille Poëta, qui facit quod instituit, cum nempe dicit apte pro subjecta materia: longum vero vel unum distichum videri potest, in quo aliquid superfluum est. Cosconii disticha mala nempe hoc sensu longissima esse intelligit.

Ad Cæcilianum,
cujus frigidas thermas irridet. LXXVIII.

Æstivo serves ubi piscem tempore, quæris?
In thermis serva, Cæciliane, tuis.

Rogas ne ubi serves piscem æstatis tempore? O Cæciliane, serva in tuis thermis.

In thermis.] quæ tamen a calore, qui græce θέρμη sic denominantur; sed adeo sunt frigidæ, ut vel æstate pisces a corruptione vindicare possint.

In Nasicam cujus fallacias carpit. LXXIX.

INVITAS tunc me, cum scis, Nasica, vocatum.
Excusatum habeas me, rogo: cœno domi.

O Nasica, tunc me vocas ad cœnam, *cum scis me invitatum. Oro, me excuses: cœno domi.*

Vocatum.] Alii *vocasse*: hoc est, Cum scis, ô Nasica, domi me amicis instruxisse cœnam, tunc me invitas ut tu inviteris. Sed Poëta, quasi non intellecta mente Nasicæ, se excusat.

Cœno domi.] Cum domi cœnaturus esse Poëta, facete excusat se, quasi fuisset a Nasica invitatus, cujus cœnam parvi faceret, aut potius tunc invitati se debere ostendit.

De Fannio, cujus spontaneam mortem arguit. LXXX.

HOSTEM cum fugeret, se Fannius ipse peremit:
Hic rogo, non furor est, ne moriare, mori?

Fannius ipse se interfecit, cum vitaret inimicum. Quaso, nonne hic furor est, interire, ne intereas?

Fannius.] Quem irridet, quod metu mortis ipse sibi mortem consciverit. De hac voluntaria morte, aut potius de hoc furore diximus lib. 1. epig. 9.

Hic rogo.] Alii *hoc rogo*.

In Zoilum cui mortem imprecatur. LXXXI.

LAXIOR hexaphoris tua sit lectica licebit;
Cum tamen hæc tua sit, Zoile, sandapila.

Fas erit ut tua lectica sit amplior hexaphoris; cum tamen, ô Zoile, sit tuum feretrum.

Laxior.] Divites, & nobiles Romani circumferebantur vivi, mortui vero efferebantur in lecticis: pauperes & plebei in sandapilis. Suetonius in Domitiano cap. 17. *Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum.* Precatur autem Poëta ut superbi Zoili lectica fiat sandapila, qua dignum illum existimabat: hexaphorum dicitur lectica quæ a sex servis portatur. In vetusto codice sic legitur ultimus versus:

Cum tamen hæc tua sit, Zoile, sandapila est.

Argute quidem, cum vivum cadaver videretur Zoilus.

Ad Ponticum hominem facinorosum. LXXXII.

ABSCISSA servum quid fingis, Pontice, lingua?
Nescis tu populum, quod tacet ille, loqui?

O Pontice, quid simulas linguam fuisse abscissam servo? an tu ignoras populum dicere, quod ille silet?

Quid fingis.] Cum ipse Ponticus elinguem reddidisset servum, ne turpitudinem ejus declararet; fingebat ab alio linguam fuisse servo abscissam; sed frustra, teste etiam Juvenale sat. 9.

——— *secretum divitis ullum*
Esse putas? servi ut taceant, jumenta loquentur,
Et canis & postes, & marmora, &c.

Alii *fodas*. Sensus manifestus est.

In

In sævum maritum. LXXXIII.

FOEDASTI miserum, marite, mœchum.
Et se qui fuerant prius, requirunt
Trunci naribus, auribusque vultus.
Credis te satis esse vindicatum?
Erras. iste potest & irrumare.

O marite, deformasti infelicem adulterum. Et truncata naribus atque auribus forma, quæritur quæ fuerat ante. An existimas te satis vindictæ sumpsisse? Falleris....

Et se requirunt.] Sensus est, ab uxore tua requiritur prior mœchi forma, cum sana illi superfit pars qua peccare possit, & forte fœdius quam antea.

LXXXIV.

Ad amicum a quo lepide petit togam. LXXXV.

VIMINE clausa levi niveæ custodia coctæ,
Hoc tibi Saturni tempore munus erit.
Dona quod æstatis misi tibi mense Decembri,
Si quereris, rasam tu mihi mitte togam.

Custodia niveæ coctæ septa tenui vimine, tibi donabitur his Saturnalibus. Si expostulas quod mense Decembri tibi misi munera æstatis, tu mitte ad me togam rasam.

Custodia coctæ.] hoc est ampulla vitrea vimine supertexta qua conservetur aqua decocta, & saccata, & nivibus refrigerata, de qua Juven. sat. 5.

Si stomachus domini fervet vinoque, ciboque,
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

Alii legunt *copta* minus bene: est genus placentæ de qua epig. 68. lib. 14.

Dona quod æstatis.] cum aquam frigidam conservet hæc ampulla.

Si quereris.] Si ægre fers hyeme tibi mitti munera æstiva, tu ad me remitte togam æstivam. De Saturnalibus dicemus epig. 85. lib. 5.

Ad Classicum
se non gloriari novo versuum genere. LXXXVI.

QUOD nec carmine glorior supino,
Nec retro lego, Sotaden cinædum,
Nusquam Græcula quod recantat Echo,
Nec dictat mihi luculentus Atys
Mollem debilitate Galliambon,
Non sum, Classice, tam malus Poëta.
Quid si per glaciles vias Petauri
Invitum jubeas subire Ladam?
Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.
Scribat carmina circulis Palæmon:
Me raris juvat auribus placere.

O Classice, non sum tam malus Poeta, quod nec me prædico versu retrogrado, nec lego carmina recurrentia Sotadæ cinædi, quod Græcula Echo nullo in loco reddit vocem, nec elegans Atys mihi dictat Galliambon mollitie effeminatum. Quid si jubeas nolentem Ladam incedere per iter tenue Petauri? Indecorum est habere ineptias difficiles, & labor nugarum insanus est. Palæmon plebi componat versus: gaudeo me gratum esse auribus raris.

Glorior supino.] Supinus cursus est ille qui retro fit. Ovidius de Ponto eleg. 5.

Fluminaque in fontes cursu reditura supino.

 Itaque

Itaque carmen supinum intellige illud quod metro stante sic recurrit, ut neque literis motis, nec transpositis, ut ab initio ad finem, sic a fine relegitur ad initium: quale est istud,

Roma tibi subito motibus ibit amor.

Sotaden cinaedum.] Dixit metonymikôs pro eo carmine cujus Sotades Cretensis inventor fuit: scripsit enim obscœna carmina reciproca seu recurrentia. Sotadæ meminit Strabo lib. 14. Lege Scaligerum lib. 2. Poët. cap. 30.

Graecula Echo.] Echica carmina interpretare maxime in usu apud Græcos, teste Scaligero lib. 2. Poët. cap. 29. Sunt in quibus arte id elaboratum est, ut esset extremæ vocis responsio ac repetitio. Exempli gratia,

Fœmina dira viri nex est, & terribilis lis.

Lege cap. 10. lib. 4 Anthologiæ.

Galliambon.] Scaliger Poëtices lib. 2. cap. 21. Galliambicum, inquit, appellarunt: propterea quod Gallis Cybeles Sacerdotibus multa scripserint eo versu posteri: inter quos Catullus pulcherrimum edidit, ita ut & castigandi, & imitandi sustulerit occasionem, cujus initium est,

Super alta vectus Atys celeri rate maria.

Fuit autem Atys Phrygius elegans forma, quem arsit Cybele: hoc est, Non scribo, inquit Martialis, carminis genus molle & elumbe. Vide Macrobium Saturn. lib. 1. cap. 21.

Per graciles.] Scaliger ad hunc versum Manilii lib. 5.

Corpora quæ valido saliunt excussa Petauro.

Sic de Petauro differit. Rota in sublimi posita a duobus versabatur. Alter superne, alter inferne nitebatur. Ita fiebat ut alternis dejecti nunc penderent, nunc erecti sederent. Per eandem rotam etiam corpora contento saltu subjecta trajiciebant. Lib. 11. epig. 22.

Quam rota transmisso toties intacta Petauro.

Ladas cursor erat velocissimus de quo epig. 100. lib. 10. qui tamen velocitate sua uti nequiret ad subeundam Petauri machinam, quod scilicet hos ludos exercere more funambulorum non sit solitus: ita non debent nobiles Poëtæ minutiis illis & subtilibus ineptiis operam dare.

Circulis.] hoc est, plebeiorum hominum otiosæ coronæ, ut dixit epig. 42. lib 1.

Palæmon.] Grammaticorum superbissimus, cujus *arrogantia fuit tanta, ut Marcum Varronem porcum appellaret, secum & natas & morituras literas jactaret.* Suetonius de illustribus Grammaticis cap. 13. vel forte alius fuit hic Palæmon.

Raris.] hoc est, paucis sed doctis. Horatius sat. ultima 1. serm.

———— *Neque, te ut miretur turba, labores*
Contentus paucis lectoribus.

In Phœbum deformem. LXXXVII.

DICIS, amore tui bellas ardere puellas,
Qui faciem sub aqua, Phœbe, natantis habes.

O Phœbe, dicis formosas puellas deperire amore tui, qui habet vultum natantis sub aqua.

Qui faciem.] Pallidam nempe, & turgidam, ex eo quod, ut aiunt, sub aqua augescant omnia. Ludit Poëta, inquit Ramiresius in illa antithesi, *ardere puellas*, & faciem natantis habere, vix enim ejusmodi vultus flammas accendat.

In Mamercum malum Poëtam. LXXXVIII.

NIL recitas, & vis, Mamerce, Poëta videri.
Quidquid vis esto, dummodo nil recites.

O Mamerce, nihil recitas, & cupis Poëta existimari. Esto quidquid placet, dummodo nihil recites.

Nil recitas.] Olim Poëtæ recens elucubrata poëmata publice recitabant. Juvenalis sat. 7. versu 39.

———— *At si dulcedine famæ*
Succensus recites, Maculonus commodat ædes,
Ac longe ferrata domus servire jubetur.

Dummodo.] Nos enim importunis tuis recitationibus eneceres. Horatius in fine artis Poeticæ.

Indoctum doctumque fugat recitator acerbus:
Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo.

In Gaurum ebriosum, & impurum. LXXXIX.

QUod nimio gaudes noctem producere vino,
Ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes.
Carmina quod scribis, Musis & Apolline nullo
Laudari debes: hoc Ciceronis habes.
Quod vomis, Antoni: quod luxuriaris, Apici:
Quod fellas, vitium dic mihi cujus habes?

O Gaure, parco quod delectaris protrahere noctem nimio mero; laboras vitio Catonis. Celebrandus es, quod condis versus, invitis Musis, & Apolline invito: id accipis a Cicerone. Quod vomis, ab Antonio; quod luxuriosus es, ab Apicio....

Catonis habes.] Horatius lib. 3. ode 21.
Narratur & prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.

Hoc Ciceronis.] Qui male scribebat carmina. Juvenalis sat. 10.
O fortunatam natam me consule Romam!
Antoni gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset.

Quod vomis.] Antonii vomitus describit Cicero in 2. Philippica.

Apici.] Qui suum patrimonium luxu consumpsit, de quo agemus epig. 22. lib. 3.

Ad Quintilianum de voto suæ vitæ. XC.

QUINTILIANE, vagæ moderator summe juventæ,
Gloria Romanæ, Quintiliane, togæ,
Vivere quod propero pauper, nec inutilis annis,
Da veniam: properat vivere nemo satis.
Differat hoc, patrios optat qui vincere census,
Atriaque immodicis arctat imaginibus.
Me focus, & nigros non indignantia fumos
Tecta juvant, & fons vivus, & herba rudis.
Sit mihi verna satur: sit non doctissima conjux:
Sit nox cum somno: sit sine lite dies.

O Quintiliane, summe rector inventutis errantis, ô Quintiliane decus togæ Romanæ, ignosce quod inops, necdum senex festino vivere: nullus festinat satis vivere. Proroget hoc, qui cupit superare bona paterna, & qui implet atria multis imaginibus. Focus, & domus non aspernans fumos nigros, fons vivus, & gramen naturale me delectant. Habeam servum saturatum: habeam uxorem non doctissimam: dormiam per noctem; & dies prætereat sine lite.

Quintiliane.] Calaguritanus fuit: Calaguris vero urbs est Hispaniæ ad ripas Iberi, hodie *Calahorra* in Castilia veteri. Summo cum splendore rhetoricam docuit Romæ, atque ad senatoriam dignitatem est evectus, ut colligere est ex Juvenalis verbis sat. 7. sic enim de Quintiliano loquitur,
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.
Aluta autem senatorum & nobilium Romanorum erat ornamentum, epig. 29. supra.

Quod propero.] Properat ille vivere, qui sine ulla mora genio indulget.

Differat hoc.] Non indulgeat genio suo is, qui suo patre ditior vult evadere.

Imaginibus.] Majorum imagines, qui præclari aliquid gesserant, collocabantur in atriis, seu in primo intra ædes aditu. Juvenalis sat. 8.

Quis fructus generis tabula jactare capaci,
Corvinum, & posthac multa deducere virga
Fumosos equitum cum dictatore magistros,

Et nigros non.] hoc est, ædes auro nitidas non ambio, sed vel fuliginosæ non displicerent.

Fons vivus.] Aqua naturalis, non factus liquor.

Herba rudis.] Gramina sua sponte nascentia, neç otiosis ordinata myrtetis, ut dixit lib. 3. epig. 58.

Verna satur.] Servi saturi alacriter serviunt, nec conqueruntur, nec convivis invident, epig. 58. lib. 3.

Vescantur omnes, ebriusque non novit
Satur minister invidere convivæ.

Conjux non doctissima.] Quæ enim docta, plerumque molesta est. Juvenalis sat. 6.

Non habeat matrona tibi quæ juncta recumbit,
Dicendi genus, aut curtum, sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes.

Sine lite dies.] Epig. 15. lib. 5.

Nec lites tetricas, forumque triste
Nossemus,

Ad Cæsarem Domitianum,
a quo petit jus trium liberorum. XCI.

RERUM certa salus, terrarum gloria, Cæsar,
Sospite quo magnos credimus esse deos:
Si festinatis toties tibi lecta libellis
Detinuere oculos carmina nostra tuos:
Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar ut esse trium.
Hæc, si displicui, fuerint solatia nobis:
Hæc fuerint nobis præmia, si placui.

O Cæsar, certa salus rerum, decus orbis, quo salvo putamus existere magnos deos: si libris properatis versus nostri toties a te lecti demorati sunt tuos oculos: concede comparere, quod fieri prohibet fortuna, ut existimer pater trium liberorum. Hæc fuerit nobis consolatio, si displicui; hæc vero nobis fuerit merces, si placui.

Sospite quo.] Ex tua incolumitate credimus & deos esse, & rerum humanarum curam suscipere, lib. 7. epig. 59. lib. 5. epig. 1.

Sospite quo gratum credimus esse Jovem.

Si festinatis.] si carmina mea festinata, ac prope ex tempore condita legisti.

Quod fortuna.] Hæc erat formula petendi jus trium liberorum.

Natorum genitor.] Qui tres habebant liberos, multis privilegiis gaudebant. In spectaculis honestior illis locus assignabatur: in honoribus petendis gratia fiebat annorum propter liberos. Codice de decurionibus lege 9. *In albo decurionum præscriptis, patrem non habenti filios anteferri constat.* Juven. sat. 9.

Jura parentis habes, propter me scriberis heres,
Legatum omne capis, &c.

Gellius lib. 2. cap. 15. *Sicuti capite septimo legis Juliæ, priori ex Consulibus fasces sumendi potestas fit, non qui plures annos natus est, sed qui plures liberos quam collega, aut in sua potestate habet, aut bello amisit.*

Ad uxorem, ut sibi habeat res suas. XCII.

NATORUM mihi jus trium roganti
Musarum pretium dedit mearum,
Solus qui poterat. valebis uxor.
Non debet domini perire munus.

Ille unicus qui poterat, mihi petenti concessit jus trium liberorum, mercedem mearum Musarum. O conjux, valebis. Donum domini non debet esse inutile.

Solus

Solus qui.] Nam solus Cæsar concedebat hoc jus de quo præcedenti epig. & epig. 95. lib. 3.

Valebis uxor.] A me discedes. Verba divortii hæc sunt, *Tuas res tibi habeto.* Item hæc, *Tuas res tibi agito.* Leg. 2. D. de divortiis. Alii aliter explicant *valebis*, nimirum moriaris oportet.

Non debet.] Jam enim ex matrimonio liberos suscipere nolo, ne quod mihi beneficium a Domitiano concessum est, paterna lege consequar. Aut intellige τὸ *valebis* pro, morere ut tibi succedam: nam pro numero liberorum sibi invicem succedebant vir & uxor. Vide Ulpianum lib. regularum tit. 15. Judicet lector.

Ad Regulum requirentem primum librum. XCIII.

PRIMUS ubi est, inquis, cum sit liber iste secundus?
Quid faciam, si plus ille pudoris habet?
Tu tamen hunc fieri si mavis, Regule, primum:
Unum de titulo tollere ïota potes.

Ubi est primus liber, ais, cum iste sit secundus? Quid agam, si illi plus verecundiæ est? Attamen, ô Regule, si tu mavis hunc fieri primum, licet demere unum ïota ex titulo.

Primus ubi.] In lucem prodiit secundus hic liber, primo non edito, forte quia cautior fuit Poëta, donec legentium judicia audiret; vel forte quia in primo libro multa scripserat ad laudem Titi, cujus tamen nomen non addiderat, sed Cæsarem tantum dixerat, quæ libenter laturus non erat Domitianus, qui Titi fratris; & patris Vespasiani laudes arrogabat sibi.

Unum de titulo.] Duo I I. secundum librum denotant, unum vero I, primum.

M. VAL-

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM

LIBER III.

Ad lectorem de libro Gallicano. I.

HOc tibi, quidquid id est, longinquis mittit ab oris
Gallia Romanæ nomine dicta togæ.
Hunc legis, & laudas librum fortasse priorem.
Illa, vel hæc mea sunt, quæ meliora putas.
Plus sane placeat, domina qui natus in urbe est.
Debet enim Gallum vincere verna liber.

Gallia sortita nomen a toga Romanorum ad te mittit hoc qualecunque est ex remotis regionibus. Evolvis hunc, & forte commendas priorem libellum. Illa qua magis probas, vel etiam *hæc mea sunt. Magis certe probetur, qui editus est in urbe domina. Nam verna liber, Gallo potior esse debet.*

NOTÆ.

Longinquis.] e foro Cornelii (librum enim illinc fuisse missum docet epig. 4. infra) hodie *Imola*, quæ urbs est Galliæ cisalpinæ, dictæ togatæ, quia vestitum Romanorum assumpserat.

Illa.] epigrammata scilicet primi vel secundi libri, quæ tibi sunt gratiora, mea sunt, imo & hæc libri tertii mea sunt. Legunt alii per interrogationem, *Quæ meliora putas?* An illa primi, aut secundi, vel hæc tertii libri epigrammata, quæ omnia mea sunt?

Debet enim.] Vernæ servi sunt domi sui domini nati; vernam vero priorem librum Romæ scriptum appellat, ut opponatur huic tertio in Gallia composito.

Ad librum suum, ut sibi quærat patronum. II.

CUjus vis fieri, libelle, munus?
Festina tibi vindicem parare,
Ne nigram cito raptus in culinam
Cordyllas madida tegas papyro,
Vel thuris piperisque sis cucullus.

O Liber, cui cupis donari? Propera tibi quærere patronum, ne subito raptus in fuliginosam culinam operias cordyllas uvida charta, aut fias cucullus thuris & piperis. Confugisne in

Fau-



III *Lib.* 93 *epigr.* 7 *verf.*
Niliacus crocodilus] Qui præfertim Ægypti fymbolum ; tefte Augufti *Num.* apud *Oyzel.* 33. *Tab.* 11. *Num.*



III *Lib.* 66 *epigr.* 3 *verf.*
Triumphos] In hifce præfertim eminebat triumphantis currus ; quem exhibent elegantiores *Numi.*



III *Lib.* 66 *epigr.* 1 *verf.*
Antonius] Cujus torvam faciem in *Denariis* Ant. gentis, apud *Patini Fulv. Urfinum.*



III *Lib.* 36 *epigr.* 6 *verf.*
Agrippa] Cujus opera publica Pantheon, Thermæ, Cloacæ.
Faciem ejus exhibent Vipfaniorum *Denarii.*



III *Lib.* 64 *epigr.* 1 *verf.*
Sirenes] Siren (inter hanc & Nereidem difcrimen grande) fpectatur in *Denario* Petroniorum, apud *Patini Fulv. Urfinum.*



IV *Lib.* 73 *epigr.* 3 *verf.*
Sorores] Parcæ, quæ in Diocletiani aug. *Num.* apud *Ezech. Spanhemium.*



II *Lib.* 3 *epigr.* 10 *verf.*
Lupa] Romulo Remoque non tantum parcente, verum & ubera præbente. *Nummus* ipse rem confirmat.



III *Lib.* 20 *epigr.* 3 *verf.*
Temporum Claudianorum] Claudius imp. (de quo & *supr.* 1 *lib.* 21 *epigr.* occurrit in omni *Metallo* & in omni Modulo.



III *Lib.* 2 *epigr.* 3 *verf.*
Germania] Quæ fubjugata quafi frequenter in Impp. *Numifmatibus.*



III *Lib.* 93 *epigr.* 4 *verf.*
Rugofiorem ftolâ] Quæ, finuofa, effufa & fuccincta, frequens in *marmore*, frequens in *Nummo.*



III *Lib.* 24 *epigr.* 3 *verf.*
Hircus] Sive caper, vitibus infeftum pecus. Ita hoftia Baccho. Spectatur in *Num.* Hadriani, Caracallæ, &c.



III *Lib.* 89 *epigr.* 3. *verf.*
Catantis] Nitentis vultum quoque exprimunt plerique Vefpafiani patris *Nummi.*

Faustini fugis in sinum? sapisti.
Cedro nunc licet ambules perunctus,
Et frontis gemino decens honore
Pictis luxurieris umbilicis;
Et te purpura delicata velet,
Et cocco rubeat superbus index,
Illo vindice nec Probum timeto.

gremium Faustini? Recte facis. Nunc fas est incedas perfusus oleo cedrino, & decorus duplici frontis ornamento luxuriose orneris depictis umbilicis; & mollis purpura tegat te, & titulus superbus cocco fulgeat, illo assertore, nec ipsum Probum metue.

Tegas cordyllas.] pisciculi sunt partus scilicet thynnorum, qui post elapsum primum annum thynni nuncupantur. Persius sat. 1.

——*nec scombros metuentia carmina, nec thus.*

Faustini.] de quo epig. 26. lib. 1.

Cedro nunc.] synecdochικῶς ponitur, pro oleo expresso ex cedro, quo libri ungebantur contra tineas & cariem.

Et frontis gemino.] de librorum ornamentis diximus epig. 67. lib. 1.

Nec Probum.] Grammaticus fuit criticus, cujus meminit Suetonius de Grammaticis.

In mulierem deformem corpore, vultu vero formosam. III.

FORMOSAM faciem nigro velamine celas;
Sed non formoso corpore lædis aquas.
Ipsam crede deam verbis tibi dicere nostris,
Aut aperi faciem, vel tunicata lava.

Atro velo obtegis vultum pulchrum; sed deformi corpore corrumpis undas. Puta ipsam deam tibi dicere nostris verbis. Vel detege vultum, vel tunicata ablue te.

Velamine celas.] Alii *medicamine velas.* Eligat lector. Prior lectio mihi videtur melior.

Ipsam crede.] aquæ Nympham intellige; fontibus autem numen inesse colligebant veteres ex perennitate scaturiginis.

Aperi.] aut ex deformi tuo corpore colligemus faciem quoque esse deformem.

Ad librum suum, cur abierit Roma, & quando rediturus sit. IV.

ROMAM vade, liber. si veneris unde, requiret?
Æmiliæ dices de regione viæ.
Si quibus in terris, qua simus in urbe rogabit:
Corneli referas me licet esse foro.
Cur absim, quæret: breviter, tu multa fatere,
Non poterat vanæ tædia ferre togæ.
Si, quando veniet? dicet: responde, poëta
Exierat: veniet cum citharœdus erit.

O Libelle, proficiscere Romam. Si rogabit Faustinus, *unde veneris; respondebis de regione via Æmiliæ. Si percontabitur, quibus in terris simus, qua in civitate; fas est respondeas me esse* in *foro Cornelii. Rogabit cur absim: tu breviter fatere multa. Nequibat pati fastidia vana toga. Si dicet, Quando redibit? Responde, Poeta discesserat, revertetur cum citharædus evaserit.*

Æmiliæ dices.] Illam intellige quam stravit Æmilius Lepidus, qua scilicet iter erat ad forum Cornelii, hodie *Imola.*

Breviter tu multa.] Paucis verbis complectere

plectere caussas absentiæ meæ, scilicet me non posse in urbe tot subire vana togatorum officia.

Responde.] Ultima videtur longa; sed priscorum more hoc verbum est tertiæ conjugationis. Legunt alii,

Quando venit? dicet: tu respondeto, Poeta.

Cum Citharœdus.] Tunc enim temporis Romæ pluris fiebant citharœdi, quam poëtæ: ita Romanorum mores carpit, epig. 65. lib. 5.

Artes discere vult pecuniosas?
Fac discat citharœdus aut choraules.

Ad eundem, soli Julio esse commendandum. V.

Vis commendari, sine me cursurus in urbem,
Parve liber, multis? an satis unus erit?
Unus erit, mihi crede, satis, cui non eris hospes,
Julius, assiduum nomen in ore meo.
Protinus hunc adeas, primique in limine tecti,
Quos tenuit, Daphnis, nunc tenet ille Lares.
Est illi conjux, quæ te manibusque sinuque
Excipiet, vel si pulverulentus eas.
Hos tu seu pariter, sive hanc, illumve priorem
Videris, hoc dices, Marcus avere jubet.
Hoc satis est. alios commendat epistola; peccat
Qui commendandum se putat esse suis.

O exigue libelle, sine me properaturus Romam, cupisne commendari multis? An unus sufficiet? Mihi fidem adhibe, unus cui non eris extraneus, sufficiet Julius, cujus nomen prædico assidue. Statim hunc convenias. Nunc vero in introitu primæ domus ille habet domicilium, quod occupavit Daphnis. Habet uxorem quæ manibus & gremio te accipiet, etiamsi advenias pulverulentus. Sive tu conspexeris hos simul, sive hanc prius, aut illum, hoc dices, Marcus nunciat salutem. Hoc sufficit. Alii commendantur literis. Fallitur qui credit se esse commendandum suis amicis.

Primique.] Julius habitat in prima statim domo ingredientibus Romam via Æmilia, hanc appellat *limen primi tecti*: Julii vero ædes prior possederat Daphnis. Legunt alii,

Protinus hunc primæ quæres in limine Tectæ.

Tecta vero erat quædam urbis via, in cujus ingressu erant ædes istius Julii, de quo lib. 1. epig. 16.

Manibusque sinuque.] His verbis gratissimum fore Julio atque ejus uxori hunc librum auguratur.

Marcus.] Martialis. Ut advenientes *ave*, seu *salve*, sic abeuntes & recedentes *vale* dicebant. Suetonius in Augusto cap. 53. Brissonius de formulis lib. 8.

Ad Marcellinum cui assentatur ob natales patris, & resectam primam barbam. VI.

Lux tibi post Idus numeratur tertia Maias,
Marcelline, tuis bis celebranda sacris.
Imputat ætherios ortus hæc prima parenti:
Libat florentes hæc tibi prima genas.
Magna licet dederit jucundæ munera vitæ,
Plus nunquam patri præstitit illa dies.

O Marcelline, tu computas diem decimum octavum Maii bis colendum tuis sacrificiis. Hæc prima edidit genitorem in lucem ætheriam: hæc prima tibi decerpit barbam ex genis florentibus. Quamvis illa lux concesserit ingens donum vitæ gratæ, nunquam plus largita est patri.

Idus.]

Idus.] Martius, Maius, Julius, October Nonas septimo, Idus decimo quinto die habent. Menses cæteri quinto Nonas, & Idus decimo tertio.

Bis celebranda.] quod ea die pater natus sit, & ipse Marcellinus deposuerit primam barbæ lanuginem: hæc enim lanugo deponebatur magna conviviorum & ludorum celebritate.

Magna licet.] Quod dies natalis vitam patri dederit, munus est ingens; sed majus est, quod eadem illa die filius vir evaserit: nam viri appellabantur a barba resecta.

De sportula sublata, & cœna recta revocata. VII.

CENTUM miselli jam valete quadrantes,
Anteambulonis congiarium lassi,
Quos dividebat balneator elixus,
Quid cogitatis, ô fames amicorum?
Regis superbi sportulæ recesserunt.
Nihil stropharum est: jam salarium dandum est.

Jam valete, ô miseri, centum quadrantes merces clientis defatigati, quos distribuebat balneator elixus. O fames amicorum, quid censetis? Sportula regis superbi sublata sunt. Nihil fallaciarum est: salarium nunc donandum est.

Valete.] Quia salarium, id est cœna recta datur. Suetonius in Nerone cap. 16. *Publica cœna ad sportulas redacta.* Nero cœnam rectam clientibus exhibitam a potentioribus redegerat ad sportulam; quæ calathus fuit, quo primum opsonia, postea centum quadrantes dabantur. Domitianus vero abrogato illo Neronis edicto revocavit cœnas rectas. Suetonius in Domitiano cap. 7. *Sportulas publicas sustulit, revocata cœnarum rectarum consuetudine.*

Congiarium.] dicitur donum a congio mensura liquidorum.

Balneator elixus.] aquarum & vaporum calore prope coctus. Balneator hic sumitur pro eo qui sportulam distribuebat clientibus simul cum domino lavantibus.

O fames.] Exiguam quippe sportulam largientes patroni fame necabant suos clientes.

Regis superbi.] hoc est patroni, quem dominum & regem appellabant clientes: vel Neronis superbi, qui cœnas rectas sustulerat: posterior hic sensus magis mihi placet. Epig. 2. lib. Spect.

Abstulerat miseris tecta superbus ager. Neronis nempe.

Nihil stropharum.] Sportulas quandoque imminuebant avari, nec opsonia data æquabant centum quadrantes, & hæ erant strophæ quibus clientes circumveniebantur, & fame peribant: stropha fallacia est ἀπὸ τοῦ στρέφειν vertere.

Salarium.] Annuas mercedes, & stipendia significat, hic vero victum unius diei, & videtur accipiendum pro cœna recta.

In Quinctum amatorem. VIII.

THAIDA Quinctus amat. quam Thaida? Thaida luscam.
Unum oculum Thais non habet, ille duos.

Quinctus ardet Thaida. Quam Thaida? Thaida luscam. Thais caret uno oculo, ille duobus.

Unum oculum.] Jocus est a veritate ad metaphoram: Thais enim vere carebat uno oculo. Quinctus vero metaphorikōs duobus carere dicitur, quod amore ita obcæcabatur, ut vitia illius non deprehenderet.

In

In Cinnam obtrectatorem. IX.

VERSICULOS in me narratur scribere Cinna.
Non scribit, cujus carmina nemo legit.

Cinna dicitur scribere carmina adversus me: ille non scribit cujus versus a nemine leguntur.

Nemo legit.] Ineptum poetam irridet, cujus versus perinde a nemine legebantur, ac si nunquam in lucem produxissent. Epig. 64. lib. 6.

In Philomusum asotum. X.

CONSTITUIT, Philomuse, pater tibi millia bina
Menstrua, perque omnes præstitit illa dies,
Luxuriam premeret cum crastina semper egestas,
Et vitiis esset danda diurna tuis.
Idem te moriens heredem ex asse reliquit:
Exheredavit te, Philomuse, pater.

O Philomuse, pater tibi assignavit duo millia in mensem, & præbuit illa per omnes dies, cum crastina inopia semper urgeret luxum, & tribuendum esset diarium tuis vitiis. Idem moriens instituit te heredem ex asse: O Philomuse, genitor exheredavit te.

Perque omnes.] Duo millia sestertiûm distribuit pater in triginta partes, & singulas singulis diebus dedit Philomuso, qui adeo prodigus erat, ut omnia effunderet. Alii intelligunt duo quidem millia in unum mensem assignata fuisse Philomuso, sed tamen propter immodicas impensas singulis diebus duo millia Philomuso data, atque ab illo fuisse consumpta, ita ut in crastinum nihil ipsi prorsus superesset. Videat lector. Horatius sat. 3. lib. 1. sermonum.

——— *Decies centena dedisses*
Huic parco, paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis.

Ex asse.] Ex tota hereditate in duodecim uncias ut plurimum divisa, quæ assem efficiunt.

Exheredavit te.] Cum enim factus sui juris Philomusus patrimonium brevi dilapidaturus esset, pater illum heredem instituens perinde fecerat, ac si exheredasset. Vel *exheredavit*, quod vivens pater tot & tantas impensas suppeditavit Philomuso, ut hereditatem vel nullam, vel ære alieno obrutam reliquerit.

Ad Quinctum amatorem Martiali iratum. XI.

SI tua nec Thais, nec lusca est, Quincte, puella,
Cur in te factum distichon esse putas?
Sed simile est aliquid: pro Laide, Thaida dixi.
Dic mihi, quid simile est, Thais, & Hermione?
Tu tamen es Quinctus: mutemus nomen amantis,
Si non vult Quinctus, Thaida Sextus amet.

O Quincte, si tua puella nec est Thais, nec lusca; quare credis distichum esse compositum in te? Sed est aliqua similitudo: pro Laide, nominavi Thaida. Dic mihi quam similitudinem habent Thais & Hermione? Nihilominus tu es Quinctus: mutemus nomen amantis: si Quinctus non vult, Sextus ardeat Thaida.

Si

Si tua.] Hermionen amabat Quinctus, non Thaida, ut dictum est epig. 8. supra.
Pro Laide.] Si puella tua Lais vocaretur, haberet aliquam nominis similitudinem cum Thaide.
Tu tamen es Quinctus.] Et ego Quinctum nominavi; unde Quinctus videtur nos acus.
Mutemus.] Cum enim meis in jocis semper utar nominibus fictis, nihil refert utrum Quinctum, aut Sextum Thaidis amatorem nominem.

In Fabullum a cujus cœna unctos quidem, sed incœnatos convivas redire dicit. XII.

UNGUENTUM fateor bonum dedisti
Convivis here: sed nihil scidisti.
Res salsa est bene olere, & esurire.
Qui non cœnat, & ungitur, Fabulle,
Hic vere mihi mortuus videtur.

Fateor, heri largitus es convivis bonum unguentum: sed nihil scidisti. Res est salsa bene olere, & esurire. O Fabulle, hunc existimo vere mortuum, qui non cœnat, & ungitur.

Unguentum.] Ante cœnam corpus ungere solebant veteres.
Scidisti.] Verbum est conviviorum proprium: qui vero nihil scindebat, nihil convivis comedendum distribuebat.
Res salsa.] ironikōs, id est ridicula & inepta.
Mortuus.] Mortui quippe unguntur, nec comedunt.

In Næviam, quæ appositos cibos dixerat esse crudos, ne comederentur. XIII.

DUM non vis leporem, dum non vis carpere mullum,
Et plus quam patri, Nævia, parcis apro:
Accusas, rumpisque coquum, tanquam omnia cruda
Attulerit, nunquam sic ego crudus ero.

O Nævia, dum recusas scindere leporem & mullum, atque ab apro te abstines, plusquam a genitore; criminaris, & laceras coquum, veluti apposuerit omnia cruda, hoc modo nunquam ego vexabor cruditate.

Nunquam sic ego.] Ex nimia saturitate oritur cruditas stomachi, qua non erat laboraturus Martialis, cum cibos crudos prætexeret Nævia, atque a mensa integros auferri juberet.

De Tucio famelico. XIV.

ROMAM petebat esuritor Tucius,
Profectus ex Hispania.
Occurrit illi sportularum fabula:
A ponte rediit Mulvio.

Tucius famelicus profectus ex Hispania ibat Romam. Fabula sportularum occurrit illi; reversus est a ponte Mulvio.

Occurrit.] In ponte Mulvio distante mille passibus ab urbe accepit Tucius, quam tenuis sportula daretur Romæ, atque illinc ne periret fame, in Hispaniam rediit.

De Codro amatore cæco. XV.

PLus credit nemo, quam tota, Codrus in urbe.
Cum ſit tam pauper, quomodo? cæcus amat.

In tota civitate nullus magis credit, quam Codrus. Qua ratione, cum adeo egenus ſit? Cæcus amat.

Credit.] Ludit in ambiguitate verbi *credere*, quod ſignificat fidem adhibere, & dare pecunias mutuo.

Cæcus amat.] hoc eſt, amore obcæcatus exiſtimat puellam eſſe formoſam, quæ tamen deformis eſt: vix enim credam vere fuiſſe cæcum hunc Codrum, qui amaret puellam, quam audierat eſſe formoſam. Epig. 49. lib. 8.

In Cerdonem munerarium. XVI.

DAs gladiatores, ſutorum regule Cerdo,
Quodque tibi tribuit ſubula, ſica rapit.
Ebrius es: nec enim faceres id ſobrius unquam,
Ut velles corio ludere, cerdo, tuo.
Luſiſti, ſatis eſt: ſed te, mihi crede, memento
Nunc in pellicula, cerdo, tenere tua.

O Cerdo regule ſutorum, exhibes gladiatores, & quod tibi acquirit ſubula, illud aufert gladius. Temulentus es: nunquam enim id ageres ſiccus, ut cuperes, ô cerdo, ludere tuo corio. Luſiſti: ſufficit: at, mihi crede, recordare nunc te continere in tua pellicula.

Das gladiatores.] Hunc cerdonem iterum irridet epig. 59. infra, qui Bononiæ munus gladiatorium exhibuerat, quod olim principes tantum civitatis, & magiſtratus edidere: ut patet ex Suetonio cap. 28. in Claudio. Cerdo vero, & ſutor in eo differunt, quod ſutor calceos faciat, cerdo reſarciat.

Subula.] Quæſtum facis, quem ſica gladiatorum nempe, tibi eripit e manibus.

Ut velles corio.] id eſt, impenſis tuis ludos exhibere.

Nunc in pellicula.] Infra artificii, & conditionis tuæ terminos contine te: huic proverbio locum dedit Aſinus Cumanus, qui leonis pellem ſibi adaptaverat, qua exutus, & agnitus ad necem uſque verberatus eſt.

In Sabidium male olentem. XVII.

CIRCUMLATA diu menſis ſcriblita ſecundis
Urebat nimio ſæva calore manus:
Sed magis ardebat Sabidî gula: protinus ergo
Sufflavit buccis terque, quaterque ſuis.
Illa quidem tepuit, digitoſque admittere viſa eſt.
Sed nemo potuit tangere: merda fuit.

Scriblita diu circumgeſtata ſecundis menſis nimio calore ſæva adurebat manus: ſed Sabidii gula ardentior erat; ſtatim igitur ſuis buccis ſufflavit ter & quater. Illa quidem tepefacta eſt, & viſa eſt poſſe tangi digitis: ſed nullus potuit tangere, merda fuit.

Scriblita.] Placentæ ſpecies.

Sed nemo] Quia impuro Sabidii halitu fuerat corrupta. Epig. 93. lib. 7.

In Maximum recitatorem importunum. XVIII.

PERFRIXISSE tuas questa est præfatio fauces.
Cum te excusaris, Maxime, quid recitas?

In exordio conquestus es raucas esse tuas fauces O Maxime, cum te excusaris, cur recitas?

Perfrixisse.] Nimio frigore te factum esse raucum.

Cum te excusaris.] Recitare non debuisti, sed tibi & nobis parcere.

De vipera in ore ursæ. XIX.

PROXIMA centenis ostenditur ursa columnis,
Exornant fictæ qua Platanona feræ.
Hujus dum patulos alludens tentat hiatus.
Pulcher Hylas: teneram mersit in ora manum.
Vipera sed cæco scelerata latebat in ore,
Vivebatque anima deteriore fera.
Non sensit puer esse dolos, nisi dente recepto,
Dum perit, ô facinus falsa quod ursa fuit!

Ursa videtur vicina centenis columnis, ubi belluæ adumbratæ decoran Platanona. Dum formosus Hylas ludens circum explorat apertas illius fauces; inserait manum teneram in ora. At vipera improba delitescebat in faucibus tenebrosis, & bellua vivebat spiritu nequiore. Puer non advertit inesse fraudes, nisi dum moritur læsus dente, ô scelus quod fuit ursa ficta.

Proxima.] Platanon locus scilicet platanis consitus erat juxta porticum forte Vipsanam de qua epig. 14. lib. 2. ubi feræ erant marmoreæ, vel æneæ.

Hylas.] Ejusdem nominis puer ab Hercule adamatus fuit; ab hoc Hyla pueri formosi Hylæ dicti sunt.

Cæco in ore.] Intus enim videre non poterat: legunt alii *in ære*, & ursam æneam, fuisse intelligunt.

Vivebatque anima.] Pestifera nempe & exitiali, vipera quippe latebat in ejus faucibus.

Falsa quod.] Vera enim ursa puero tam formoso pepercisset: vel ab ea abstinuisset puer. Alii, *ô facinus ausa quod ursa fuit.* Alii, *ô facinus falsa quod ursa facit.*

De Canio ridiculo. XX.

DIC Musa, quid agat Canius meus Rufus?
Utrum ne chartis tradit ille victuris
Legenda temporum acta Claudianorum?
An quæ Neroni falsus adstruit scriptor?
An æmulatur improbi jocos Phædri?
Lascivus elegis, an severus heroïs?
An in cothurnis horridus Sophocleis?
An otiosus in schola poëtarum
Lepôre tinctos Attico sales narrat?
Hinc si recessit, porticum terit templi.
An spatia carpit lentus Argonautarum?

O Musa, refer quid faciat Canius Rufus meus? Anne committit scriptis non perituris evolvendam historiam temporum Claudianorum? an quæ Neroni tribuit falsus scriptor? an imitatur facetias Phædri malitiosi? an lascivus elegis, an gravis heroïcis? an tristis in cothurnis Sophocleis? an feriatus recitat in schola poëtarum jocos respersos Attica venustate? hinc si abiit, deambulat in portica templi. An otiosus emetitur spatia Argonautarum? an post meridiem

Cruenta

An delicatæ Sole rursus Europæ
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet, ambulatve liber acribus curis?
Titi-ne thermis, an lavatur Agrippæ,
An impudici balneo Tigillini?
An rure Tulli fruitur, atque Lucani?
An Pollionis dulce currit ad Quartum?
An æstuantes jam profectus ad Baias
Piger Lucrino naviclatur in stagno?
Vis scire, quid agat Canius tuus? ridet.

iterum ad solem sedet inter tepidas buxos delicatæ Europæ? aut ambulat solutus anxietatibus molestis? an Titi, an Agrippæ thermis abluitur? an balneo impuri Tigillini? an potitur villa Tulli, & Lucani? an properat ad Quartum amœnum Pollionis? an jam profectus ad Baias ferventes iners navigat in stagno Lucrino? placet discere quid faciat tuus Canius? ridet.

Canius.] De quo epig. 70. lib. 1.

Acta Claudianorum.] Claudii Imperatoris & ejus familiæ historia nota est ex Suetonio, & aliis.

An quæ Neroni.] An emendat historiam Neronis quam adulantes ipsi auctores falso scripserant. Tacitus in proœmio Annalium. *Tiberii, Caiique, & Claudii, ac Neronis res, florentibus ipsis ob metum falsæ; postquam occiderant recentibus odiis compositæ sunt.*

Phædri.] Qui fuit Augusti libertus; fabulas Æsopi ex græco latinas fecit: improbum vero dixit, quia fictis animalium colloquiis sui temporis mores acute carpit.

Elegis.] Elegiarum materiam sic definit Horatius in Arte poëtica,

Versibus impariter junctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Severus heroïs.] Grave est enim heroïci carminis argumentum.

Sophocleis cothurnis.] hoc est, an componit tragœdias? in quibus inducti heroës altis nitebantur calceamentis, quæ dicta sunt cothurni. Sophocles carminis gravitate cæteros tragicos longe superavit.

Porticum terit templi.] Ambulat in porticu templi Isidis, epig. 14 lib. 2. ubi etiam egimus de porticu Argonautarum & Europæ porticu, in qua post meridiem apricabatur Canius.

Titi ne thermis.] Titi Imperatoris thermas interpretare. Legunt alii *stertitne thermis*, minus bene meo judicio, sed forte bene legeretur,

Stertitne, thermis an lavatur Agrippæ.

Agrippa quoque thermas construxerat, quibus nomen suum imposuerat.

Tigillini.] Alii legunt *Tigellini*: fœdissimus fuit ille temporibus Neronis, de quo Tacitus lib. 14. Annalium. Juvenalis sat. 1.

Pone Tigellinum, &c.

Tulli & Lucani.] De his duobus fratribus dictum lib. 1. epig. 37. hoc est, an rusticatur.

Ad Quartum.] Prædium nempe ad quartum ab urbe lapidem.

An æstuantes.] Aquas calidas Baiarum intellige in Campania, ubi & stagnum Lucrinum. Lib. 1. epig. 63.

In crudelem dominum. XXI.

PROSCRIPTUM famulus servavit fronte notatus.
Non fuit hæc domini vita, sed invidia.

Servus fronte signatus tuitus est proscriptum. Non fuit hæc salus heri, sed vituperium.

Proscriptum.] Antium Restionem hunc fuisse putant Interpretes: de quo Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 11.

Fronte notatus,] De notis quæ servorum frontibus inurebantur. Epig. 29. lib. 2.

Sed invidia.] Summa enim humanitate usus erga dominum crudelem servus omnibus eum fecit odiosum.

De Apicio helluone. XXII.

DEDERAS, Apici, bis tricenties ventri,
Sed adhuc supererat centies tibi laxum.
Hoc tu gravatus, ne famem & sitim ferres,
Summa venenum potione duxisti.
Nil est, Apici, tibi gulosius factum.

O Apici donaveras sexcenties abdomini, sed tibi restabat adhuc centies largum. Hoc tu dolens extremo haustu bibisti venenum, ne patereris famem & sitim. O Apici, nihil egisti gulosius.

Bis tricenties.] Apicius, de quo Seneca ad Helviam, septingenta millia sestertiûm habebat in bonis: sexcenta millia luxu consumpserat, centum vero millia supererant, at veritus ille ne hac summa explere gulam non posset, venenum bibit.

Centies laxum.] hoc est, non minus centies, imo vero amplius. Alii legunt *luxu* pro luxui.

Tibi,] Alii *te.*

Gulosius.] Is enim omnium gulosissimus videtur, qui centum sestertiûm millibus dives famem & sitim timeat: vel poëta irridet Apicium, quasi centies emisset summam potionem qua periit, unde cariore pretio nunquam biberat.

In invitatorem apponentem cibos servis non convivis. XXIII.

OMNIA cum retro pueris opsonia tradas:
Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?

Cum a tergo porrigas servis omnes cibos, quare non sternis mensam ad pedes?

Omnia cum retro.] Discumbentibus dominis ministrantes servi ad pedes stabant. Seneca lib. 3. de beneficiis cap. 27. *Ut primum diluxit, servus qui cœnanti ad pedes steterat, narrat quæ inter cœnam ebrius dixisset.* Avarus vero iste invitator cibos omnes pueris tradebat auferendos, ut crastinam in cœnam servarentur: vel forte pueris quos amabat, comedenda opsonia tradebat: ergo debuit mensam ponere a pedibus.

De hernioso haruspice. XXIV.

VITE nocens rosa stabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche, tuis victima grata sacris;
Quem Tuscus mactare Deo cum vellet haruspex,
Dixerat agresti forte, rudique viro;
Ut cito testiculos peracuta falce secaret,
Teter ut immundæ carnis abiret odor.
Ipse super virides aras luctantia pronus
Dum resecat cultro colla, premitque manu:
Ingens iratis apparuit hernia sacris.
Occupat hanc ferro rusticus, atque secat;
Hoc ratus antiquos sacrorum poscere ritus,
Talibus & fibris numina prisca coli.

Hircus reus palmitis corrosi interiturus stabat ad altaria, victima grata tuis sacrificiis, ô Bacche; quem Deo immolare volens haruspex Tuscus forte dixerat homini agresti atque imperito, ut quamprimum exsecaret testiculos falce peracuta, ut putidus odor fœda carnis evanesceret. Dum ipse haruspex *pronus super altaria viridantia cultro resecat cervicem resistentem, & stringit manu. Grande scrotum visum est sacrificiis infensis: rusticus ferro invadit illud, atque secat: existimans hoc requiri ex prisca consuetudine sacrorum, & numina antiqua coli ejusmodi*

Sic modo qui Tuscus fueras, nunc Gallus haruspex,
Dum jugulas hircum, factus es ipse caper.

fibris. Sic qui paulo ante fueras Tuscus haruspex, nunc Gallus, dum mactas hircum, ipse evasisti caper.

Vite nocens rosis.] Epig. 39. lib. 13.
Lascivum pecus, & viridi non utile Baccho
Dat pœnas. nocuit jam tener ille deo.
Alii legunt *vi e rosea.* Judicet lector.
Quem Tuscus.] Ex Tuscia, sive Hetruria, hodie *la Toscana*, Romam allata est haruspicina. Haruspex autem, teste Donato ad Phormionem Terentii actu 4. scen. 4. ab haruga nominatur. Nam haruga dicitur hostia ab hara, in qua concluditur & servatur. Alii qui sine aspiratione scribunt, dici putant quia *in ara inspicit exta.*
Virides.] hoc est stratas herba viridi.
Iratis.] Forte propter irreverentiam haruspicis, cujus hernia apparebat, quam excecuit rusticus, cum hirci testiculos abscindere debuisset.
Qui Tuscus.] Ludit poëta in voce *Gallus*, quasi ille haruspex patriam commutasset; sed intelligit *Gallum* fuisse factum, hoc est castratum: Sacerdotes enim Cybeles castrati dicebantur Galli.
Ipse caper.] Hircus & caper in eo differunt, quod hic castratus sit, ille vero minime: aliquando tamen confunduntur. Virgilius ecloga 7.
Vir gregis ipse caper.

Ad Faustinum de inepto rhetore. XXV.

SI temperari balneum cupis fervens
Faustine, quod vix Julianus intraret:
Roga, lavetur, rhetorem Sabineum.
Neronianas is refrigerat thermas.

O Faustine, si vis refrigerari balneum æstuans, quod vix ingrederetur Julianus: ora rhetorem Sabineum, in eo lavetur. Ille temperat thermas Neronianas.

Julianus.] qui aquis nonnisi ferventibus lavabat.
Roga.] Secutus sum Aldinam lectionem. Alii,
Roga, lavetur hic rhetor Sabineus.
Alii,
Rogo lavet ut rhetorem Sabineum.
Ineptum nempe, qui orationis frigore aquam etiam ferventem refrigeraverit.
Neronianas.] Cæteris calidiores: refrigerat, alii *refrigeret*: hoc est qui vel aquam calidissimam refrigerare possit: Jocus est a frigore aëris ad orationis frigus seu potius ineptias. Videat lector.

In Candidum avarum, qui excepta uxore, nihil commune habebat cum amicis. XXVI.

PRÆDIA solus habes, & solus, Candide, nummos:
Aurea solus habes, myrrhina solus habes:
Massica solus habes, & Opimi Cæcuba solus:
Et cor solus habes, solus & ingenium.
Omnia solus habes: hoc me puto velle negare:
Uxorem sed habes, Candide, cum populo.

O Candide, solus possides prædia, & solus nummos: solus possides pocula aurea, solus possides myrrhina; solus possides Massica, & solus Cæcuba Opimii: tu solus cordatus es, & solus ingeniosus. Solus possides cuncta: hoc, opinor, negaturus sum; at tibi, ô Candide, uxor est communis cum populo.

O Candide.] de quo jam supra lib. 2. ep g. 43.
Solus habes.] Ex tuis bonis nihil communicas cum amicis.
Myrrhina.] de quibus lib 14. epig. 113.
Opimi Cæcuba.] de vino Opimiano dictum epig. 27. lib. 1. de vino Massico, epig. 111 lib. 13.
Et cor.] Solus sapere tibi videris.
Hoc me puto.] Negaturus sum, inquit poëta,

Poëta, te unum! frui omnibus tuis bonis: alii enim simul cum eo dominantem ejus fundum arabant. Legunt alii, *Hoc nec puto posse negari.*

In Gallum, a quo ad cœnam non revocabatur. XXVII.

NUnquam me revocas, venias cum sæpe vocatus:
Ignosco, nullum si modo, Galle, vocas.
Invitas alios: vitium est utriusque, quod? inquis.
Et mihi cor non est, nec tibi, Galle, pudor.

Nunquam me revocas, cum invitatus crebro accedas: O Galle, parco, si modo neminem invitas: vocas alios. defectus est utriusque. Quod ais. O Galle, nec ego habeo prudentiam, nec tu verecundiam.

Et mihi cor non est.] nec enim te invitare deberem.

Nec tibi, Galle.] Cum me de te bene meritum ad cœnam non revoces.

In Nestorem male olentem. XXVIII.

AURICULAM Mario graviter miraris olere.
Tu facis hoc: garris, Nestor, in auriculam.

Tibi mirum est, fœtere aurem Mario. Tu efficis hoc, ô Nestor, garris in aurem.

Tu facis hoc.] Tu in caussa es cur illi male oleat auricula, cui graveolentiam afferas impuro tuo halitu.

In Zoilum quondam servum. XXIX.

HAs cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

O Saturne, cum duplici compede Zoilus tibi consecrat has catenas, annulos priores.

Gemina compede.] Servi improbi compedibus vincti opus in ergastulo faciebant.

Dedicat.] Servi libertate donati compedes & catenas consecrabant Saturno, qui per annum laneo vinculo alligatus Saturnalibus, mense sc. Decembri solvebatur: Saturnus ergo vinctorum deus: his verbis significat Poeta Zoilum fuisse servum.

Annulos.] Cum appellat annulos priores, notat Zoilum ex servo factum esse equitem: si enim ferrei fuerunt annuli priores, indicat alios deinde gestavisse Zoilum, & quidem dignitatis equestris insigne. Epig. 38. lib. 11.

Zoile, quid tota gemmam præcingere libra
Te juvat, & miserum perdere sardonycha?
Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus,
Non eadem digitis pondera conveniunt.

Ad Gargilianum pauperem. XXX.

SPORTULA nulla datur: gratis conviva recumbis.

Nulla donatur sportula; conviva recumbis gratuito. Rogo,

 Dic

Dic mihi, quid Romæ, Gargiliane, facis?
Unde tibi togula est, & fuscæ pensio cellæ?
Unde datur quadrans? unde vir es Chiones?
Cum ratione licet dicas te vivere summa:
Quod vivis, nulla cum ratione facis.

ô Gargiliane, quid agis Romæ? Unde habes togulam, & mercedem gurgustii obscuri? Unde accipis quadrantem? Unde es vir Chiones? Licet dicas te vivere cum summa frugalitate: sine ullo judicio agis, quod vivis.

Gratis.] Nulla enim mercede accepta, clientes tunc una cum patrono cœnabant.

Quadrant.] Quo pretio lavabant pauperes. Horatius sat. 3. lib. 1.

——— *dum te quadrante lavatum*
Rex ibis:

Chione vero scortum sui corporis copiam egenis faciebat.

Cum ratione licet.] Jocus est in ambiguo, in priori versu moderationem, in posteriori vero judicium significat: enimvero mori præstaret, quam vitam tam miseram ducere.

Ad Rufinum divitem quem hortatur ad modestiam. XXXI.

SUNT tibi, confiteor, diffusi jugera campi,
Urbanique tenent prædia multa Lares:
Et servit dominæ numerosus debitor arcæ,
Sustentatque tuas aurea mensa dapes.
Fastidire tamen noli, Rufine, minores.
Plus habuit Didymus, plus Pilomelus habet.

Habes agros valde amplos, fateor, ædes tua urbana occupant multa prædia: & multi debitores serviunt arcæ herili, & tuæ epulæ nituntur aurea mensa. Attamen, ô Rufine, noli respuere inferiores. Didymus fuit locupletior; Philomelus ditior est.

Urbani Lares.] Dii tui domestici occupant multa ædificia: *Ædificia omnia urbana prædia appellamus*, Justinianus Instit. lib. 2. tit. 3.

Arca domina.] hoc est, multi sunt in ære tuo. Merito arcam dominam appellat; nam pecuniæ omnia obediunt. Epig. 77. lib. 1.

Aurea mensa.] Coronas tantum mensarum, non totas mensas aureas fuisse interpretatur Raderus: vel forte mensam auream dixit, quæ nempe ornata esset multis vasis aureis. Vel simpliciter intellige auream fuisse, aut inauratam.

Didymus.] Malis artibus multa consecutus erat infamis hic Didymus de quo epig. 43. lib. 12. Philomelus vero citharœdus forte fuit tempore Martialis locupletissimus, qui ambo utpote ditiores Rufinum fastidire possint.

In Matriniam decrepitam. XXXII.

NON possum vetulam, quereris Matrinia? possum
Et vetulam: sed tu mortua, non vetula es.
Possum Hecubam, possum Nioben, Matrinia: sed si
Nondum erit illa canis, nondum erit illa lapis.

Non possum subagitare *vetulam, an expostulas, ô Matrinia? possum & anum: at tu mortua es, non anus. O Matrinia, possum Hecubam & Nioben; at si illa nondum erit conversa in canem, nec hæc in lapidem.*

Non possum.] Legunt alii, *An possim vetulam, quæris Matrinia?* Hæc vetula accusabat Martialem, quod parum vir esset.

Possum

Possum Hecubam.] Cujus & Niobes notissima est fabula: his verbis significat se posse quidem vetulas, sed si nondum formam mulierum nimia senectute exuerint.

Qualem puellam velit. XXXIII.

INGENUAM malo: sed si tamen illa negetur,
Libertina mihi proxima conditio est:
Extremo est ancilla loco: sed vincet utramque,
Si facie nobis hæc erit ingenua.

Ingenua magis placet, at nihilominus si non sit copia illius, libertina mihi est secundo loco: serva ultimo loco est. At si hanc habuero liberali forma, superabit utramque.

Ingenuam malo.] Ingenui dicuntur qui statim ut nati sunt, liberi sunt: libertini vero qui ex justa servitute manumissi sunt.

Sed vincet.] Ancilla vincet ingenuam & libertinam, si formosa fuerit, atque ita solius formæ non conditionis rationem habet Poëta.

Ad Chionen nigram. XXXIV.

DIGNA tuo cur sis, indignaque nomine, dicam.
Frigida es, & nigra es: non es, & es Chione.

Proferam cur merearis tuum nomen, & non merearis. Gelida es, & atra es, non es, & es Chione.

Chione.] χιὼν nix est: hæc mulier erat quidem Chione, quia frigida erat ut nix: at cum non esset candida ut nix, sed nigra, non erat Chione.

De piscibus sculptis. XXXV.

ARTIS Phidiacæ toreuma clarum,
Pisces adspicis: adde aquam, natabunt.

Vides pisces opus egregium artis Phidiacæ: adjunge aquam, natabunt.

Artis Phidiaca.] Phidias sculptor Atheniensis clarissimus toreuticen invenit, id est artem conficiendorum toreumatum: est autem toreuma opus torno factum, & cælatum.

Adde aquam.] Adeo naturam æmulantur, ut a veris vix secerni possint.

In Fabianum avarum & arrogantem amicum. XXXVI.

QUOD novus, & nuper factus tibi præstat amicus;
Hoc præstare jubes me, Fabiane, tibi.
Horridus ut primo semper te mane salutem,
Per mediumque trahat me tua sella lutum:
Lassus ut in thermas decima, vel serius hora

O Fabiane, eadem officia a me exigis, quæ a novo & paucis ante diebus facto amico. Ut primo diluculo tibi incultus nuntiem salutem, & tua sella me agat per medium cœnum: ut decima hora vel tardius defatigatus comiter te in thermas

Te ſequar, Agrippæ, cum laver ipſe Titi.
Hoc per triginta merui, Fabiane, Decembres,
Ut ſim tiro tuæ ſemper amicitiæ?
Hoc merui, Fabiane, toga tritaque, meaque,
Ut nondum credas me meruiſſe rudem.

Agrippa, cum ipſe laver in thermis Titi. O Fabiane, hocne meritus ſum per triginta annos, ut ſemper ſim novus in tua amicitia? O Fabiane, hoc meritus ſum toga lacera, & mea, ut nondum exiſtimes me dignum rude.

O Fabiane.] De illo conqueritur, quod cum vetus eſſet ejus amicus, nihilominus eaſdem ſemper anteambulonis operas, quas a novis amicis exigebat.

Decima hora.] hoc eſt, duabus horis tardius ſolito: æſtate enim octava hora lavabant, nona vero cœnabant. De horis fuſe diximus epig. 8. lib. 4.

Cum laver ipſe Titi.] Lavante enim in thermis Agrippæ Fabiano, cogebatur Martialis currere ad Titi thermas longe diſſitas. Notat arrogantiam Fabiani qui in iiſdem thermis lavari ſecum clientes non pateretur.

Meaque.] Cum clientes ſuos veſtibus donare ſoleant alii patroni.

Meruiſſe rudem.] hoc eſt, liberationem officiorum: tractum eſt a gladiatoribus: nam gladiatores ingraveſcente ætate rude donabantur, ut apud Horat. in epiſtolis, & Juven. Qua rude accepta non cogebantur amplius pugnare: ſed publica alebantur pecunia. Senſus eſt: Putas me non demeruiſſe rudem, ut me alas ſine officio. Domitius. Ramireſius putat Poëtam ambigue alluſiſſe ad togam rudem, tritæ ſcilicet oppoſitam, & villoſam, quam pexam dixit epig. 44. lib. 2.

In iraſcentes amicos. XXXVII.

IRASCI tantum felices noſtis amici.
Non belle facitis; ſed juvat hoc facere.

O Divites amici, ſcitis tantum ſuccenſere. Non decenter agitis, ſed prodeſt hoc agere.

Non bene.] Iraſci enim amico, amicitiæ leges violare eſt.

Sed juvat.] Quia nihil datis poſtea amicis, quibus ſuccenſetis. Epig. 13. lib. 12.

Ad Sextum,
Romæ non eſſe locum artibus honeſtis. XXXVIII.

QUÆ te cauſſa trahit, vel quæ fiducia Romam,
Sexte? quid aut ſperas, aut petis inde? refer.
Cauſſas, inquis, agam Cicerone diſertius ipſo,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.
Egit Ateſtinus cauſſas & Civis: utrumque
Noras: ſed neutri penſio tota fuit.
Si nihil hinc veniet, pangentur carmina nobis:
Audieris, dices eſſe Maronis opus.
Inſanis: omnes gelidis quicumque lacernis
Sunt tibi, Naſones Virgilioſque vides.

O Sexte, quæ ratio, aut quæ ſpes certa te accerſit Romam? dic quid inde aut ſperas, aut poſcis? dicam, ais, cauſſas eloquentius ipſo Cicerone, nec ullum habebo æqualem in triplici foro. Ateſtinus dixit cauſſas, & Civis: cognoveras utrumque: at neuter habuit integram penſionem domus. Si nihil hinc aſſequar, componam verſus: audieris, affirmabis eſſe opus Virgilii. Deſipis: omnes quicumque tibi occurrent frigidis lacernis, cernis Naſones & Virgilios.

Atria magna colam. vix treis, aut quatuor ista
Res aluit: pallet cætera turba fame.
Quid faciam? suade. nam certum est vivere Romæ.
Si bonus es, casu vivere, Sexte, potes.

Colam magna atria. Vix tribus aut quatuor ista res suppeditavit cibos: reliqua multitudo pallet fame. Quid agam? mone. Nam statui vivere Romæ. Si probus es, ô Sexte, potes vivere fortuito.

Quæ te.] Corruptos Romanorum mores arguit Poëta, fingendo Sextum quendam decrevisse vivere Romæ.

Disertius.] Alii *disertior*.

In triplici foro.] Vetus seu Romanum unum, alterum Julii Cæsaris, tertium Augusti intellige.

Egit Atestinus & civis.] Alii *Caius*. Nomina forte ficta aut pauperum caussidicorum, qui ex caussis non erant consecuti, unde totam solverent annuam conductæ domus pensionem.

Gelidis.] hoc est tritis lacernis, quæ frigus undique admitterent.

Sunt tibi.] Alii *sunt ibi*, Romæ scil.

Atria magna.] hoc est potentiores colam, in atriis quippe magnum amicum expectabant clientes.

Si bonus.] Solis enim malis certa est vivendi ratio, hominis vero probi vita ex casu pendet. Juvenalis sat. 3.

Quid Romæ faciam? mentiri nescio, &c.

De Lycori
quæ licet lusca bene de forma judicabat. XXXIX.

ILIACO similem puerum, Faustine, magistro
Lusca Lycoris amat. quam bene lusca videt!

Lycoris lusca ardet puerum parem magistro Troiano. Quam perspicax est lusca!

Iliaco magistro.] Pecoris scilicet magistro: Paridem forte intelligit. Legunt alii *ministro*, id est Ganymedi Jovis pocillatori.

In Thelesinum avarum. XL.

MUTUA quod nobis ter quinquaginta dedisti
Ex opibus tantis, quas gravis arca premit:
Esse tibi magnus, Thelesine, videris amicus,
Tun' magnus, quod das: immo ego, quod recipis.

O Thelesine, te existimas magnum amicum, quod nobis credidisti centum & quinquaginta ex tantis divitiis, quas coercet arca ponderosa: O Thelesine, te existimas magnum amicum, tu ne magnus es quod credis? Immo ego sum magnus *quod restituo.*

Ter quinquaginta.] millia scilicet sestertiûm. Legunt alii *ter quinquagena*, ne finalis in *giuta* corripiatur, verum est anceps, repetitus longa lib. 7. epig. 8. & brevis lib. 12. epig. 26.

Tun' magnus.] Legunt alii *tu magnus*.

Immo ego.] quia ego pauper restituo diviti. Significat Poëta plus esse ter quinquaginta a paupere restitui, quam mutuo dari a divite.

De lacerta cælata. XLI.

INSERTA phialæ Mentoris manu ducta
Lacerta vivit, & timetur argentum.

Lacerta ducta manu Mentoris insculpta phialæ spirat, & metuitur argentum.

Men-

Mentoris.] qui cælator fuit clarissimus. Lib. 9. epig. 60.

——— *& si qua fuerunt*
Pocula Mentorea nobilitata manu.

Plinius lib. 33. cap. 11. *Lucius vero Crassus orator duos scyphos Mentoris artificis manu cælatos habuit centum sestertiis.*

Ducta.] Proprium est cælatorum & sculptorum verbum. Virgilius lib. 6. Æneid. v. 848.

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem: vivos ducent de marmore vultus.

Et timetur.] Cùm lacerta vivere videatur.

In Pollam tegentem rugas ventris. XLII.

LOMENTO rugas uteri quod condere tentas,
Polla: tibi ventrem, non mihi labra linis.
Simpliciter pateat vitium fortasse pusillum.
Quod tegitur, majus creditur esse malum.

O Polla, quod conaris lomento tegere rugas uteri, tibi linis uterum, non mihi labra. Sincere detegatur vitium forte parvum. Majus esse malum existimatur quod occultatur.

Lomento.] Lomentum, teste Roberto Stephano, farina fabacea qua ad ergenda corpora usa est antiquitas. Uterum vero linebat Polla, ut sulcis absconditis puella videretur.

Non mihi labra linis.] id est, non me decipis hoc fuco, quo sensu Plautus dicit, *os sublinere*. Hæc dicendi formula originem traxit a genere ludi quo dormientibus ora pinguntur, quos cum aliis ludibrio esse vellent antiqui, eos dormientes per jocum liniebant colore aliquo, vel fuligine. Hæc formula potest etiam desumi ab iis qui amaras potiones ægroris vel pueris exhibentes, labra poculorum melle illinunt, ut hac dulcedine primum decepti potionem hauriant.

Malum.] Alii *nefas*.

In Lentinum tingentem capillos. XLIII.

MENTIRIS juvenem tinctis, Lentine, capillis:
Tam subito corvus, qui modo cycnus eras
Non omneis fallis. scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo.

O Lentine, fingis te juvenem comis coloratis: tam repente corvus factus, qui paulo ante cycnus eras. Non imponis omnibus. Proserpina novit te canum: illa auferet larvam a tuo capite.

Mentiris juvenem.] Lentinus canos capillos tingebat, ut juvenis videretur.

Scit te Proserpina.] Jovis & Cereris filia, quæ a Plutone rapta est in conjugem, unde inferorum regina dicitur. Qui autem morituri sunt, priusquam a Proserpina tondeantur, animam efflare nequeunt, ut canunt Poëtæ. Hanc caussam affert Virgilius cur Dido difficulter animam emitteret, lib. 4. Æneid.

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat orco.

Personam.] Persona dicitur ficta imago vultus seu larva: illa vero capillorum tinctura eleganter capitis persona dicitur, qua ablata Lentinus canus videbitur, atque orco damnandus.

In Ligurinum nimis poëtam. XLIV.

OCCURRIT tibi nemo quod libenter,
Quod quacumque venis, fuga est, & ingens

O Ligurine, visne scire quid sit, quod nullus tibi obviam fit æquo animo, quod omnes fugiunt, & vasta sit solitudo

Circa

Circa te, Ligurine, solitudo:
Quid sit scire cupis? nimis poëta es.
Hoc valde vitium periculosum est.
Non tigris catulis citata raptis,
Non dipsas medio perusta Sole,
Nec sic scorpius improbus timetur.
Nam tantos, rogo, quis ferat labores?
Et stanti legis, & legis sedenti,
Currenti legis, & legis cacanti.
In thermas fugio: sonas ad aurem.
Piscinam peto: non licet natare,
Ad cœnam propero: tenes euntem.
Ad cœnam venio: fugas sedentem.
Lassus dormio: suscitas jacentem.
Vis, quantum facias mali, videre?
Vir justus, probus, innocens timeris.

circum te, in quemcumque locum venis? Nimium poeta es. Hoc vitium periculosissimum est. Ablatis catulis tigris festina non incutit tantum metum, nec dipsas adusta medio sole, nec scorpius venenosus. Quæso enim, quis patiatur tantas molestias? Legis stanti, & legis sedenti: legis properanti, & legis exoneranti ventrem, Fugio in thermas: clamas ad aurem. Eo in piscinam: non fas est natare. Festino ad cœnam: moraris euntem. Venio ad cœnam: fugas sedentem. Defatigatus dormio: excitas cubantem. Cupisne scire quantum mali facias? Metueris licet vir justus, probus, innocens.

Nimis poëta es.] Lepide Horatius in fine Artis poëticæ:

> *Vesanum tetigisse timent, fugiuntque poëtam*
> *Qui sapiunt.*

Non tigris.] quæ tamen periculosissima est dum equitem suorum catulorum raptorem insequitur.

Dipsas.] Serpens a quo icti vexantur siti & æstu: δίψα, sitis, unde nomen deducit, *perusta Sole* dicitur: vel quod apricetur ad Solem meridianum, vel quod plaga meridiana vivat.

Piscinam peto.] Locus erat domi ubi aqua frigida lavabant: fuisse etiam piscinas tepidas constat ex Plinio juniore lib. 5. epist. 3. Fuit etiam piscina publica.

Non licet.] Alii *non finis.*

Fugas sedentem.] Nempe qui ad cœnam maturius veniebant, dum sternerentur lecti sedebant. Epig. 67. lib. 7.

> *Sternantur lecti, Cæciliane sede.*

Vir justus.] Importuna tua recitatione adeo intolerabilis es, ut te patienter ferre quamvis probum nemo possit.

De eodem. XLV.

FUGERIT an mensas Phœbus cœnamque Thyestæ,
Ignoro: fugimus nos, Ligurine, tuam.
Illa quidem lauta est, dapibusque instructa superbis:
Sed nihil omnino te recitante, placet.
Nolo mihi ponas rhombum, mullumve bilibrem:
Nec volo boletos, ostrea nolo: tace.

Nescio utrum Sol fugerit mensas & cœnam Thyestæ: O Ligurine, nos fugimus tuam. Illa quidem splendida est, & ornata epulis lautis: at nihil prorsus gratum est te recitante. Non placet mihi apponas rhombum, aut mullum bilibrem; nec placent boleti, nec ostrea: sile.

Fugerit an mensas.] Thyestes filius fuit Pelopis ex Hippodamia, & nepos Tantali, qui uxorem fratris sui Atrei in adulterium pellexit, atque ex ea suscepit filios, quos Atreus in vindictam tanti sceleris eidem Thyestæ comedendos apposuit. Propterea Poëtæ fingunt Solem horrore tantæ immanitatis expalluisse, mutatoque solito cursu rediisse ad auroram. Vide Seneca in Thyest.

Fugimus nos.] Ne cogamur audire te recitantem, epig. 50. infra.

Tace.] nos enim importuna recitatione enecas.

Ad Candidum cui excusat officia anteambulonis, non a se quidem, sed a liberto præstita. XLVI.

EXIGIS a nobis operam sine fine togatam:
Non eo, libertum sed tibi mitto meum.
Non est, inquis, idem. multo plus esse probabo.
Vix ego lecticam subsequor: ille feret.
In turbam incideris, cunctos umbone repellet:
Invalidum est nobis, ingenuumque latus.
Quidlibet in caussis narraveris, ipse tacebo:
At tibi tergeminum mugiet ille sophos.
Lis erit, ingenti faciet convicia voce:
Esse pudor vetuit fortia verba mihi.
Ergo nihil nobis, inquis, præstabis amicus?
Quidquid libertus, Candide, non poterit.

A nobis continuo postulas officia anteambulonis:, non vado, sed mitto libertum meum. Non idem est, ais: docebo multo plus esse. Ægre ego subsequor lecticam: ille gestabit. Si incurreris in turbam, umbone propulsabit omnes: ego habeo latus debile, & ingenuum. Quidlibet narraveris in caussis, ipse silebo: sed ille tibi vociferabitur tergeminum sophos. Controversia erit, summa voce ingeret contumelias: verecundia prohibuit me habere vocem altam. Nihilne igitur, inquis, tu amicus præstabis nobis? Præstabo, ô *Candide, quidquid non poterit libertus.*

Operam togatam.] id est officium anteambulonis: patronos enim comitabantur clientes toga indui, quam alii cives raro sumebant. Juvenalis sat. 3.

Pars magna Italiæ est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus.

Non est idem.] Majori, inquis, mihi honori esset tuus quam liberti comitatus.

Plus esse probabo.] quæ enim officia præstare ego nequeo, ea præstabit tibi meus libertus.

In turbam incideris] Ille in turba viam tibi expediet, & velut umbone clypei obstantes rejiciet nisu corporis, aut laterum firmitate. Turnebus lib. 13. cap. 15. & 19.

Ingenuumque latus.] Debile interpretare, quod ingenui hominis vires oneri ferendo non sint.

At tibi tergeminum.] Meus libertus ad cœlum usque laudibus te efferet. Vide epig. 4. lib. 1.

Lis erit.] Si litigaveris cum aliquo, tuo nomine lacerabit adversarium conviciis.

Esse pudor.] Nam rusticorum est voce alta clamare.

Quicquid.] Officia liberalia præstabo, quæ nec servus nec libertus præstare possunt: famam scilicet, & nominis æternitatem meis versibus tibi conciliabo.

De Basso, cujus rus sterile irridet. XLVII.

CAPENA grandi porta qua pluit gutta,
Phrygiæque matris Almo qua lavat ferrum,
Horatiorum quà viret sacer campus,
Et qua pusilli fervet Herculis fanum,
Faustine, plena Bassus ibat in rheda,
Omneis beati copias trahens ruris.
Illic videres frutice nobili caules,
Et utrumque porrum, sessilesque lactucas,
Pigroque ventri non inutiles betas.

O Faustine, Bassus ibat vehens in rheda plena omnes fructus fertilis villæ, qua porta Capena pluit grandi gutta, & quà Almo abluit ferrum matris Phrygiæ, quà religiosus ager Horatiorum virescit, & quà fervet ædes Herculis minoris. In rheda cerneres brassicas stirpe nobili, atque utrumque porrum, & lactucas sessiles, & betas utiles alvo strictæ

Illic

Illic coronam pinguibus gravem turdis,
Leporemque læsum Gallici canis dente,
Nondumque victa lacteum faba porcum.
Nec feriatus ibat ante carrucam,
Sed tuta fœno cursor ova portabat.
Romam petebat Bassus: immo rus ibat.

Illic videres coronam ponderosam pinguibus turdis, & leporem vulneratum dente canis Gallici, & lacteum porcellum nondum fracta faba. Nec otiosus cursor incedebat ante rhedam, sed ferebat ova secura fœno. Bassus ibatne Romam? immo petebat villam.

Pluit.] propter aquæductum quo super eam portam aqua in urbem fluebat. Juvenalis sat. 3.

Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam.

Phrygiaque.] Cybele deorum mater ex Phrygia Romam fuerat advecta, unde Phrygia mater dicitur. Almo fluvius territorii Romani in Tyberim defluit, hodie *Dachia.* In eo Cybeles Sacerdotes lavabant cultros quibus hostias mactabant, ipsum quoque Cybeles simulachrum. Ovidius 4. Fastorum:

Illic purpurea canus cum veste Sacerdos
Almonis dominam, sacraque lavit aquis.

Horatiorum.] nempe extra portam Capenam erat sepulchrum Horatiorum, & campus ubi cum Curiatiis pugnaverant, quorum satis nota est historia ex Livio.

Et qua pusilli.] Pusillum appellat Herculem ad assentationem Domitiani, qui se majorem Herculem prædicabat, ut patet ex epig. 65. lib. 9. epig. 16. lib. Spect.

Fervet fanum.] hoc est, a multis frequentatur.

Utrumque porrum.] sectivum intellige & capitatum.

Sessilesque lactucas.] Lactucarum genus quoddam sessile dicitur seu laconicum. Vide Plinium lib. 19. cap. 8.

Pigroque ventri.] quem solvunt betæ.

Illic coronam.] tectam forte e vimine ex qua suspensi erant turdi.

Gallici canis dente.] velocissimi nimirum utpote lupino satu editi. Vide Plinium lib. 8. cap. 11.

Nondumque victa.] hoc est porcellum lacteum, qui fabas frangere nondum posset.

Sed tuta fœno.] hoc est, munita fœno ne collisa contererentur.

Romam petebat.] cum tot fructus rure nascentes veheret.

Immo rus.] Amœna quidem erat illa Bassi villa, sed sterilis, in quam tot edulia deportare cogebatur.

De Ollo

redacto ad paupertatem ædificando. XLVIII.

PAUPERIS extruxit cellam, sed vendidit Ollus
Prædia: nunc cellam pauperis Ollus habet.

Ollus ædificavit cellam inopis, at vendidit fundos: Ollo nunc est cella pauperis.

Extruxit cellam] Lipsio teste in 18. epist. Senecæ, divites extruebant pauperis cellam contiguam, aut in vicinia suarum ædium, in quam fastidiosi, miseros, tribules, & advenas pauperes, amicosque minorum gentium recipiebant: ne intra ædes admitterent. Cum vero Ollus esset dives, ex more reliquorum divitum construxerat cellam pauperis: sed bonis abliguritis, & prædio divendito, unam sibi cellam reliquam fecit, quæ tunc pauperis cella verius quam olim dici posset. Seneca epistola 100. *Desit sane varietas marmorum, & concisura aquarum cubiculis interfluentium, & pauperis cella, & quidquid aliud luxuria, non contenta decore simplici, miscet.* Epig. 14. lib. 8.

In invitatorem, diverſa vina convivis apponentem. XLIX.

VEIENTANA mihi miſces, tu Maſſica potas:
Olfacere hæc malo pocula, quam bibere.

Mihi porrigis vina Veientana; tu bibis Maſſica: magis placet odorari hæc pocula, quam haurire.

Tu Maſſica potas.] Vetus codex, *Tibi Maſſica potas.* Ramireſius vero legit *Tibi Maſſica ponis.* Judicet Lector. Vinum Veientanum viliſſimum, lib. 2. epig. 53. Maſſicum vero optimum, epig. 111. lib. 13.

Olfacere.] An erant pocula myrrhina, inquit Raderus? Vinum myrrha amarius, cujus gratus odor, ingratus guſtus.

In Ligurinum recitatorem importunum. L.

HÆc tibi non alia eſt ad cœnam cauſſa vocandi,
Verſiculos recites ut, Ligurine, tuos.
Depoſui ſoleas, affertur protinus, ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber.
Alter perlegitur, dum fercula prima morantur.
Tertius eſt, nec adhuc menſa ſecunda venit.
Et quartum recitas, & quintum denique librum.
Putidus eſt toties, ſi mihi ponis aprum.
Quod ſi non ſcombris ſcelerata poëmata dones:
Cœnabis ſolus jam, Ligurine, domi.

O Ligurine, invitas ad cœnam non alia de cauſſa quam ut legas tua carmina. Abjeci crepidas; ſtatim apportatur immenſus libellus inter lactucas & oxygarum. Alter totus legitur, dum prima dapes cunctantur. Tertius adeſt, necdum ſecunda fercula afferuntur. Et recitas quartum libellum, & tandem quintum. Si mihi vel aprum apponis toties, male olet. Quod ſi non tradas ſcombris ſceleſta poëmata, ô Ligurine, ſolus jam cœnabis domi.

Depoſui ſoleas.] Cum cœnaturi eſſent veteres, deponebant ſoleas, ne ſtragula lecti, in quo recumbebant, luto fœdarentur. Gellius lib. 13. cap. 20. *Omnia quibus plantarum calces tantum infime teguntur, cætera prope nuda, & teretibus habenis juncta ſunt, ſoleas dixerunt.* Vide epig. 44. & 45. ſupra.

Oxygarumque.] Garum intellige, ſive liquamen ex aceto & inteſtinis piſcium, epig. 102. lib. 13.

Alter perlegitur.] Legunt alii *porrigitur.*

Quod ſi non ſcombris.] Verſus mali, ſcombris & aliis piſcibus involvendis inſerviebant. Alii *damnas.*

Scelerata.] Importuna enim carminum recitatione convivas enecabat Ligurinus.

Ad Gallum vanam mulierem. LI.

CUM faciem laudo, cum miror crura manuſque,
Dicere, Galla, ſoles, Nuda placebo magis:
Et ſemper vitas communia balnea nobis.
Numquid, Galla, times ne tibi non placeam?

Cum commendo tuum vultum, cum manus & crura mihi admiranda videntur, ô Galla, conſueviſti dicere, Ero gratior nuda: & ſemper fugis thermas nobis communes. O Galla, an metuis ne tibi injucundus ſim?

Et

Et semper vitas.] Ironicῶς carpit Gallam, quæ formosa videri volebat, nec tamen unquam cum Poëta lavabat, ne corporis deformitas pateret.
Ne tibi non placeam.] Ne tibi videar parum vir.

Ad Tongilianum, cujus domus incendio perierat. LII.

EMPTA domus fuerat tibi, Tongiliane, ducentis:
Abstulit hanc nimium casus in urbe frequens.
Collatum est decies: rogo non potes ipse videri
Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

O Tongiliane, emeras ædes ducentis: infortunium creberrimum in urbe evertit illas. Donatum est decies: O Tongiliane, quæso, nonne potes videri ipse combussisse tuas ædes.

Ducentis.] Sestertiis, vel ducentis millibus sestertiûm.
Collatum est decies.] hoc est, tui clientes tibi donarunt decies centena millia sestertiûm.
Non potes.] Nempe ut ex incendio lucrum faceres: eodem sensu Juvenalis sat. 3.
——— *& merito jam*
Suspectus tanquam ipse suas incenderit ædes.

Ad Chloen a qua abstinere se potuisse dicit. LIII.

ET vultu poteram tuo carere,
Et collo, manibusque cruribusque,
Et mammis, natibusque clunibusque:
Et, ne singula persequi laborem,
Tota te poteram, Chloë, carere.

Valebam me abstinere & a tua facie, & collo, & manibus, & cruribus, & mammis, & natibus, & clunibus; & ne defatiger referre singula membra: *valebam, ô Chloë, me abstinere a te integra.*

Et vultu poteram.] Singula sua membra laudabat Chloë, ut amore Martialem accenderet, at vero illam sprevit Poëta, affirmans illa tota carere se posse.

Ad Gallam astute negantem. LIV.

CUM dare non possim, quod poscis, Galla, rogantem:
Multo simplicius, Galla, negare potes.

O Galla, cum nequeam donare quod petis a me poscente noctem; *O Galla, potes recusare multo apertius.*

Quod poscis Galla.] Poëta arguit astutiam Gallæ, quam cum ille noctem rogaret, poscebat illa multo plus quam præstare posset, sic ergo non simpliciter quidem, sed artificiose recusabat Galla.

In Gelliam unguentis delibutam. LV.

QUOD quacumque venis, Cosmum migrare putamus,
Et fluere excusso cinnama fusa vitro;

Quod credimus Cosmum venire quacumque vadis, & vitro agitato labi cinnama dispersa;

Nolo

Nolo peregrinis placeas tibi, Gellia, nugis.
Sic puto posse meum, sic bene olere canem.

O Gellia, nolo tibi jucunda sis externis ineptiis. Credo meum canem posse bene olere hoc modo.

Cosmum.] Unguentarium, cujus mentionem sæpe facit Poëta. Tot vero unguentis delibuta erat Gellia, & tantus odor spargebatur, quacumque iret, ut Cosmus cum pharmacopolio illam sequi videretur.

Epig. 88. lib. I.
Nolo peregrinis.] Unguentis externis a sed naturali oris venustate bene oleas.
Sic puto.] Alii *scis puto.*

De cisterna Ravennate. LVI.

SIT cisterna mihi, quam vinea, malo Ravennæ:
Cum possim multo vendere pluris aquam.

Magis mihi placet habere cisternam Ravennæ, quam vitem: cum possim vendere aquam multo pluris.

Sit cisterna.] Ravenna urbs in Italia ad mare Adriaticum, ubi erat penuria aquarum potabilium, magna vero vini copia, atque adeo illic pluris aqua, quam vinum vendebatur.

De Caupone Ravennate. LVII.

CALLIDUS imposuit nuper mihi caupo Ravennæ:
Cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

Paucis ante diebus versutus caupo me decepit Ravennæ: cum poscerem mixtum, ille vendidit merum.

Callidus imposuit.] Patet hoc epigramma ex præcedente: cum enim aqua Ravennæ carior esset vino, dilutum aqua vinum carius erat mero.

De villa Faustini ad Bassum. LVIII.

BAIANA nostri villa, Basse, Faustini
Non otiosis ordinata myrtetis,
Viduaque platano, tonsilique buxeto
Ingrata lati spatia detinet campi:
Sed rure vero, barbaroque lætatur.
Hic farta premitur angulo Ceres omni,
Et multa fragrat testa senibus autumnis.
Hic post Novembres, imminente jam bruma,
Seras putator horridus refert uvas;
Truces in alta valle mugiunt tauri,
Vitulusque inermi fronte prurit in pugnam.
Vagatur omnis turba sordidæ cortis,
Argutus anser, gemmeique pavones,
Nomenque debet quæ rubentibus pennis,
Et picta perdix, Numidicæque guttatæ,

O Basse, villa Baiana nostri Faustini non composita sterilibus myrtetis, & platano cælibe, & buxeto tonsili occupat sterilia spatia agri ampli: sed gaudet rure vero, & inelegantí. Hic congestum frumentum coacervatur omni angulo, & plures amphoræ bene olent vino vetusto. Hic post Novembres, jam instante hiems, incultus vinitor reportat uvas tardas; tauri truculenti mugiunt in profunda valle, & vitulus inermi fronte appetit prælium. Omnis turba cortis rusticæ errat, anser argutus, & pavones gemmei, & qua habet nomen ab alis rubris, & perdix colorata, & Numidicæ guttatæ,

Et

Et impiorum phasiana Colchorum.
Rhodias superbi fœminas premunt Galli,
Sonantque turres plausibus columbarum.
Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur,
Avidi sequuntur villicæ sinum porci,
Matremque plenam mollis agnus expectat.
Cingunt serenum lactei focum vernæ,
Et larga festos lucet ad Lares sylva.
Non segnis albo pallet otio caupo:
Nec perdit oleum lubricus palæstrita:
Sed tendit avidis rete subdolum turdis,
Tremulave captum linea trahit piscem,
Aut impeditam cassibus refert damam.
Exercet hilares facilis hortus umbellas,
Et pædagogo non jubente lascivi
Parere gaudent villico capillati,
Et delicatus opere fruitur eunuchus:
Nec venit inanis rusticus salutator.
Fert ille ceris cana cum suis mella,
Metamque lactis Sassinate de sylva.
Somniculosos ille porrigit glires,
Hic vagientem matris hispidæ fœtum,
Alius coactos non amare capones.
Et dona matrum vimineo ferunt texto
Grandes proborum virgines colonorum.
Facto vocatur lætus opere vicinus,
Nec avara servat crastinas dapes mensa,
Vescuntur omnes, ebrioque non novit
Satur minister invidere convivæ.
At tu sub urbe possides famem mundam,
Et turre ab alta prospicis meras laurus,
Furemque Priapo non timente securus,
Et vinitorem farre pascis urbano,
Pictamque portas otiosus ad villam
Olus, ova, pullos, poma, caseum, mustum.
Rus hoc vocari debet, an domus longe?

& phasiana impiorum Colchorum. Galli superbi comprimunt fœminas Rhodias, & turres resonant plausibus columbarum. Palumbus ingemiscit ex hac parte, ex illa turtur serene. Porci cupidi sectantur gremium villicæ, atque agnus tener præstolatur matri abundanti lacte. *Servuli candidi circundant caminum lucidum, & ligna copiosa splendent ad Lares solennes. Non otiosus caupo exalbescit pallida inertia: nec lubricus palæstrita amittit oleum: at tendit plagas fallaces cupidis turdis, vel filo tremente trahit piscem captum, aut reportat damam implicitam plagis. Hortus facilis præbet umbras amœnas, nec imperante præceptore lascivi capillati lætantur obsequi villico, & mollis eunuchus vacat labori: nec accedit agrestis salutator vacuis* manibus. *Ille portat cana mella cum suis ceris, & metam lactis de sylva Sassinate. Ille offert somniculosos glires, hic vagientem partum matris villosæ, alius capones coactos non amare. Atque adulta puella bonorum colonorum canistro portant munera matrum. Peracto labore hilaris vicinus invitatur, nec avara mensa servat cibos in crastinum* convivium, *cuncti epulantur, & saturatus servus nescit invidere temulento conviva. At tu sub urbe possides famem elegantem, atque ab alta turre spectas tantum lauros, & tutus es Priapo non metuente furem, atque alis vinitorem frumento allato ex urbe, atque ad villam pictam feriatus fers olus, ova, pullos, poma, caseum, mustum. Hoc ne rus debet appellari, an domus procul?*

Baiana villa.] Baiis prope Neapolim erat villa Faustini, quam a fructuum abundantia commendat Martialis, rus vero Bassi vituperat a sterilitate, epig. 47. supra.

Platano vidua.] id est sterili, metaphora ducta a viduis fœminis quæ liberos non pariunt.

Tonsili buxus.] Myrtetum & buxetum sunt loca myrtis & buxis sterilibus frequentia: buxus vero in varias, ut nunc, animalium & aliarum rerum figuras tondebatur.

Sed rure vero barbaroque.] hoc est fertili, nec arboribus sibi invicem respondentibus ornato.

Ceres.] Cererem frumenti Deam pro frumento ipso posuit.

Sexibus autumnis.] Vinum intellige a multis annis reconditum; autumnum usurpat pro fructibus autumni, & quidem præcipuis, vino nimirum.

Seras putator.] Uvas duracinas tarde maturescentes intellige, de quibus epig. 44. lib. 1. & epig. 22. lib. 13.

Inermi fronte.] sine cornibus. Idem de hœdo dicit Horatius ode 13. lib. 3. carm.

——— *cui frons turgida cornibus*
Primis, & Venerem & prælia destinat
Frustra.

Argutus anser.] hoc est strepens. Virgilius ecloga 9.

——— *sed argutos inter strepere anser olores.*

Gemmeique pavones.] Pavonum cauda gemmis varii coloris ornata videtur.

Nomenque debet.] Phœnicopterum intellige sic dictum ab alis rubris, epig. 71. lib. 13.

Dat mihi penna rubens nomen.

Numidicaque guttata.] hoc est gallinæ Africanæ, quarum plumæ maculis veluti guttis distinctæ, epig. 73. lib. 13.

Phasiana.] avis nota sic dicta a Phase Colchidis fluvio. *Colchorum* autem *impiorum* dixit propter scelus Medeæ.

Rhodias.] Gallinas intellige aliis pretiosiores.

Cereus turtur.] a pinguedine quæ pallidum colorem ceræ similem efficit. Alii colorem illum cereum ad plumas referunt.

Villica sinum.] in quo villica fert pastum. Legunt alii *fenum*: Suculi enim villicæ vocem eos ad pastum vocantis agnoscunt, & sequuntur.

Ad Lares.] deos domesticos qui ad focum colebantur. Epig. 30. lib. 1.

Non segnis albo.] Caupo exercebatur aucupio & piscatu: in villa viaturam gratia constituebatur caupona.

Nec perdit oleum.] Ungebantur oleo, qui in palæstra erant luctaturi: hic palæstrita cum rure non luctaretur, oleo non ungebatur, sed venatione & aucupio se exercebat ut caupo. Oleum vero & operam perdere dicitur, qui male tempus insumit; hoc loco significat Poeta, nec palæstritam nec cauponem fuisse otiosos.

Facilis hortus.] qui facile, & nullo fere labore colitur, rure enim vero & barbaro lætabatur illa villa.

Exercet umbellas.] hoc est præbet umbras. Alii legunt *exercet urbanos*, hoc est, occupat eos qui ex urbe in villam venerunt. Alii legunt *exercet ancillas*, ut ostendat Poeta totam Faustini familiam vacare alicui operi. Judicet lector.

Capillati.] Pueri scilicet comam alentes, qui domino in delicia erant, nisi pædagogo parebant, alios servos dictetis lacessebant. Laudat Poeta hanc villam ubi lascivi illi pueri, non cogente pædagogo, ultro obtemperabant villico: vel intellige filios ipsius villici, cui sua sponte obtemperabant.

Nec venit inanis.] sed affert munera, quæ sequuntur.

Metamque lactis.] caseum intellige, ut epig. 44. lib. 1.

Sassinate de sylva.] Baiis vicina, ut videtur. Legunt alii *Sarsinate*. Sarsina vero Umbriæ urbs, Plauti patria: sed longe distat a Baiis. Videat lector.

Matris hispidæ fœtum.] hoc est hœdillum, qui vagitu suo matrem abesse queritur.

Coactos non amare.] quia sunt castrati.

Et dona matrum.] Agricolarum filiæ a matribus suis afferunt munera. Legunt alii *& ova matrum*, hoc est gallinarum. Epig. 30. lib. 7.

Rauca cortis aves, & ova matrum.

Satur minister.] Cum enim in erastinum convivium non serventur cibi, saturantur servi nec invident convivis, quod secus fit in urbe.

Possides famem mundam.] Jam alloquitur Bassum, cujus amœna quidem erat villa, sed sterilis.

Meras laurus.] ex quibus nullus fructus percipitur.

Priapo non timente.] hortorum custode, qui fures quidem non metuebat, cum illic nulli essent fructus.

Pictamque.] sterilem, sed visu amœnam, qualis in tabella exprimi solet, epig. 47. supra.

De sutore, & fullone munerariis. LIX.

SUTOR cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus.
Fullo dedit Mutinæ: nunc ubi, caupo, dabis?

O polita Bononia, sutor cerdo tibi exhibuit spectaculum: fullo exhibuit Mutinæ: O caupo, ubi nunc exhibebis?

Sutor cerdo.] Indignatur Poeta, quod vilissimi etiam homines edant munera gladiatoria, cum id olim nonnisi clarioribus viris liceret. Est autem *cerdo* is qui ex qua-

quacunque arte lucrum facit, unde sutor cerdo qui ex sutrina, cerdo tonsor ex tonstrina, &c. Bononia vero & Mutina, hodie *Bologna* & *Modena*, epig. 16. supra.

In Ponticum, non eosdem sibi & convivis cibos apponentem. LX.

CUM vocor ad cœnam, non jam venalis, ut ante:
Cur mihi non eadem, quæ tibi, cœna datur?
Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino:
Sugitur inciso mytilus ore mihi.
Sunt tibi boleti: fungos ego sumo suillos.
Res tibi cum rhombo est: at mihi cum sparulo.
Aureus immodicis turtur te clunibus implet:
Ponitur in cavea mortua pica mihi.
Cur sine te cœno, cum tecum, Pontice, cœnem?
Sportula quod non est, prosit: edamus idem.

Cum invitor ad cœnam, non jam venalis ut prius; quare non iidem cibi mihi apponuntur qui tibi? Tu accipis ostrea nutrita in lacu Lucrino: ego sugo mytilum ore scisso. Tu habes boletos; ego accipio fungos porcinos. Tu sumis rhombum, ego vero sparulum. Aureus turtur te saturat clunibus latis: pica mortua in cavea apponitur mihi. O Pontice, cum tecum cœnem, quare cœno sine te? Proficiat mihi, sublatam esse sportulam: comedamus idem.

Non jam venalis.] Alii *non tam*. De sportulis sublatis, & cœna recta a Domitiano revocata vide epig. 7. supra, edicto Domitiani fraudem fieri conqueritur Martialis, cum Ponticus rectam quidem cœnam daret, sed non meliorem sportula.

Stagno saturata.] Ostreis optimi saporis abundabat lacus Lucrinus in Campania hodie *Lago Licola* vel *mare morto*.

Sugitur inciso.] Ego vero, inquit Poëta, mytilum sugo, sed illius testa tam dura est, ut mihi sugenti labra scindat. Legunt alii *sumitur*.

Sumo suillos.] Boleti optimi sunt saporis, fungos vero per contemptum suillos vocat.

Cum rhombo,] Qui piscis est exquisitus, sparulus autem vilissimus.

Aureus.] Alii *cereus* ut epig. 58. supra; aureum vocat a colore pinguedinis.

In cavea mortua pica.] Cavea hic significat septum in quo aves & bestiæ includuntur: alias locus est ubi populus sedens ludos spectabat.

Cum sine te,] Tecum, sine te, cœno, quia non eosdem cibos comedimus.

Sportula quod non est.] Sublata a Domitiano.

In Cinnam extenuantem suas postulationes. LXI.

ESSE nihil dicis, quidquid petis improbe Cinna,
Si nil Cinna petis, nil tibi Cinna nego.

O Cinna nequam, ais nihil esse quicquid postulas: ô Cinna, si nihil postulas, nihil recuso tibi, ô Cinna.

Esse nihil.] Sic lepide omnia importuno Cinnæ negat Poëta.

In Quinctum, non ex impensis sed ex liberalitate magnum animum existimari docet. LXII.

CENTENIS quod emis pueros, & sæpe ducentis:
Quod sub rege Numa condita vina bibis:

Quod mercaris servos centenis, & sæpe ducentis, quod potas vina recondita sub rege Numa:

Quod

Quod constat decies tibi non speciosa supellex:
Libra quod argenti millia quinque rapit:
Aurea quod fundi pretio carruca paratur:
Quod pluris nulli est, quam domus emta tibi;
Hæc animo magno credis te, Quincte, parare?
Falleris: hæc animus, Quincte, pusillus emit.

quod emis decies supellectilem non pulchram: quod libra argenti constat quinque millibus: quod aureus currus emitur pretio fundi: quod nemo pluris mercatus est ædes quam tu: O Quincte, putasne te hæc emere animo magno? Allucinaris, ô Quincte, abjectus animus hæc mercatur.

Centenis.] Millibus sestertiûm.

Sub rege Numa.] Hyberbolικῶς significat vinum vetustissimum.

Non speciosa.] Alii *non spatiosa*, id est, quæ non occuparet multum spatii: sed pretiosa esset, ita ut una argenti libra assabre cælata quinque millibus constaret.

Aurea carruca.] Currum inauratum intellige, qui tanti constaret quanti fundus.

Quod pluris nulli est.] Alii *quod pluris multa est.* Videtur hæc lectio melior: quæ enim pretio carrucæ, eadem pretio mulæ accommodatur hyperbole.

Hæc animus.] Qui tantas impensas facit in rebus tam pusillis, non magno sed pusillo est animo: habendus autem magnanimus ille, qui pecuniam pauperibus amicis largitur.

In Cotilum effœminatum. LXIII.

COTILE, bellus homo es, dicunt hoc, Cotile, multi,
Audio: sed quid sit, dic mihi, bellus homo?
Bellus homo est flexo qui digerit ordine crines:
Balsama qui semper, cinnama semper olet:
Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat:
Qui movet in varios brachia volsa modos:
Inter fœmineas tota qui luce cathedras
Desidet, atque aliqua semper in aure sonat:
Qui legit hinc, illinc missas, scribitque tabellas:
Pallia vicini qui refugit cubiti:
Qui scit, quam quis amet, qui per convivia currit:
Hirpini veteres qui bene novit avos.
Quid narras? hoc est, hoc est homo, Cotile, bellus?
Res pertricosa est, Cotile, bellus homo.

O Cotile, homo es bellus: ô Cotile, multi id loquuntur, audio: at doce me, quid sit homo bellus? bellus homo est, qui ordine distinguit capillos flexos: qui perpetuo fragrat balsamis, perpetuo cinnamis: qui susurrat cantilenas Ægyptias & Gaditanas: qui versat depilata brachia in diversos modos: qui die integro torpet inter sellas mulierum, & perpetuo susurrat in aure alicujus: qui legit tabellas missas hinc & illinc, & scribit: qui vitat pallia propinqui cubiti: qui novit, quam quis deperéat, qui currit per convivia: qui recte tenet avos antiquos Hirpini. Quid ais? hoc est, ô Cotile, hoc est homo bellus? O Cotile, homo bellus res est petricosa.

Cotile, bellus homo.] Docet Poëta bellum hominem mollem & effœminatum esse. Cotilus vero se bellum prædicabat, ratus τὸ *bellum* referri tantum ad corporis formam, non ad mores.

Flexo qui.] Alii *flexos*. Ex persona Cotili hominem bellum definit Poëta.

Balsama qui.] Effœminatorum est semper unguentis alienis bene olere.

Cantica qui Nili.] Nilus fluvius Ægypti quem.

quem usurpat pro Ægypto: Cantilenæ vero Ægyptiæ, & Gaditanæ choreis atque impudicis motibus accommodatæ: Gaditani populi Hispaniæ hodie *Cadis*, epig. 42. versu 12. & epig. 62. lib. 1.

Brachia vulsa.] Alii *valsa*. Vide epig. 29. lib. 2.

Scribitque tabellas.] amatorias nempe.

Pallia vicini.] Ne proxime sedens, aut in convivio accumbens, inquinet vestes ejus elegantiores. Vide epig. 41. lib. 2. versu 10.

Hirpini veteres.] Hirpinus equus nobilis multas in circo palmas retulerat, cujus meminit Juvenalis sat. 8. versu 61. Bellus itaque homo amat circum, & equos victores, quorum stemma studiose recenset.

Quid narras.] Belli hominis definitionem miratur Poëta.

Res pertricosa.] id est salebris & petris impedita: metaphoricῶς loquitur. Legunt alii *pertricosa est*. Trica est impedimentum tenue quidem, sed molestum: hoc est, bellus homo levioribus in rebus totus est occupatus.

Ad Cassianum de Canio Poëta. LXIV.

SIRENAS hilarem navigantium pœnam,
Blandasque mortes, gaudiumque crudele,
Quas nemo quondam deserebat auditas,
Fallax Ulysses dicitur reliquisse.
Non miror: illud, Cassiane, mirarer,
Si fabulantem Canium reliquisset.

Fraudulentus Ulysses fertur deseruisse Sirenas, suave exitium navigantium, & jucundam interitum, & sævam lætitiam, quas auditas olim nullus reliquebat. Non miror, ô Cassiane: id mirarer, si deseruisset Canium fabulantem.

Sirenas hilarem.] Nota Sirenum fabula, quæ litus Siculum incolentes suavitate cantus nautas prænavigantes in naufragium pellicere solebant: unde Poëta illas vocat

hilarem navigantium pœnam.

Legunt alii, *hilares navigantium moras*.

Fallax Ulysses.] Ut Sirenas fugeret, navis malo alligari se jussit. Homerus Odyss. μ.

Si fabulantem Canium.] Fuit ille Poëta Gaditanus, de quo epig. 62. & 70. lib. 1. qui lascivis suis & ridiculis versibus vel ipsum Ulyssem morari potuisset.

Ad Diadumenum,
cujus oscula suaviter olere dicit. LXV.

QUOD spirat tenera malum mordente puella:
Quod de Corycio quæ venit aura croco:
Vinea quod primis floret cum cana racemis:
Gramina quod redolent, quæ modo carpsit ovis:
Quod myrtus, quod messor Arabs, quod succina trita,
Pallidus Eoo thure quod ignis olet:
Gleba quod æstivo leviter cum spargitur imbre:
Quod madidas nardo sparsa corona comas:
Hoc tua, sæve puer Diadumene, basia fragrant.
Quid, si tota dares illa sine invidia?

Quod redolet pomum mordente tenera virgine: quod aura, quam exhalat Corycium crocus: quod vitis cum floret albis primis uvis: quod spirant gramina, quæ paulo ante delibavit ovis: quod fragrat myrtus, quod messor Arabs, quod electra attrectata, quod spirat pallida flamma ab Orientis thure: quod cespes cum tenuiter perfunditur æstiva pluvia: quod corona cujus comæ sunt perfusæ nardo; ô Diadumene puer acerbe, id spirant tua oscula. Quid si libares illa integra sine malevolentia?

Quod de Corycio.] Corycus mons Ciliciæ, qui bene olenti croco abundabat, epig. 3. lib. Spect. epig. 39. lib. 9. epig. 9. lib. 11.

Ovis.] Alii *apis*, quæ suavissimi odoris herbas sugit, quibus odorem mellis inspirat, & brevi contactu vim sui relinquit, teste Quintiliano declam. 13.

Quod messor Arabs.] In Arabia felici fiebat messis herbarum bene olentium, unde messores gratissimum spirabant odorem.

Quod succina.] Tritum manibus electrum bene olet. Lib. 5. epig. 38.

Pallidus Eoo.] Igneus color immisso thure fit pallidus.

Sparsa corona.] Hellenismus est pro sparsis comis: comæ vero hîc sumuntur pro ramusculis florum ex quibus componitur corona.

Diadumene.] Juvenem quendam egregiæ formæ intellige: hæc de puella convenientius dixisset Poëta.

Sine invidia.] id est sine repugnantia, sed libenti animo.

In Marcum Antonium, de Ciceronis homicidio. LXVI.

PAR scelus admisit Phariis Antonius armis:
Abscidit vultus ensis uterque sacros.
Illud, laurigeros ageres cum læta triumphos:
Hoc tibi Roma caput, cum loquereris, erat.
Antonî tamen est pejor, quam caussa Photini:
Hic facinus domino præstitit, ille sibi.

Antonius fecit flagitium simile armis Ægyptiis, uterque gladius amputavit sacra capita. O Roma, tu habebas illud caput cum hilaris reportares triumphos laureatos; hoc autem cum verba faceres. Nihilominus Antonii ratio deterior est quam Photini: hic admisit scelus domino, ille sibi.

Par scelus.] Antonius triumvir Ciceronem interfici jussit, cujus facinus confert Poëta cum scelere Photini Ægyptii, qui Pompeium magnum interficiendum Ptolemæo suasit. Vide epig. 70. lib. 5.

Abscidit vultus.] Alii *abscidit heu vultus.*

Illud laurigeros.] Pompeio duce triumphavit Roma, & Cicerone Oratore diserta habita est.

Hic facinus domino.] Photinus in gratiam Cæsaris regi Ptolemæo suasit ut Pompeium interfici juberet, Ciceronem vero occidi jussit Antonius, ut animi sui crudelitatem expleret: ergo gravius est Antonii scelus, quam Photini. Pompeii & Ciceronis historia passim obvia est.

De pigris nautis. LXVII.

CESSATIS pueri, nihilque môstis
Vatreno, Eridanoque pigriores.
Quorum per vada tarda navigantes,
Lentos figitis ad Celeuma remos.
Jam prono Phaëtonte sudat Æthon,
Exarsitque dies, & hora lassos
Interjungit equos meridiana.
At vos tam placidas vagi per undas
Tuta luditis otium carina.
Non nautas puto vos, sed Argonautas.

O Pueri, conquiescitis, nihilque progressi estis: segniores Vatreno, atque Eridano per vada quorum tarda navigantes figitis remos lentos ad Celeuma. Æthon sudat inclinato jam Phaetonte, & dies inflammatus est, & meridies solvit equos defatigatos. Sed vos incerti per aquas adeo tranquillas abutimini otio in nave secura. Ego non existimo vos nautas, at Argonautas.

Nihilque mostis.] Legunt alii *nostis*, alii *postis*.

Vatreno.] Vatrenus amnis apud Plinium, qui forum Cornelii, hodie *Imola*, alluit, Leander eum *Santerno* hodie vocat: Vaternus est apud Martialem, inquit Ortelius citans hoc epigramma: Vatrenus, & Vaternus promiscue dicit Ferrarius. Poëta

aic

ait hos nautas tardius navigare, quam laberentur isti amnes, quorum cursus erat lentissimus. Illuc vero secesserat Martialis, ut ipse testatur epig. 1. & 4. supra. Legunt alii *Veterno resinaque*. Alii *Veterno, remoraque*. Per hos amnes forte navigabat Poeta. Cluverius in Italia antiqua lib. 1. cap. 35. restituit hunc versum, eujus lectionem secuti sumus: Vatrenum enim lentissime fluere affirmat, ut & Padum quem Vatreno auctum proprie Eridanum vocari existimat. Alii legunt *Vaterno, Sapique pigriores*. Sapis autem fluvius est Æmiliæ ex monte Apennino supra Sarsinam oriens, &c. Ferrarius.

Lentos tingitis.] Alii *tingitis*. *Celeuma* fit a κελεύω jubeo: est autem hortamentum quo remiges ad navigandum incitantur.

Æthon.] Equus solis defatigatus sole jam vergente ad occasum.

Interjungit equos.] hoc est, solvit a jugo quietis caussa. De hoc verbo dictum epig. 6. lib. 2.

Tuta inditis.] hoc est abutimini otio, velut portum jam ingressa navi & secura.

Sed Argonautas.] Ludit in hoc verbo: Argonautæ fuerunt heroës fortissimi Jason, Theseus, Hercules, & alii; hi vero pueri erant Argonautæ, hoc est, nautæ inertes & desidiosi, composito nomine ab ἀργὸς piger, & nauta.

Ad matronam pudicam, ne sequentia epigrammata legat. LXVIII.

HUc est usque tibi scriptus matrona, libellus.
Cui sint scripta rogas interiora? mihi.
Gymnasium, thermæ, stadium est hac parte; recede.
Exuimur: nudos parce videre viros.
Hinc jam deposito post vina, rosasque pudore,
Quid dicat nescit saucia Terpsichore.
Schemate non dubio, sed aperte nominat illam,
Quam recipit sexto mense superba Venus:
Custodem medio statuit quam villicus horto;
Opposita spectat quam proba virgo manu.
Si bene te novi, longum jam lassa libellum
Ponebas: totum nunc studiosa leges.

O Matrona, hactenus compositus est liber pro te. Quæris cui pro quo composita sint subsequentia? pro me. Hac parte gymnasium est, thermæ, stadium; abi. Denudamur: fuge conspectum nudorum virorum. Inde abjecta jam verecundia, post merum & rosas ebria Terpsichore ignorat quid profetur. Figura non ambigua, sed plane nuncupat illam, quam sexto mense excipit Venus arrogans: quam custodem ponit villicus in medio horto: quam objecta manu aspicit casta puella. Si bene te novi, jam defatigata abjiciebas longum librum: nunc cupida evolvis integrum.

Interiora.] id est subsequentia; ducta metaphora a domo cujus interiores partes dicuntur, quæ a primo limine sunt remotiores: dicit autem Poeta hujus libri epigrammata hucusque scripta esse matronis pudicis: quæ vero subsequuntur lasciva prorsus, & castis auribus aliena.

Gymnasium; thermæ.] In iis locis viri denudabantur.

Hac parte.] Alii *ex parte*.

Videre viros.] Alii *mares*.

Saucia Terpsichore.] Musam hanc nominavit, quia præest choreis & voluptatibus, quibus deinceps indulgebit Poeta.

Quam recipit sexto.] Intelligit Priapum, quem mense sextili, hoc est Augusto, qui sextus est a mense Martio, a quo annum incipiebant veteres, matronæ ferebant ad Veneris templum, atque illum in illius sinu deponebant.

Custodem medio.] Notum est Priapum custodire hortos.

Studiosa leges.] Res enim obscœnæ plerumque magis placent, quam honestæ. Legunt alii *legis*.

Ad Cosconium poëtam insulsum. LXIX.

OMNIA quod scribis castis epigrammata verbis,
Inque tuis nulla est mentula carminibus;
Admiror: laudo: nihil est te sanctius uno:
At mea luxuria pagina nulla vacat.
Hæc igitur juvenes nequam, facilesque puellæ,
Hæc senior, sed quem torquet amica, legat:
At tua, Cosconi, venerandaque, sanctaque verba
A pueris debent, virginibusque legi.

Admiror, probo, quod componis cuncta epigrammata pudicis vocibus . . . . Nihil castius est te uno: sed nulla mea pagina expers est libidinis. Hæc ergo legant lascivi adolescentes, & faciles virgines, hæc evolvat senior, at ille qui cruciatur ab amica: sed, ô Cosconi, vocabula tua colenda, & casta evolvenda sunt a pueris & puellis.

At tua Cosconi.] De quo jam dictum epig.77. lib.2. quem laudat Martialis ironικῶς, cum dicat epigrammata ejus tanquam insulsa, & sine acumine legenda a simplicibus, atque ab indoctis, quales sunt virgines & pueri.

Ad Cervinum adulterum repudiatæ suæ uxoris. LXX.

MOECHUS es Aufidiæ, qui vir, Cervine, fuisti.
Rivalis fuerat qui tuus, ille vir est.
Cur aliena placet tibi, quæ tua non placet uxor?
Numquid securus non potes arrigere?

O Cervine, qui fuisti maritus Aufidia, adulter es illius. Ille vero est maritus, qui fuerat tuus rivalis. Cur amas alienam conjugem, quam non amas tuam? . . .

Mœchus es Aufidia.] A Cervino per fastidium repudiata Aufidia, nupsit suo mœcho, illam vero postea deperibat Cervinus: vetita enim improbis magis placent, quam licita. Legunt alii ad *Scævinum*.

LXXI.

LXXII.

LXXIII.

In Gargilianum hominem impurum. LXXIV.

PSILOTHRO faciem lævas, & dropace calvam.
Nunquid tonsorem, Gargiliane, times?
Quid facient ungues? nam certe non potes illos

Psilothro depilas vultum, & calvam dropace. O Gargiliane, metuisne tonsorem? quid fiet de unguibus? Nequis enim resecare illos resina, nec luto

Resi-

Resina, Veneto nec resecare luto.
Desine, si pudor est, miseram traducere calvam.
Hoc fieri cunno, Gargiliane solet.

Veneto. Si verecundia est, omitte infelix nocare infamia calvam. . . . . .

Faciem lavas.] Faciem depilas Psilothro, quod erat unguentum evellendis pilis aptum, de quo Plinius lib. 24. cap. 9. *Amerina nigra semen cum spuma argenti pari pondere a balneo illitum, psilothrum est.* Vide etiam cap. 1. lib. 22.

Et dropace.] Est etiam unguentum, quod pilis evellendis inservit, de quo epig. 65. lib. 10. Legunt alii *psilothro faciemque lavat.*

Nunquid tonsorem.] Poëta irridet Gargilianum, qui pauper tonsorem timere non debuit ad exemplum Dionysii tyranni. Vel sic intellige: An adeo mollis es, & timidus, ut novaculam experiri nequeas.]

Quid facient ungues.] Veteres solebant non solum barbam, sed & resecandos ungues tonsoribus præbere: hoc est, saltem ad resecandos ungues ferro uti debes. Alii *quid faciem tingis?* minus bene.

Veneto nec.] Mixta aceto terra ex Cypro advehebatur, quam vocabant lutum Venetum, ex quo unguentum fiebat ad evellendos crines. Hæc ex Interpretibus.

Traducere.] De hoc verbo dictum lib. Spect. epig. 4.

Solet.] In ultimo versu. Alii *soles.* Sensus est: O Gargiliane, videris te componere ad fellandum, &c.

LXXV.

LXXVI.

In Bæticum fastidiosum. LXXVII.

NEc mullus, nec te delectat, Bætice, turdus:
Nec lepus est unquam, nec tibi gratus aper;
Nec te liba juvant, nec sectæ quadra placentæ.
Nec Libye mittit, nec tibi Phasis aves.
Capparin, & putri cepas alece natantes,
Et pulpam dubio de petasone voras.
Teque juvant gerres & pelle melandrya cana.
Resinata bibis vina, Falerna fugis.
Nescio quod stomachi vitium secretius esse
Suspicor: ut quid enim, Bætice, saprofagis?

O Bætice, nec mullus, nec turdus tibi placet: nec lepus unquam, nec aper tibi jucundus est: nec liba tibi grata sunt, nec quadra placenta divisa: nec Africa, nec Phasis tibi mittit volucres. Liguris capparin, & cepas natantes putrida alece, & pulpam ancipitis petasonis. Et te delectant gerres, & melandrya pelle alba; potas vina olentia resinam, respuis Falerna. Suspicor nescio quem occultiorem esse morbum stomachi: nam, ô Bætice, quorsum comedis res putridas?

Nec mullus.] Irridet Bæticum, quod fastidiat bonos cibos, appetat putridos, atque ex hoc conjicit poëta, illum esse rebus turpibus addictum, epig. 81. infra.

Nec secta quadra.] Dividebantur placentæ in partes quadratas, lib. 6. epig. 75. lib. 9. epig 92.

Phasis.] Colchidos fluvius unde phasiani mittebantur, ex Africa quoque gallinæ Numidicæ dictæ mittebantur. Epig. 58. supra.

Alece.] Alex vel halec, liquamen ex intestinis piscium; capparis vero gallice *cappre.*

Incerto de petasone.] hoc est cujus media pars jam fœtida est.

Gerres.] vilissimi pisces & odoris fœtidi.

Melandrya.] pars thynni vilissima. Plinius lib. 9. cap. 15.

Saprofagis.] Alii græce scribunt *σαπροφαγεῖς*, hoc est, putrida edis.

Ad

Ad Paullinum meientem. LXXVIII.

MINXISTI currente semel, Paulline, carina.
Meiere vis iterum? jam Palinurus eris.

O Paulline, nave currente minxisti: placet rursus mingere? Jam fies Palinurus.

Jam Palinurus.] Gubernator navis Æneæ notus ex Virgilio, qui somno oppressus, in mare lapsus periit. Poëta ludit in voce Paullini & Palinuri, πάλιν significat *rursum*, οὐρεῖν vero *meiere*; ita ut Paullinus rursus meiens evasurus sit Palinurus: sed simul alludit ad Palinuri casum, cui similem Paullino imminere conjicit, si dum magno impetu fertur navis, in aquam exoneraverit vesicam.

LXXIX.

LXXX.

LXXXI.

In Zoilum cujus mores in conviviis describit. LXXXII.

CONVIVA quisquis Zoili potest esse,
Summœnianas cœnet inter uxores,
Curtaque Ledæ sobrius bibat testa.
Hoc esse levius, puriusque contendo.
Jacet occupato galbanatus in lecto:
Cubitis trudit hinc & inde convivas,
Effultus ostro, sericisque pulvinis.
Stat exoletus, suggeritque ructanti
Pinnas rubentes, cuspidesque lentisci,
Et æstuanti tenue ventilat frigus
Supina prasino concubina flabello,
Fugatque muscas myrtea puer virga,
Percurrit agili corpus arte tractatrix,
Manumque doctam spargit omnibus membris.
Digiti crepantis signa novit eunuchus,
Et delicatæ sciscitator urinæ
Domini bibentis ebrium regit penem:
At ille retro flexus ad pedum turbam,
Inter catellas anserum exta lambentes
Partitur apri glandulas palæstritis,
Et concubino turturum nates donat.
Ligurumque nobis saxa cum ministrentur
Vel cocta fumis musta Massilianis,

Quicunque potest convivari cum Zoilo, cœnet inter uxores Summœnianas, & siccus potet mutilata lagena Ledæ. Affirmo hoc esse levius & castius. Galbanatus recumbit in lecto occupato: innixus ostro, & pulvinis sericis ex hac & illa parte cubitis propellit convivas. Exoletus stat, & ructanti suppeditat pinnas rubras, & cuspides lentisci; & supina concubina viridi flabello excitat sudanti auram tenuem, & servus repellit muscas myrtea virga. Tractatrix habili arte perfricat corpus, & palpat omnia membra manu perita. Eunucho nota sunt indicia digiti strepentis . , . . . Sed ille Zoilus a tergo conversus ad pueros stantes ad pedes, inter canes lingentes præcordia anserum distribuit palæstritis glandulas apri, & cum vina ex saxis Ligurum porrigantur nobis, aut musta cocta fumis Massilianis, pro-

Opi-

Opimianum morionibus nectar
Cryſtallinisque myrrhinisque propinat.
Et Coſmianis ipſe fuſus ampullis,
Non erubeſcit murice aureo nobis
Dividere mœchæ pauperis capillare.
Septunce multo deinde perditus ſtertit:
Nos accubamus, & ſilentium rhonchis
Præſtare juſſi, nutibus propinamus;
Hos Malchionis patimur improbi faſtus,
Nec vindicare, Rufe, poſſumus; fellat.

pinat ſcurris nectar Opimianum poculis & cryſtallinis, myrrhinis. Nec pudet ipſum delibutum ampullis Coſmi unguentarii *nobis partiri ex murice aureo capillare adulteræ egenæ. Poſtea ſtertit ſepultus multo ſeptunce: nos accumbimus atque imperati facere ſilentium ronchis, nutibus propinamus. Hunc ferimus ſupe biam impuri Malchionis, nec poſſumus ulciſci, ô Rufe . . . .*

Summænianas uxores.] hoc eſt meretrices quæ eo in loco proſtabant, qui Summœnium appellabatur. Epig. 35. lib. 1. & epig. 32. lib. 12.

Curtaque Leda.] Meretricis obſcœnæ cujus calices mutilati: addidit *ſobrius* ut turpitudinem augeret, quæ in ebrio minor eſſet.

Galbanatus.] Galbanum genus eſt veſtimenti delicatioris, albi & ſublucidi, quod nullos habet pilos. Juven. ſat. 2. verſu 9.

Cærulea indutus ſcutulata, aut galbana raſa.

Vide epig. 97. lib. 1

Occupato lecto.] hoc eſt, jacet in lecto quem totum occupabat ſolus.

Cubitis trudit.] Alii *tundit*, vel ut commodius recumberet, vel ne pretioſæ illius veſtes inquinarentur.

Exoletus.] puerum intellige a deliciis ſui domini.

Suggeritque.] Pinna in os immiſſa ſtomachum exonerare ſolebant helluones, ut conſtat ex Suetonio in Claudio cap. 3.

Rubentes] Pennas Phœnicopteri forte intelligit, epig. 71. lib. 13.

Cuſpideſque lentiſci.] Dentiſcalpis, epig. 22. lib. 14.

Tractatrix.] In conviviis delectationis cauſſa antiqui adhibebant fœminas vel mares, qui membra eorum perfricarent. Tractatoris meminit Seneca epiſt. 66. ſub finem: *An potius optem, ut malaciſſandos articulos exoletis meis porrigam?*

Digiti crepantis.] Digitorum crepitu matella poſcebatur, ut etiam conſtet ex epig. 89. lib. 6. lib. 14. epig. 119.

Apri glandulas.] pars eſt apri juxta cervicem delicata.

Palæſtritæ.] Intellige ſervos palæſtritas, ut ſupra epig. 57. Quid ſi intelligas cum Farnabio *depilatores*? ſic enim eos Perſius appellat ſat. 4. verſu 38.

Quinque palæſtritæ licet hæc plantaria vellant.

Ligurumque nobis ſaxa.] Dixit *ſaxa* pro vino tenui in ſaxoſa Liguria nato.

Vel cocta fumis.] Vina Maſſiliæ aſperrima adulterabantur fumo, ut ſaporem mutarent, epig. 36. lib. 10.

Opimianum nectar.] de quo lib. 2. epig. 40.

Murice aureo.] Concha erat aurei coloris, vel inaurata, in qua unguentum ſervabatur, Horatius lib. 2. ode 7.

——— funde capacibus
Unguenta de conchis.

Capillare vero eſt unguentum ad ungendos capillos. Senſus eſt, Nobis parce dividit unguenta Zoilus, quibus utuntur mœchæ viliſſimæ.

Septunce multo.] hoc eſt multis cyathis, ſeptunx capit ſeptem uncias.

Malchionis.] hoc eſt effœminati, nomen fictum a *μαλακὸς mollis.*

Nec vindicare.] Etenim impuri hominis os valde timendum, epig. 23. lib. 2.

LXXXIII.

LXXXIV.

Ad maritum quem ſtultitiæ accuſat. LXXXV.

QUIS tibi perſuaſit nares abſcindere mœcho?

Quis tibi auctor fuit, ut amputares nares adultero? O ma-

Non

Non hac peccatum est parte, marite, tibi:
Stulte, quid egisti? nihil hîc tua perdidit uxor,
Cum sit salva sui mentula Deiphobi.

vite, hac pars non te offendit. O demens, quid fecisti? Hoc in loco conjux tua nihil amisit, cum sit incolumis . . . sua Deiphobi.

Abscindere mœcho.] quem castrare debuerat. Vide epig. 83. lib. 2.
Sui Deiphobi.] Alludit Poëta, ut aiunt interpretes, ad illum Virgilii locum 6. Æneid. quo Deiphobus naribus obtruncis describitur:
Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.

Ad castam matronam, non esse suos versus mimis improbiores. LXXXVI.

NE legeres partem lascivi, casta, libelli,
Prædixi, & monui: tu tamen ecce legis.
Sed si Panniculum, si spectas, casta, Latinum,
Non sunt hæc mimis improbiora: lege.

Prædixi, & præcepi, ne tu, pudica, evolveres partem libri impuri: nihilominus ecce evolvis. At si, pudica, aspicis Panniculum & Latinum, hæc non sunt nequiora mimis. Evolve.

Prædixi.] supra epig 68.
Sed si Panniculum.] Latinus & Panniculus mimi in comœdiis petulanter lascivibant. De his epig. 5. lib. 1. & epig. 72. lib. 2.

LXXXVII.

LXXXVIII.

Ad Phœbum vultu veluti nitentis. LXXXIX.

UTERE lactucis, & mollibus utere malvis:
Nam faciem, durum, Phœbe, cacantis habes.

Sume lactucas & malvas molles; etenim, Phœbe, tibi vultus est hominis *exonerantis ventrem difficulter.*

Utere lactucis.] Lactucæ & malvæ utiles sunt ad solvendum ventrem.
Nam faciem.] Phœbi jam meminit epig. 87. lib. 1. Similis jocus est apud Suetonium in Vespasiano cap. 20. *Statura fuit quadrata, compactis firmisque membris, vultu veluti nitentis, &c.*

De Galla libidinosa, sed avara. XC.

VULT, non vult dare, Galla, mihi: nec dicere possum,
Quod vult, & non vult, quid sibi Galla velit.

Gallæ placet mihi concedere, & non placet: nec possum dicere quæ sit mens Gallæ, cum ipsi placeat, & non placeat.

Non vult dare] Lusus est in verbo *dare*, quod pecuniam donare, & sui copiam facere significat. Epig. 74. lib. 7.

De

De Misitio sene, qui loco pueri Achillæ castratus est a sacerdotibus Cybeles. XCI.

CUM peteret patriæ Misitius arva Ravennæ,
Semiviro Cybeles cum grege junxit iter.
Huic comes hærebat domini fugitivus Achillas,
Insignis forma nequitiaque puer.
Hoc steriles sensere viri: qua parte cubaret,
Quærunt: sed tacitos sensit & ille dolos.
Mentitur, credunt: somni post vina petuntur:
Continuo ferrum noxia turba rapit;
Exciduntque senem, spondæ qui parte jacebat,
Namque puer pluteo vindice tutus erat.
Suppositam, fama est, quondam pro virgine cervam,
At nunc pro cervo mentula supposita est.

Cum Misitius iret in agros Ravennæ suæ patriæ, se comitem dedit castrato gregi Cybeles. Achillas fugitivus heri puer & pulchritudine & lascivia clarus comitabatur hunc. Homines castrati id intellexerunt; rogant qua parte cubilis decumberet: at ille quoque intellexit fraudes latentes. Mentitur, adhibent fidem, a cœna eunt cubitum: multitudo improba statim arripit ferrum, & exsecant senem, qui decumbebat ex parte spondæ: etenim puer erat securus pluteo vindice. Cerva fertur fuisse olim subjecta pro puella, sed nunc subjecta est . . . . pro cervo.

- *Arva Ravennæ.*] Ravenna urbs Italiæ, de qua supra epig. 56.

Fugitivus Achillas.] qui a suo domino fugerat, & Misitium senem sequebatur. Achillæ iterum mentionem fecit, epig. 56. lib. 7.

Continuo ferrum.] Posuit ferrum pro Samia testa, seu cultro ex terra Samia quo Sacerdotes illi exsecabant mares, epig. 81. supra, epig. 45. lib. 2.

Namque puer pluteo.] Lecti duo erant latera, exterius *sponda* vocabatur, interius vero versus parietem *pluteus* dicebatur. Achillas vero Gallis dixerat parte spondæ cubiturum se, cum in pluteo esset dormiturus tutus ab illorum injuria.

Semiviro Cybeles.] castratos Cybeles Sacerdotes intellige.

Pro virgine cerva.] Nota est historia Iphigeniæ, quam in Aulide immolare pater Agamemnon parabat, cum a Diana fuit rapta; & ejus loco cerva supposita, quam Græci duces pro Iphigenia immolarunt. Ovid. lib. 12. Metam.

Supposita fertur mutasse Mycenida cerva.

Pro cervo.] Servos antiqui appellarunt *cervos.* Festus in voce *servorum dies.* Alii legunt *pro puero.* Sed prior lectio videtur melior, propter similitudinem cum præcedenti versu.

XCII.

In Vetustinam decrepitam adhuc libidinosam. XCIII.

CUM tibi trecenti consules Vetustina,
Et tres capilli, quatuorque sint dentes,
Pectus cicadæ, crusculumque formicæ:
Rugosiorem cum geras stola frontem,
Et aranearum cassibus pares mammas:

O Vetustina, cum nata sis trecentos annos, & habeas tres crines, & quatuor dentes, pectus cicadæ, & crusculum formicæ: cum tibi sit vultus rugosior stola, & mammæ similes retibus aranearum:

Cum

Cum comparata rictibus tuis ora
Niliacus habeat crocodilus angusta,
Meliusque ranæ garriant Ravennates,
Et Adriaticus dulcius culex cantet,
Videasque quantum noctuæ vident mane,
Et illud oleas, quod viri capellarum.
Et anatis habeas uropygium macræ,
Senemque Cynicum vincat osseus cunnus:
Cum te lucerna balneator extincta
Admittat inter bustuarias mœchas:
Cum bruma mensem sit tibi per Augustum,
Regelare nec te pestilentia possit:
Gaudes ducentas nupturire post mortes,
Virumque demens cineribus tuis quæris
Prurire. quid sarrire si velit saxum?
Quis conjugem, quis te vocabit uxorem,
Philomelus aviam, quam vocaverat nuper?
Quod si cadaver exigis tuum scalpi;
Sternatur a Coricle clinico lectus,
Thalassionem qui tuum dicet solus,
Ustorque tædas præferat novæ nuptæ:
Intrare in istum sola fax potest cunnum.

cum ora crocodilo Niliaco arcta sint collata tuis rictibus, & ranæ Ravennates dulcius canant, atque Adriaticus culex edat cantus suaviores, & videas quantum noctuæ vident mane, atque illud oleas quod mariti capellarum: & tibi sit uropygium macilentæ anatis . . . cum balneator extinctis luminibus te intromittat inter scorta bustuaria: cum frigeas mense Augusto, nec pestis valeas solvere tuam glaciem: delectaris appetere nuptias post interitum ducentorum maritorum, *atque insana quæris maritum prurientem tuis cineribus. Quid si cupiat sarrire saxum? Quis te appellabit conjugem, quis uxorem, quam nuper aviam appellaverat Philomelus? Quod si optas mortuum tuum corpus scalpi, lectus sternatur a Coricle clinico, qui solus canet tuum Thalassionem, atque ustor præferat tædas* tibi *nova nupta: sola fax potest ingredi . .*

Cum tibi.] Hyperbolικῶς significat Poëta Vetustinam esse decrepitam, & habere trecentos annos, aut saltem centum quinquaginta, cum singulis annis duo consules crearentur. Alii *Vetustilla*.

Crusculumque.] Alii *crus colorque*.

Ranæ Ravennates.] De Ravenna supra epig. 56.

Culex Adriaticus.] hoc est, culex ad litora maria Adriatici. Alii *Adrianus*, in Adria scilicet, quæ Romanorum colonia in Piceno. Plinius lib. 3. cap. 13.

Viri capellarum.] Periphrasis hircorum, qui grave olent.

Uropygium.] Alii *orropygium*: est extremitas illa vertebræ podici proxima, gallice *le croupion*.

Extincta lucerna.] ne scilicet illa vetula dignosci posset.

Inter bustuarias.] Extra urbem ad monumenta prostabant scorta vilissima, de quibus supra lib. 1. epig. 35.

Gaudes ducentos.] Alii *audes*, & pro *nupturire* legunt *nuptum ire*. *Ducentas post mortes* est hyperbole.

Quid sarrire.] hoc est, te saxeam exercere. Sarrire proprie est sarculis fodere, cum nempe a noxiis herbis leviter scalpendo purgantur segetes.

Sternatur] Vulgata lectio,

Sternatur Acoride triclinio lectus.

Hic versus emendatus est a Scaligero Ausoniarum lectionum lib. 2. cap. 4. Quid sit *clinicus* supra dictum est epig. 31. lib. 1. Est medicus & vespillo.

Thalassionem.] carmen nuptiale, de quo supra lib. 1. epig. 36.

Ustorque.] Ustores sunt ii qui rogum extruunt, in quo mortui cremantur.

Tædas præferat.] Solebant veteres tædas præferre novis nuptis: dicit Poëta tædas Vetustinæ esse præferendas ab ustore, aut potius faces quibus rogus incendatur.

In Rufum avarum. XCIV.

ESSE negas coctum leporem, poscisque flagella:

O Rufe, dicis non esse coctum leporem, & petis virgas:

Mavis,



IV *Lib.* 31 *epig.* 7 *verf.*
Melpomene] Quæ, ut & Polyhymnia ac Calliope, in *Denariis* Pomponiorum, apud *Patini Fulv. Urfinum.*



IV *Lib.* 11 *epigr.* 4 *verf.*
Pharia conjugis] Cleopatræ reginæ; cujus vultum exhibent *Nummi* rariores.



IV *Lib.* 55 *epigr.* 7 *verf.*
Palæſtras] In quibus præſertim luctatores, & quidem nudi; ſicuti in Aſpendiorum *Nummo.*



IV *Lib.* 47 *epigr.* 1 *verf.*
Phaëton] Cujus deplorandum interitum exprimit *Numiſma* Græcum apud *Choulium,* *de Relig. Vet. Rom. Edit. Gallic.* 196. *pag.*



IV *Lib.* 45 *epigr.* 8 *verf.*
Coma] Apollo & Bacchus in *Num.* Græcis Latiniſque eleganter capillati.



IV *Lib.* 54 *epigr.* 1 *verf.*
Quercus] Certaminum coronam querceam ſpectamus in Damaſcenorum *Num.*

Mavis, Rufe, coquum ſcindere, quam leporem.

mavis ſcindere coquum, quam leporem.

Eſſe negas.] Rufum quendam avarum irridet Poëta, qui fingebat crudum eſſe leporem, ne illum ſcinderet. Similis jocus eſt in Næviam ſupra epig. 13.

In Nævolum inurbanum. XCV.

NUNQUAM dicis ave, ſed reddis, Nævole, ſemper.
Quod prior & Curius dicere ſæpe ſolet.
Cur hoc expectas a me? rogo, Nævole, dicas:
Nam puto nec melior, Nævole, nec prior es.
Præmia laudato tribuit mihi Cæſar uterque,
Natorumque dedit jura paterna trium.
Ore legor multo, notumque per oppida nomen
Non expectato dat mihi fama rogo,
Eſt & in hoc aliquid, vidit me Roma tribunum,
Et ſedeo qua te ſuſcitat Oceanus.
Quot mihi Cæſareo facti ſunt munere cives,
Nec famulos totidem ſuſpicor eſſe tibi.
Sed pædicaris: ſed pulchre, Nævole, ceves.
Jam jam ſic prior es, Nævole. vincis. ave.

O Nævole, nunquam dicis ave, at ſemper reddis quod Curius & quidem prior ſæpe ſolet dicere. Quare expectas hoc a me? Quæſo, ô Nævole, dicas: etenim, ô Nævole, nec melior, nec prior es. Ego probatus ab utroque Cæſare accepi mercedem, & mihi conceſſum eſt jus paternum trium liberorum. Libri mei *leguntur a multis, ante obitum fama mihi tribuit nomen celebratum per urbes. Eſt & aliquis* honos *in hoc: Roma me ſpectavit tribunum, atque in eo loco ſedeo unde te amovet Oceanus. Opinor te non habere, tot ſervos, quot civitate donavit Cæſar in meam gratiam . . . . Jam vero ita antecellis, ô Nævole, ſuperas. Ave.*

Sed reddis.] Superbum quendam Nævolum increpat, qui illum nunquam prior ſalutabat; inferioris erat ſalutem dicere, reddere vero ſuperioris.

Quod prior & Curius.] Quem virum graviſſimum ponit Poëta pro quovis nobili viro. Legunt alii. *Quod prior & corvus*, Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 4. Corvi ſalutatoris meminit.

Cæſar uterque.] Titum & Domitianum intellige.

Natorumque dedit.] De illo trium liberorum jure dictum epig. 91. lib. 2.

Tribunum.] Honorarium nempe, ex beneficio Cæſaris.

Et ſedeo.] Inter equites ſedeo ex munere imperatoris, non ex cenſu equeſtri.

Suſcitat.] Verbum eſt theatrale, hoc eſt loco amovere. Oceanus autem deſignator diſponendis ordinibus præerat, atque unumquemque in theatro pro ſua dignitate ſedere jubebat. Epig. 9. lib. 6.

XCVI.
XCVII.
XCVIII.

Ad cerdonem cui excuſat ſuos jocos. XCIX.

IRASCI noſtro non debes cerdo libello.
Ars tua, non vita eſt carmine læſa meo.

O Cerdo, non debes ſuccenſere noſtro libro, artem tuam, non mores carpunt verſus mei;

In-

Innocuos permitte sales. cur ludere nobis
Non liceat, licuit si jugulare tibi?

patere jocos innoxios. Cur mihi non permittatur jocari, si tibi permissum est necare?

Non debes cerdo.] De quo supra epig. 16. & 58.

Cur ludere nobis.] Si enim tibi licuit homines jugulare, cum gladiatorium munus exhibuisti, cur mihi non liceat jocari? Juvenalis sat. 3. versu 34.

Quondam hi cornicines, & municipalis arena
Perpetui comites, notaque per oppida bucca
Quemlibet occidunt populariter.

Ad Rufum, versus suos dignos esse litura. C.

CURSOREM sexta tibi, Rufe, remisimus hora,
Carmina quem madidum nostra tulisse reor.
Imbribus immodicis cœlum nam forte ruebat.
Non aliter mitti debuit iste liber.

O Rufe, hora sexta ad te remisimus cursorem, a quo madido latos fuisse versus meos arbitror. Casu enim cœlum ruebat pluvia ingenti: Hic libellus alio modo non fuit mittendus.

Horæ sexta.] hoc est meridie. De horis supra epig. 36. sed epig. 8. lib. 4. fusius dicemus.

Non aliter mitti.] Modeste significat Poëta mala esse sua carmina, & digna quæ aqua deleantur, epig. 10. lib. 4.

Curre: sed instructum comitetur punice librum
Spongia: muneribus convenit illa meis.

M. VAL.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER IV.

De natali Domitiani. I.

CÆSARIS alma dies, & luce ſacratior illa,
Conſcia Dictæum qua tulit Ida Jovem,
Longa precor, Pylioque veni numeroſior ævo,
Semper & hoc vultu, vel meliore nite.
Hic colat Albano Tritonida multus in auro,
Perque manus tantas plurima quercus eat.
Hic colat ingenti redeuntia ſecula luſtro,
Et quæ Romuleus ſacra Terentus habet.
Magna quidem, Superi, petimus, ſed debita terris.
Pro tanto quæ ſunt improba vota Deo?

INTERPRETATIO.

O Lux alma, & ſacratior illo die quo Jovem Cretenſem tulit Ida particeps, accede longa, quæſo, & diuturnior ætate Neſtoris, & ſemper ſplende hoc vultu, vel puriore. Hic Domitianus *aſſiduus in auro Albano veneretur Minervam, & manus* illius *tam magnæ donent multas* coronas *quernas. Hic celebret* ludos ſeculares *ingenti luſtro recurrentes, & ſacrificia quæ fiunt in Terento Romuleo. O Dii, magna ſane poſcimus, at debita terris. Quænam poſtulata ſunt injuſta pro tanto numine?*

NOTÆ

Cæſaris alma.] hoc eſt dies natalis: natus autem eſt Domitianus 9. Kal. Novembris. Suetonius in ejus vita cap. 1.

Luce ſacratior.] Natalem Domitiani diem aſſentatorie præfert natali Jovis, qui natus vel certe educatus fuit in Ida monte Cretæ, ubi illum Curetibus alendum, ne a Saturno patre devoraretur, clam commiſit Rhea mater, unde Ida conſcia dicitur illius nempe arcani.

Pylio ævo.] Neſtor a Pylo urbe Arcadiæ, teſte Strabone, Pylius dictus nonaginta annos vixit ſecundum Poëtas Græcos: at vero ſecundum Ovidium, atque alios Latinoa Poëtaa, vixit trecentos annos: nam ſumpſerunt γενεὰν hoc eſt generationem vel ætatem, pro ſeculo ſeu centum annis, cum triginta tantum annoa ſignificet.

Semper & hoc vultu.] Millies redi, & ſemper æque felix, aut felicior præſente.

Multus in auro.] *Celebrabat & in Albano quotannis Quinquatria Minervæ, cui collegium inſtituerat.* Suetonius in Domitiano cap. 4. Aurum Albanum appellat, coronam auream, qua coronatus in Albano monte prope urbem Quinquatria celebrabat. *Multus in auro*, id eſt totus colendæ

Minervæ addictus. Lipsius legit, *Albano in arvo*, omnium optime meo judicio, antiquorum tamen codicum lectionem secutus sum. Alii sic explicant: Sæpe honorem habeat Palladi distributis aureis coronis in victores agonis Albani. Vulgata lectio *cultus*, hoc est redimitus auro, &c.

Perque manus tantas.] quas infra epig. 8. ingentes vocat, hoc est divinas. In Albano, ut patet ex eodem Suetonii capite, ludos scenicos, atque oratorum & poëtarum certamina exhibebat Domitianus, quos pro meritis donabat querna corona.

Hic colat ingenti.] Suetonius eodem cap. 4. *Fecit & ludos seculares, computata a ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed olim Augustus ediderat. Ingenti lustro* dixit Poëta, quia ab eo tempore quo seculares ludos celebraverat Augustus, usque ad hos Domitiani ludos, centum anni, legitimum nempe secularium ludorum tempus, fuerant elapsi, aliàs lustrum simpliciter quinque annorum spatium continet; seculum vero ingens lustrum forte appellaverit, quod quinquies vicenos annos complecteretur.

Sacra Terentus habet.] De Terento lib. 1. epig. 70. Locus erat ubi Diti sacra fiebant in campo Martio. Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. describit caussam propter quam instituti sunt ludi seculares.

Sed debita terris.] Vota enim nostra a Diis exaudiri debent, & probari, cum pro tanto Deo Domitiano nempe suscipiantur.

Improba.] hoc est nimia, injusta.

De Horatio spectaculorum die indecenter vestito. II.

SPECTABAT modo solus inter omneis
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs, & minor ordo, maximusque
Sancto cum duce candidus sederet.
Toto nix cecidit repente cælo:
Albis spectat Horatius lacernis.

Unus Horatius inter omnes pullis lacernis modo aderat spectaculo, cum plebs, & ordo minor, & maximus albatus sederet cum divo Imperatore. Subito nix delapsa est ex omni parte cœli. Horatius spectat candidis lacernis.

Nigris munus.] Adesse spectaculis non licebat nisi iis qui veste alba induti essent; sed Domitiani tempore usus invaluerat, ut indecenter quidem, sed tamen ludos impune spectarent atrati. Vide epig. 137. lib. 14.

Minor ordo.] Equestris nempe, maximus vero senatorius.

Sancto cum duce.] Domitiano quem sanctum vocat, vel quod summum Magistratum gereret, qui sanctus erat, vel quia Deum se prædicabat.

Albis spectat.] Horatium irridet, quem & nix decidens dealbavit.

De nivibus
decidentibus in Domitianum spectantem ludos. III.

ADSPICE quam densum tacitarum vellus aquarum
Defluat in vultus Cæsaris, inque sinus;
Indulget tamen ille Jovi, nec vertice moto
Concretas pigro frigore ridet aquas,
Sidus Hyperborei solitus lassare Bootæ,
Et madidis Helicen dissimulare comis.
Quis siccis lascivit aquis, & ab æthere ludit,
Suspicor has pueri Cæsaris esse nives.

Aspice quam spissum aquarum vellus sine strepitu decidat in faciem & gremium Cæsaris. Nihilominus ille fert Jovem ningentem, & capite immoto deridet aquas conflatas segni frigore, assuetus defatigare sidus Boota septentrionalis, & capillis humidis spernere Helicen. Opinor has esse nives filii Cæsaris, qui lascivit siccis aquis, & jocatur e cœlo.

Tacitarum vellus.] Periphrasis nivium, quæ veluti lanarum vellera cadunt sine ullo strepitu, unde nives vocat aquas tacitas.

Indulget tamen.] Non recessit Domitianus; sed sub Jove, id est aëre, permansit.

Con-

Concretas pigro.] hoc est nivem contemnit, quam affirmat Plinius lib. 2. cap. 60. *Grandinem conglaciato imbre gigni, & nivem eodem humore mollius coacto, &c.*

Sidus Hyperborei.] Domitianus enim adhuc juvenis in Germanos bellum suscepit, atque illic frigus Bootæ, seu Arctophylacis patienter tulit. Suetonius in Domitiano cap. 2.

Et madidis Helicen.] Id est toleravit imbres Septentrionis: Helice vero est Ursa major.

Siccis aquis.] Nivem lepide appellat aquam siccam, id est ex aquis concretam.

Pueri Cæsaris.] Ne Jove irato decidisse nix videretur, assentatorie innuit Poëta filium Domitiani, quem ex Domitia uxore susceptum adhuc infantem amisit, esse in deorum numero, & cum Domitiano patre, velut cum Deo, jocari. Heraldus versum penultimum sic legit per interrogationem,

Quis siccis lascivit aquis, & ab æthere ludit?

In Bassam male olentem. IV.

QUOD siccæ redolet palus lacunæ,
Crudarum nebulæ quod Albularum,
Piscinæ vetus aura quod marinæ,
Quod pressa piger hircus in capella,
Lassi bardiacus quod evocati,
Quod bis murice vellus inquinatum,
Quod jejunia sabbatariorum,
Mœstorum quod anhelitus reorum,
Quod spurcæ moriens lucerna Ledæ,
Quod ceromata fæce de Sabina,
Quod vulpis fuga, viperæ cubile,
Malles, quam quod oles, olere Bassa.

Quod spirat palus lacuna exhausta, quod nebula crudarum Albularum, quod vetus flatus piscina maritima, quod hircus lente comprimens capellam, quod bardiacus evocati defatigati, quod lana bis tincta murice, quod jejunia Judæorum, quod respiratio tristium sontium, quod moriens lucerna sordida Leda, quod ceromata ex face Sabina, quod fuga vulpis, latibulum vipera, hoc ipsum, ô Bassa, malles spirare, quam quod spiras.

Quod sicca.] Siccata lacuna gravem emittit fœtorem.

Crudarum nebula.] De albula jam dictum epig. 13. lib. 1. ubi nebulæ ob sulphur male olent. *Crudarum* dixit, quod solis radiis non bene concocti essent illi vapores.

Piscina vetus aura.] id est, quod vetus piscina redolet in qua sunt aquæ marinæ.

Bardiacus.] Genus est vestis sordidæ, qua induebantur milites, illa autem male olebat propter sudorem & squalorem illorum: evocati autem milites erant ii, qui expletis stipendiis, ducis vel mercedis gratia iterum stipendia merebant: *lassi* vero dixit ob longam militiam, & provectam ætatem; unde fœtor bardiaci major erat. Georgius legit, *Lassi Bardiaci os quod advocati.* Bardiacus autem, inquit, erat advocatus qui post peroratas diutius caussas gravem emittebat halitum. Illius meminit Juvenalis sat. 16. versu 13.

Bardiacus judex datur hæc punire volenti. Alii Bardaicus.

Bis murice] Epig. 50. lib. 1.

Olidæque vestes murice.

Jejunia sabbatariorum.] Diem sabbati religiose colunt Judæi; ob jejunium vero halitus graviter olet.

Mœstorum quod.] Curis enim & anxietatibus stomachi calor dissipatur, unde ex mala concoctione male olent rei.

Lucerna Ledæ] Quam posuit pro quavis meretrice prostante ad lucernas Juvenalis sat. 6. versu 132. de Messalina:

Obscurisque genis turpis, fumoque lucerna
Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.

Quod ceromata.] Unguenta nempe ex luto & oleo, oleum porro Sabinum male olebat.

Quod vulpis fuga.] Vulpes canes fugiens fœtidum effundit lotium.

Malles.] Alii *mallem.* Bassa quippe ab oris impuritate teterrimam spirabat animam.

Ad Fabianum virum probum, cui locum esse Romæ negat. V.

VIR bonus & pauper, linguaque & pectore verus,
Quid tibi vis, urbem qui, Fabiane, petis?
Qui nec leno potes, nec comessator haberi,
Nec pavidos tristi voce citare reos:
Nec potes uxorem cari corrumpere amici:
Nec potes algentes arrigere ad vetulas.
Vendere nec vanos circa palatia fumos:
Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro.
Unde miser vives, homo fidus, certus amicus?
Hoc nihil est, nunquam sic Philomelus eris.

O Fabiane, quæ tua est mens, qui vir probus, & egenus, lingua & corde verus, proficisceris Romam? qui nequis esse leno, nec comessator, nec mœsta voce vocare in jus sontes timidos: nec vales corrumpere conjugem dilecti amici: nec vales . . . . ad frigidas anus: nec vendere inanes fumos circa palatia: nec plaudere Cano, nec Glaphyro. O infelix, qua ratione vives tu, homo fidelis, amicus certus? id nihil prodest, hoc modo nunquam fies Philomelus.

Linguaque.] Verba enim cum mente boni viri consentiunt: hic Romanorum mores eo modo Martialis carpit, quo Juvenalis sat. 3.

Quid Romæ faciam? Mentiri nescio.

& fuse Petronius Romam sub nomine Crotonæ describit: *Sed quoscunque homines in hac urbe videritis, scitote in duas partes esse divisos: nam aut captant, aut captantur.*

Nec comessator.] Alii *comissator*: is nempe est qui esui & potui præter statuta tempora indulget.

Nec pavidos.] quod præconis erat officium, & quidem quæstuosum, ut patet ex epig. 8 lib. 6.

Vendere nec vanos.] ut solent Aulici, qui commendationis officia mentiti, Principis gratiam accepto pretio vendunt.

Plaudere nec Cano.] qui celebris fuit choraules tempore Galbæ, ut patet ex Suetonio in Galba: Glaphyrus vero citharœdus. Juvenalis sat. 6.

Accipis uxorem, de qua citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiusque choraules.

Citharœdi & tibicines Martialis tempore summo erant in pretio, epig. 4. lib. 3.

Hoc nihil est.] Honestis enim artibus locus non erat Romæ.

Philomelus.] hoc est, nunquam fies dives; Philomelus quippe cithara dives factus erat, epig. 31. lib. 3.

In Massilianum qui pudicitiam simulabat. VI.

CREDI virgine castior pudica,
Et frontis teneræ cupis videri:
Cum sis improbior, Massiliane,
Quam qui compositos metro Tibulli,
In Stellæ recitat domo libellos.

O Massiliane, vis purior haberi puella casta, & præferre speciem vultus modesti; cum nequior sis, quam qui in ædibus Stellæ recitat libros scriptos metro Tibulli.

Teneræ frontis.] hoc est modestæ, qualem habent infantes.

Quam qui.] effœminatum quendam elegiarum recitatorem intelligit.

Metro Tibulli.] Lascivas quippe elegias scripsit Tibullus.

VII.

VII.

Ad Euphemum de hora versibus suis Domitiano legendis apta. VIII.

PRIMA salutantes, atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia caussidicos.
In quintam varios extendit Roma labores,
Sexta quies lassis, septima finis erit,
Sufficit in nonam nitidis octava palæstris,
Imperat extructos frangere nona toros:
Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum,
Temperat ambrosias cum tua cura dapes.
Et bonus ætherio laxatur nectare Cæsar,
Ingentique tenet pocula parca manu:
Tunc admitte jocos: gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra Thalia Jovem.

Prima & secunda hora exercet salutantes, tertia occupat raucos caussidicos. Roma vacat diversis operibus in quintam usque, sexta quiescunt defatigati, septima cessant ab opere, *nitidi palæstritæ exercentur ab octava ad nonam, nona jubet frangere lectos paratos. O Eupheme, hora decima* apta *est meis libris, cum tua cura moderatur divinas epulas, & bonus Cæsar exhilaratur cælesti nectare, & magna manu tenet pocula modica. Tunc intromitte ludos: nostra Thalia metuit jocoso incessu convenire matutinum Jovem.*

Prima salutantes.] Describit Poëta quid singulis diei horis Romæ fieret; de quibus jam dictum est epig. 36. lib. 3.

Continet.] Alii *conterit*. Alii melius *distinet*.

Sexta quies lassis.] Circa sextam paululum quiescebant Romani: hora vero septima omnino ab opere desistebant.

Imperat extructos.] id est mensæ accumbere.

Frangere toros.] hoc est lectos disturbare, quibus cœnando accumberent veteres.

Hora libellorum.] Inter pocula versus legere moris erat: Euphemus vero structor mensarius Imperatoris fuisse videtur.

Temperat ambrosias.] hoc est divinas: Domitianus enim Deum se appellari jubebat, atque ita ambrosiæ deorum dapes ipsi conveniebant.

Pocula parca.] Domitiano assentatur, quem parce bibere innuit.

Tunc admitte.] hoc est, libros meos Domitiano offer.

Gressu timet.] Festiva mea Musa matutino tempore coram Domitiano jocari non audet, quippe qui tunc rebus seriis occupetur. Vide epig. 19. lib. 10.

In Fabullam, quæ maritum dereliquerat. IX.

SOTÆ filia Clinici Fabulla,
Deserto sequeris Clytum marito,
Et donas, & amas, ἔχεις ἀσώτως.

O Fabulla filia Sotæ clinici, viro derelicto sequeris Clytum, & das, & ardes, perdite te geris.

ἔχεις ἀσώτως.] In hac voce ludit Poëta, cum dicit Fabullam esse filiam clinici Sotæ, id est medici qui aliis salutem restitueret: σώζω enim servo: illam tamen perdite se habere, cum bona omnia effunderet, & luxuriose viveret. Sotæ es filia, inquit, & asota es, hoc est prodiga & luxuriosa. De medico clinico dictum epig. 31. lib. 1. Aristoteles lib. 4. ad Nicomachum cap. 1. ἄσωτος γὰρ ὁ δι' αὑτὸν ἀπολλύμενος: asotus enim est qui se ipsum perdit.

Ad Faustinum, cui recens compositum opus mittit. X.

DUM novus est, neque adhuc rasa mihi fronte libellus,
Pagina dum tangi non bene sicca timet:
I puer, & caro perfer leve munus amico,
Qui meruit nugas primus habere meas.
Curre, sed instructus; comitetur punica librum
Spongia: muneribus convenit illa meis.
Non possunt nostros multæ, Faustine, lituræ
Emendare jocos: una litura potest.

Dum meus liber recens est, necdum fronte rasa, dum pagina non bene sicca metuit attrectari: ô serve, proficiscere, & deporta tenue donum ad dilectum amicum, qui dignus est ut ipsi primo offerantur meæ ineptiæ. Propera, at munitus: Punica spongia comitetur libellum; illa apta est meis donis. O Faustine, plures lituræ nequeunt corrigere nostros libros: una litura potest.

Nec adhuc rasa.] De iis quæ ad librorum ornamenta pertinerent, dictum est lib. 1. epig. 67.

Comitetur Punica.] Spongia optimi generis, cujusmodi sunt spongiæ Africanæ, de quibus Plinius lib. 9 cap. 45. ut deleantur mea carmina. Alii legunt,

Curre, sed instructum comitetur pumice librum
Spongia.

quæ lectio minus probatur: etenim si liber nondum erat pumice æquatus, ut ait primo versu, pumice instructus non erat. Epig. 72. lib. 8. epig. 66. lib. 1.

Sed pumicata fronte si quis est nondum.

Alii sic hanc lectionem interpretantur, ut vel probatus pumice potiatur, vel damnatus spongia deleatur.

Una litura potest.] quæ scilicet omnia mea carmina, utpote prorsus mala deleat. Sic modeste deprimit se Poëta.

In Antonium Saturninum qui bellum civile moverat in Germania superiore. XI.

DUM nimium vano tumefactus nomine gaudes,
Et Saturninum te pudet esse miser:
Impia Parrhasia movisti bella sub ursa,
Qualia qui Phariæ conjugis arma tulit.
Excideratne adeo fatum tibi nominis hujus,
Obruit Actiaci quod gravis ira freti?
An tibi promisit Rhenus, quod non dedit illi
Nilus, & Arctois plus licuisset aquis?
Ille etiam nostris Antonius occidit armis:
Qui tibi collatus, perfide, Cæsar erat.

Dum, ô infelix, nimis inflatus vano nomine lætaris, & erubescis esse Saturninus: sub ursa Parrhasia suscepisti bella impia, qualia movit qui meruit sub uxore Ægyptia. Itane eras oblitus fatum illius nominis, quod oppressum est acerba ira freti Actiaci? Rhenusne tibi pollicitus est, quod illi non concessit Nilus, majorque potestas data esset fluminibus Septentrionis? Ille quoque Antonius cecidit nostris armis: qui tecum comparatus, ô perfidiose, erat Cæsar.

Et Saturninum] Hic vocabatur Lucius Antonius, cognomento Saturninus, Germaniæ superioris Præses: nolebat autem Saturninus appellari, sed Antonius: nam pudebat eum esse tantum Germaniæ Præsidem, sed exemplo Antonii imperium totius affectabat. De illo agit Suetonius in Domitiano cap. 6.

Parrhasia sub ursa.] hoc est in Septentrione: ursa Parrhasia dicitur a Parrhasia Arcadiæ urbe, ex qua nata erat Callisto a Jove amata, & in ursam commutata.

Pharia conjugis.] Cleopatræ cujus & Antonii mariti nota est historia.

Obruit Actiaci.] Ad Actium Epiri promontorium ab Augusto victus est Antonius.
Ira freti.] per metonymiam posuit pro ira Cæsaris Augusti.

An tibi.] Sensus est, Si Ægyptus provincia ditissima Antonio vires suppeditare nequivit, quas tibi copias subministrabit superior Germania?

In Thaïdem scortum publicum. XII.

NULLI, Thaï, negas, sed si te non pudet istud,
Hoc saltem pudeat, Thaï, negare nihil.

O Thaï, nemini recusas: sed si in ea re non erubescis, in hac saltem erubescas, ô Thaï, recusare nihil.

Negare nihil.] Epig. 72. & 81. lib. 12. & in fine epig. 50. lib. 11.

De Nuptiis Pudentis & Claudiæ. XIII.

CLAUDIA, Rufe, meo nubit Peregrina Pudenti:
Macte esto tædis, ô Hymenæe, tuis.
Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo,
Massica Theseis tam bene vina favis.
Nec melius teneris junguntur vitibus ulmi,
Nec plus lotos aquas litora myrtus amat.
Candida perpetuo reside, Concordia, lecto,
Tamque pari semper sit Venus æqua jugo.
Diligat ipsa senem quondam: sed & illa marito,
Tunc quoque cum fuerit, non videatur anus.

O Rufe, Pudens meus uxorem duxit Claudiam Peregrinam: O Hymenæe, macte esto tuis tædis. Tam bene misrentur cinnama confunduntur uno nardo, tam bene vina Massica favis Atticis. Nec ulmi aptius copulantur teneris vitibus, nec rivuli loto, nec litora gratiora sunt myrto. O Concordia, remane benigna æterno thalamo, & Venus faveas semper copulationi tam æquali. Illa quondam amet senem: at illa quoque seu non adepta tunc vetula non comparat marito.

Pudenti.] De quo jam lib. 1. epig. 31. de Claudia nihil reperi.
Macte esto.] *Mactus* idem est ac auctus, & in vocativo ut plurimum ponitur, ut macte virtute.
Massica Theseis.] Ex melle & vino mulsum conficiebatur, potio videlicet antiquis gratissima: favos Theseos dicit pro Atticis, quia Theseus regnavit in Attica, significat Poëta tam dulces fore nuptias Claudiæ & Pudentis, quam mulsum.
Nec plus lotos.] Arbor notissima ex Homero lib. 9. Odyss. & Plinius describit Loton lib. 13. cap. 17. est etiam lotos herba in palustrium genere ibidem.
Concordia.] Deam intellige Concordiam, cui templum erexit Vespasianus.

Ad Silium Poëtam ut legat hæc epigrammata. XIV.

SILI, Castalidum decus sororum,
Qui perjuria barbari furoris
Ingenti premis ore, perfidosque
Fastus Hannibalis, levesque Pœnos
Magnis cedere cogis Africanis:
Paullum seposita severitate,
Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc & hinc fritillis,

O Sili, ornamentum sororum Castalidum, qui verbis magnificis urges perjuria furoris barbari, atque adigis perjuram superbiam Hannibalis, atque inconstantes Pœnos dedere se magnis Africanis: remota paulisper severitate, fac audientiam nostris Musis, dum levi alea December saltans hinc & inde strepit dubiis fritillis,

Et

Et ludit rota nequiore talo,
Nostris otia commoda Camenis.
Nec torva lege fronte, sed remissa
Lascivis madidos jocis libellos.
Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni.

& rota ludit nequiore talo, Nec severo, sed leni vultu evolve libros perfusos lascivis salibus. Hoc fortasse modo tener Catullus ausus est mittere passerem magno Virgilio.

Sili Castalidum.] Silium Italicum intellige poetam satis notum Musæ dicuntur Castalides a virgine Castalia, quæ Apollinem fugiens ad radices Parnassi in fontem a se Castalium dictum, & Musis sacrum versa est.

Qui perjuria.] De bello Punico secundo poema scripsit Silius; initio primi libri sic habet:

——— ter Marte sinistro
Juratumque Jovi fœdus, conventaque patrum
Sidonii fregere duces.

Magnus cedere.] Scipio enim major Africanus cognominatus vicit superbum Hannibalem, & Carthaginenses coëgit pacem a Romanis petere; fuit & alter Scipio ob eversam Numantiam dictus Numantinus, qui Carthagine funditus deleta, Africanus minor dictus est: quas res gestas cum caneret Silius poëtica metonymia dicit Martialis fieri a Silio id quod canit factum. Sic Horat. lib. 1. sat. ultima. *Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona.*

December.] Quo mense talis potissimum ludebant Romani.

Incertis sonat.] De fritillis, turriculis, talis, & tesseris copiose dicemus lib. 14. tamen per transcursum notandum talum eum esse apud Latinos, quem Græci vocant Astragalum. Plinius lib. 34. ubi Polycleti meminit, *Fecit*, inquit, *& distringentem se, & nudum telo incessentem, duosque pueros item nudos talis ludentes: qui vocantur Astragalizontes.* Alia pleraque, ut hoc probet, testimonia adducit Calcagninus de talorum ludo. Ad summovendas vero aleatorum fraudes, qui subdola manu uti callent, in pyrgo, seu turricula, sive pyxidem mavis appellare, repositi tali sicut & tesseræ promebantur in abacum. Horatius lib. 2. sermonum sat. 7.

——— qui pro se tolleret atque
Mittere: in pyrgum talos.

Tesseris quoque ludentes turricula utebantur. Turnebus lib. 27. cap. 3. Turriculam & fritillum distinxit Suidas: idem tamen videtur, cum scribit Martialis de turricula lib. 14. epig. 16. Seneca de ludo Claudii:

Nam quoties missurus erat resonante fritillo
Utraque subducto fugiebat tessera fundo,

Et ludit rota.] Locus hic perobscurus mihi videtur; Raderus intelligit ipsum fritillum dici rotam, quia rotundus fritillus velut turricula, ex qua intus gradatim aspera tali excutiebantur: quare autem dicat, *nequiore talo*, non mihi compertum est, nisi forte, quod tali pruriginem libidinis excitent, ut docet Junius lib. 4. animadversionum cap. 13. & lib. 2. cap. 4. quod talis lusum est pro fœminis. Ramiresius hunc versum a nemine intellectum, ut ait, intelligere se putat hoc sensu. Rotam accipit pro corona aleatorum, quam sic vocat Martialis a similitudine rotarum: sedebant enim aleatores in orbibus quos cingebant omnes circum: *Nequiore talo*, hoc est, talis manu jactis sine fritillo, in quo jactu manus improba compositiones & nequitias parare potest; ita ut aleatores alii, ut in versu præcedenti, fritillis uterentur, alii manu luderent, epig. 16. lib. 14. Judicet lector.

Ausus est Catullus.] Ætate Virgilium præcessit Catullus, cujus 3. epig. est *de passere mortuo Lesbiæ*, sed hoc fugit Poëta, ut se cum Catullo æquiparet, Silium autem cum Virgilio, quem diligenter imitatus est, conferat epig. 51. lib. 11.

Ad Cæcilianum stolide petentem mutuum. XV.

MILLE tibi nummos hesterna nocte roganti,
In sex aut septem, Cæciliane, dies,

O Cæciliane, hesterna nocte respondi tibi petenti mille nummos in sex aut septem dies,

Non

Non habeo dixi. ſed tu cauſſatus amici
Adventum, lancem, paucaque vaſa rogas.
Stultus es? an ſtultum me credis, amice? negavi
Mille tibi nummos: millia quinque dabo?

non habeo: at tu prætexens adventum amici petis lancem, & pauca vaſa. Demens ne es, ô amice? an exiſtimas me dementem? tibi recuſavi mille nummos, an donabo quinque millia?

Millia quinque dabo.] Cæcilianum quendam irridet Poëta argumento a minori ad majus: ſi tibi, inquit, negavi mille nummos, non ſum tibi commodaturus vaſa emta quinque nummorum millibus, quæ nunquam mihi redderes.

In Gallum
quem turpis in novercam amoris arguit. XVI.

PRIVIGNUM non eſſe tuæ te, Galle, novercæ
Rumor erat, conjux dum fuit illa patris.
Non tamen hoc poterat vivo genitore probari.
Jam nuſquam pater eſt, Galle: noverca domi eſt.
Magnus ab infernis revocetur Tullius umbris,
Et te defendat Regulus ipſe licet:
Non potes abſolvi: nam quæ non deſinit eſſe,
Poſt patrem, nunquam, Galle, noverca fuit.

O Galle, ſermo increbuerat te non eſſe privignum tuæ novercæ, dum illa fuit uxor genitoris. Nihilominus vivente patre id probari nequibat. O Galle, nunc pater diſceſſit e vita; noverca moratur in ædibus tuis. *Quamvis magnus Tullius reducatur ab umbris tartareis, & Regulus ipſe te tueatur, liberari nequis: etenim, ô Galle, quæ poſt patrem* mortuum, *non ceſſat eſſe noverca, nunquam fuit.*

Privignum non eſſe.] Vivo patre Gallus quidam ſe cum noverca minus honeſte gerebat, quam privignum deceret.

Noverca domi eſt.] Ex eo quod præter privignorum morem, mortuo patre domi novercam retineat Gallus, illi jampridem turpe cum ea fuiſſe commercium colligit Poëta.

Revocetur.] Regulum de quo lib. 1. epig. 13. in cauſſis dicendis Ciceroni aſſentatorie æquiparare videtur.

Ad Paullum de meretrice Lyciſca. XVII.

FACERE in Lyciſcam, Paulle, me jubes verſus,
Quibus illa lectis rubeat, & ſit irata.
O Paulle, malus es: irrumare vis ſolus.

O Paulle, vis me ſcribere carmina in Lyciſcam, quibus lectis illa erubeſcat, & ſuccenſeat. O Paulle, nequam es: vis ſolus . . . . .

In Lyciſcam.] Meretricem quam urbane carpit Poëta, cum de Paullo conqueri videatur. Lyciſcæ meminit Juvenalis ſat. 6. *Proſtitit auratis titulum mentita Lyciſcæ.*

De puero ſtillicidio jugulato. XVIII.

QUA vicina pluit Vipſanis porta columnis,
Et madet aſſiduo lubricus imbre lapis,

Qua pluit porta finitima columnis Vipſanis, & lapis lubricus perfunditur pluvia con-

In jugulum pueri, qui roscida templa subibat,
Decidit hiberno prægravis unda gelu.
Cumque peregisset miseri crudelia fata,
Tabuit in calido vulnere mucro tener.
Quid non sæva sibi voluit fortuna licere?
Aut ubi mors non est, si jugulatis aquæ?

tinua, aqua prægravis hiemali glacie cecidit in gutture pueri, qui ingrediebatur templa madida. Et cum gladius infelici attulisset acerbam mortem, mollis liquefactus est in plaga calida. Quid non sibi permissum esse voluit crudelis fortuna? aut ubi letum non est, si jugulatis, ô aqua?

Quæ vicina pluit.] Capenam portam intellige, de qua jam sic locutus est epig. 47. lib. 3. De porticu Vipsana dictum epig. 109. lib. 1.

Lubricus lapis.] Aream lapidibus stratam, seu pavimentum intellige, in quod aqua quam imbrem dicit, ex aquæductu portæ Capenæ assidue defluebat.

Prægravis unda gelu.] Elegans Stiriæ periphrasis.

Mucro tener.] Stiria enim non secus ac mucro puerum jugulavit.

De endromide

veste cujus varios usus describit. XIX.

HANC tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam,
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet.
Sordida sed gelido non aspernanda Decembri,
Dona peregrinam mittimus endromida.
Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona,
Sive harpasta manu pulverulenta rapis:
Plumea seu laxi partiris pondera follis:
Sive levem cursu vincere quæris Atham.
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Neve gravis subita te premat Iris aqua.
Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres.
Non sic in Tyria sindone tutus eris.

Crassam hanc alumnam textricis Sequanæ a munus ad te mittimus externam endromida, cui barbara men est Lacedæmonium; squalida est, at non contemnenda frigido Decembri. Sive teris molle ceroma, aut trigona tepidum, seu manu arripis pulverulenta harpasta: seu partiris plumea pondera magni follis: seu cupis superare Atham cursu velocem. Ne frigus penetrabile subeat membra humida, neve Iris fœta repentina pluvia te opprimat. Hoc dono munitus illudes ventis, & pluviæ. Non ita eris securus in Tyria sindone.

Hanc tibi.] Endromis vestis erat hirsuta, quam vocat Poëta *alumnam textricis Sequanicæ*, quia fuerat confecta a muliere in provincia Galliæ quam vocant hodie *Franche-Comté*; licet autem barbara, id est Sequanica esset, tamen græcum nomen retinebat: eam enim invenerunt Lacedæmones, atque ea usi sunt ἐν τῷ δρόμῳ, id est in cursu, unde dicta endromis, ne sudantes post cursum repentino frigore corriperentur.

Seu lentum ceroma.] Ceromate, id est unguento ex oleo & pulvere uncti palæstritæ certabant, quod corpori astrictum variis motibus terebatur.

Tepidumve trigona.] Ut hic locus intelligatur, breviter aliquid dicendum de pilarum genere, & ludo: quatuor ergo fuerunt pilarum genera, quibus ludebant antiqui, follis scilicet, trigonalis, paganica, & harpastum. Follis erat pila magna ex aluta confecta, soloque vento repleta, quæ si major erat, brachiis impellebatur. Propertius lib. 3.

Cum pila veloces fallit per brachia jactus.

Si minor, pugnis ejiciebatur, atque pugillaris follis vocabatur, ut apud Plautum in Rudente:

—— follem pugillatorium faciam
Extemplo hercle ego te.

Trigon

Trigonalis pila, quæ parva erat, non triquetra figura, sed a loco trigono, vel a numero, figura aut situ ludentium. Stabant enim tres eo ordine, ut trigonum seu triangulum efficerent. Vide epig. 84. lib. 12. *Tepidum* vero dicit, vel quod ludentes calefaceret, vel potius quod attrectata pila ludentium & sudantium manu tepefieret.

Paganica, qua in pagis & gymnasiis quoque ludebatur, major trigone, folle vero minor, farciebatur pluma, epig. 32. lib. 7. & epig. 45. lib. 14.

Hæc quæ difficilis turget paganica pluma
Folle minus laxa est, & minus arcta pila.

Postremum est harpastum a græco verbo *ἁρπάζω rapio*: pila erat omnium minima ex corio, quam alter ludens alteri rapiebat: in solo pulverulento antiqui ludebant harpasto, ut hîc docet Poëta, & lib. 7. epig. 32. Hæc ex Mercuriali lib. 2. cap. 5. de Arte gymnastica.

Plumea seu laxi.] hoc est, inquit Mercurialis, levia; follis enim vento inflatus levis est: paganica enim farciebatur pluma, ut diximus supra, quod de folle non constat: *laxi* autem, hoc est, teste Radero, magni, lati, vel minime duri.

Partiris.] Id est metiris, & advertis motum follis plumei seu levis. Videat lector.

Atham.] puerum cursu velocem. Plinius lib. 7. cap. 20.

Ne madidos.] Endromis enim defendit corpus a pluvia & frigore.

Iris.] Nuntia est pluviæ pro qua sumitur.

In Tyria sindone.] quam Julius Pollux lib. 7. cap. 16. sic explicat: *Σινδὼν ἐστὶν Αἰγυπτία μὲν, περιβόλαιον δ' ἂν εἴη, τὸ νῦν δίκροσσον καλούμενον.* Sindon quidem est Ægyptiaca; amiculum vero est, quod nunc utrinque fimbriatum vocant. Dicta autem est, ut opinatur Bayfius, quia primum in urbe Sidone hujusmodi amictus fieri cœpit. Ob id Tyria a Martiali dicta: erant enim vicinæ urbes Tyrus & Sidon.

De Cærelia & Gellia ridiculis mulieribus. XX.

DICIT se vetulam, cum sit Cærelia puppa.
Puppam se dicit Gellia, cum sit anus.
Ferre nec hanc possis; possis, Coline, nec illam.
Altera ridicula est, altera putidula.

Cum Cærelia sit puella, prædicat se anum; Gella se prædicat puellam, cum sit vetula. Nequeas, Coline, hanc tolerare, nec illam. Altera inepta est, altera putidula.

Altera ridicula.] Gellia nempe, cum modos omnes & puellæ gestus affectaret.

Altera putidula.] Cærelia nempe anilem gravitatem imitata omnibus erat fastidio, atque ab ea tanquam a re putida vultum quilibet avertebat.

De Selio atheo. XXI.

NULLOS esse deos, inane cælum
Affirmat Selius, probatque; quod se
Factum, dum negat hæc, videt beatum.

Selius asseverat nulla esse numina, cælum commentitium, & probat; quod dum inficiatur hæc, cernit se evasisse divitem.

Inane cælum.] Hoc est diis vacuum, vel rem commentitiam, ut interpretatus sum.

Videt beatum.] Multa in hanc sententiam vide apud Senecam libro, *Quare bonis viris mala accidant, cum sit providentia.*

De

De Cleopatra sua uxore fugiente suos amplexus. XXII.

PRIMOS passa toros, & adhuc placanda marito
Merserat in nitidos se Cleopatra lacus;
Dum fugit amplexus, sed prodidit unda latentem,
Lucebat totis cum tegeretur aquis.
Condita sic puro numerantur lilia vitro:
Sic prohibet teneras gemma latere rosas.
Insilui, mersusque vadis luctantia carpsi
Basia. perspicuæ plus vetuistis aquæ.

Post primos congressus Cleopatra adhuc lenienda a viro se immerserat in lacus perlucidos; dum vitat amplexus; sed aqua patefecit delitescentem, splendebat enim, cum occultaretur totis undis. Lilia reposita in nitido vitro ita numerantur: hoc modo gemma vetat delitescere teneras rosas. Irrui, atque undis immersus libavi oscula resistentia. O unda nitida, impedisti catera.

Primos passa.] Cleopatra Martialis uxor amissa virginitate, subirata marito in aquas se immersit, quam tamen secutus ille invitam deosculatus est.

Gemma.] Lapidem pellucidum intellige vitri instar, quo rosæ in hortis tegebantur. Lib. 8. epig. 68.

Condita perspicua vivit vindemia gemma.

Ad Thaliam de Brutiano Poëta quem Callimacho anteponit. XXIII.

DUM tu lenta nimis, diuque quæris
Quis primus tibi, quisve sit secundus:
Gratum quisve epigramma comparabit;
Palmam Callimachus, Thalia, de se
Facundo dedit ipse Brutiano.
Qui si Cecropio satur lepore,
Romanæ sale luserit Minervæ;
Illi me facias, precor, secundum.

Dum tu, ô Thalia, nimis cunctaris, & diu dubitas cui des primas, aut secundas: aut quis componet elegans epigramma; ipse Callimachus detulit victoriam de se eloquenti Brutiano. Qui si fastidiens Atticam venustatem, jocatus fuerit urbanitate Romana Minervæ; rogo, mihi des secundas ab illo.

Thalia.] una ex novem Musis, quæ jocis præest.

Gratum.] Alii *Graium.*

Callimachus.] Poëta Cyrenæus præstantissimus, quem in antiquam dignitatem restitutum nuper in lucem edidit erudita Tanaquilli Fabri filia; vixit temporibus Ptolemæi Philadelphi, quo familiariter usus est. Epigrammata, hymnos, & elegias græce scripsit elegantissimas; a Brutiano tamen illum superari dicit Martialis. Brutiani vero meminit Plinius junior lib. 6. epist. 22. probitate & rerum gestarum gloria nobilis imperante Trajano floruit: ab illo autem secundus esse optat noster Poëta, si a Græcis versibus ad Latinos se contulerit.

Ad Fabianum de Lycori venefica. XXIV.

OMNEIS, quas habuit, Fabiane, Lycoris amicas,
Extulit, uxori fiat amica meæ.

O Fabiane, Lycoris extulit omnes amicas quas habuit, ineat amicitiam cum mea conjuge.

Lycó-

Lycoris.] quædam fuit meretrix venefica, quæ æmulas omnes veneno interficiebat.

Extulit.] Verbum funeris proprium.

Uxori.] ut ab ea quoque efferatur uxor mea.

De litoribus Altini & de Aquileia. XXV.

ÆMULA Baianis Altini litora villis;
Et Phaëtontei conscia sylva rogi:
Quæque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupsit, ad Euganeos sola puella lacus.
Et tu, Ledæo felix Aquileia Timavo,
Hic ubi septenas Cyllarus haurit aquas;
Vos eritis nostræ portus, requiesque senectæ,
Si juris fuerint otia nostra sui.

O Litora Altini æmula Baianis villis, & nemus conscium mortis Phaetontis: & tu, ô virgo formosissima Dryadum, quam unicam ad Venetas paludes Patavinus Faunus duxit uxorem. Et tu, ô Aquileia, beata Timavo Ledæo, hic ubi Cyllarus bibit septenas undas: vos fietis perfugium & requies meæ senectutis, si otia nostra se asseruerint in libertatem.

Altini littora.] Altinum oppidum fuit amœnissimum ad mare Adriaticum: ἔστι δὲ καὶ τὸ Ἄλτινον ἐν ἕλει, παραπλήσιον ἔχον τῇ Ῥαουέννῃ τὴν θέσιν: Est & Altinum in palude, eodem quo Ravenna situ. Strabo lib. 5. Plinius lib. 3. cap. 18.

Et Phaëtontei conscia sylva.] Populos intelligit in quos Phaëtontis sorores miserum ejus casum deflentes ad Padi ripas fuerunt commutatæ. Ovid. lib. 2. Met. Plinius lib. 3. cap. 16.

Quæque Antenoreo.] Antenor capta Troia fugit, atque ad Venetorum litus appulit, ubi Patavium condidit, hodie *Padoua*, Euganei, qui & Heneti, & postea Veneti Italiæ populi ad mare Adriaticum, quorum regio hodie *Marca Travisana* vocatur. Poëta autem fingit Dryadem, id est nemoris Nympham, nupsisse Fauno qui præest agro Patavino.

Ledæo Timavo.] Timavus, hodie *Timavo*, fons est in Foro Julii, hodie *le Friaul*; ex quo tanta scaturit aquarum copia, ut septem ostiis influat in mare. Virgilius 1. Æneid. novem ostia refert,

——*fontem superare Timavi*
Unde per ora novem, &c.

Ledæum dixit, quia Castor Ledæ filius una cum Argonautis ad Timavum venit, in cujus septem ostiis Cyllarus ejus equus bibisse fingitur. Aquileia autem *Aquilegia* urbs Patriarch. Carnorum metropolis, &c.

Ad Postumum amicum avarum. XXVI.

QUOD te mane domi toto non vidimus anno,
Vis dicam, quantum Postume, perdiderim?
Tricenos, puto, bis; vicenos ter, puto, nummos.
Ignosces, togulam, Postume, pluris emo.

O Postume, placet proferam quantum amiserim, quod per annum integrum te mane non salutaverim in ædibus tuis? Opinor centum viginti nummos me perdidisse. *Veniam dabis, ô Postume, pluris mihi constat togula.*

Vis dicam quantum.] Poëta avarum quendam Postumum irridet, qui tenuissima clientibus mercede data coli volebat. Martialis ergo dicit, quod Postumum non salutaverit, parvam fecisse se jacturam centum nempe & viginti nummorum, cum togam pluris emeret. Legunt alii,

Tricenos puto bis de nostris computo nummis.

Ad Augustum Domitianum, cujus liberalitatem & benevolentiam erga se laudat. XXVII.

SÆPE meos laudare soles, Auguste, libellos,
Invidus ecce negat: non minus ergo soles.
Quid quod honorato non sola voce dedisti,
Non alius poterat quæ dare dona mihi?
Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues:
Da, Cæsar, tanto tu magis, ut doleat.

O Auguste, consuevisti frequenter commendare meos libros, en lividus inficiatur: propterea non minus consuevisti. Quid vero, *quod non verbis solis* mihi *laudato largitus es munera, qua mihi largiri nequibat* alius: *en rursus malevolus corrodit nigros ungues. Tu, Cæsar, largire tanto magis ut mæreat.*

Non minus ergo.] Hoc loco *ergo* significat propter hanc caussam, idcirco. Sensus est: Licet invidus neget, non idcirco libros nostri Poëtæ minus legebat Domitianus. Legunt alii per interrogationem, & forte melius,
—— *num minus ergo soles?*

Quid.] hoc est, quid vero faciet invidus, &c.
Non alius poterat.] De his muneribus dictum epig. 91. & 92. lib. 2.
Da Cæsar.] Urbane aliquid sibi mendicat ab Imperatore.

Ad Chloen quæ omnia sua bona effundebat in adolescentem Lupercum. XXVIII.

DONASTI tenero, Chloë, Luperco
Hispanas, Tyriasque, coccinasque,
Et lotam tepido togam Galeso,
Indos sardonychas, Scythas smaragdos,
Et centum dominos novæ monetæ,
Et quidquid petit, usque & usque donas.
Væ glabraria, væ tibi misella,
Nudam te statuet tuus Lupercus.

O Chloë, molli Luperco dedisti Hispanas vestes, *& Tyrias, & coccinas, & togam ablutam tepido Galeso, sardonychas Indos, smaragdos ex Scythia, & centum dominos novæ monetæ, & semper & semper largiris quicquid postulat. Væ glabraria, væ tibi misella, tuus Lupercus denudabit te.*

Chloë.] mulier libidinosa.
Togam Galeso.] De hoc fluvio diximus epig. 43. lib. 2.
Te Lacedæmonio velat toga lota Galeso.
Vestes quoque e lana Bætica summo erant in pretio.
Et centum dominos.] Aureos nummos intelligo Domitiani effigie notatos. Alii legunt *numeros*.
Glabraria.] proprie dicitur ovis tonsa.
Nudam te.] In Luperci nomine ludit Poëta: Luperci enim erant Sacerdotes ab Evandro instituti in honorem Panos, vel, ut alii volunt, a Romulo; qui Lupercales ludos celebrantes nudi per urbem discurrebant, fœminasque sibi obvias percutiebant quo ictu fœcundæ fieri credebantur. Juvenalis sat. 2.
Nec prodest agili palmas præbere Luperco.
Ovidius 2. Fastorum:
Tertia post Idus nudos aurora Lupercos
Aspicit, & Fauni sacra bicornis erunt.

Ad

Ad Pudentem cui excusat multitudinem epigrammatum. XXIX.

OBSTAT, care Pudens, nostris sua turba libellis,
Lectoremque frequens lassat, & implet opus:
Rara juvant, primis sic major gratia pomis:
Hybernæ pretium sic meruere rosæ.
Sic spoliatricem commendat fastus amicam,
Janua nec juvenem semper aperta tenet:
Sæpius in libro memoratur Persius uno,
Quam levis in tota Marsus Amazonide:
Tu quoque de nostris releges quemcunque libellis,
Esse puta solum, sic tibi pluris erit.

O dilecte Pudens, sua multitudo officit nostris libris, atque opus ingens defatigat, & saturat lectorem. Rara placent, hoc modo prima poma gratiora sunt: hoc modo hyemales rosæ fuerunt æstimatæ: hoc modo superbia commendat spoliatricem meretricem, nec perpetuo patens janua retinet adolescentem. Uno in libro frequentior fit mentio Persii, quam vani Marsi in tota Amazonide. Tu etiam quemcumque evolves ex nostris libris, crede esse solum, sic pluris facies.

Care Pudens.] de quo epig. 32. lib. 1.
Hybernæ pretium] De rosis hybernis epig. 80. lib. 6.
Commendat fastus.] Superbo enim meretricis fastidio alliciuntur juvenes. Alii legunt *Faustus*, ut sit nomen proprium. Quam lectionem minus probo.
Persius.] Poëta satis notus: hoc est, magis placet brevis Persii liber, quam ingens Marsi poëma de Amazonibus: Hic autem Marsus, quicumque ille fuerit, alius esse videtur ab eo cujus mentio facta est epistola libri primi.
Quemcumque.] Alii *quæcumque*, minus bene.

Ad Piscatorem, ut fugiat sacros pisces Baianos. XXX.

BAIANO procul a lacu monemus,
Piscator, fuge, ne nocens recedas.
Sacris piscibus hæ natantur undæ,
Qui norunt dominum, manumque lambunt
Illam, qua nihil est in orbe majus:
Quid quod nomen habent, & ad magistri
Vocem quisque sui venit citatus?
Hoc quondam Libys impius profundo,
Dum prædam calamo tremente ducit,
Raptis luminibus repente cæcus
Captum non potuit videre piscem:
Et nunc sacrilegos perosus hamos,
Baianos sedet ad lacus rogator:
At tu, dum potes, innocens recede
Jactis simplicibus cibis in undas,
Et pisces venerare dedicatos.

O Piscator, monemus, longe declina a lacu Baiano, ne reus abeas. Pisces sacri natant his in undis, qui agnoscunt dominum, & lambunt manum illam, qua nihil majus est in mundo. Quid quod nomen est ipsis, & singuli vocati accedunt ad vocem sui magistri? Hoc olim lacu Afer impius, dum calamo tremente trahit prædam, ereptis oculis subito excæcatus nequivit aspicere piscem: & nunc odio habens sacrilegos hamos mendicus sedet ad lacus Baianos. Sed tu dum licet, innoxius abi cibis non dolosis immissis in aquas, & cole pisces consecratos.

Sacris

Sacris piscibus.] Deo nempe Domitiano consecratis.

Qui norunt.] Domitianum: pisces vero mansuetos fieri docet Ælianus lib. 8. de animalibus cap 4. Hoc idem repetit Martialis lib. 10. epig. 30.

Quid quod.] Vehementius instandi gratia quid quod in oratione ponitur. Cicero pro lege Manilia: *Quid quod salus sociorum summum in periculum ac discrimen adducitur?*

Libys impius.] Miraculum hoc mihi poëticum videtur.

Dedicatos.] Alii *delicatos.*

Ad Hippodamum, cujus nomen versibus suis inseri non posse dicit. XXXI.

QUOD cupis in nostris, dicique, legique libellis,
Et nonnullus honos creditur esse tibi:
Ne valeam, si non res est gratissima nobis,
Et volo te chartis inseruisse meis.
Sed tu nomen habes averso fonte sororum
Impositum, mater quod tibi dura dedit:
Quod nec Melpomene, nec Polyhymnia possit,
Nec pia cum Phœbo dicere Calliope:
Ergo aliquod gratum Musis tibi nomen adoptes:
Non semper belle dicitur Hippodamus.

Quod optas prædicari & legi in chartis nostris, atque inde putas consequi aliquod decus: dispeream, nisi hoc mihi jucundissimum sit, & cupio te inserere meis libris. At tibi contrario fonte Musarum datum est nomen quod tibi impofuit agrestis genitrix; quod celebrare nequeat Melpomene, nec Polyhymnia, nec pia Calliope cum Apolline. Igitur facias tibi aliquod nomen jucundum Musis: non semper venuste dicitur Hippodamus.

Averso fonte.] id est, Tuum nomen propter syllabarum contumaciam non convenit carminibus.

Quod nec Melpomene.] Tres Musas pro triplici carminum genere posuit. Melpomene præest tragœdiis & elegiis: unde Horatius ode 24. lib. 1.

———— *præcipe lugubres*
Cantus Melpomene, &c.

Nec Polyhymnia.] cui curæ sunt versus lyrici. Horatius ode 1. lib. 1.

———— *nec Polyhymnia*
Lesboum refugit tendere barbiton.

Calliope.] versibus heroicis præsidet, Virgilius lib. Æneid. 9. versu 525.

Vos, ô Calliope, precor, aspirate canenti.

Piam dixit vel quia filii sui Orphei mortem deflevit, vel quia heroum, & maxime deorum laudes canit.

Non semper belle.] Nomen Hippodami poësi quidem non repugnat omnino, sed minus eleganter carmini sæpius accommodaretur.

De ape electro inclusa. XXXII.

ET latet, & lucet Phaëtontide condita gutta,
Ut videatur apis nectare clausa suo:
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum,
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

Inclusa succino delitescit, & splendet apis, ut videatur condita suo nectare: Illa consecuta est mercedem convenientem tantis laboribus: verisimile est ipsam optavisse hujusmodi interitum.

Et lucet Phaëtontide.] Sorores Phaëtontis in populos fuerunt transmutatæ, ex quibus defluit succinum, quod idcirco vocat Phaëtontidem guttam Ovidius 2. Met. Forte succini guttæ in apem deciderant, quibus condensatis tanquam tumulo claudebatur.

tur. Idem dicit de vipera infra epig. 59. & de formica epig. 15. lib 6.
Tantorum laborum.] De quibus fuse Virgilius lib. 4. Georgicorum.
Nectare clausa.] id est suo melle, electrum quippe mellis colorem refert.

Ad Sosibianum cui mortem imprecatur. XXXIII.

PLENA laboratis habeas cum scrinia libris,
Emittis quare, Sosibiane, nihil?
Edent hæredes, inquis, mea carmina: quando?
Tempus erat jam te, Sosibiane, legi.

Sosibiane, cum tibi sint foruli referti libris elaboratis, cur nihil edis in lucem? hæredes, ais, publicabunt meos versus: quando? O Sosibiane, jam tempus erat te evolvi.

Tempus erat.] Sosibianum quendam irridet Poëta: videtur enim ipsum hortari ut edat suos libros; sed cum nolit Sosibianus legi nisi post suam mortem, intelligit Poëta jam mori illum debuisse, quo legi possent ejus libri. Heraldus sic explicat, Tempus erat decessisse te, & ossa tua esse lecta. Nam ossilegium profecto videtur alludere.

Ad Attalum sordida veste indutum. XXXIV.

SORDIDA cum tibi sit, verum tamen, Attale, dicit
Quisquis te niveam dicit habere togam.

O Attale, cum habeas vestem spurcam, nihilominus profert veritatem, quisquis profert tibi niveam esse togam.

Sordida cum tibi sit.] Attali cujusdam toga tam attrita erat, ut fila nuda albescerent, unde nivea dicit poterat; vel nivea dicitur, quia frigida. Vide epig. 50. lib. 9. in eo vero jocus est, quod toga nivea opponatur sordidæ.

De pugna damarum. XXXV.

FRONTIBUS adversis molles concurrere damas
Vidimus, & fati sorte jacere pari.
Spectavere canes prædam: stupuitque superbus
Venator, cultro nil superesse suo.
Unde leves animi tanto caluere furore?
Sic pugnant tauri, sic cecidere viri.

Spectavimus imbelles damas congredi adversis frontibus, & procumbere æquali casu fati. Canes viderunt prædam: miratumque feroci venatori vi, nim est, nihil restare suo cultro. Unde molles animi accensi sunt tanta rabie? hoc modo tauri dimicant, hoc modo viri prostrati sunt.

Spectavere canes.] Nempe se a præda abstinuerunt, cum viderent damas illas mutuam in necem adversa fronte ruere.
Cultro nil.] Cultrum venatorium intellige, quo feras interficere solebant venatores in amphitheatri venationibus.
Unde leves animi.] Domitiano adulatur, cujus numine damas fuisse concitatas intelligit Poëta.
Sic cecidere.] gladiatores scilicet.

Ad Olum tingentem suos capillos. XXXVI.

CANA est barba tibi: nigra est coma: tingere barbam

Ole, habes barbam canam; habes nigros capillos: nequis

Non potes, hæc caussa est: sed potes, Ole, comam.

colorare barbam, hæc ratio est; at potes capillos.

Tingere barbam.] Forte quia fucus id barba minus commode quam in capillis tegebatur; vel forte quod Olus eodem morbo laborabat, quo Charinus, de quo epig. 78. lib. 1. unde facile dilueretur fucus.

Ad Afrum suarum divitiarum ostentatorem. XXXVII.

Centum Coracinus, & ducenta Mancinus,
Trecenta debet Titius, hoc bis Albinus,
Decies Sabinus, alterumque Serranus:
Ex insulis, fundisque tricies soldum,
Ex pecore redeunt ter ducena Parmensi,
Totis diebus, Afer, hoc mihi narras:
Et teneo melius ista, quam meum nomen.
Numeres oportet aliquid, ut pati possim:
Quotidianam refice nauseam nummis.
Audire gratis, Afer, ista non possum.

Coracinus debet centum, & Mancinus ducenta, Titius trecenta, Albinus sexcenta, Sabinus decies, & Serranus alterum decies. *Ex insulis & fundis tricies plene percipio, ex pecore Parmensi sexcenta. O Afer, id mihi recenses per diem solidum; atque ista mihi notiora sunt meo nomine. Par est des aliquid, ut ferre valeam: nummis compensa tædium quotidianum. O Afer, nequeo auscultare ista gratuito.*

Centum, ducenta, trecenta.] Adjunge millia sestertiûm: adverbiis vero *bis*, *decies*, *tricies*, *ter* adde centena millia sestertiûm.

Ex insulis.] Ædificia in urbe quæ sola stant ab aliis separata, dicuntur insulæ, ex quarum locatione magnam pensionem percipiebat Afer.

Tricies soldum.] Sic epig. 100. lib. 1. dixit *vicies plenum.*

Ex pecore Parmensi.] Oves Parmenses interpretare, quarum lana passim laudatur a nostro Poëta.

Ad Gallam, ut interdum neget. XXXVIII.

Galla, nega: satiatur amor, nisi gaudia torquent;
Sed noli nimium, Galla, negare diu.

O Galla, recusa; amor expletur, nisi lætitia cruciat: at à Galla, ne recuses diutius.

Galla nega.] Ejusdem argumenti est epig. 82. infra, & epig. 58. lib. 1.

Ad Charinum divitem, atque impurum. XXXIX.

Argenti genus omne comparasti,
Et solus veteres Myronis artes;
Solus Praxitelis manus, Scopæque,
Solus Phidiaci toreuma cœli,
Solus Mentoreos habes labores.
Nec desunt tibi vera Glaniana,
Nec quæ Callaico linuntur auro,
Nec mensis anaglypta de paternis.

Emisti omnem argenti speciem, & solus possides antiquas artes Myronis, solus opera Praxitelis, & Scopæ, solus toreuma Phidiaci cæli, solus opera Mentoris. Nec vera Glaniana te deficiunt, nec quæ oblinuntur auro Callaico, nec anaglypta de mensis paternis.

Ar-

Argentum tamen inter omne miror,
Quare non habeas, Charine, purum.

Nihilominus inter omne argentum, miror, ô Charine, cur tibi non sit purum.

Argenti genus omne.] id est, vasa argentea omnis generis.

Myronis artes.] Vasa nempe cœlata ab egregiis his artificibus, Myrone, Praxitele, Scopa, & Phidia; de quibus vide Plinium lib. 34. cap. 8.

Phidiaci toreuma.] De quo lib. 3. epig. 35.

Solus Mentoreos.] De Mentore dictum quoque epig. 41. lib. 3.

Glaniana.] Et officina Glanii. Vel forte legendum, *Gratiana*, ut legitur apud Plinium lib. 33. cap. 11. *Vasa ex argento mira inconstantia humani ingenii variat, nullum genus officinæ diu probando, nunc Furniana, nunc Clodiana, nunc Gratiana.* Legunt alii *Gentiana*, pocula scilicet, quæ fiebant in castris Gentianis, in septima urbis regione.

Nec qua Callaico.] Vasa auro Callaico inaurata summo in pretio fuerunt epig. 95. lib. 14. Callaici autem populi Hispaniæ, hodie regnum Gallæciæ.

Anaglypta.] hoc est, vasa in asperitatem excisa, ut scribit Plinius lib. 33. cap. 11. ab ἀνὰ sursum, & γλύφω scalpo.

De mensis paternis.] Hoc addit ut ostendat illorum poculorum antiquitatem.

Quare non habeas.] De Charino dictum epig. 78. lib. 1. cum impurus esset, quicquid tangeret, contaminabatur, & spurcum fiebat: alias argentum *purum* significat non cœlatum, atque ita in ambiguo ludit Poëta.

Ad Postumum ingratum. XL.

ATRIA Pisonum stabant cum stemmate toto,
Et docti Senecæ ter numeranda domus.
Prætulimus tantis solum te, Postume, regnis:
Pauper eras, & eques, sed mihi consul eras.
Tecum ter denas numeravi, Postume, brumas:
Communis nobis lectus & unus erat.
Jam donare potes, jam perdere, plenus honorum,
Largus opum: expecto; Postume, quid facias.
Nil facis: & serum est alium mihi quærere regem.
Hoc, fortuna, placet? Postumus imposuit.

Atria Pisonum florebant cum toto stemmate, & ter numeranda ædes periti Senecæ. O Postume, te unum antepofuimus tantis patrociniis: egenus eras, & eques, at te colebam ut consulem. O Postume, tecum consumpsi triginta annos: unum & commune habebamus cubile. Nunc potes largiri, nunc perdere, divitiis abundans, cumulatus honoribus: præstolor, ô Postume, quid agas. Nihil agis: & tardum est mihi comparare alium patronum. O fortuna, hocne tibi arridet? Postumus decepit.

Atria Pisonum.] Clarissima fuit Romæ Pisonum familia, in primo autem domus aditu nobilitatis insignia collocabant antiqui, unde Seneca lib. 3. de beneficiis cap. 28. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant, noti magis quam nobiles sunt.* Juvenalis sat. 8. *Stemmata quid faciunt.* Sensus est Poëtæ: Poteram colere Pisones, a quibus multa beneficia accepissem.

Et docti Senecæ ter numeranda.] Vel propter Senecam Rhetorem, & filium ejus Philosophum, & Lucanum nepotem. Vel propter tres filios Rhetoris, Annæum, Novatum, & Melam, de quibus plura apud Lipsium Elect. 1. cap. 1. Hanc opinionem refutat Ramiresius; cum enim extincta esset Senecarum familia, existimat hanc Senecæ domum nobilem dici propter Pollam Lucani uxorem, quæ vidua Martialis tempore mortuum maritum summo studio colebat, ejusque diem natalem celebrabat, ut constat ex epig. 20. 21. 22. lib. 7. hanc ergo Pollam colere potuisset Poëta. *Ter numeranda domus* dicitur more græco domus valde memoranda & celebranda.

Nil facis.] hoc est, nil donas.

Postumus imposuit.] Me, & fortunam decepit Postumus, quæ illi eo consilio divitias dederat, ut in amicos esset liberalis. Ejusmodi avaros fallaces vocat Poëta epig. 104. lib. 1.

In jus, ô fallax, atque inficiator, eamus. Vide epig. 43. lib. 2. *hoc, fortuna, placet?* Vel sic intellige. O fortuna, an locupletasti Postumum, ut erga me ingratus foret?

In male recitantem. XLI.

Quid recitaturus circumdas vellera collo?
Conveniunt nostris auribus ista magis.

Quid recitaturus cingis collum lanis? illa auribus nostris aptiores sunt.

Circumdas vellera.] Intellige focalia, quæ erant fasciæ, seu vellera, quibus aures, fauces, & colla muniebant recitaturi, ne frigore corriperentur, nec obstrepentium clamore terrerentur.

Conveniunt nostris.] Ne te ineptum recitatorem audiamus.

XLII.

XLIII.

De Vesuvio monte, cujus incendium dolet. XLIV.

Hic est pampineis viridis modo Vesvius umbris:
Presserat hîc madidos nobilis uva lacus.
Hæc juga, quam Nysæ colles, plus Bacchus amavit:
Hoc nuper, Satyri monte dedere choros.
Hæc Veneris sedes, Lacedæmone gratior illi:
Hîc locus Herculeo nomine clarus erat.
Cuncta jacent flammis, & tristi mersa favilla:
Nec superi vellent hoc licuisse sibi.

Ecce Vesuvius paulo ante virens umbris pampineis: hoc in loco præstantes racemi impleverant humidas cupas. Hi vertices Baccho cariores fuerunt collibus Nysæ: nuper Satyri hoc in monte egerunt choreas. Hæc Veneris habitatio jucundior illi Lacedæmone: hic locus erat celebris nomine Herculis. Omnia sunt profligata flammis, & sepulta mœstis cineribus: nec dii vellent habuisse hanc potestatem.

Vesvius.] vel Vesuvius mons prope Neapolim vitibus fertilis, qui flammas interdum evomit. Suetonius in Tito c. 8.

Presserat hic.] hoc est, vinum expressum ex uva nobili impleverat lacus: est autem lacus vas quod excipit vinum prelo expressum, epig. 27. lib. 7.

Quam Nysæ.] *Nysam urbem plerique Indiæ ascribunt, montemque Meron Libero sacrum.* Plinius lib. 6. cap. 21.

Satyri.] comites Bacchi.

Hæc Veneris sedes.] Veneri & Herculi templum in Vesuvio dicatum fuit: Lacedæmone autem colebatur Venus. Pausanias in Laconicis.

Nec superi vellent.] Hyperbolicῶς innuit Poëta deos ipsos hujus incendii pœnituisse.

Ad

Ad Phœbum, ut Parthenii filium quinquennem fervet incolumem. XLV.

HÆc tibi pro nato plena dat lætus acerra,
Phœbe, Palatinus munera Parthenius.
Ut qui prima novo fignat quinquennia luftro,
Impleat innumeras Burrus Olympiadas.
Fac rata vota patris: fic te tua diligat uxor,
Gaudeat & certa virginitate foror.
Perpetuo fic flore mices: fic denique non fint
Tam longæ Bromio, quam tibi Phœbe, comæ.

O Apollo, Parthenius Palatinus pro filio tibi offert hæc dona pleno thuribulo. Ut Burrus, qui novo luftro claudit primum quinquennium, perficiat plures Olympiadas. Approba vota genitoris: fic te depereat tua conjux, & foror lætetur virginitate non dubia: fic niteas perpetuo juventutis flore: fic tandem, ô Apollo, Bacchus habeat capillos tuis breviores.

Parthenius.] Burrhi fui filii quinquennis natalem diem celebrans Phœbo thus adolebat, cui utpote femper juveni commendatur juventus. Parthenius autem in Palatio Imperatori ferviebat a cubiculo, de quo Suetonius in Domitiano cap. 16. & epig. 6. lib. 5.

Luftro.] Luftrum eft fpatium quinque annorum, Olympias vero quatuor; quarto enim anno expleto, quinto ineunte Olympici ludi celebrabantur. Vide epig. 40. lib. 7.

Diligat uxor.] Daphne nempe, quam uxorem ducere cupiebat Apollo. Ovidius lib. 1. Metam.

Soror.] Diana fcilicet, cujus pudicitiam tentaverat Orion. Horatius lib. 3. carm. ode 4.

——————— *& integræ*
Tentator Orion Dianæ
Virginea domitus fagitta.

& Callimachus in hymnis,

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν.

Da mihi, tata, virginitatem in æternum confervare.

Non fint tam longæ.] Bacchus enim ut Apollo gloriatur æterno juventutis flore. Ovidius lib. 4. Met.

De Sabello oftentatore tenuiffimorum munerum faturnalium. XLVI.

SATURNALIA divitem Sabellum
Fecerunt: merito tumet Sabellus:
Nec quemquam putat effe, prædicatque
Inter cauffidicos beatiorem:
Hos faftus animofque dat Sabello,
Farris femodius, fabæque freffæ,
Et thuris, piperifque tres felibræ,
Et Lucanica ventre cum Falifco,
Et nigri Syra defruti lagena,
Et ficus Libyca gelata tefta,
Cum bulbis, cochleifque, cafeoque.
Piceno quoque venit a cliente
Parcæ ciftula non capax olivæ;
Et craffo figuli polita cœlo

Saturnalia locupletarunt Sabellum: jure inflatur Sabellus: & credit, & commemorat nullum effe locupletiorem inter cauffidicos. Hanc arrogantiam, & hos fpiritus Sabello contulit femodius frumenti, & fabæ fractæ, & tres femilibræ thuris & piperis, & Lucanica cum ventre Falifco, & Syra lagena nigri defruti, atque ficus Africana tefta gelata, cum bulbis, & cochleis, & cafeo. Accepit etiam ciftulam non amplam paucarum olivarum a cliente Piceno, & data eft

 Septen-

Septenaria synthesis Sagunti,
Hispanæ luteum rotæ toreuma,
Et lato variata mappa clavo,
Saturnalia fructuosiora
Annis non habuit decem Sabellus.

Septenaria synthesis Sagunti elaborata crasso telo figuli, luteum toreuma rota Hispana, & mappa variata lato clavo. Decem annis Sabellus non habuit Saturnalia utiliora.

Saturnalia.] quorum tempore patronis suis munera mittebant clientes, lib. 13. Sabellum, atque alios causidicos irridet, quorum merces Romæ erat perexigua, nisi locupletes essent. Juvenalis sat. 7.

Quod vocis pretium? Siccus petasunculus, & vas
Pelamidum, &c.

Semodius.] Mensura aridorum dimidiam modii partem continebat: modius vero, inquit Raderus, capiebat viginti sex libras, & octo uncias.

Fabaque fresa.] Frendere idem est ac frangere: fabæ frangebantur ut ex iis puls fieret.

Et Lucan ca.] Farciminis genus quod milites a Lucanis, quorum regio hodie *Basilicata*, atque a Faliscis Tusciæ populis ventrem porcinum condire didicerant, lib. 13. epig. 35.

Et nigri Syra.] Syra lagena, hoe est vitrea, quia vitrum in Syria inventum, teste Plinio lib. 31. cap. 26. Defrutum vero Columella lib. 12. cap. 21. sic explicat, *Mustum quam dulcissimum decoquitur ad tertias, & decoctum sicut supra dixi, defrutum vocatur.* Idem dicit Plinius lib. 14. cap. 9.

Et ficus Libyca.] Aliæ sunt ficus hybernæ, aliæ æstivæ. Plinius lib. 15. cap. 18. testa autem condebantur, epig. 52. lib. 7.

Et Libycæ fici pondere testa gravis.

Gelatam testam dixit, quod brumali tempore missa esset; vel quod ficuum cortex esset tactu frigidus, vel quod se vera ficus gelatæ & condensatæ essent in testa. Judicet lector.

Piceno quoque.] hodie *Marche d'Ancone*, ubi sunt olivæ optimi saporis.

Et crasso figuli.] Synthesis pro veste sumitur epig. 46. lib. 2. hic autem synthesis septenaria significat vas capax septuncis: septunx autem septem cyathos continet: nisi malis cum Turnebo lib. 23. cap. 19. synthesim sumere pro septem poculis Saguntinis.

Toreuma luteum.] dicitur, quia synthesis illa figuli Saguntini torno facta fuit. *Synthesis* ex Budæo, teste Roberto Stephano in suo Thesauro Linguæ Latinæ, est vasorum compositio qua multa ejusdem generis vasa in se invicem includuntur. Statius lib. 4. Sylvarum:

Aut unam dare synthesim, quid horres?
Alborum calicum, atque cacaborum.

Et lato variata.] Mantilia purpureis clavis distingui solebant: latus autem clavus Senatorum erat insigne, angustus vero equitum. Petronius mappam ejusmodi laticlaviam appellat.

Fructuosiora.] vilissima tamen munera acceperat Sabellus, quem hoc scommate carpit Poëta.

De Phaëtonte encausto. XLVII.

ENCAUSTUS Phaëton tabula depictus in hac est.
Quid tibi vis, dipyron qui Phaëtonta facis?

Encaustus Phaëton depictus est in hac tabula. Quæ tua mens est, O Pictor, qui facis Phaëtonta dipyron?

Encaustus Phaëton.] Encaustice genus est picturæ, quæ in cera vel ebore ignitis instrumentis fiebat, ab ἐγκαίομαι inuror. Vide Plinium lib. 35. cap. 11.

Dipyron.] Alludit ad casum Phaëtontis, qui fulmine ictus in Padum præceps actus est: nunc vero ignitis instrumentis depictus eundem rursus casum subire videtur. *Dipyros* ergo, hoc est bis ustus, merito dici potest.

XLVIII.

Ad

Ad Flaccum, res veras non nugatorias tractari epigrammatibus. XLIX.

Nescis, crede mihi, quid sint epigrammata, Flacce,
Qui tantum lusus illa, jocosque putas.
Ille magis ludit, qui scribit prandia sævi
Tereos, aut cœnam, crude Thyesta, tuam,
Aut puero liquidas aptantem Dædalon alas,
Pascentem Siculas aut Polyphemon oves.
A nostris procul est omnis vesica libellis:
Musa nec insano syrmate nostra tumet.
Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant.
Confiteor: laudant illa, sed ista legunt.

O Flacce, mihi fidem adhibe, ignoras quid sint epigrammata: qui credis illa esse duntaxat ludos, atque argutias. Ille magis jocatur, qui memorat prandia crudelis Tereos, aut cœnam tuam, ô sæve Thyesta; vel Dædalum accommodantem puero pennas liquidas, aut Polyphemum pascentem oves in Sicilia. Omnis tumor longe removetur a nostris libris: nec Musa nostra turgescit vesano syrmate. Nihilominus illa omnibus sunt admirationi, celebrantur, coluntur. Fateor: illa commendantur, at hæc evolvuntur.

Prandia sævi.] Terei & Thyestæ liberos comedentium historia satis nota est ex Seneca in Thyesta, & Ovidio lib. 6. Met.

Aut puero liquidas.] Aptantis pennas Icaro Dædali fabula ex lib. 8. Met. Ovidii.

Liquidas alas.] Ex cera nempe, quæ solis ardore liquefacta est.

Polyphemon.] Cyclopem satis notum maxime ex Idyllio 11. Theocriti.

Omnis vesica.] hoc est, meum scribendi genus non est tumidum.

Nec insano syrmate.] Syrma vestis est tragica a *σύρω trahe*. oblonga nempe & solum verrit, quam in tragœdiis trahebant heroes. Metaphorικῶς intelligit Poëta stylum suum non esse tragicum.

Illa tamen.] Flaccus objicit, tamen laudantur poëmata tragica & epica.

Sed ista legunt.] Respondet Martialis tumida illa & longa poëmata laudari, sed sua epigrammata brevi, & venusto argumento scripta ab omnibus legi.

L.

Ad Cæcilianum, avarum comparatis divitiis. LI.

Cum tibi non essent sex millia, Cæciliane,
Ingenti late vectus es hexaphoro.
Postquam bis decies tribuit Dea cæca, sinumque
Ruperunt nummi, factus es, ecce pedes:
Qui tibi pro meritis, & tantis laudibus optem?
Dî reddant sellam, Cæciliane, tibi.

O Cæciliane, cum non haberes sex millia, gestatus es hexaphoro valde amplo. Postquam Dea cæca concessit vicies, & nummi fregerunt sinum; ecce pedes factus es. Quid tibi precer pro meritis, & tantis præconiis? O Cæciliane, numina tibi restituant sellam.

Sex millia.] Sestertiûm. Carpit Cæcilianum quendam, qui pauper sella vehebatur, factus vero dives pedes incedebat: hexaphorum lectica erat, quæ a sex servis gestabatur.

Postquam bis decies.] Centena sestertiûm millia.

Sinumque.] Solebant veteres, ea in sinu reponere, quæ secum ferre necesse erat: his verbis pecunia abundasse Cæcilianum significat.

Et tantis laudibus.] Frugalitatis nempe per ironiam.

Dî reddant.] hoc est, hexaphorum, seu pristinam conditionem reddant, cum fortunæ muneribus abutaris: vel morbos illi precatur Poëta, morbosi enim gestabantur, cum videatur opes illi optare.

In Ædylum fico laborantem. LII.

GESTARI junctis nisi desinis, Ædyle, captis,
Qui modo ficus eras, jam caprificus eris,

O Ædyle, nisi cessas vehi capris junctis, qui paulo ante ficus eras, mox caprificus fies.

Gestari junctis.] Fico laborans *Ædylus*, seu *Hedylus*, ut scribunt alii, de quo morbo dictum epig. 66. lib. I. Capris simul junctis vehebatur, epig. 105. lib. I. de pardis, cervis, &c. diximus. Illinc colligit Poëta illum mox fore caprificum, habita ratione vocum, non veræ significationis; ex capra enim & ficu fit caprificus. Similis jocus est in voce *Argonautas* epig. 67. lib. 3. Alii has capras meretrices fuisse putant. Hic locus mihi videtur perobscurus.

Ad Cosmum de falso Cynico. LIII.

HUNC, quem sæpe vides inter penetralia nostræ
Pallados, & templi limina, Cosme, novi,
Cum baculo, peraque senem; cui cana, putrisque,
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit:
Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati,
Cui dat latratos obvia turba cibos.
Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa.
Non est hic Cynicus, Cosme: quid ergo? canis.

O Cosme, delusus vana specie credis Cynicum esse hunc senem, quem cum baculo, & pera crebro spectas inter penetralia nostræ Palladis, & introitum novi templi; qui habet canos, & putrides capillos, & cui squalida barba labitur in pectus: qui obtegitur abolla uxore cerea nudi grabati, cui multitudo occurrens porrigit cibos extortos latratu. Hic non est Cynicus, ô Cosme: quid ergo? canis.

Inter penetralia.] Templum intelligit erectum a Domitiano in honorem Minervæ, quam summo studio colebat. Lib 9. epig. 4.

Cum bacul.] Hæc est descriptio cultus Cynici, Ausonius epig. 52.

Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex
Ista fuit Cynici ————

Cerea quem.] Abolla vestis erat duplicis generis, altera militum, altera vero Philosophorum propria. Cerea dicitur, nempe quod attrita flavesceret, vel quod sebo & sudore quasi incerata videretur. *Uxor* autem, quod cum ea cubaret Cynicus sola abolla tectus pro lodice. Vide epig. 119. lib. 14.

Nudi grabati.] hoc est sine sindone & lodice.

Cui dat latratos.] Suis enim latratibus stipem a prætereuntibus extorquebant Cynici. Legunt alii:

Cuique datis latrat obvia turba cibis.

Non est hic.] Sensus est: Iste habitum quidem Cynici præ se fert, doctrinam autem non profitetur, sed mere in canem degeneravit.

Ad Colinum de vita hilariter agenda. LIV.

O Cui Tarpeias licuit contingere quercus,
Et meritas prima cingere fronde comas,
Si sapis, utaris totis, Coline, diebus,
Extremumque tibi semper adesse putes.

O Coline cui fas fuit tangere quercus Capitolinas, & prima fronde circumdare dignos capillos; si sapiens es, fruere diebus integris, & crede semper tibi imminere ultimum.

Lanificas nulli tres exorare puellas,
Contigit, observant, quem statuêre diem:
Divitior Crispo, Thrasea constantior ipso,
Lautior & nitido sis Meliore licet,
Nil adicit penso Lachesis, fusosque sororum
Explicat, & semper de tribus una necat.

Nemo potuit flectere puellas nentes lanam, custodiunt diem quem decreverunt. Quamvis sis locupletior Crispo, firmior ipso Thrasea, & splendidior nitido Meliore; Lachesis nihil addit penso, atque evolvit fusos sororum, atque una ex tribus semper interficit.

O cui Tarpeias.] Colinus adeptus erat coronam e quercu qua donabantur victores in ludis, quos in honorem Jovis Capitolini instituerat Domitianus. Suetonius in Domitiano cap. 4. & epig. 1. supra, & lib. 8. epig. 82. Juvenalis sat. 6. versu 387.

> *Cum farre, & vino Janum, Vestamque rogabat*
> *An Capitolinam deberet Pollio quercum*
> *Sperare, & fidibus promittere.*

Prima fronde.] vel quod Jovi sacra, vel quod ab Imperatore prima data fuerat omnium victori Colino.

Lanificas.] hoc est tres Parcas, Cloton, Lachesim, & Atropon; quæ dicuntur metiri vitam hominum ex fusis & staminibus quæ ex sua colu nent, & deducunt. Earum vero officia sic distinguuntur a Poëtis, ut velint unam esse quæ vitam hominis ordiatur, alteram, quæ contexat; tertiam demum, quæ filum rescindat. Seneca in Hercule furente choro primo:

> *Duræ peragunt pensa sorores,*
> *Nec sua retro fila revolvunt.*

Divitior Crispo.] Fuit is vitricus Neronis. Suetonius in Nerone cap. 6. *Sed & Crispi Passieni vitrici sui hereditate ditatus est.* De Thrasea actum epig. 9. lib. 1.

Lautior & nitido.] Huic Meliori librum secundum Sylvarum dedicavit Statius. *Nitidus* dicitur, quod laute convivaretur, epig. 69. lib. 2.

Una necat.] Alii *una secat.* Sensus est: Etiamsi duæ exorari possint, tertia tamen inexorabilis permaneret. Vide epig. 89. lib. 1. lib. 9. epig. 88.

Ad Lucium,
quem hortatur ad celebranda Celtiberiæ loca. LV.

Luci, gloria temporum tuorum,
Qui Grajum veterem, Tagumque nostrum
Arpis cedere non sinis disertis;
Argivas generatus inter urbes
Thebas carmine cantet, aut Mycenas,
Aut claram Rhodon, aut libidinosæ
Ledæas Lacedæmonis palæstras:
Nos Celtis genitos, & ex Iberis,
Nostræ nomina duriora terræ
Grato non pudeat referre versu,
Sævo Bilbilin optimam metallo,
Quæ vincit Chalybasque, Noricosque,
Et ferro Plateam suo sonantem,
Quam fluctu tenui, sed inquieto
Armorum Salo temperator ambit,
Tutelamque chorosque Rixamarum,
Et convivia festa Carduarum,
Et textis Peteron rosis rubentem,

O Luci, decus tui ævi, qui non permittis ut Grajus antiquus, & Tagus noster primas det facundis Arpis; natus in urbibus Græciæ versibus celebret Thebas, aut Mycenas, aut nobilem Rhodon, aut Ledæas palæstras libidinosæ Lacedæmonis: nos vero geniti a Celtis atque ab Iberis, non erubescamus carmine memori dicere asperiora nomina nostræ patriæ: Bilbilim nobilissimam crudeli metallo, quæ superat & Chalybas, & Noricos, & Plateam strepentem suo ferro, quam circumit Salo temperator armorum fluctu exili, sed turbulento, Tutelamque, & choros Rixamarum, & lætas epulas Carduarum, & Peteron rubrum rosis textis,

Atque

Atque antiqua patrum theatra Rigas,
Et certos jaculo levi Silaos,
Turgentiſque lacus, Petuſiæque,
Et parvæ vada pura Vetoniſſæ,
Ei ſanctum Baradonis ilicetum,
Per quod vel piger ambulat viator,
Et quæ fortibus excolit juvencis
Curvæ Manlius arva Matineſſæ.
Hæc tam ruſtica, delicate lector,
Rides nomina? rideas licebit.
Hæc tam ruſtica malo, quam Britannos.

& Rigas vetera theatra majorum, & Silaos peritos levis jaculi, & lacus Turgentis, & Petuſiæ, atque aquas limpidas parvæ Vetoniſſæ, & ſanctum ilicetum Baradonis per quod viator etiam iners ambulat, & agros curvæ Matineſſæ, quos Manlius excolit validis tauris. O delicate lector, deridesne nomina tam agreſtia? Fas erit derideas. Hæc tam agreſtia magis mihi placent, quam Britanni.

Luci.] Is fuit Poëta Hiſpanus egregius, qui floruit tempore Domitiani.

Qui Gr.tjum,] Veterem dixit, quia veteribus Grajus, poſteris vero Gravius fluvius ſcilicet dictus eſt, ut affirmant interpretes, de quo nihil reperi. *Gravii* populi ſunt citerioris Hiſpaniæ, teſte Plinio lib. 4. cap. 20. Legunt alii *Gaurum*: ſed Gaurus mons eſt Campaniæ in Italia: Poëta vero de locis Hiſpaniæ loquitur. Forte ejuſdem nominis mons fuit in Hiſpania.

Arpis cedere.] *Arpi* urbs Apuliæ, in finibus cujus natus eſt Horatius. Senſus eſt: Tu, ô Luci, gloria Hiſpaniæ, qui contendis laude carminis cum Horatio.

Argivas generantis.] hoc eſt: Poëtæ græci celebrent ſuas urbes, nos Hiſpani noſtras commendemus. Idem Horatius lib. 1. ode 7.

Laudabunt alii claram Rhodon, &c.

Aut libidinoſæ.] Ledæas palæſtras dixit puellarum luctas, quæ nudæ ſimul cum viris ludos Lacedæmone exercebant in honorem Ledæ, quæ cum Jovi placuit, nuda erat in balneo. De his ludis agit Propertius lib. 3 eleg. 12. *Libidinoſæ*, vel quod ejuſmodi luctæ parum honeſtæ eſſent, vel quod Venus præcipue illic coleretur, epig. 44. ſupra: vel propter Helenam.

Nos Celtis.] Hiſpaniæ populis ad Iberum, de quibus jam lib. 1. epig. 50.

Grato verſu.] erga patriam.

Sævo Bilbilin.] de qua lib. 1. epig. 50. & lib. 12. epig. 18. Fuit patria Martialis.

Qua vincit Chalybas.] populi ſunt Aſiæ minoris ad Pontum Euxinum circa Bithyniam, ubi ferrum optimum.

Noricoſque.] Germaniæ populos, hodie *Bavaros*, ubi etiam ferrum præſtans.

Plateam.] Hiſpaniæ oppidum ferrariis officinis nobile. Vide epig. 18. lib. 12.

Salo.] fluvius Celtiberiæ, epig. 50. lib. 1.

Tutelamque.] Forte hodie eſt *Tudela* ad Iberum. De aliis urbibus quæ ſubſequuntur nihil reperio.

Choroſque Rixamarum.] Rixamaræ ſane choreis gaudebant. Legunt alii *Rixamororum.*

Rigas.] Raderus legit *ripas* fluminum nempe, juxta quas ſpectacula edebant antiqui. Sed prior lectio videtur retinenda, nempe juxta urbem *Rigas* erat forte convallis quæ theatrum naturale efficiebat.

Ilicetum.] Locus eſt in quo conſitæ ſunt multæ ilices.

Vel piger.] Ea quippe loca tam amœna ſunt, ut vel iners viator in iis libenter ambulet.

Quam Britannos.] hoc eſt: Licet hæc Hiſpaniæ loca aſpera ſint, minus tamen horrida videntur quam Britannica: quaſi eſſet contentio inter Britanniam & Hiſpaniam. Hoc vix capio. Alii itaque melius meo judicio legunt *Bituntos* viliſſimum Apuliæ oppidum, quod nominis ruſticitate ſuperat barbara Hiſpaniæ oppida quæ hic enumerantur: quaſi diceret Poëta; O delicate lector Itale, magis irridere debes tuos Bituntos, de quibus epig. 48. lib. 2. quàm noſtra hæc oppida.

In Gargilianum captatorem. LVI.

MUNERA quod ſenibus, viduiſque ingentia mittis,
Vis te munificum, Gargiliane, vocem?
Sordidius nihil eſt, nihil eſt te ſpurcius uno,

O Gargiliane, cupiſne te appellem liberalem, quod mittis ſenibus & viduis dona maxima? Nihil fœdius eſt, nec turpius te uno, qui potes mu-

Qui

Qui potes insidias dona vocare tuas.
Sic avidis fallax indulget piscibus hamus:
Callida sic stultas decipit esca feras.
Quid sit largiri, quid sit donare, docebo.
Si nescis: dona, Gargiliane, mihi.

nera appellare tuas insidias. Hoc modo dolosus hamus obsequitur famelicis piscibus: hoc modo esca versuta fallit feras fatuas. Explicabo quid sit largiri, & donare. Si ignoras, O Gargiliane, esto munificus in me.

Vis te munificum.] Viduarum & senum hereditates suis donis captabat, atque ita liberalis haberi non debebat; sed ejus dona erant insidiæ, quibus senum hereditates, tanquam pisces esca caperet. Lib. 5. epig. 18. & epig. 60.

Dona.] Tunc enim sine controversia liberalis videberis, cum nulla a me merces tibi sit expectanda.

Ad Faustinum hyeme Baiis, æstate Tibure manendum. LVII.

DUM nos blanda tenent lascivi stagna Lucrini;
Et quæ pumiceis fontibus antra calent:
Tu colis Argivi regnum, Faustine, coloni,
Quo te bis decimus ducit ab urbe lapis.
Horrida sed fervent Nemeæi pectora monstri:
Nec satis est, Baias igne calere suo.
Ergo sacri fontes, & litora sacra valete,
Nympharum pariter, Nereidumque domus.
Herculeos colles gelida vos vincite bruma,
Nunc Tiburtinis cedite frigoribus.

Dum fruimur mollibus stagnis lascivi Lucrini, & speluncis quæ fervent pumiceis fontibus: O Faustine tu habitas regnum Argivi Coloni, quo pervenis emensus duo millia passuum ab urbe. At terribile pectus monstri Nemeæi ardet: nec sufficit Baias fervere suo æstu. Itaque valete, ô sacri fontes, & sacra litora, domicilium Nympharum simul, & Nereidum. Vos quidem hyeme frigida superata Herculeos colles, nunc primas date frigoribus Tiburis.

Lascivi stagna.] Lucrinus lacus est in Campania de quo jam epig. 63. lib. 1. lascivum dixit ob delicias, & loci amœnitatem, & hominum illic lascivientium frequentiam.

Et quæ pumiceis.] hoc est, fontibus e pumice vel topho scaturientibus, quorum aquæ sunt calidæ.

Tu colis.] hoc est, tu manes Tibure, quod condidit Catillus quidam Argivus qui & Tiburtinus dictus est. Vide Statium lib. 1. Sylvarum in *Tiburtino Manlii.* Horatius lib. 2. ode 6.

Tibur Argeo positum colono.

Nemeæi pectora.] hoc est, leonis in sylva Nemeæa ab Hercule interfecti, & relati inter astra: Sol autem mense Augusto ingressus Leonem ardores auget. *Pectora* dixit, quod in Leonis pectore, inquit Ramiresius, astrum est fulgentissimum ab Astrologis dictum cor Leonis.

Nec satis est.] Aquis enim ferventibus Solis calor additur.

Nympharum.] Fontes illi Nymphis sacri, mare vero Nereidibus sacrum.

Litora sacra.] Legunt alii *litora grata* aliis scilicet anni tempestatibus.

Herculeos colles.] Tibure enim Hercules colebatur lib. 1. epig. 13.

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces.

In Gallam mariti mortem clam deflentem. LVIII.

IN tenebris luges amissum, Galla, maritum.
Num plorare pudet te, puto, Galla, virum?

O Galla, secreto defles virum mortuum. O Galla, nunquid, opinor, erubescis deflere maritum?

Num

Nam plorare.] Galla vivente viro tam impudica fuerat, ut eum mortuum palam deflere, merito illam puderet: vel flebat, quod illam utpote infamem mortuo marito uxorem nullus esset ducturus, lib. 9. epig. 6. Epig. vero 34. lib. 1. secretas lacrymas laudat noster Poëta.

Ille dolet vere, qui sine teste dolet.

Legunt alii,

Nam plorare pudet te, puto, Galla, virum.

De vipera electro inclusa. LIX.

FLENTIBUS Heliadum ramis dum vipera serpit,
Fluxit in obstantem succina gemma feram:
Quæ dum miratur pingui se rore teneri,
Concreto riguit vincta repente gelu.
Ne tibi regali placeas, Cleopatra, sepulchro,
Vipera si tumulo nobiliore jacet.

Dum vipera serpit per flentes ramos Heliadum, succina gemma lapsa est in feram obsistentem: qua dum miratur se adstringi humore denso, subito induruit implicita concreto gelu. O Cleopatra, ne te jactes de tumulo regio, si vipera conditur splendidiore monumento.

Flentibus Heliadum.] Heliades dictæ sunt Phaëtontis sorores, cujus casum deflentes ad Padi ripas in populos fuerunt conversæ, ex quarum ramis fluit electrum. Vide epig. 25. & 32. supra.

Succina gemma.] Legunt alii *succina gutta*, ut epig. 15. lib. 6.

Implicuit tenuem succina gutta feram.

Fluxit in obstantem.] Poëtice laudat hujus operis artificium: nam adeo affabre electro inclusa fuerat vipera, ut casu succini visco implicita videretur.

Ne tibi.] De morte Cleopatræ vide Suetonium cap. 17. in Augusto: *Qui ambobus*, Cleopatræ scilicet & Antonio, *communem sepulturæ honorem tribuit, ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici jussit.* Nobilius erat hoc viperæ mausoleum, quippe quod totum electro esset ædificatum.

De Curiatio extincto inter salubres Tiburis aquas. LX.

ARDEA solstitio, Pæstanaque rura petantur,
Quique Cleonæo sidere fervet ager:
Cum Tiburtinas damnet Curiatius auras,
Inter laudatas ad Styga missus aquas.
Nullo fata loco possis excludere: cum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

Solstitio adeamus Ardeam, & rura Pæstana, & agrum qui calet sidere Leonis: cum Curiatius damnet cœlum Tiburis missus ad inferos inter celebratas aquas illius. Nullo loco possis arcere fata: cum mors accesserit, Sardinia est in medio Tibure.

Ardea solstitio.] Æstivo scilicet, quo calor est vehementissimus. Ardea vero urbs erat Latii sub cœlo calidissimo posita, de qua Livius lib. 1. *Dum Tarquinius obsidet Ardeam, exactus est regno.* Latium hodie *Campania di Roma.*

Pæstanaque rura.] Pæstanus sinus in Lucania, a Pæsto urbe nomen sortitus, hodie *Golfo di Salerno.*

Quique Cleonæo.] Intellige Leonem, in cœlum relatum, quem Hercules interfecit in Nemeæa Peloponnesi sylva, juxta Cleonam urbem. Augusto mense vehementissimis caloribus terram accendit Leo: ager hic Baianus intelligitur; Baias enim aquis & pectore Leonis fervere dixit supra epig. 57.

Cum Tiburtinas.] hoc est, cum Curiatius perierit Tibure loco saluberrimo, hodie *Tivoli.*

Ad Styga.] Fons est Arcadiæ, cujus aqua est frigidissima, omnibus animalibus est exitiosa. Poëtæ fabulantur paludem esse apud inferos.

Sardinia est.] Insula nota: hoc est, Cum fati necessitas advenerit, perinde morieris Tibure, ac in Sardinia, etsi Tiburis cœlum salubre, Sardiniæ vero pestilens est.

In

In Mancinum vanum suarum divitiarum narratorem. LXI.

DONASSE amicum tibi ducenta, Mancine,
Nuper superbo lætus ore jactasti.
Quartus dies est, in schola poëtarum
Dum fabulamur, millibus decem dixti
Emptas lacernas munus esse Pompillæ;
Sardonycha verum, lineisque ter cinctum,
Duasque similes fluctibus maris gemmas
Dedisse Bassam, Cæliamque jurasti.
Here, de theatro, Pollione cantante,
Cum subito abires, dum fugis, loquebaris,
Hereditatis tibi trecenta venisse:
Et mane centum, & post meridiem centum.
Quid tibi sodales fecimus mali tantum?
Miserere jam crudelis, & sile tandem.
Aut, si tacere lingua non potest ista,
Aliquando narra, quod, Mancine, velimus.

O Mancine, hilaris nuper gloriatus es ore superbo, te dono accepisse ducenta ab amico. Quarta lux est, dum fabulamur in schola poëtarum, dixisti lacernas emptas decem millibus esse donum Pompillæ. Jurasti Bassam & Cæliam tibi donasse sardonycha verum, & circumdatum tribus lineis, & duas gemmas concolores fluctibus maris. Cum heri repente discederes ex theatro, Pollione cantante, dum fugis, dicebas, tibi obvenisse hereditatem trecentorum: & mane centum, & post meridiem centum. Quo tanto malo te affecimus nos socii? O inhumane, jam miserere, & tandem tace. Aut si ista lingua silere nequit, ô Mancine, aliquando narra quod cupiamus.

Ducenta.] Millia sestertiûm.

In schola poëtarum.] In quam ad recitandum conveniebant Poëtæ. Ille autem locus confabulationibus erat aptissimus.

Emptas lacernas.] Lacerna togæ superinduebatur ad arcendum frigus, inquit Baysius.

Sardonycha verum.] sic epig. 60. lib. 9.

Sardonychas veros mensa quæsivit in omni.

id est non adulterinos.

Lineisque ter cinctum.] Sardonyx enim tribus lineis, nigra scilicet, candida, & miniata cingitur. Plinius lib. 37. cap. 2. *Sardonyches e Ceramniis glutinantur gemmis, ita ut ars deprehendi non possit, aliunde nigro, aliunde candido, aliunde minio sumptis.* Legunt alii,

Sardonychas auro, lineisque ter cinctum.

Duasque similes.] forte cyanos, Gallice *turquoises.*

Bassam Cæliamque.] Nomina mulierum ficta.

Pollione cantante.] citharœdo nobili de quo Juvenalis sat. 6. versu 338.

Quid tibi fecimus.] Ut nos vanissimis felicitatum tuarum narrationibus quotidie cruciares.

Aliquando narra.] Te nempe aliquam fecisse jacturam, atque hoc nobis erit auditu jucundissimum; vel narra aliud quidpiam, unde nobis lucrum obvenire possit.

De Lycori muliere deformi. LXII.

TIBUR in Herculeum migravit nigra Lycoris,
Omnia dum fieri candida credit ibi.

Nigra Lycoris petiit Tibur dicatum Herculi, dum putat illic albescere omnia.

Tibur.] Cujus cœlum erat frigidum, eoque candidior illic mulierum forma. Vide epig. 12. lib. 7.

*Dum Tiburtinis albescere collibus audit
Antiqui dentis fusca Lycoris ebur.*

De

De Cærelia aquis extincta. LXIII.

DUM petit a Baulis mater Cærelia Baias,
Occidit insani crimine mersa freti.
Gloria quanta perit vobis! hæc monstra Neroni,
Nec quondam jussæ præstiteratis aquæ.

Dum mater Cerelia it Baias a Baulis, demersa perist crimine maris furentis O unda, quantum decus amittitis! olim nec imperata exhibueratis hæc monstra Neroni.

Dum petit a Baulis.] Villa in litore Campaniæ non procul a Baiis.

Gloria.] Hæc aquarum gloria proveniebat ex eo, quod undæ illæ nequidem jussæ, ut fingit Poeta, fuerant obsecutæ Neroni, qui matrem suam Agrippinam his in aquis perire cupierat. Suetonius in Nerone cap. 34. & Tacitus lib. 14. Annalium hanc gloriam amiserant illæ aquæ, cum sponte, & ultro Cæreliam hausissent.

Hæc monstra.] Naufragium nempe, & mortem.

De hortis Martialis. LXIV.

JULÎ jugera pauca Martialis
Hortis Hesperidum beatiora
Longo Janiculi jugo recumbunt:
Lati collibus imminent recessus:
Et planus modico tumore vertex
Cœlo perfruitur sereniore,
Et curvas nebula tegente valles
Solus luce nitet peculiari:
Puris leniter admoventur astris
Celsæ culmina delicata villæ.
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam,
Albanos quoque, Tusculosque colles,
Et quodcumque jacet sub urbe frigus,
Fidenas veteres, brevesque Rubras,
Et quod virgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perannæ.
Illic Flaminiæ, Salariæque
Gestator patet, essedo tacente,
Ne blando rota sit molesta somno,
Quem nec rumpere nauticum Celeuma,
Nec clamor valet helciariorum.
Cum sit tam prope Mulvius, sacrumque
Lapsæ per Tyberim volent carinæ,
Hoc rus, seu potius domus vocanda est,
Commendat dominus, tuam putabis:
Tam non invida, tamque liberalis
Tam comi patet hospitalitate.
Credas Alcinoï pios Penates,

Pauca jugera Julii Martialis fertiliora hortis Hesperidum recubant in longo vertice Janiculi: ampla solitudines impendent collibus: atque exiguo tumulo cacumen aquum potitur aere puriore: & solum nitescit proprio lumine, caligine occultante curvas valles: delicata fastigia villa alta placide accedunt ad sidera serena. Hinc fas est spectare septem montes dominos, & circumspicere totam Romam & Albana juga, & Tuscula, atque omnia loca frigida suburbana, Fidenas antiquas, & parvas Rubras, & sylvam pomiferam Anna Peranna, qua lætatur virgineo sanguine. Illic prospicitur gestator currus in via Flaminia, & Salaria curru non strepente, ne rota sit incommoda molli somno, quem nec turbare potest cohortatio nautarum, nec clamor helciariorum. Licet Mulvius sit tam vicinus, & naves volent dilapsæ per sacrum Tiberim. Hæc villa, seu potius domus est appellanda, commendatur ab hero, existimabis tuam · tam amica, tam benigna, tam liberali hospitalitate aperta est. Putes piam domum Alcinoi,

Aut

Aut facti modo divitis Molorchi.
Vos nunc omnia parva, qui putatis,
Centeno gelidum ligone Tibur,
Vel Præneste domate, pendulamque
Uni dedite Sætiam colono:
Dum me judice, præferantur istis
Julî jugera pauca Martialis.

aut Molorchi paulo ante locupletati. Vos nunc, qui creditis omnia exigua, colite frigidum Tibur centum ligonibus, aut Præneste, & tradite uni agricultori aestivam Sætiam: dum me arbitro, pauca jugera Julii Martialis anteponantur istis.

Juli.] Ut epig. 16. lib. 7.

Juli bibliotheca Martialis.

cujus commendat hortum. Huic Martiali mittit sextum librum, ut patet ex primo epigrammate. Male ergo alii scribunt *Tulli Martialis.*

Hesperides.] Atlantis filiæ, quibus hortos tribuunt Poëtæ aureis pomis pretiosos. Vide epig. 21. lib. Spect.

Longo Janiculi.] Ab Aventino & Vaticano ad pontem Mulvium, vel Milvium, usque porrigebatur Janiculum.

Hinc septem.] Palatinus, Capitolinus, Quirinalis, Cælius, Æsquilinus, Viminalis, Aventinus vocantur; quibus imposita Roma orbis domina.

Æstimare Romam.] hoc est prospicere & considerare. Epig. 16. lib. 7.

Ruris bibliotheca delicati
Vicinam videt unde lector urbem.

Albanos.] colles Latii intellige.

Fidenas veteres.] quia Roma antiquiores. Rubras vero parvum oppidum circa Tibur fuisse existimat Ortelius.

Et quod virgineo.] Anna Peranna, vel Perenna Didonis soror in Italia apud Æneam exulavit, atque in amnem Numicum, ut Laviniæ insidias declinaret, se præcipitem dedit, & tandem pro dea culta est. Ovidius 3. Fastorum:

Ipsa loqui visa est: placidi sum Nympha Numici,
Amne perenne latens, Anna Perenna vocor.

Macrobius lib. 1. cap. 12. *Eodem quoque mense*, Martio nempe, *& publice & privatim ad Annam Perennam sacrificatum itur; ut annare, perennareque commode liceat*: hoc est per annos durare. *Virgineum cruorem* dixit propter victimarum sanguinem, quæ Dianæ virgini in nemore Aricino immolarentur, teste Strabone lib. 5. Vel quod illic, ut ait Domitius, flagellis cæderentur pueri, ut Lacedæmone ex ritu Thoantio. Alii *Annam Perennam* affirmant anum fuisse ortam Bovillis prope Romam, quæ populo in montem per seditionem digresso victum tulerit; in cujus memoriam hæc celebritas tandem instituta est. Hæc est Raderi sententia, quæ mihi verisimilior videtur.

Flaminia.] Via sic dicta a Flaminio consule, qui ad lacum Trasimenum ab Annibale interfectus est. *Salaria* ducebat in Sabinos, atque a sale nomen sortita est, quia per eam Sabini sal a mari Romam deferebant.

Gestator.] Currus nempe in quo ambulantes per urbem gestabantur: etenim pro lecticario sumi non mihi videtur, propter sequentia verba *essedo tacente.*

Nauticum celeuma.] Est verbum græcum nautarum proprium, latine cohortatio.

Helciariorum.] Helciarii sunt ii qui onera moliuntur funibus, vel qui naves deducunt, aut remulco trahunt.

Mulvius.] Alii Milvius, pons hodie *Ponte Mole*, ultra primum ab urbe lapidem.

Credas Alcinoi.] Alcinous regnavit in Corcyra insula, & benigno hospitio Ulyssem naufragum excepit. Homerus Odyss. lib. 6.

Divitis Molorchi.[Molorchus pastor venientem ad leonem Nemeæum opprimendum humanissime excepit Herculem: factus vero dives dicitur, quia Domitianus fanum Herculi extruxerat, epig. 65. lib. 3. juxta quod Molorcho sacellum ædificavit multis donis locupletatum, de quo Statius lib. 3. Sylvarum.

Centeno ligone.] hoc est, centum servis colite fundos amplissimos. Tibur & Præneste Latii urbes, hodie *Tivoli*, & *Pilastrina.* Sætia, alii Setia, Latinorum urbs mediterranea, hodie *Sezza*, epig. 112. lib. 13.

Pendula Pontinos quæ spectat Setia campos.

Dum me judice.] Sensus est: Fundi Tiburtini, Prænestini, & Setini sunt optimi: attamen Julii Martialis horti omnibus illis sunt anteponendi.

De

De Philæni lusca. LXV.

OCULO, Philænis, semper altero plorat.
Quo fiat istud quæritis modo? lusca est.

Philænis perpetuo flet altero oculo. Rogatis qua rati ne id fiat? Lusca est.

Lusca est.] Obiter naturæ vitium in illa muliere irridet Poëta, quæ utroque oculo plorasset, nisi altero caruisset.

Ad Linum sui patrimonii decoctorem. LXVI.

EGISTI vitam semper, Line, municipalem:
Qua nihil omnino dulcius esse potest.
Idibus, & raris togula est excussa Kalendis:
Duxit & æstates synthesis una decem.
Saltus aprum, campus leporem tibi misit inemtum:
Sylva graves turdos exagitata dedit.
Raptus flumineo venit de gurgite piscis:
Vina rubens fudit non peregrina cadus.
Nec tener Argolica missus de gente minister,
Sed stetit inculti rustica turba foci.
Villica vel duri compressa est nupta coloni:
Incaluit quoties saucia vena mero.
Nec nocuit tectis ignis, nec Sirius agris:
Nec mersa est pelago, nec fluit ulla ratis.
Supposita est blando nunquam tibi tessera talo:
Alea sed parcæ sola fuere nuces.
Dic ubi sit decies, mater quod avara reliquit?
Nusquam est; fecisti rem, Line, difficilem.

O Line, semper duxisti vitam municipalem, qua nihil prorsus suavius potest esse. Togula est excussa Idibus, & raris Kalendis: atque una synthesis egit decem annos. Saltus tibi suppeditavit aprum, campus leporem non emptum, sylva vexata præbuit turdos pingues. Piscis allatus est tractus ex voragine fluviali: cadus ruber fudit vina non externa. Nec servus mollis missus ex natione Græca, sed agrestis multitudo foci inculti stetit. . . . Nec flamma obfuit ædibus, nec Canicula campis: nec ulla navis tua demersa est mari, nec fluit. Tu nunquam substituisti tesseram talo jucundo: sed ubisisti solam aleam parcarum nucium. Profer, ubi sit decies, quod reliquit avara genitrix? nullibi est. O Line, fecisti rem difficilem.

Egisti vitam.] Linum quendam ad inopiam redactum irridet Poëta. Municipalem vitam dixit pro agresti; in Municipiis enim, quæ erant oppida, civitate donata certa lege, vita ducebatur sobria & frugalis, at vero in urbe lauta & delicata.

Dulcius esse.] Legunt alii *vilius*, alii *durius*.

Togula est excussa.] Alii *est tibi sumpta*. Calendis & Idibus sacrificia publica fiebant, populusque togatus conveniebat. Calendæ autem Junoni, Idus vero sacræ erant Jovi. Ovidius 1. Fastorum.

> *Vendicat Ausonias Junonis cura Calendas;*
> *Idibus alba Jovi grandior agna cadit.*

Excussa, hoc est, explicata est togula, dum enim ex arca depromuntur collectæ vestes, utplurimum excutiuntur.

Synthesis.] Vestis nempe cœnatoria, de qua lib. 2. epig. 46.

Saltus aprum.] hoc est, venaris, piscaris, & vindemias colligis in tuis prædiis.

Nec tener Argolica.] hoc est, nec Græcus puer ingenti pretio comparatus, sed rustica proles a pedibus stetit.

Supposita est blanda.] hoc est, non decoxisti patrimonium tesseris; lusores autem solebant a minori ludo, a talis nempe incipere, mox animis incalescentibus. depositis talis supponebantur tesseræ, in quibus major erat alea, epig. 15. lib. 14.

Non sim talorum numero par tessera, dum sit Major, quam talus, alea sæpe mihi.

Alea sed parca.] hoc est, sed victoriæ præmium erant nuces.

Ubi sit decies.] Post adverbia *decies*, *tricies*, &c. intellige semper centena millia sestertiûm.

Fecisti rem.] hoc est, rem familiarem dissipans: fecisti rem difficilem sane, & cujus ratio non apparet. Hic est sensus istius loci, licet referendus videatur ad vitam municipalem gravem & laboriosam: vel forte intelligit secretum Lini flagitium, quod totum ejus patrimonium exhauserat.

In Prætorem amicum ingratum. LXVII.

PRÆTOREM pauper centum sestertia Gaurus
Orabat cara notus amicitia.
Dicebatque suis hæc tantum deêsse trecentis,
Ut posset domino plaudere justus eques.
Prætor ait: scis me Scorpo, Thalloque daturum:
Atque utinam centum millia sola darem.
Ah pudet ingratæ, pudet ah male divitis arcæ.
Quid non das equiti, vis dare, Prætor, equo?

Gaurus egenus cognitus caris amicitia rogabat Prætorem centum sestertia. Atque aiebat hæc tantum deesse suis trecentis, ut justus eques posset plaudere domino. Prætor respondet: Tenes me donaturum Scorpo, & Thallo: atque utinam donarem tantum centum millia. Ah erubesco arcam ingratam, & male locupletem. O Prætor, placetne donare equo quod non donas equiti?

Deesse trecentis.] Quadringenta sestertia in censu habere debebant equites. Vide epig. 26. lib. 5.

Posset domino.] hoc est, ut posset intra equites sedere, & advenienti in amphitheatrum domino Domitiano plausum dare, epig. 34. lib. 6.

Scis me Scorpo.] Thallus & Scorpus nobilissimi erant agitatores: mortem Scorpi defiet Poëta, epig. 50. 53. 74. lib. 10. Alii legunt *Thalloque*. Sed legendum *Thallo*, inquit Raderus, adducta veteri inscriptione ubi fit mentio *Thalli*.

Male divitis arcæ.] Quia Prætor abutebatur suis opibus, nec illas cum amicis communicabat.

Equo.] Statuæ equestres inter alia victoriæ præmia agitatoribus excitabantur ab iis qui fautores illorum se profitebantur. *Dare equo*, hoc est statuæ equestri erigendæ, vel homini qui nihil aliud novit quam equos agitare?

Ad Sextum invitatorem sordidum. LXVIII.

INVITAS centum quadrantibus, & bene cœnas.
Ut cœnem invitor, Sexte, an ut invideam?

Vocas ad cœnam centum quadrantibus, tu laute epularis. O Sexte, an vocor ut epuler, an ut invideam?

Invitas.] Sexti cujusdam impudentiam carpit, a quo tenui sportulæ pretio fuerat invitatus, hoc est cibos vilis pretii Poëtæ, sibi autem lautissimos apponi jusserat Sextus. Vide epig. 7. lib. 3.

Ad Pamphilum veneficum. LXIX.

TU Setina quidem semper, vel Massica ponis,
Pamphile: sed rumor tam bona vina negat.
Diceris hac factus cælebs quater esse lagena.
Nec puto, nec credo, Pamphile, nec sitio.

O Pamphile, tu quidem semper apponis Setina aut Massica; sed fama inficiatur esse vina tam bona. Diceris quater evasisse viduus hac lagena. Nec opinor, nec fidem adhibeo, ô Pamphile, nec sitio.

Tu Setina.] De Setia Latii urbe, unde vinum Setinum dictum epig. 51. supra. De vino Massico egimus epig. 26. lib. 3.
Sed rumor.] Serpebat quippe rumor vina a Pamphilo apponi infecta veneno.
Diceris hac factus.] hoc est, quatuor uxores veneno necasse.
Nec puto.] Sensus est: Non credo quidem verum esse illum rumorem: attamen experimento discere nolo.

De Ammiano herede relicto a patre. LXX.

NIHIL Ammiano præter aridam vestem
Moriens reliquit ultimis pater ceris.
Fieri putet potuisse quis, Maronille,
Ut Ammianus mortuum patrem nollet?

Genitor accumbens ultimis tabulis nihil reliquit Ammiano præter aridam vestem. O Maronille, quis credat potuisse fieri ut Ammianus cuperet genitorem non esse defunctum?

Ultimis pater ceris.] hoc est in suo testamento, vel ultima testamenti parte: in prioribus vero ceris alios sane heredes scripserat: in tabulis autem inceratis scribere solebant veteres, unde quævis scripturæ, vel etiam tabulæ dicerentur ceræ.
Præter aridam vestem.] hoc est tritam, inquit Domitius: at Lipsius 1. elect. cap. 18. legit *restem*. Sensus est: Pater perdito filio Ammiano restem seu laqueum, quo se suspenderet, testamento reliquit.
Mortuum nollet.] Vivum patrem prodigus Ammianus optabat mortuum, quia sperabat copiosam adepturum se hereditatem: mortuum optabat vivum, quia moriens nihil ipsi reliquerat præter restem: ab eo autem dum viveret, semper aliquid accipiebat, quo vitam hilarem duceret. Turpior sensus posset colligi ex epig. 4. lib. 2.

Ad Sophronium de moribus puellarum Romanarum. LXXI.

QUÆRO diu totam, Sophroni Rufe, per urbem,
Si qua puella neget: nulla puella negat.
Tanquam fas non sit, tanquam sit turpe negare;
Tanquam non liceat, nulla puella negat.
Casta igitur nulla est. castæ sunt mille. quid ergo
Casta facit? non dat. non tamen illa negat.

O Sophroni Rufe, diu investigo per totam civitatem, si qua puella recuset: nulla puella recusat. Quasi non æquum sit: quasi inhonestum sit recusare. Quasi non liceat, nulla puella recusat. Ergo nulla est pudica. Mille sunt pudicæ. Quid igitur agit pudica? Non dat ultro: nihilominus illa rogata non recusat.

Si qua

Si ua puella.] Forte negantem puellam quærebat, ne satiaretur ejus amor. Sed lepide carpit libidinem puellarum, in quam tanta propensione feruntur, ut roganti negare nequeant.

Ad Quinctum
exigentem epigrammata gratis. LXXII.

Exigis, ut donem nostros tibi, Quincte, libellos.
Non habeo, sed habet bibliopola Tryphon.
Æs dabo pro nugis, & emam tua carmina sanus?
Non, inquis, faciam tam fatue: nec ego.

O Quincte, postulas ut tibi dem nostros libros. Illi non sunt penes me, at sunt penes bibliopolam Tryphonem. An dabo pecuniam pro ineptiis, & sanus emam tuos versus? Non tam stulte agam, ais: nec ego.

Bibliopola Tryphon.] De quo iterum epig. 3. lib. 13.
Nec ego.] hoc est, nec ego tam fatuus ero, qui tibi gratis donem meos libros. Istius Quincti avaritiam argute carpit, qui paucos impendere nummos recusabat, ut sibi hos libros compararet, quos tamen legere summo studio expetebat. Epig. 118. lib. 1.

De Vestino
cujus morituri liberalitatem in amicos laudat. LXXIII.

Cum gravis extremas Vestinus duceret horas,
Et jam per Stygias esset iturus aquas,
Ultima volventes orabat pensa sorores,
Ut traherent parva stamina pulla mora.
Jam sibi defunctus, caris dum vivit amicis,
Moverunt tetricas tam pia vota deas.
Tum largas partitus opes, a luce recessit:
Seque mori posthac credidit ille senem.

Cum Vestinus ægrotus ageret ultimas horas, & jam esset petiturus undas Stygias, rogavit sorores versantes pensa extrema, ut afferrent brevem dilationem nigris staminibus. Iam sibi mortuus dum spiritum ducit pro dilectis amicis, vota tam pia flexerunt deas truces. Distributis tam copiosis divitiis exiit e vita: & deinde existimavit se interire senem.

Vestinus.] filius fuit illius Vestini, teste Lipsio in librum 15. Annalium Taciti, qui damnatus a Nerone præter omnem culpam est interfectus.
Ultima volventes.] Parcas intellige, quæ hominum vitam nere dicuntur: pulla vero earum stamina mortem cito minantur, epig. 58. lib. 6. candida autem protrahunt. Juvenalis sat. 12. versu 65.
Jam sibi defunctus.] Non vitæ desiderio tenebatur Vestinus: sed hanc moram orabat, ut bona sua amicis partiretur.
Senem.] Idem ingeniose dixit epig. 53. lib. 10. de Scorpo:

Dum numerat palmas credidit esse senem.

a virtute enim & præclare factis annos numerare debent mortales.

De damis fortiter invicem pugnantibus. LXXIV.

ADSPICIS imbelles tentent quam fortia damæ
Prælia? tam timidis quanta sit ira feris?
In mortem parvis concurrere frontibus audent.
Vis, Cæsar, damis parcere? mitte canes.

Videsne quam strenua certamina experiantur damæ imbecilles? Quantam iracundiam habeant feræ tam ignavæ? Non dubitant exiguis frontibus oppetere mortem. O Cæsar, placetne ignoscere damis? Immitte canes.

Adspicis imbelles.] Nota hoc distichum elegantibus antithetis ornari, & vide epig. 35. supra, ubi pugnam huic similem descripsit Poëta.

Mitte canes.] Argute epigramma concludit: quid enim magis abhorrent damæ, quam canes? Tam ferociter tamen inter se decertabant damæ ut essent casuræ, nisi canum latratu a se invicem dirempta fuissent. Similis est jocus epig. 49. lib. 1.

Si vitare canum morsus, lepus improbe, quæris
Ad quæ confugias, ora leonis habes.

Sic intelligo: Minus damis timendum est a canibus, quam a semetipsis.

De Nigrina quæ cum marito omnes suas opes communicaverat LXXV.

O Felix animo, felix Nigrina, marito,
Atque inter Latias gloria prima nurus.
Te patrios miscere juvat cum conjuge census,
Gaudentem socio, participique viro.
Arserit Evadne flammis injecta mariti,
Nec minor Alcestin fama sub astra ferat.
Tu melius certe meruisti pignore vitæ,
Ut tibi non esset morte probandus amor.

O Nigrina beata animo, beata viro, & primum decus inter nurus Latias. Places communices libenter cum marito divitias paternas, gaudens conjuge socio, & consorte. Evadne combusta fuerit immissa in rogum conjugis, nec minus decus extollat Alcestin ad cælum. Tu melius sane merita es pignore vitæ, ut amor non esset tibi probandus interitu.

Te patrios.] Nigrinæ liberalitatem commendat, quæ hereditatem paternam adepta communicavit cum marito.

Arserit Evadne.] Iphiæ filia & uxor Capanei, quem tanto amore prosequebatur, ut, cum mortuum illum cremari videret, in eundem se rogum immiserit. Virg. lib. 6. Æneid. Ovidius Tristium lib. 4. elegia 3.

Cum cecidit Capaneus subito temerarius ictu,
Non legis Evadnen erubuisse viro, &c.

Et 3. de arte amandi:

Accipe me, Capaneu: cineres miscebimus, inquit,
Iphias, in medios desiluitque rogos.

Alcestin.] Alii Alcestem: Peliæ fuit filia, & uxor Admeti regis Thessaliæ, pro quo lubens se morti objecit, cum Oraculum respondisset, brevi Admetum moriturum, nisi aliquis ex propinquis pro eo mortem sponte oppeteret. Ovid. lib. 3. de arte amandi:

Si mea mors redimenda tua, quod abominor, esset
Admeti conjux, quam sequereris, erat.

Tu melius certe.] Vivens nempe pignore vitæ, seu opibus paternis cum viro communicatis, quibus sustentatur vita, melius tuum erga illum amorem probasti, quam morte, lib. 1. epig. 9.

Nolo virum facili redimit qui sanguine vitam:
Hunc volo laudari qui sine morte potest.

Legunt alii: *Tu melius: certo meruisti pignore vitæ.*

In

In avarum amicum. LXXVI.

MILLIA misisti mihi sex, bis sena petenti:
Ut bis sena feram, bis duodena petam.

Misisti ad me sex millia roganti duodecim, ut duodecim impetrem, rogabo viginti quatuor.

Ut bis sena feram.] Avarum quendam amicum carpit, a quo se petiturum dicit duplum summæ illius, qua sibi opus fuerit, cum ille postulati dimidium concedere solitus sit.

In Zoilum invidum. LXXVII.

NUNQUAM divitias deos rogavi,
Contentus modicis meoque lætus.
Paupertas, veniam dabis, recede.
Caussa est tam subiti, novique voti?
Pendentem volo Zoilum videre.

Nunquam petii opes a diis, contentus mediocribus, & gaudens meo. Paupertas, ignosces, abi. An ratio est voti adeo repentini, & novi? cupio aspicere Zoilum suspensum.

Caussa est.] Unde fit, ut ego divitias nunc optem, cum semper paupertatem amaverim? quia, inquit, cum Zoilus ditescere me viderit, rumpetur invidia, & præ livore se suspendet, cujus rei desiderio teneor. Alii, *Caussa est qua subiti, &c.*

In Varum invitatorem vanum. LXXVIII.

AD cœnam nuper Varus me forte vocavit,
Ornatus dives, parvula cœna fuit.
Auro, non dapibus oneratur mensa, ministri
Apponunt oculis plurima, pauca gulæ.
Tunc ego, Non oculos, sed ventrem pascere veni;
Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes.

Cum Varus forte me invitavit ad cœnam nuper, opulentus apparatus fuit, parvula vero cœna. Mensa instruitur auro, non cibis, servi objiciunt multa oculis, pauca gulæ. Tunc ego dixi, Non accessi, ut explerem oculos, sed ventrem: Vare, aut appone cibos, aut tolle divitias.

Ornatus dives.] Poëta irridet Varum quendam, qui ornatum quidem divitem, parvulam vero cœnam apponebat: per se patet hoc epigramma, quod aliqui Martialis esse negant. Vide epig. 44. lib. 1. epig. 59. lib. 3. & epig. 68. supra.

In Afrum ambitiose & importune officiosum. LXXIX.

CONDITA cum tibi sit jam sexagesima messis,
Et facies multo splendeat alba pilo;
Discurris tota vagus urbe, nec ulla cathedra est,

Cum jam natus sis sexaginta annos, & vultus fulgeat canus multo pilo; incertus vagaris per totam civitatem, nec ulla est cathedra, cui sollici-

Cui non mane feras irrequietus ave.
Et fine te nulli fas eft prodire tribuno,
Nec caret officio conful uterque tuo,
Et facro decies repetis pallatia clivo,
Sigeriofque meros, Partheniofque fonas.
Hæc faciant fane juvenes: deformius, Afer,
Omnino nihil eft ardelione fene.

tus non portes matutinum ave. Nec licet ulli tribuno exire fine te, & praftas officia tua utrique confuli, & decies redis in palatia facro clivo, & prædicas folos Sigerios, & Parthenios. Juvenes agant quidem ifta, ô Afer, nihil prorfus eft turpius fene ardelione.

Nec ulla.] Cathedra fignificat fellam muliebrem, lib. 3. epig. 63. & lib. 12. epig. 38. Horatius lib. 1. fer. fat. 10.

Difcipularum inter jubeo plorare cathedras.

Afer ifte domo egredientes, vel admiffus intro fedentes in cathedris falutabat. De modo falutandi vide epig. 56. lib. 1.

Et fine te.] hoc eft tribunos, & confules domo exeuntes comitaris. Vide epig. 99. lib. 11.

Sigeriofque.] Sigerius & Parthenius duo erant cubicularii Domitiani, quos Afer femper habebat in ore, ut aulicis familiariter uti videretur. Sic Horatius epift. lib. 1. epig. 7.

——— ex nitido fit rufticus, atque Sulcos, & vinea crepat mera.

Sic & Martialis epig. 53. lib. 7.

Semper mane mihi de me mera fomnula narras.

Legunt alii *Sigeriofque modos, &c.* & Raderus interpretatur orationem ad Sigerii & Parthenii aures accommodatam, qua illorum amicitiam fibi conciliare conaretur Afer. Mufambertius legit *Sigeriofque modo*, hoc eft, tantum Sigerios loquitur Afer. Hic fenfus in primum recidit.

Ardelione.] Is nempe eft, qui totus occupatur in nihil agendo, qui ubique & nufquam eft. Vide epig. 7. lib. 2.

Ad Mathonem emptorem. LXXX.

HOSPES eras noftri femper, Matho, Tiburtini.
Hoc emis: impofui. rus tibi vendo tuum.

Matho, femper eras hofpes noftri Tiburtini. Hoc mercaris: decipi: tibi vendo tuam villam.

Matho.] de quo epig. fequenti, quem facete dicit deceptum fuiffe emendo prædium, quo ante emptionem tanquam fuo fruebatur. Tibur hodie *Tivoli*, Tiburtina vero villa, tefte Ortelio, dicitur hodie *Villa Had tani.*

In Mathonem declamantem in febre. LXXXI.

DECLAMAS in febre, Mathon, hanc effe phrenefim,
Si nefcis, non es fanus, amice Mathon:
Declamas æger, declamas hemitritæus.
Si fudare aliter non potes, eft ratio:
Magna tamen res eft, errans cum vifcera febris
Exurit, res eft magna tacere, Mathon.

O Mathon, declamas in febre, fi ignoras hanc effe infaniam, ô amice Mathon, infanis. Ægrotus declamas, femitertiana laborans declamas: fi nequis aliter fudare, eft ratio. Nihilominus eft quid arduum, Cum inteftina ardent febri difcurrente; ô Mathon, eft quid arduum filere.

Mathon.] Infaniæ arguit Mathonem, qui tacere nequiret. De quodam Mathone caufidico loquitur Juven. fat. 1. Nefcio an L.. idem fit.

Caufidici nova cum veniat lectica Mathonis

Plena ipfo.

Hemitritæus.] ἡμιτριταῖος femitertianus: hoc eft femitertiana febre laborans, epig. 92. lib. 12.

Cui gravis, & fervens hemitritæus erat.

subauditur πυρετὸς: febris vero semitertiana est tertiana imperfecta, & accedens ad quotidianam: quod citius recurrat, quam vera tertiana.

Magna tamen.] Respondet Matho, Magna tamen res est in febre declamare.

Errans cum viscera.] Subjicit Poëta: Cum vehementi febre laboras, summis in doloribus nec clamare, nec ingemiscere, difficile est. Vel sic intellige: Res magna non est in febre declamare; hoc enim phrenesim, seu insaniam notat. At vero tacere, quod est argumentum sanæ mentis, res est sane ardua.

De Fabulla negante diutius. LXXXII.

Epigramma nostrum cum Fabulla legisset,
Negare nullam quo queror puellarum,
Semel rogata bis terque neglexit
Preces amantis. jam Fabulla promitte,
Negare jussi, pernegare non jussi.

Cum Fabulla evolvisset nostrum epigramma, quo conqueror nullam puellam negare, semel rogata bis & ter contempsit vota amatoris. O Fabulla, jam promitte: volui quidem negare, non jussi prorsus negare.

Epigramma.] supra epig. 71.
Pernegare.] Epig. 58. lib. 1.

Nolo nimis facilem, difficilemque nimis.

Ad Rufum ut Venuleio commendet ejus libros. LXXXIII.

Hos quoque commenda Venuleio, Rufe, libellos,
Imputet & nobis otia parva, roga.
Immemor & paullum curarum, operumque suorum
Non tetrica nugas exigat aure meas,
Sed nec post primum legat hæc, summumve trientem,
Sed sua cum medius prælia Bacchus amat:
Si nimis est legisse duos, tibi charta plicetur
Altera: divisum sic breve fiet opus.

O Rufe, commenda etiam hos libros Venuleio, atque ora ut nobis faciat brevem audientiam. Et parum oblitus sollicitudinum, & operum suorum examinet meas ineptias aure non severa. At nec evolvat hæc post primum aut ultimum trientem, sed cum sua pugnæ sunt grata medio Baccho. Si nimium est evolvere duos libros, complica alteram chartam: opus divisum hoc modo contrahetur.

Imputet.] hoc est concedat.

Sed nec post primum.] Triens quatuor cyathorum poculum est: hoc est, nugatoria mea carmina nec legat Venuleius initio mensæ, nec in fine, sed in media cœna cum fervet convivii alacritas.

Si nimis est.] hoc est ne nimium defatigeris legens duos libros, divide opus, brevius fiet. Idem dixit lib. 10. epig. 1.

Si nimius videor, seraque coronide longus
Esse liber: legito pauca, libellus ero.

In Nævolum arrogantem in prospera fortuna. LXXXIV.

SECURO nihil est te, Nævole, pejus, eodem
Solicito nihil est, Nævole, te melius.
Securus nullos resalutas, despicis omnes.
Nec quisquam liber, nec tibi gratus homo est:
Solicitus donas, dominum regemque salutas,
Invitas. esto, Nævole, solicitus.

O Nævole, nihil est deterius quam tu tranquillus. O Nævole, nihil est melius quam tu idem anxius. Tranquillus nemini reddis salutem, contemnis cunctos. Nec quisquam liber tibi places, nec ullus servus. Anxius largiris, nuncias salutem domino & regi, vocas ad cœnam. O Nævole, esto anxius.

Securo nihil est.] Securus, hoc est sine cura. Nempe cum nihil timeret Nævolus, omnes despiciebat; at vero curis & infortuniis pressus omnes colebat.

Gratus homo est.] Vox *homo* significat servum. Lege 1. ff. *de usu, & usufructu, & reditu*, &c. Legunt alii,

Nec quisquam visus, nec tibi notus homo est.

Alii,

Nec liber quisquam, nec tibi natus homo est.

Dominum regemque.] De hac salutatione vide epig. 113. lib. 1.

LXXXV.

In Ponticum qui convivis vilia, sibi generosa vina apponebat. LXXXVI.

NOs bibimus vitro, tu myrrha, Pontice, quare?
Prodat perspicuus ne duo vina calix.

Nos potamus vitro, tu myrrha, ô Pontice: cur? Ne crater perlucidus patefaciat duo vina.

Tu myrrha.] Propter cujus opacitatem vinum perspici nequibat: epig. 113. lib. 14.

Ad librum suum quem mittit erudito Apollinari. LXXXVII.

SI vis auribus Atticis probari,
Exhortor, moneoque te, libelle,
Ut docto placeas Apollinari:
Nil exactius, eruditiusque est,
Sed nec candidius, benigniusque.
Si te pectore, si tenebit ore,
Nec rhonchos metues maligniorum,
Nec scombris tunicas dabis molestas;
Si damnaverit, ad salariorum

O Liber, si cupis placere auribus Atticis, tibi suadeo & auctor sum, ut arrideas erudito Apollinari; nemo est politior & doctior, at nec humanior & candidior. Si te excipiet amplexu & basio, nec timebis irrisiones invidorum, nec præbebis scombris jucunda tegmina. Si improbaverit, ô libelle in tergo scri-

Curras

Curras ſcrinia protinus licebit,
Inverſa pueris arande charta.

bende a pueris, poteris ſubito properare ad arcam ſalariorum.

Auribus Atticis.] hoc eſt politis: Attici enim cæteris politiores habiti ſunt. *Apollinari.*] de quo etiam epig. 25. lib. 7. *Si tenebit ore.*] Vide epig. 4 lib. 1. *Nec ſcombris.*] Carmina quippe inornata, & alia opera minus eleganter ſcombris involvendis inſerviebant, epig. 2. lib. 3. Tunica moleſta dicitur, ut conjicit Farnabius, qua non tam involuti, quam frixi fuerint illi piſciculi: metaphora ducta a tunica illa moleſta, pice & bitumine illita, qua induti ardebant damnati, epig. 25. lib. 10.

Nam cum dicatur tunica præſente moleſta
Ure manum.

Inverſa pueris.] In una tantum chartæ facie ſcribi ſolebant poëmata: unde Juvenalis ſat. 1. arguens longam cujuſdam Poëtæ fabulam ait:

Scriptus & in tergo necdum finitus Oreſtes.

Salariorum ergo pueri nacti hanc chartam per ludibrium a tergo ſcribent: *Arare* per metaphoram ſignificat ſcribere, quod in chartis inceratis ſtylo literas, veluti ſulcos deſignabant antiqui.

De Baſſa quæ ſæpius pedere ſolebat. LXXXVIII.

INFANTEM ſecum ſemper tua Baſſa, Fabulle,
Collocat, & luſus, deliciaſque vocat:
Et quod mireris magis, infantaria non eſt,
Ergo quid in cauſſa eſt? pedere Baſſa ſolet.

O Fabulle, tua Baſſa ſecum ſemper conſtituit infantem, atque appellat jocos, & voluptates. Et quod magis mireris, non amat infantes. Quid igitur in cauſſa eſt? Baſſa conſuevit pedere.

Infantaria non eſt.] Verbum a Poëta fictum, hoc eſt, non eſt amatrix infantium, ſed cum crebro flatum ventris emitteret Baſſa, in infantem rejiciebat culpam.

In diſſimulatorem. LXXXIX.

NULLA remiſiſti parvo pro munere dona,
Et jam Saturni quinque fuere dies:
Ergo nec argenti ſex ſcrupula Septitiani,
Miſſa, nec a querulo mappa cliente fuit.
Antipolitani nec quæ de ſanguine thynni
Teſta rubet, nec quæ coctana parva gerit;
Nec rugoſarum vimen breve Picenarum:
Dicere te poſſes ut meminiſſe mei.
Decipies alios verbis vultuque benigno;
Nam mihi jam notus diſſimulator eris.

Pro exiguo munere nulla remiſiſti dona, & jam quinque dies Saturni præterierunt. Itaque nec miſſa ſunt ſex ſcrupula argenti Septitiani, nec mappa fuit miſſa a queribundo cliente. Nec teſta una rubra eſt a ſanguine thynni Antipolitani, nec qua fert exigua coctana; nec parvum caniſtrum olivarum rugoſarum ex Picenis: ut poſſes dicere, te memorem fuiſſe. Dictis, & Vultu blando circumvenies alios: jam enim te exiſtimabo diſſimulatorem.

Quinque fuere.] Saturnalium tempore dona ſibi invicem mittere ſolebant Romani. Quinque vero diebus durabant Saturnalia, de quibus agit Lipſius lib. 1. Saturn. cap. 3. & 4.

Sex ſcrupula.] hoc eſt, exiguum munus, Scrupulum, teſte Roberto Stephano in ſuo Theſauro Linguæ Latinæ, eſt nomen ponderis: Latine obolus dicitur, & ſex ſiciliquis conficiebatur, & ex tribus ſcrupulis drachma. Donarium noſtrum valet. Alii *ſcriptula.*

Septitiani.] Epig. 71. lib. 8. meminit libræ septitianæ. Legunt alii *Septitiane*, ad quem scribit, epig. 108. lib. 11.

A querulo.] De mappis quæ mense Decembri mitterentur, supra epig. 46. Querulum clientem vocat, quia apud patronum de egestate semper queritur, atque auxilium rogat.

Antipolitani.] Nec missa est muria, quæ ex sanguine thynni optima conficiebatur Antipoli in urbe Asiæ, ut aiunt interpretes. Vide epig. 103. lib. 13. Antipolis urbs etiam fuit in Gallia Narbonensi, hodie *Antibe* vel *Ragni*, ut refert Ortelius.

Nec quæ cottana.] Parvæ sunt ficus ex Syria, de quibus epig. 28. lib. 13. Olivæ vero optimæ mittebantur ex Piceno, hodie *la Marche d'Ancone*.

Dicere te.] Mittendis in muneribus hæc usitata fuisse videtur formula, ut amicua amici memorem se diceret.

Dissimulator.] Quidam interpretantur ingratum; est enim ingratus qui beneficium accepisse se dissimulat. Alii sic explicant, *dissimulator eris*, quia simulas te non intelligere quid velim; munus enim ad te misi, ut vicissim munus ad me remitteres. Ergo non mittam ad te deinceps vel levis momenti donum.

De rusticatione. XC.

RURE morans quid agam, respondeo pauca, rogatus.
Luce Deos oro, famulos post arva reviso,
Partibus atque meis justos indico labores.
Inde lego, Phœbumque cio, Musamque lacesso.
Hinc oleo corpusque frico, mollique palæstra,
Stringo libens, animo gaudens, ac fœnore liber.
Pondero, poto, cano, ludo, lavo, cœno, quiesco,
Dum parvus lychnus modicum consumat olivi:
Hæc dat nocturnis nox lucubrata Camenis.

Interrogatus quid faciam manens rure, respondeo pauca. Diluculo precor Numina, reviso servos, deinde agros, & meis famulis *distribuo opus per partes æquas. Hinc lego, atque invoco Apollinem, & provoco Musam. Inde ungo corpus oleo, & lubens comprimo* illud *molli palæstra, mente hilari, & solutus fœnore. Pondero, bibo, canto, ludo, lavo, cœno, quiesco, dum exigua lucerna absumat parum olei. Nox concedit nocturnis Musis elaborata hæc* carmina.

Famulos post arva.] hoc est famulos, deinde arva; vel arva reviso, & deinde famulos, si præpositio fuerit.

Justos indico.] Transpositio est, hoc est indico labores justis partibus. Sic Virgilius lib. 1.

> *Jura dabat, legesque viris, operumque laborem*
> *Partibus æquabat justis*, &c.

Phœbumque cio.] compono carmina.

Stringo.] Unctione laxatur cutis, lucta vero astringitur, vel forte palæstræ pulvere.

Pondero.] Vetus codex sic habet. Alii emendant *prandeo*. Non sæpe quidem, attamen aliquando senes & pueri, imo & sani prandebant. Videat lector.

Lucubrata.] Intellige carmina ad lucernam elaborata. Hoc epigramma a quibusdam rejicitur.

Ad librum, ut modum teneat. XCI.

OHE jam satis est, ohe libelle,
Jam pervenimus usque ad umbilicos.
Tu procedere adhuc, & ire quæris,
Nec summa potes in scheda teneri:
Sic tanquam tibi res peracta non sit,

Ohe jam sufficit, ohe libelle, jam pervenimus usque ad umbilicos. Tu vis pergere adhuc, & progredi, nec potes consistere in extrema pagina. Sic tanquam non perfeceris rem,

Quæ

Quæ prima quoque pagina peracta eſt,
Jam lector queriturque, deficitque,
Jam librarius hoc & ipſe dicit,
Ohe jam ſatis eſt, ohe libelle.

quam perfeciſti etiam prima pagina, jam lector expoſtulat, & defeſſus eſt: jam & ipſe librarius loquitur idem: Ohe jam ſufficit: Ohe libelle.

Ohe.] Satietatem & faſtidium ſignificat.

Uſque ad umbilicos.] Opus abſolutum eſt. De hoc loquendi modo dictum epig. 67. lib. 1.

In ſcheda.] hoc eſt: O libelle, tu nec contentus es paginæ extremam etiam partem implere. χιδη tabella, vel papyrus, aut phylira, aliudve in quo ſcribebant antiqui.

Quæ prima quoque.] Nam, ô libelle, vel prima pagina lectorem tædio explevisti, & tamen modum tenere non vis.

Librarius.] Ille eſt qui libros tranſcribit.

M. VAL.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM

LIBER V.

Ad Cæſarem Domitianum cui librum mittit. I.

HOc tibi Palladiæ ſeu collibus uteris Albæ,
Cæſar, & hinc Triviam proſpicis, inde Thetin:
Seu tua veridicæ diſcunt reſponſa ſorores,
Plana ſuburbani qua cubat unda freti:
Seu placet Æneæ nutrix, ſeu filia Solis,
Sive ſalutiferis candidus Anxur aquis;
Mittimus, ô rerum felix tutela, ſaluſque,
Soſpite quo gratum credimus eſſe Jovem.
Tu tantum accipias: ego te legiſſe putabo,
Et tumidus Galla credulitate fruar.

& ſuperbus potiar Galla credulitate.

INTERPRETATIO.

*O Cæſar felix præſidium rerum, & ſalus, quo incolumi putamus Jovem eſſe memorem; mittimus ad te hunc li*brum, *ſeu es in montibus Albæ Palladiæ, atque ex hac parte ſpectas* templum *Dianæ, ex illa mare; ſeu veraces ſorores accipiunt tua reſponſa, quà jacet aqua maris ſuburbani: ſive placet nutrix Ænea, ſive filia Solis, ſive albus Anxur undis ſalubribus. Tu ſolummodo accipias, ego credam a te lectum eſſe.*

NOTÆ

Palladia ſeu collibus.] In honorem Minervæ Quinquatria quotannis celebrabat Domitianus in monte Albano prope Romam, epig. 1. lib. 4.

Et hinc Triviam.] A monte Albano proſpiciebatur hinc Dianæ templum ad Ariciam, hodie *Rizza*, illinc vero Thetis, quam ſumit pro mari. Vide epig. 13. lib. 10. & epig. 3. lib. Spect. Dianam jam vocavit Triviam epig. 1. lib. Spect. Eodem lib. irrepſit mendum in epig. 26. ubi lege *Thetis*.

Seu tua veridicæ.] hoc eſt, ſive & Antii ubi ſub imagine duarum ſororum fortuna colebatur. Suetonius in Caligula cap. 57. *monuerunt & ſortes Antianæ.* Horatius lib. 1. carm ode 35.

O diva gratum quæ regis Antium.

Germanas vero ſorores dixiſſe videtur, quod una proſpera, altera adverſa ſit. De fortunæ templis fuſe agit Alexander ab Alexandro cap. 13. lib. 1. Genialium dierum: Antium hodie *Antio*. *Tua reſponſa.* His verbis Domitiano adulatur Poëta; nam oſtendit fortunam a Domitiano velut a majore deo diſcere reſponſa, ut inferiores dii a ſuperioribus afflari ſolent.

Plana ſuburbani.] Mare enim alluit urbem Antium, atque ita illius ſuburbium eſſe videtur.



IV *Lib.* 14 *epigr.* 4 *vers.*

Annibalis Quem cernis in *Numo* Punico; apud *Corn. Nepotis commentatorem novissimum.*



V *Lib.* 1 *epigr.* 3 *vers.*

Veridicæ sorores] Antiates hasce Sortes sive fortunas cerne in *Denario* gentis Rustiæ; apud *Patini Fulv. Ursinum.*



IV *Lib.* 58 *epigr.* 1 *vers.*

Heliadum] Phaëthontis casum lugentium, in arbores licet conversarum. Exhibet eas *Denarius* Acoleiæ gentis, apud *Patini Fulv. Ursinum.*



V *Lib.* 18 *epigr.* 3 *vers.*

Senibus Damascenis] In pulcerrimo Damascenorum *Num.* apud *Ezech. Spanhemium,* pruna tenet caducifer.



V *Lib.* 7 *epigr.* 2 *vers.*

Avis] An umquam visa, dubium; saltem in Augustarum Augustorumque *Num.* elegans Æternitatis symbolum.



V *Lib.* 26 *epigr.* 10 *vers.*

Scorpi] Inter aurigas circenses nobilissimi; quales Eutymius, Philocomus, in *Num.* Neronis ac Severi apud *Ozzelium.*



V *Lib.* 56 *epigr.* 2 *verf.*
Fulmina geftat] Ut in Auguftorum *Numis* pluribus. En aquilam, è Cleopatræ *Num.*



V *Lib.* 7 *epigr.* 5 *verf.*
Vulcane] Qui quidem, ferrum mulcans, in Gordiani tertii *Numo.*



V *Lib.* 77 *epigr.* 1 *verf.*
Mithridates] Ob bella cum Romanis gefta, clariffimus; cujus faciem pete è *Numo.* argent. apud *Goltzium*, in *Afiatic.*



V *Lib.* 7 *epigr.* 6 *verf.*
Martis] Nempe per ipfius natum Romulum: cujus utriufque parentis ecce *Num.* felicem congreffum.



V *Lib.* 75 *epigr.* 1 *verf.*
Pompeios] Quorum vultus exprimunt *Denari* Pompeiæ gentis, apud *Pattin Fulv. Urfinum.* nec non Pompeiopolitanorum *Num.* apud *Ezech. Spanhemium.*



VI *Lib.* 85 *epigr.* 3 *verf.*
Cappadocum tellus] Afiatica inter Taurum & Euxinum extenfa. Exhibemus hîc tam ex Hadriani *Num.*

Æneä nutrix.] hoc est, Caieta urbs maritima in finibus Latii versus Campaniam, hodie *Gaieta*. Virgil. 7. Æneid.

Tu quoque litoribus nostris Æneia nutrix
Æternam moriens famam Caieta dedisti.

Strabo lib. 5. τὰ γὰρ κοῖλα πάντα Καιέτας οἱ Λάκωνες προσαγορεύουσιν. Omnes enim civitates Caiettas appellarunt Lacones: non tamen negat ab Æneæ nutrice etiam dictam Caietam.

Seu filia Solis.] Sive es Circeis, hodie *Circelli*, oppidum est Latii maritimum a Circe filia Solis denominatum.

Candidus Anxur.] Latii oppidum hodie *Terracina*, cujus aquæ sunt valde salutares: dicitur candidus vel a candore saxorum, vel a calce, quæ conficitur ex lapidibus inde petitis. Neutrius generis reperitur apud Horatium sat. 5 lib. 1.

Impositum late saxis candentibus Anxur.

Gratum credimus.] hoc est, memorem beneficii a te accepti: nam bello Vitelliano Domitianus adhuc puer una cum patruo Sabino Capitolium pro viribus suis defenderat, incensum tamen postea restituit. Suetonius in Domitiano cap. 5. Vide etiam epig. 104. lib. 9.

Accipias.] Alii *accipies*; alii vero *aspicias*.

Galla credulitate.] Galli enim vera simplicitate boni sunt, atque hinc creduli. Strabo lib. 4. Ἄλλως δὲ ἁπλοῦν καὶ οὐ κακόηθες, supple φῦλον Γαλλικόν. Cæterum Gallica gens ingenio simplici, ac nulla malignitate devincto.

Ad lectores castum esse hunc librum. II.

MATRONÆ, puerique, virginesque,
Vobis pagina nostra dedicatur.
Tu, quem nequitiæ procaciores
Delectant nimium, salesque nudi,
Lascivos lege quatuor libellos.
Quinctus cum domino liber jocetur,
Quem Germanicus ore non rubenti
Coram Cecropia legat puella.

O Matronæ, juvenes, & puellæ, noster libellus vobis dedicatur. Tu, cui nimis placent lasciviæ petulantiores, & nudi joci, evolve quatuor præcedentes *libros petulantes. Quintus libellus ludat cum domino, quem Germanicus sine rubore evolvat, præsente virgine Athenensi.*

Ad lectores.] Alii de eodem.

Quem Germanicus.] Domitianus a devictis Germanis Germanici nomen assumpsit. Hunc vero librum tam verecundum & castum esse dicit Poëta, ut ab Imperatore legi possit *coram puella Cecropia*, hoc est, coram Minerva, quæ Athenis colebatur, quam & summo studio colebat Domitianus. Suetonius in Domitiano cap. 4. Alii interpretantur virginem Palladi sacram, quæ ritu Vestalium viveret.

Ad Domitianum cui blanditur ob Germanorum legationem. III.

ACCOLA jam nostræ Degis, Germanice, ripæ,
A famulis Istri qui tibi venit aquis,
Lætus & attonitus, viso modo præside mundi,
Affatus comites dicitur esse suos:
Sors mea quam fratris melior: cui tam prope fas est
Cernere, tam longe quem colit ille Deum.

O Germanice, Degis jam accola nostræ ripæ, qui te adivit ab undis Danubii subditis, hilaris & stupens, paulo ante conspecto moderatore orbis fertur allocutus suos socios: quanto sum felicior fratre meo: *cum possim tam prope intueri Deum, quem ille veneratur tam procul.*

Accola jam nostræ.] hoc est, jam Tiberis accola; Romam enim venerat Degis accola sc. Danubii, qui nobis nunc subditus est. Ad Domitianum a Germania devicta dictum

dictum Germanicum, pacis fanciendæ gratia legatum misit Decebalus Dacorum rex. Hæc refert Raderus ex fragmento Theodosii, unde tamen non constat quis Degis ille, vel Diegis fuerit.

Quem colit ille Deum.] Domitianum nempe: eodem sensu Ovidius 2. de Ponto:

Felices illi, qui non simulachra, sed ipsos,
Quique deum coram corpora vera vident.

In Myrtalen vinosam mulierem. IV.

Foetere multo Myrtale solet vino.
Sed fallat ut nos folia devorat lauri,
Merumque cauta fronde non aqua miscet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire, Paulle, videris contra:
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

Myrtale consuevit male olere multo mero: at comedit frondes lauri ut decipiat nos, & callida temperat vinum fronde non aqua. O Paulle, quoties conspexeris hanc tibi occurrere rubicundam venis inflatis: poteris dicere, Myrtale potavit laurum.

Merumque cauta.] Lauri folia ebrietatem arcent: laurum ergo comedebat Myrtale, ut ebrietatem, simul & vini graveolentiam vitaret, lauri quippe vis potentior vini odorem obruit. Alii *canta* jungunt cum fronde. Judicet lector.

Bibit laurum.] Non Baccho, sed Apolline inflata est, cum lauro Phœbo sacro ebrietatem dissimularet Myrtale.

Ad Sextum quem rogat, ut hos libros collocet inter alios epigrammatum scriptores. V.

Sexte, Palatinæ cultor facunde Minervæ,
Ingenio frueris qui propiore Dei.
Nam tibi nascentes domini cognoscere curas,
Et secreta ducis pectora nosse licet.
Sit locus & nostris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marsus, quâque Catullus erit.
Et Capitolini cælestia carmina belli,
Grande cothurnati pone Maronis opus.

O Diserte Sexte, cultor Minervæ Palatinæ, qui penitius pervadis mentem Dei: nam tibi fas est notas habere primas cogitationes domini, & discere intimos sensus Imperatoris. Des etiam locum nostris libris aliqua parte quâ collocabitur Pedo, qua Marsus, & qua Catullus. Et colloca divinos versus belli Capitolini juxta opus sublime cothurnati Virgilii.

Cultor Palatinæ.] Hic Sextus erat Domitiano a sacræ religionis cultu, & a studiis ingenii, atque a consiliis secretioribus, epig. 3. supra jam Domitianum Deum vocavit.

Qua Pedo.] De quo jam dictum epig. 77. lib. 2. Restat adhuc ex eo elegia ad Liviam de morte Drusi Neronis. De Marso etiam dictum epig. 71. & 77. lib. 2. cujus epigrammata apud antiquos summis laudibus fuerunt celebrata, teste Gyraldo dialogo 10. de historia poëtica: Catullus vero satis est notus.

Et Capitolini.] Puer adhuc Domitianus Capitolium cum patruo Sabino a Vitellianis defendit. Suetonius 1. cap. in Domitiano. Illa propugnatio dicta est bellum Capitolinum postea descriptum ab ipso forte Domitiano, vel ab ipso Sexto, vel ab aliis, quorum carmina comparat cum Æneide Virgilii, atque eodem in loco reponenda esse dicit. Legunt alii

Ad Capitolini cælestia carmina belli,

pone, hoc est repone, & colloca.

Cothurnati Maronis.] Cothurnus genus fuit calceamenti tragicorum proprium, de quo epig. 20. lib. 3. Itaque cothurnatum Maronem dicit, propter gravitatem heroici ejus poëmatis.

Ad Musas ut hunc librum commendent Parthenio. VI.

SI non est grave, nec nimis molestum,
Musæ, Parthenium rogate vestrum.
Sic te serior & beata quondam
Salvo Cæsare finiat senectus:
Et sis, invidia favente, felix.
Sic Burrus cito sentiat parentem,
Admittas timidam, brevemque chartam
Intra limina sanctioris aulæ.
Nosti tempora tu Jovis sereni,
Cum fulget placidus suoque vultu,
Quo nil supplicibus solet negare.
Non est, quod metuas preces iniquas.
Nunquam grandia, nec molesta poscit,
Quæ cedro decorata, purpuraque
Nigris pagina crevit umbilicis.
Nec porrexeris ista: sed teneto,
Sic tanquam nihil offeras, agasque.
Si novi dominum novem sororum,
Ultro purpureum petet libellum.

O Musæ, si non displicet, nec nimis grave est, orate Parthenium vestrum his verbis. *Sic tardior senecta, & felix quondam absolvat tuam vitam sospite Imperatore: & sis beatus suffragante invidia. Sic Burrus mox sapiat genitorem, excipias libellum pavidum, & exiguum intra limina aulæ sanctioris. Tibi innotescunt tempora Jovis placidi, cum tranquillus micat & sua fronte, qua consuevit nihil recusare rogantibus. Non est, quod timeas obsecrationes injustas. Libellus, qui ornatus cedro & purpura adauctus est nigris umbilicis, nunquam petit res immodicas, nec importunas. Nec obtuleris ista: at habeto præ manibus, sic velut nihil porrigas, & facias. Si novi dominum novem Musarum, sponte poscet librum ornatum purpura.*

Parthenium.] Cultorem vestrum: Parthenius vero Domitiani cubiculo erat præpositus. Suetonius cap. 16. in Domit. de quo lib. 4. epig. 45. lib. 8. epig. 28. lib. 11. epig. 1.

Sic te serior.] Oratio Musarum ad Parthenium.

Sic Burrus.] Parthenii filius indolis paternæ det specimen. Vide epig. 45. lib. 4.

Sanctioris aulæ.] hoc est, intromitte in conclave Cæsaris, seu in intimam aulam, quam sanctam dicit, vel quod illic coleretur Minerva, vel quod Domitianus ipse vellet haberi Deus.

Jovis sereni.] Cæsaris Domitiani.

Suoque vultu.] Vultus quidem Domitiani venustus erat, teste Suetonio in Domit. cap. 18.

Nil supplicibus.] Initio enim omnes circa se largissime prosecutus est. Sueton. cap. 9.

Crevit umbilicis.] De quibus dictum epig. 2. lib. 3. umbilici autem erant ornamenta vel ex osse, vel ex ebore, quæ extremis librorum partibus addebantur: significat Poëta magna se non petere, sed contentum fore iis, quæ ultro donabit Imperator.

Dominum novem sororum.] Domitianum intellige, qui, teste Suetonio cap. 2. in Domit. in primis poëticæ studium simulavit; Musas ergo colebat, imo ipsis imperabat, inquit Poëta adulator.

Ad Volcanum de urbe instaurata. VII.

QUALITER Assyrios renovant incendia nidos,
Una decem quoties secula vixit avis:
Taliter exuta est veterem nova Roma senectam,

Quemadmodum flamma instaurat nidos Assyrios, quoties unica ales vixit mille annos: sic nova Roma deposuit antiquam senectutem, atque ipsa induit frontem juvenilem *sui*

Et

Et ſumſit vultus præſidis ipſa ſui.
Jam precor oblitus noſtræ, Volcane, querelæ
Parce, ſumus Martis turba, ſed & Veneris.
Parce pater: ſic Lemniacis laſciva catenis
Ignoſcat conjux, & patienter amet.

Imperatoris. O Volcane, jam rogo oblitus noſtræ querimoniæ ignoſce; ducimus quidem *genus a Marte, ſed a Venere quoque. Ignoſce, ô Parens; ſic petulans uxor parcat Lemniacis catenis, & plaude diligat te.*

Qualiter Aſſyrios.] Urbem incendiis & ruinis vaſtatam, a Domitiano vero inſtauratam, confert Poëta cum Phœnice, qui conſtructo in Aſſyria rogo, cremando ſe renovatur. Ovid. 15 Metam.

Una eſt, quæ reparet, ſeque ipſa reſeminet ales.
Aſſyrii Phœnica vocant. Nec fruge, nec herbis,
Sed thuris lacrymis, & ſucco vivit amomi.
Hic ubi quinque ſuæ complevit ſæcula vitæ,
Ilicis in ramis, tremulaque cacumine palmæ,
Unguibus, & duro nidum ſibi conſtruit ore,
Quo ſimul ac caſias, & nardi lenis ariſtas,
Quaſſaque cum fulva ſubſtravit cinnama myrrha,
Se ſuperimponit, finitque in odoribus ævum.

De Phœnice fuſe agit Tacitus lib. 6. Annalium. *Sacrum ſoli id animal, & ore, ac diſtinctu pinnarum a ceteris avibus diverſum, conſentiunt qui formam ejus definiere. De numero annorum varia traduntur, maxime vulgatum, quingentorum ſpatium. Sunt qui adſeverent, mille quadringentos ſexaginta unum Phœnicem vivere.* Lege etiam Plinium lib. 10. cap. 2.

Et ſumpſit vultus.] hoc eſt, Roma facta eſt venuſta: vultus enim Domitiani venuſtus erat, ut diximus præcedenti epigrammate.

Oblitus noſtræ.] Quæ inter te & nos Martis poſteros interceſſit. Alii legunt *notæ* melius meo judicio: hoc eſt, obliviſcere querelam omnibus notam, quod ſcil. Venerem tuam uxorem compreſſerit Mars, a quo genus ſuum repetunt Romani. Vulcanus eſt deus ignis.

Parce pater.] Vulcanum patrem appellat eo ſenſu, quo deos omnes patres hominum vocantur; etenim Vulcanus non eſt Romanorum pater, ſed Mars.

Sit Lemniacis.] In Lemno inſula Ægei maris, hodie dicta *Stalimene*, catenas fabricavit Vulcanus, quibus Martem cum Venere in adulterio deprehenſum illigavit. Hæc fabula ſatis nota. Senſus eſt: Venus injuriæ a te acceptæ obliviſcatur, teque quamvis claudum & deformem patienter amet.

De Phaſide,
qui ſe pro equite gerebat in theatro. VIII.

EDICTUM domini, Deique noſtri,
Quo ſubſellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit,
Dum laudat modo Phaſis in theatro,
Phaſis purpureis ruber lacernis:
Et jactat tumido ſuperbus ore;
Tandem commodius licet ſedere,
Nunc eſt reddita dignitas equeſtris,
Turba non premimur, nec inquinamur.
Hæc, & talia dum refert ſupinus,
Illas purpureas & arrogantes
Juſſit ſurgere Lectius lacernas.

Dum Phaſis in theatro, Phaſis ruber purpureis lacernis modo commendat edictum Domini, & Numinis noſtri, quo ſedes certius diſtinguuntur, atque ordines non permixti cum plebe aſſignati ſunt equiti: atque arrogans gloriatur ore ſuperbo; tandem fas eſt ſedere commodius, nunc dignitas equeſtris eſt reſtituta, non urgemur multitudine, nec fœdamur. Dum ſupinus profert hæc & ſimilia. Lectius imperavit ſurgere lacernas illas purpureas & ſuperbas.

Edictum

Edictum domini.] Domitiani. Sue onius in Domitiano cap. 13. *Dominus & Deus noster sic fieri jubet.* Domitianus ergo renovavit legem Rosciam, qua nulli in quatuordecim equitum subsellis sedere liceret, nisi illi qui haberet censum equestrem, quadraginta nempe sestertiûm millia.

Subsellia.] quæ triplicis fuere generis: in primis sedebant Senatores, in secundis Equites, plebs vero occupabat tertia.

Et puros eques.] Seorsim a plebe ludos spectabant equites.

Phasis.] Libertus qui veste purpurea indutus erat, ut videretur eques. Lib. 4. epig. 2. Legimus Romanos, cum spectaculis adessent, vestibus candidis, imo & nigris, hoc autem loco etiam rubris usos fuisse, unde colligere licet, nullam legem jussisse ut candida veste, quamvis solerent, uterentur Augustus, teste Suetonio in Augusto cap. 40. prohibuerat ne quis in foro circove, nisi positis lacernis togatus consisteret: attamen diu non obtinuit.

Nunc est reddita.] hoc est equites amissum bellis civilibus equestrem honorem tandem recuperarunt.

Nec inquinamur.] sordibus plebis.

Illas purpureas.] Metonymia est, id est designator Lectius, qui bene noverat Phasidem, jussit illum lacernis purpureis indutum loco credere, atque ad plebem transire.

In Symmachum medicum. IX.

LANGUEBAM: sed tu comitatus protinus ad me
Venisti centum, Symmache, discipulis.
Centum me tetigere manus, Aquilone gelatæ.
Non habui febrem, Symmache: nunc habeo.

Flaccessebam: at subito, ô Symmache, me convenisti comitatus centum discipulis. Centum manus gelatæ Aquilone me attrectavêre: non laboravi febre, ô Symmache, nunc laboro.

Languebam.] Nondum plane æger eram, sed me tantum deficiebant vires.

Venisti centum.] Poëta irridet Symmachum quendam medicum, qui cum suis auditoribus illum invisit: cum vero omnes illius arteriam manu gelata exploravissent, frigidissimo illo attactu febrem contraxisse se dicit.

Ad Regulum de fama poëtarum posthuma. X.

ESSE quid hoc dicam, vivis quod fama negatur,
Et sua quod rarus tempora lector amat?
Hi sunt invidiæ nimirum, Regule, mores,
Præferat antiquos semper ut illa novis:
Sic veterem ingrati Pompeii quærimus umbram,
Et laudant Catuli Julia templa senes.
Ennius est lectus salvo tibi, Roma, Marone:
Et sua riserunt secula Mæonidem.
Rara coronato plausere theatra Menandro:
Norat Nasonem sola Corinna suum.
Vos tamen ô nostri ne festinate libelli,
Si post fata venit gloria, non propero.

Quid caussæ dicam, cur æstimatio denegetur viventibus, & cur pauci lectores amantes sint sui seculi? O Regule, hæc scilicet natura est livoris, ut semper anteponat veteres novis. Sic immemores expetimus umbram veteris porticus Pompeianæ, & senes commendant ædem Juliam Catuli. O Roma, legisti Ennium vivo Virgilio: atque Homerus irrisus est suo ævo. Infrequentia theatra plausere Menandro victori: una Corinna noverat suum Ovidium. Vos itaque, ô nostri libri, ne properate: si decus pendet a morte, non festino.

Regule.] De quo lib. 1. epig. 112. semper fastidio esse nova, antiqua vero pluris æstimari demonstrat Poëta.

Pompeii quærimus.] De porticu Pompeii dictum epig. 14. lib. 2. Sensus est: Porticus, atque ambulacra Domitiani licet pulcherrima, nos ingrati spernimus, antiquam vero Pompeii porticum præterimus, epig. 48. lib. 11.

Et laudant Catuli.] Lutatius Catulus Syllæ temporibus in eusum Capitolium, & a Sylla restauratum dedicavit: cujus *Lutatii Catuli nomen inter tanta Cæsarum opera usque ad Vitellium mansit.* Tacitus lib. 3. Hist. Julia templa dixit, quia teste Dione lib. 43. *decretum ut eraso Catuli nomine substitueretur Cæsaris.* Quod decretum executioni mandatum negat Tacitus, cum Lutatii Catuli nomen ad Vitellium usque permanserit. Lipsius existimat inscriptum quidem Capitolio Julii Cæsaris nomen, & Catuli nomen erasum quidem, sed in hominum memoria hæsisse. Alii *Julia templa* interpretantur basilicam Cæsaris in foro Romano, a senibus laudari præ templis novis a Domitiano extructis. Alii vero *Julia templa* intelligunt ædem Veneris a Julio Cæsare ædificatam. Tandem legunt alii *vilia templa* nimirum præ Capitolio a Domitiano instaurato. Vide Suetonium in Julio cap. 15. Valerium Maximum lib. 6. cap. 9.

Ennius.] Latinus Poëta antiquus, cujus restant adhuc fragmenta.

Mæonides.] dicitur Homerus, quod secundum aliquos in Mæonia regione Asiæ patriam habuerit. Verum Plutarchus in Homeri vita dicit Mæonem Lydorum regem loco filii educavisse Homerum, atque inde Mæonidem fuisse dictum.

Menander.] qui græce scripsit plures comœdias, de quo Gyraldus de historia poëtica dialogo 7.

Corinna.] Nomen fictum puellæ ab Ovidio adamatæ. Ipse Ovidius de se lib. 4. Tristium:

> *Noverat ingenium totam cantata per urbem*
> *Nomine non vero dicta Corinna mihi.*

De Stella Poëta, cujus carmina laudat. XI.

SARDONYCHAS, smaragdos, adamantas, jaspidas uno
Portat in articulo Stella, Severe, meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Invenies: inde est hæc, puto, culta manus.

O Severe, meus Stella gestat uno digito sardonychas, smaragdos, adamantas, jaspidas. Reperies multas gemmas in digitis, plures in versibus: illinc, opinor, hæc manus ornata est.

Smaragdos.] Hujus vocis mediam syllabam, quæ longa videtur, corripuit Græcorum exemplo, qui geminas mutas breves faciunt. Sic Theocritus Idyl. 17. brevem facit secundam syllabam ultimæ vocis in hoc versu:

Θωρηχθεὶς ἐπὶ βουσὶ ἀιάρετο Αἰγυπτίησι

Thorace munitus invadens injuste boves Ægyptias.

Varias gemmarum species enumerat Poëta, de quibus Plinius libro ultimo. De Stella dictum ep g. 8. lib. 1.

In carmine gemmas.] Elegantiam atque ornamenta versuum appellat gemmas.

Inde est.] hoc est, Manus Stellæ non tam dicitur culta a gemmis, quam a versuum venustate & elegantia. Farnabius vero sic explicat: Gemmeis annulis ornatur, quod elegantias & lumina in carmine ponere sciat: & gemmas forte consequebatur ab iis, quorum laudes celebrabat.

De eodem. XII.

QUOD nutantia fronte pertinaci
Gestat pondera Mascelion superbus,

Quod arrogans Mascelion obfirmato capite portat vacillantia pondera, vel quod ingens

Aut

Aut grandis Linus omnibus lacertis,
Septem quod pueros levat, vel octo:
Res non difficilis mihi videtur:
Uno cum digito, vel hoc, vel illo
Portet Stella meus decem puellas.

Linus ambobus brachiis attollat septem pueros, vel octo; non existimo rem arduam, cum Stella meus hoc vel illo digito gestet decem puellas.

Fronte pertinaci.] Scriverius legit *fronte perticata*, & interpretatur contum, seu perticam stupendæ molis erectam in area frontis gestatam a Masclione.

Masclion, Linus.] viri duo maximis viribus præditi. Alii *Masthlion*.

Decem puellas.] Lepide jocatur Poëta in gemmis quas digito gestabat Stella. Varia est hujus loci interpretatio: hoc est, Cum Stella uno digito gestet decem annulos a puellis donatos, totidem nempe puellarum pignora, vel pretium decem puellarum, ut intelligit Domitius. Sed meo judicio omnium optime Raderus intelligit decem annulos, in quorum singulis unius puellæ effigies esset insculpta; vel unum tantum annulum gemma ornatum, in qua expressæ viderentur decem puellarum imagines.

In Callistratum, cui licet ditissimo præferri se debere probat. XIII.

SUM, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper,
Sed non obscurus, nec male notus eques;
Sed toto legor orbe frequens, & dicitur, Hic est;
Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit:
At tua centenis incumbunt tecta columnis,
Et libertinas arca flagellat opes:
Magnaque Niliacæ servit tibi gleba Syenes,
Tondet & innumeros Gallica Parma greges,
Hoc ego, tuque sumus: sed quod sum, non potes esse,
Tu quod es, e populo quilibet esse potest.

O Callistrate, confiteor, sum inops & semper fui; at eques non ignobilis, nec ignotus: at multi legunt meos libros *toto orbe, & aiunt, Hic est; & vivus assequor quod pauci post mortem: sed ades tua fulciuntur centum columnis, atque arca coërcet libertinas divitias: atque ampli fundi Syenes Ægyptiæ sunt in tuo dominio, & Gallica Parma* tibi *tondet innumerabiles greges. Ego & tu sumus hoc; sed nequis esse quod sum: quilibet* autem *e populo potest esse quod tu es.*

Callistrate.] Fuit is divitiarum amantissimus, quem irridet Poëta.

Nec male notus.] Ingenio nempe fuit clarus: attamen equestrem censum quadringenta scilicet sestertiûm millia non possidebat, at jus sedendi inter equites fuerat illi concessum ex munere Cæsaris Domitiani, epig. 94. lib. 3.

——— *vidit me Roma tribunum,*
Et sedeo qua te suscitat Oceanus.

De censu equestri clare Juvenalis sat. 14. versu 324.

Quodque cinis.] Sic eodem epig. lib. 3.

Ore legor multo, notumque per oppida nomen
Non expectato dat mihi fama rogo.

& Ovidius lib. 4. Tristium eleg. 10.

Tu mihi, quod rarum est, vivo sublime dedisti
Nomen, ab exequiis quod dare fama solet.

Libertinas] Prope immensas interpretare, quales possederunt liberti locupletissimi Narcissus & Pallas, Claudio regnante, & Crispinus etiam quem exagitat Juvenalis sat. 1. *Arca flagellat.*] opes quæ vix con-

contineri possunt in arca. Hoc verbo jam usus est lib. 2. epig. 30.

Magnaque Niliaca.] Syene urbs Ægypti quondam nobilissima, epig. 87. lib. 1. glebam dixit pro fundo.

Gallica Parma.] urbs Galliæ cisalpinæ ad Padum, ubi lana optima, epig. 43. lib. 2.

Vel quam seposito de grege Parma dedit.

Hoc ego.] Ego quidem sum inops, tu vero dives.

Non potes esse.] Non intelligit Martialis Callistratum a paupertate posse esse semper immunem, sed nobilem poetam illum evadere posse negat.

Quilibet e populo.] Ignarus enim, & quilibet ex plebe rem tacere potest.

De Manneio

ejecto ex quatuordecim equitum subselliis. XIV.

SEDERE primo solitus in gradu semper,
Tunc cum liceret occupare Manneius,
Bis excitatus, terque transtulit castra,
Et inter ipsas pene tertius sellas
Post Caiumque Luciumque consedit:
Illinc cucullo prospicit caput tectus,
Oculoque ludos spectat indecens uno,
Et hinc miser dejectus in viam transit,
Subsellioque semifultus extremo,
Et male receptus altero genu, jactat
Equiti sedere: Lectioque se stare.

Manneius consuetus semper sedere in primo gradu, tunc cum fas esset præcipere locum, bis & ter suscitatus migravit loco, & tertius consedit fere inter ipsas sellas post Caium & Lucium: inde spectat tapite operto cucullo, atque indecore prospicit spectacula uno oculo; & hinc infelix expulsus migrat in viam, & semifultus ultimo subsellio, & male receptus altero genu, gloriatur sedere equiti: & se stare Lectio.

Cum liceret.] Ante legem theatralem a Domitiano revocatam, qua plebs ab Equite, Eques a Senatore secerneretur in theatro, primi advenientes subsellia prima occupabant.

Transtulit castra.] A designatore coactus est sellam suam in locum remotiorem transferre: & hoc facete dicit transferre castra: sellas vero in theatrum inferre solebant Romani.

Post Caium, Luciumque.] Equites scil. posuerat sellam suam Manneius in ipsis forte gradibus, ex quo loco licet tectus cucullo, & vix uno oculo ludos spectans, nihilominus agnitus a designatore fuit expulsus. De sellis in theatrum allatis Suetonius in Nerone cap. 26. Lipsius cap. 13. de amphitheatro dubitat an sic intelligendus sit hic versus, an sellæ sumendæ pro subselliis graduum ipsorum.

In viam transit.] ad plebem. Via autem erat interstitium quoddam inter ordines & cuneos. Vide Lipsium de amphitheatro capite citato.

Jactat equiti.] Dimidia corporis parte sedebat Manneius velut eques, altera vero stabat, ut designatori Lectio obtemperaret, metuens ne & illinc expelleretur, ex quo Mannei situ risum captat Martialis. *Equiti sedere.*] Alii addunt *se*, sed contra legem carminis. Equiti sedet, hoc est velut eques: interpretes omnes sic explicant.

Ad Cæsarem Domitianum,

a se neminem offensum fuisse dicit. XV.

QUINCTUS nostrorum liber est, Auguste, jocorum:
Et queritur læsus carmine nemo meo.
Gaudet honorato, sed multus nomine lector,
Cui victura meo munere fama datur.

O Auguste, quintus libellus continet nostros ludos, & nullus queritur offensus meis versibus. At multi lectores lætantur nomine cohonestato, quibus fama non peritura donatur meo beneficio. Nihi-

Quid

Quid tamen hæc prosunt quamvis venerantia multos?
Non prosu it (ane, me tamen ista juvant.

hominum quid hac proficiunt licet colentia multos? Non proficiunt quidem, attamen iis delector.

Et quæritur lesus.] Ubi enim laudat aliquem, verum illius nomen ponit: at vero si improbos carpat, fictis nominibus utitur.

Gaudet honorato.] hoc est meis carminibus sempiternam nominis memoriam multis conciliavi.

Quid tamen hæc.] Versus mei nullum quidem mihi fructum afferunt, sed tamen me delectant. Hoc idem repetit epigrammate sequenti.

Ad lectorem cum quo conqueritur Poëta laudari se tantum, nullo autem munere donari. XVI.

SERIA cum possim, quod delectantia malim,
Scribere, tu caussa es, lector amice, mihi,
Qui legis, & tota cantas mea carmina Roma:
Sed nescis, quanti stet mihi talis amor;
Nam si falciferi defendere templa Tonantis,
Solicitisque velim vendere verba reis:
Plurimus Hispanas mittet mihi nauta metretas,
Et fiet vario sordidus ære sinus.
At nunc conviva est, comessatorque libellus,
Et tantum gratis pagina nostra placet:
Sed non hac veteres contenti laude fuerunt,
Cum minimum vati munus Alexis erat:
Belle, inquis, dixti: satis est: laudabimur usque,
Dissimulas? facies me, puto, caussidicum.

O Amice lector, tu mihi caussa es, cur malim componere res jucundas, cum possim graves, qui evolvis, & canis meos versus tota Roma: at ignoras quanti mihi constet hæc benevolentia. Nam si placeat tueri ædes Tonantis falciferi, & vendere verba reis anxiis: multi nautæ ad me mittent metretas ex Hispania, & sinus sordescet pecunia varii generis. At meus liber nunc vacat conviviis & comessationibus, & nostra carmina jucunda sunt tantum gratuito: at antiqui non satis habuerunt hanc laudem, cum Alexis erat Poetæ minimum donum. Recte dixisti, ais: satis est. Laudibus perpetuis efferemur, dissimulas? opinor, me efficies caussidicum.

Sed nescis.] O lector, ut meis versibus captem tuam benevolentiam, ad inopiam redigor, sed aliis ex studiis quæ omitto, mercedem consequerer amplissimam.

Nam si falciferi.] hoc est, si velim caussas perorare in foro, juxta quod Saturno falcem gerenti dicatum erat templum, teste Macrobio lib. 1. Saturn. cap. 8.

Vendere verba.] Caussas agere.

Metretas.] Metretam, amphoram, & cadum pro eodem genere mensuræ a Romanis usurpari Raderus contendit, & capere 48. sextarios existimat. Alii aliter.

Comessator.] Libri mei apti sunt tantum conviviis, & comessationibus. Est autem comessatio, vel comissatio intempestivum convivium, præsertim nocturnum & quidem post cœnam, cum non cibis tantum, sed & lasciviæ indulgerent veteres.

Et tantum gratis.] Juvenalis sat. 7. versu 81.

Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est?

epig. 4. lib. 11.

——— *nescit sacculus ista meus.*

Munus Alexis.] Puer eleganti forma Virgilio donatus a Mœcenate, vel Pollione, de quo ecloga 2. Virgilii.

Dissimulas.] Surdus es, nec vis intelligere me aliud poscere præter laudem. Vide epig. 26. infra.

Facies me.] Cum nihil dones, coges me mutare studia, & caussas agere.

In Gelliam respuentem ordinis equestris maritum. XVII.

DUM proavos, atavosque refers, & nomina magna
Dum tibi noster eques sordida conditio est:
Dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo
Nubere: nupsisti, Gellia, cistifero.

Dum recenses proavos atque atavos, & nomina magna, dum fastidis equestrem nostrum ordinem: dum dicis te non posse nubere nisi lato clavo; O Gellia, nupsisti cistifero.

Lato Gellia clavo.] hoc est, viro Senatorii ordinis, cujus insigne erat latus clavus, quem sic describit Budæus in Pandectas lib. 1. Ex dictis apparet, inquit, latum clavum tunicam fuisse purpura prætextam, latiorem tunica vulgari, longioremque, ac discinctam, cui toga superinduebatur ut tunicæ. Tranquillus in Augusto 94. *Sumenti virilem togam tunica lati clavi ex utraque parte resuta ad pedes decidit.*

Cistifero.] Turnebus lib. 3. cap. 21. legit cistigero, quem pro contemptissimo & vilissimo homine poni existimat: erat autem cistifer Cybeles sacrificulus, qui ferebat cistulam, in qua erant quædam Cybeles arcana. Alii Judæum intelligunt, cujus, ut ait Juvenalis sat. 3.

Cophinus, fœnumque supellex.

Ad Quinctianum, cui se excusat quod libros tantum miserit. XVIII.

QUOD tibi Decembri mense, quo volant mappæ,
Gracilesque ligulæ, cereique, chartæque,
Et acuta senibus testa cum Damascenis,
Præter libellos vernulas nihil misi:
Fortasse avarus videar, aut inhumanus.
Odi dolosas munerum & malas arteis.
Imitantur hamos dona: namque quis nescit,
Avidum vorata decipi scarum musca?
Quoties amico diviti nihil donat,
O Quinctiane, liberalis est pauper.

Forte existimer parcus, aut inurbanus; quod exceptis libris vernulis ad te nihil misi mense Decembri, quo mappæ circumferuntur, & ligulæ tenues, & cerei, & chartæ, & acuta testa cum prunis Damascenis vetustis. Fraudulenta & improba artes donorum mihi odiosa sunt. Munera imitantur hamos: etenim quis ignorat, avidum scarum circumveniri hausta musca? O Quinctiane, quoties inops nihil dat amico locupleti, munificus est.

Volant mappæ.] Quas patronis mittebant clientes, lib. 4 epig. 89.

Ligulæ] Lingulam grammatici dicunt epig. 120 lib. 14. quam Gellius sic definit lib. 10. cap. 25. Existimo lingulam veteres dixisse gladiolum oblongum in speciem linguæ factum. *Ligula* vero in calceis a ligando deducitur. Ligula est etiam apud Plinium lib. 20. cap. 5. genus mensuræ; hic autem puto sumendam esse pro gladiolo argenteo.

Cerei, chartæque.] Dona nimirum quæ mitti solebant epig. 10. & 11. lib. 14. *Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus; quia candelis pauperes, locupletes cereis utebantur*, Festus.

Et acuta.] Vas testaceum intellige plenum prunis Damascenis, quorum mentionem facit Plinius lib. 13. cap. 5. Damascus, vel Damascum, nobilis Syriæ civitas, alii *Scham*, alii *Siam* a Turcis vocari affirmant. Vide epig 29. lib. 13.

Libellos vernulas.] hoc est, domi scriptos.

Scarum.] Piscem. Vide epig. 56. lib. 4. huic simile.

Liberalis est pauper.] Donando enim plus petere videtur, quam donum valeat, unde avaritia est, nedum liberalitas. Vide Isocratis orationem ad Nicoclem.

Ad

Ad Cæsarem Domitianum, quem laudibus adulatoriis extollit. XIX.

SI qua fides veri, præferri, maxime Cæsar,
Temporibus possunt secula nulla tuis.
Quando magis dignos licuit spectare triumphos?
Quando Palatini plus meruere dei?
Pulchrior & major quo sub duce Martia Roma?
Sub quo libertas principe tanta fuit?
Est tamen hoc vitium, sed non leve, sit licet unum:
Quod colit ingratas pauper amicitias.
Quis largitur opes veteri, fidoque sodali,
Aut quem prosequitur non alienus eques?

Si credendum veritati, ô maxime Cæsar, nulla secula possunt anteponi tuo ævo. Quando fas fuit videre triumphos nobiliores? quando Numina Palatii plus merita sunt de nobis? *quo sub Imperatore Martia Roma fuit major, atque ornatior? sub quo principe fuit tanta libertas? nihilominus reperitur hoc vitium, at non parvi momenti quamvis sit unum, quod inops observat ingratos amicos. Quis donat divitias veteri & fideli socio, vel quis dona accipit a vero equite?*

Si qua fides veri] Imo si qua fides adulationis.

Dignos triumphos.] In spectaculis nempe; nam de hostibus non retulit triumphos nisi indignos, ut colligere est ex Suetonio cap. 6. in Domitiano.

Quando Palatini.] hoc est quando Juno, Minerva, & Jupiter qui colebantur in Palatio, plus de nobis meriti sunt, quam tu, ô Cæsar? Alii aliter explicant: Quando majoribus culti fuerunt honoribus, quam nostro ævo? Summo quippe studio Minervam in Palatio colebat Domitianus. Eligat lector.

Sub quo.] His verbis Domitiano blanditur Poëta; nunquam enim minor fuerat libertas, cum nemini de Republica sermones habere liceret.

Non alienus eques.] Triplex Romæ fuit equitum ordo: Alii enim stirpe sua & censu erant equites, & quidem veri equites: Alii qui equo stipendia mererent, atque opponebantur peditibus. Tertius denique equitum ordo sub Cæsaribus primum natus, quibus honoris caussa in quatuordecim gradibus sedere licebat, in quo numero fuit noster Poëta: Lipsius in amphitheatro cap. 14. Hoc vero loco *non alienus eques* stirpe & censu eques. Sensus est: Veri equites neminem prosequuntur donis. Alii aliter. Eques non alienus secundum Turnebum lib. 9. cap 24. est ille quem dives aliquis censu equestri donatum equitem fecerit: hoc est quem patronum deducit, quem regem comitatur eques factus liberalitate ipsius regis seu patroni. Vide epig. 122. lib. 14.

Ad eundem, ut cum alii non dent, det ipse. XX.

SATURNALITIÆ ligulam misisse selibræ,
Flammatæve togæ scrupula tota decem,
Luxuria est, tumidique vocant hæc munera reges,
Qui crepet aureolos, forsitan unus erit.
Quatenus hi non sunt, esto tu, Cæsar, amicus.

Profusio est, misisse ligulam selibra Saturnalitia, aut togam purpuream valentem *decem scrupulis integris, & hæc appellantur dona a superbis dominis. Forte unus erit qui numeret aureolos. Tu, ô Cæsar, esto amicus, quandoquidem hi non sunt* amici.

Nulla ducis virtus dulcior esse potest.
Jam dudum tacito rides, Germanice, naso:
Utile quod non vis, do tibi consilium.

Nulla virtus Imperatoris potest esse gratior largitate. O Germanice, jampridem rides tacito naso: offero tibi consilium fructuosum, quod respuis.

Saturnalitia.] Ligula mensuræ genus est: hic videtur sumi ut supra epig. 18. pro gladiolo argenteo, qui constaret selibra argentea sane, ut in versu sequenti loquitur de toga, quæ constaret decem scrupulis: interpretes tamen sumunt pro mensura.

Flammatave.] Togam purpuream intelligit, a flammæ ardentis similitudine, qua micat purpura.

Decem scrupula.] Auri nempe; nam decem argenti scrupulis non emeris togam purpuream. Est autem scrupulum vicesima quarta pars unciæ; in libra autem 12. erant unciæ. De scrupulis jam dictum epig. 89. lib. 4.

Qui crepet aureolos.] Nummos aureos clientibus numeret; nam dum numerantur crepitum edunt. Alii hoc epigramma superiori adjungunt.

Ad Martialem de agenda vita beata. XXI.

Si tecum mihi, care Martialis,
Securis liceat frui diebus,
Si disponere tempus otiosum,
Et veræ pariter vacare vitæ:
Nec nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricas, forumque triste
Nossemus, nec imagines superbas.
Sed gestatio, fabulæ, libelli,
Campus, porticus, umbra, virgo, thermæ,
Hæc essent loca semper, hi labores.
Nunc vivit sibi neuter heu, bonosque
Soles effugere, atque abire sentit,
Qui nobis pereunt, & imputantur.
Quisquam vivere cum sciat, moratur?

O Dilecte Martialis, si mihi fas sit tecum consumere dies tutos, si frui tempore vacuo, & simul indulgere vera vitæ: nec cognovissemus aulam, nec ædes divitum, nec caussas molestas, & forum mæstum, nec fastosas imagines. At gestatio, fabula, libri, campus, porticus, umbra, virgo, thermæ, hæc perpetuo essent loca; hæ occupationes. Neuter hem nunc sibi vivit, atque intelligit elabi, atque effluere dies felices, qui accidunt nobis, & nobis *numerantur. An quisquam cunctatur vivere, cum norit* quid sit vita beata?

Si tecum.] Vide epig. 64. lib. 4. de eodem Julio Martiali.

Et veræ.] Lege epig. 16. lib. 1. & epig. 90. lib. 2. vera vita apud nostrum poetam accipitur, pro eo tempore quo indulgemus voluptatibus honestis, ut jam dictum est supra.

Imagines superbas.] hoc est, non coleremus nobiles superbos, qui de longa stemmatum, atque imaginum serie gloriantur, epig 90. lib. 2.

Atriaque immodicis arctat imaginibus.

Gestatio.] Significat vectionem, quæ vel lectica, vel vehiculo fieret; significat quoque deambulationem arboribus opacam, atque amœnam. Plinius jun. lib. 2. epist. 17. *Gestatio buxo, aut rore marino, ubi deficit buxus, ambitur.*

Virgo.] Aquam virginem intellige, de qua lib. 6. epig. 42. & Marlianus lib. 6. cap. 15. & Plinius lib. 31. cap. 3.

Bonosque.] Nempe ad vivendum hilariter.

Et imputantur.] hoc est, alius dies non redditur, pro eo quem inutiliter absumpsisti, epig. 44. lib. 10.

Gaudia tu differs, at non & stamina differt
Atropos, atque omnis scribitur hora tibi.

De

De Apollonio obliviosо. XXII.

QUINCTUM pro Decimo, pro Crasso, Regu e, Macrum
Ante salutabat rhetor Apollonius.
Nunc utrumque suo resalutat nomine, quantum
Cura, laborque potest! scripsit & edidicit.

O Regule, Apollonius rhetor antea salutabat Quinctum pro Decimo, & Macrum pro Crasso. Nunc salutat utrumque suo nomine, quantum cura, & labor prodest! scripsit, & edidicit.

Quinctum] Apollonium rhetorem facete irridet, qui vel duo amicorum nomina tenere memoria nequiret.

Macrum.] Alii *Marcum* minus bene meo judicio: jocus est in nominibus ut ostendat ineptiam Apollonii, qui contraria, & secum prorsus pugnantia dicat.

Quantum cura.] Videtur alludere ad illud Virgilii,

——— *Labor improbus omnia vincit.*

Apollonius enim assiduo labore edidicit duo amicorum nomina.

In Paullum
quem domi mane non repererat. XXIII.

MANE domi si te merui, voluique videre,
Sint mihi, Paulle, tuæ longius Exquiliæ.
Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ;
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem.
Alta suburrani vincenda est semita clivi,
Et nunquam sicco sordida saxa gradu.
Vixque datur longas mulorum vincere mandras,
Quæque trahit multo marmora fune vides.
Illud adhuc gravius, quod te post mille labores,
Paulle, negat lasso janitor esse domi.
Exitus hic operis vani, togulæque madentis,
Vix tanti Paullum mane videre fuit.
Semper inhumanos habet officiosus amicos:
Rex, nisi dormieris, non potes esse meus.

O Paulle, si meritus sum, atque optavi mane videre te domi, tuæ Exquiliæ a me distent longius. Sed habito prope pilam Tiburtinam, qua agrestis Flora spectat Jovem veterem. Superanda est alta semita clivi suburrani, & saxa cænosa nunquam gradu sicco. Et vix licet superare longas mandras mulorum, & marmora quæ cernis trahi multis funibus. Illud adhuc molestius, ô Paulle, quod post mille labores mihi defatigato janitor respondet te non esse domi. Hic est eventus laboris inanis, & togulæ madentis, vix tanti fuit mane cernere Paullum. Officiosi semper sunt amici inofficiosi; nequis esse meus dominus, nisi dormieris.

Si te merui.] hoc est, tua domus a mea longius distet, non recuso tamen te adire, si mereat te domi reperire, & tibi salutem dicere: *si te* legunt alii, *nisi te*, id est, mihi etiam longius iter sit suscipiendum, nisi merear, & cupiam te videre. Eligat lector. Exquiliæ vero locus erat urbis valde distans a pila Tiburtina, ubi erat templum Floræ, unde Capitolium vetus prospiciebatur. Marlianus lib. 5. cap. 9. & 26.

Alta suburrani.] Ad montem Exquilinum per suburram ascendebatur.

Vincere mandras.] Ovium, boum, mulorum septa, & claustra mandræ proprie appellantur, hic vero mandra significat longam mulorum seriem & multitudinem. Juvenalis sat. 3.

———*stantis convitia mandræ.*

Quæque trahit.] Viarum impedimenta eleganter describit Juvenalis sat. 3.

Negat lasso.] Idem dixit epig. 5. lib. 2.

Toga-

Togaleque madentis.] Vel pluvia, vel sudore propter longitudinem itineris.

Vix tanti.] Vix suscipiendus esset tantus labor, etiamsi certus essem te domi futurum, quam ergo moleste feram, post tot labores domi non reperire te, judicea velim.

Rex nisi.] Si cupis esse meus patronus seu dominus, dormi tantisper, donec salutatum te adveniam. His verbis innuit Poëta Paullum summo mane exire, ut & ipse alios salutaret, epig. 18. lib. 2.

Ad Bassum fictum equitem. XXIV.

HERBARUM fueras indutus, Basse, colores,
Jura theatralis dum siluere loci.
Quæ postquam placidi censoris cura renasci
Jussit, & Oceanum certior audit eques:
Non nisi vel cocco madida, vel murice tincta
Veste nites, & te sic dare verba putas.
Quadringentorum nullæ sunt, Basse, lacernæ:
Aut meus ante omnes Codrus haberet equum.

O Basse, indueras vestes *herbei coloris, dum abrogatæ fuerunt leges loci theatralis: quas renovari postquam imperavit cura benigni censoris, & eques distinctus audit Oceanum: Non splendes nisi vestimento perfuso cocco atque imbuto murice, & sic credis imponere* designatori. *O Basse, nullæ lacernæ valent quadringentis: aut meus Codrus esset eques præ omnibus.*

Herbarum fueras.] Vestes virides intelligit Poëta: legem vero theatralem, qua equites a plebe in amphitheatro distincti sunt, revocavit Domitianus, quem benignum censorem vocat. Epig. 8. & 14. supra.

Veste nites.] ut videaris verus eques.

Quadringentorum.] Quamvis vestibus purpureis sis indutus, illæ tamen non æstimantur quadringentis millibus sestertium, quæ censum equestrem constituebant.

Aut meus.] Licet enim pauperrimus, ut vidimus lib. 2. epig. 57 lacernam tamen coccineam posset sibi comparare. Legunt alii *Cordus.*

De Hermete præstantissimo gladiatore. XXV.

HERMES Martia seculi voluptas,
Hermes omnibus eruditus armis,
Hermes & gladiator, & magister.
Hermes turba sui tremorque ludi.
Hermes, quem timet Ælius, sed unum.
Hermes, cui cadit Advolans, sed uni,
Hermes vincere nec ferire doctus,
Hermes suppositirius sibi ipsi,
Hermes divitiæ locariorum,
Hermes cura, laborque ludiarum,
Hermes belligera superbus hasta,
Hermes æquoreo minax tridente,
Hermes casside languida timendus,
Hermes gloria Martis universi,
Hermes omnia solus, & ter unus.

Hermes deliciæ Martiæ hujus temporis; Hermes doctus omni genere armorum; Hermes & gladiator & magister; Hermes perturbatio & terror sui ludi; Hermes, quem veretur Ælius, at solum; Hermes, a quo sternitur Advolans, at solo; Hermes sciens superare, nec percutiendo; Hermes qui sibi ipsi sufficitur; Hermes divitiæ locariorum; Hermes amor & solicitudo ludiarum; Hermes superbus hasta bellica; Hermes horrificus tridente marino; Hermes metuendus vere languenti; Hermes decus universi Martis; Hermes solus omnia, & ter unus.

Et gladiator.] Is nempe est qui in arena spectante populo pugnat. Magister vero gladiatorum Lanista dicitur, qui toti familiæ præest, illamque docet artem gladiatoriam.

Tremor.

Tremorque Indi.] quem arma gerentem reformidat omnis gladiatorum familia.
Quem timet Ælius.] Gladiator proximus ab Hermete.
Advolans.] alter gladiator nobilis.
Nec ferire.] Sic enim adversatium implicabat, ut sine ictu illum vinceret. vel qui victo adversario parcebat. Vulgata lectio *sed ferire*.
Supposititius.] Gladiatores suppositi erant ii qui defatigatis & victis aliis sufficerentur: Hermes vero pugnando nunquam de fatigabatur, atque ita non indigebat suppositio.
Divitiæ locariorum.] Pauperes qui loca commoda in spectaculis a se occupata divitibus tarde venientibus locarent, locarii dicebantur.
Laborque ludiarum.] Uxores vel amicæ gladiatorum ludiæ dicebantur, quæ omnes Hermetem amabant, eumque salvum anxie cupiebant.
Superbus hasta.] Samnites ante pugnam vibrabant hastas, quos æmulabatur Hermes, atque plausum populi captaret, in prælusione hastam mirifice vibrabat.
Æquoreo minax.] Retiarius nimirum, qui adversus Mirmillonem reti & tridente utebatur. Juvenalis sat. 8.

——— *movet ecce tridentem*
Postquam vibrata pendentia retia dextra
Nec quicquam effudit.
Armaturam retiarii expressam vide apud Lipsium lib. 2. Sat. cap. 8.
Hermes cassíde.] Hunc versum explicat Lipsius lib 2. Sat. cap. 12. Martialem, inquit, de Andabata interpretor, ubi Hermetem gladiatorem attollit, & variis armis pugnacem facit: quid enim aliud sit languida illa cassis, quam hæc quæ tenebras & langnidam caliginem inducit, qua nempe tegebantur Andabatæ, qui cœcorum more pugnabant. Sic Lipsius. Sed forte intelligit Poëta Hermetem fuisse etiam egregium Mirmillonem. In Mirmillonis galea pictus erat piscis; unde cum retiarius esset v braturus retia, aiebat, Non te peto, piscem peto. Hunc autem versum ita explico, nempe Hermetem fuisse tremendum, licet galea ejus esset remissa & veluti neglecta, id est *languida*, cum ageret partes Mirmillonis. Ergo erat minax cum moveret hastam, cum esset retiarius, & aliquando Mirmillo. Itaque solus obibat officia trium gladiatorum. Hinc liquet sensus ultimi versus.

De Chæreſtrato
expulſo ex 14. ſubſelliis propter paupertatem. XXVI.

QUADRINGENTA tibi non sunt, Chæ-
 restrate, surge.
Lectius ecce venit; sta, fuge, curre, late.
Ecquis, iô, revocat? discedentemque reducit?
Ecquis, iô, largas pandit amicus opes?
Quem chartis famæque damus, populisque loquendum,
Qui Stygios non vult totus adire lacus?
Hoc, rogo, non melius, quam rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuso permaduisse croco?
Quam non sensuro dare quadringenta caballo,
Aureus ut Scorpi nasus ubique micet?
O frustra locuples, ô dissimulator amice:
Hæc legis & laudas: quæ tibi fama perit?

O Chæreſtrate, non habes quadringenta, ſurge, en Lectius advenit: ſta, fuge, propera, delitesce. Ecquis, io, retrahit, & reducit abeuntem? Ecquis, io, amicus offert amplas divitias? Quem prædicandum tradimus chartis, & famæ, & populis? Quis cupit non omnis mori? Hoc, quæſo, nonne melius eſt quam irrigare pulpita pluvia rubra, & perfundi croco diſperſo? Quam donare quadringenta equo non ſentiro, ut aureus naſus Scorpi ſplendeat ubique? O nequicquam dives, ô amice diſſimulator: evolvis hæc, & probas: quantum nomen perdis?

Quadringenta.] Census nempe equestris, de quo 67. lib. 14. & epig. 8. supra.

Lectius.] Designator, qui ex quatuordecim gradibus expellebat equites censu requi-

requisito carentes.

Equus io.] Conqueritur Martialis Chærestratum abeuntem a nemine revocari; hoc est a nullo divite censum equestrem illi suppeditari.

Quis Stygias.] Quis omni ex parte perire non vult, sed liberalitate nomen suum immortalitati mandari cupit?

Hoc, rogo.] Sensus est: Nonne præstaret pecunia famam emere, quam maximas impensas facere in res inanes?

Quam rubro.] Croco scilicet amphitheatrum spargere. Vide epig. 3. lib. Spect.

Quam non sensuro.] hoc est, quam ponere statuas equo non sensuro.

Aureus.] Lib. 10. epig. 74.

Cum Scorpus una quindecim graves hora Ferventis auri victor afferat saccos.

Unde mirum videri non debet auream illi statuam positam fuisse: nasus per synecdochen sumitur pro tota statua. Legunt alii *Æreus ut Scorpi*, de quo dictum epig. 67. lib. 4. & epig. 50. 53. lib. 3.

O frustra locuples.] Qui divitiis uti nescis, meæque paupertatis notitiam dissimulas. Legunt alii. *O dissimulator amici.*

Quæ tibi.] Quantam famam tibi compararés, mihi divitias largitus, ut meis carminibus nomen tuum posteritati commendarem.

Ad Codrum, quem mendicum vocaverat. XXVII.

QUOD alpha dixi, Codre, penulatorum,
Te nuper, aliqua cum jocarer in charta:
Si forte bilem movit hic tibi versus,
Dicas licebit beta me togatorum.

O Codre, quod paucis ante diebus te vocavi alpha penulatorum, cum luderem in aliqua charta: si forte hoc carmen tibi concitavit iracundiam, poteris me appellare beta togatorum.

Quod alpha.] Irridet Codrum, quem lib. 2. epig. 57. dixerat alpha penulatorum, hoc est mendicorum primum.

Dicas licebit.] Ut pares simus jam me voca beta togatorum, hoc est secundum inter egenos, qui togam ferebant.

In fictum equitem. XXVIII.

INGENIUM, studiumque, tibi moresque, genusque
Sunt equitis, fateor; cætera plebis habes.
Bis septena tibi non sunt subsellia tanti,
Ut sedeas viso pallidus Oceano.

Habes ingenium, & studium, & mores, & stirpem equitis, confiteor; in reliquis vero plebeius es. Non facis tanti quatuordecim subsellia, ut pallidus sedeas conspecto Oceano.

Sunt equitis, fateor.] Hoc per ironiam concedit Martialis. Aliter inscribit hoc epigramma Gronovius, *De non respondenti natalibus suis*, & explicat sic: Iste quicumque est non inserebat se equestri ordini; sed cum equestri loco natus esset, vitabat tamen quatuordecim ordines, propter deficientem censum.

Cætera plebis habes.] hoc est, non habes censum equestrem.

Bis septena.] Non æstimas tanti quatuordecim subsellia, ut paupertatis conscius in iis sedere audeas viso Oceano designatore, de quo epig. 95. lib. 3. & quatuordecim gradibus fuse dictum epig. 8. & 14. supra.

In Mamercum obtrectatorem. XXIX.

UT bene loquatur, sentiatque Mamercus,
Efficere nullis, Aule, moribus possis:
Pietate fratres Curtios licet vincas,
Quiete Nervas, Comitate Rufones,

O Aule, nullis moribus valeas consequi, ut Mamercus recte loquatur & cogitet. Quamvis pietate superes Curtios fratres, tranquillitate Nervas, affabilitate Rufones, integritate

Pro-

Probitate Marcos, æquitate Mauricos,
Oratione Regulos, jocis Paullos.
Rubiginosis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forsan esse tu credas:
Ego esse miserum credo, cui placet nemo.

Marcos, æquitate Mauricos, eloquentia Regulos, salibus Paullos. Exedit omnia rubiginosis dentibus. Tu forte putes hominem malitiosum, ego puto esse infelicem, cui nullus arrides.

Sentiatque.] A persona Mamerci cujusdam maledici occasionem captat laudandi nobiles Romanorum familias, quarum cuique propriam quandam virtutem tribuit Poëta. Alii lemma scribunt *ad Aulum.*

Fratres Curtios.] Alii *Curios*, sed repugnat legi hujus carminis; nam syllaba prima est brevis. Juvenalis sat. 2.

Qui Curios simulant, &c.

Attamen per ectasin posset produci. Itaque judicet lector.

Quiete Nervas.] Nervam, qui Domitiano successit, intelligunt interpretes, cujus mite ingenium fuisse testatur. Xiphilinus.

Comitate Rufones.] Alii *Drusones*, de quibus nihil reperi.

Mauricos.] Junii Maurici mentionem facit Plinius junior lib. 4. epist. 22.

Oratione Regulos.] Vide epig. 112. lib. 1. & epig. 16. lib. 4.

Ego esse miserum.] Vere quidem miser est, cui nihil placet, qui nullum amat, nec a quoquam amatur, Epig. 61. infra.

Ad Gelliam mulierem deformem. XXX.

SI quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis,
Formosus septem, Marce, diebus eris.
Si non derides, si verum, lux mea, narras:
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

O Gellia, si quando ad me mittis leporem: O Marce, inquis, eris pulcher per septem dies. Si non ludis, ô lux mea, si profers veritatem: O Gellia, tu nunquam comedisti leporem.

Formosus.] Vulgi erat opinio, eum nempe per septem dies pulchrum fore, qui comedisset leporem. Plinius lib. 28. cap. 19. explicat, quis usus sit leporis mulieribus.

Edisti.] quia deformis es.

Ad Varronem egregium Poëtam, ut legat ejus libros. XXXI.

VARRO Sophocleo non inficiande cothurno,
Nec minus in Calabra suspicie[illegible] e lyra,
Differ opus: nec te facundi scena Catulli
Detineat, cultis aut elegia comis.
Sed lege fumoso non aspernanda Decembri
Carmina, mittuntur quæ tibi mense suo.
Commodius nisi forte tibi, potiusque videtur,
Saturnalitias perdere, Varro, nuces.

O Varro non amovende a cothurno Sophocleo, nec minus admirande in lyra Calabra; intermitte laborem: nec scena eloquentis Catulli te occupet, aut elegia capillis exornatis. At evolve versus non contemnendos fumoso Decembri, qui ad te mittuntur mense suo. Nisi, ô Varro, forte opportunius & gratius tibi videtur amittere nuces Saturnalitias.

Varro Sophocleo.] Tragicum Poëtam fuisse Varronem constat ex hoc epigrammate: dixit enim cothurnum Sophocleum, pro stilo tragico quo claruit Sophocles, de quo dictum est epig. 20. lib. 3.

In Calabra.] Per Calabram lyram alii intelligunt versus lyricos, quorum princeps Horatius Venusinus Calabriæ vicinus, ut ipse testatur sat. 1. lib. 2.

—*Lucanus, an Appulus ancept.*

Alii

requisito carentes.

Equus tu.] Conqueritur Martialis Chærestratum abeuntem a nemine revocari; hoc est a nullo divite censum equestrem illi suppeditari.

Quis Stygios.] Quis omni ex parte perire non vult, sed liberalitate nomen suum immortalitati mandari cupit?

Hoc, rogo.] Sensus est: Nonne præstaret pecunia famam emere, quam maximas impensas facere in res inanes?

Quam rubro.] Croco scilicet amphitheatrum spargere. Vide epig. 3. lib. Spect.

Quam non sensuro.] hoc est, quam ponere statuas equo non sensuro.

Aureus.] Lib. 10. epig. 74.

Cum Scorpus una quindecim graves hora
Ferventis auri victor afferat saccos.
Unde mirum videri non debet auream illi statuam positam fuisse: nasus per synecdochen sumitur pro tota statua. Legunt alii *Æreus ut Scorpi*, de quo dictum epig. 67. lib. 4. & epig. 50. 53. lib. 3.

O frustra locuples.] Qui divitiis uti nescis, meæque paupertatis notitiam dissimulas. Legunt alii. *O dissimulator amici.*

Qua tibi.] Quantam famam tibi compparares, mihi divitias largitus, ut meis carminibus nomen tuum posteritati commendarem.

Ad Codrum, quem mendicum vocaverat. XXVII.

QUOD alpha dixi, Codre, penulatorum,
Te nuper, aliqua cum jocarer in charta:
Si forte bilem movit hic tibi versus,
Dicas licebit beta me togatorum.

O Codre, quod paucis ante diebus te vocavi alpha penulatorum, cum luderem in aliqua charta: si forte hoc carmen tibi concitavit iracundiam, poteris me appellare beta togatorum.

Quod alpha.] Irridet Codrum, quem lib. 2. epig. 57. dixerat alpha penulatorum, hoc est mendicorum primum.

Dicas licebit.] Ut pares simus jam me voca beta togatorum, hoc est secundum inter egenos, qui togam ferebant.

In fictum equitem. XXVIII.

INGENIUM, studiumque, tibi moresque, genusque
Sunt equitis, fateor; cetera plebis habes.
Bis septena tibi non sunt subsellia tanti,
Ut sedeas viso pallidus Oceano.

Habes ingenium, & studium, & mores, & stirpem equitis, confiteor; in reliquis vero plebeius es. Non facis tanti quatuordecim subsellia, ut pallidus sedeas conspecto Oceano.

Sunt equitis, fateor.] Hoc per ironiam concedit Martialis. Aliter inscribit hoc epigramma Gronovius, *De non respondentis natalibus suis*, & explicat sic: Iste quicumque est non inferebat se equestri ordini; sed cum equestri loco natus esset, vitabat tamen quatuordecim ordines, propter deficientem censum.

Cetera plebis habes.] hoc est, non habes censum equestrem.

Bis septena.] Non æstimas tanti quatuordecim subsellia, ut paupertatis conscius in iis sedere audeas viso Oceano designatore, de quo epig. 95. lib. 3. & quatuordecim gradibus fuse dictum epig. 8. & 14. supra.

In Mamercum obtrectatorem. XXIX.

UT bene loquatur, sentiatque Mamercus,
Efficere nullis, Aule, moribus possis:
Pietate fratres Curtios licet vincas,
Quiete Nervas, Comitate Rufones,

O Aule, nullis moribus valeas consequi, ut Mamercus recte loquatur & cogitet. Quamvis pietate superes Curtios fratres, tranquillitate Nervas, affabilitate Rufones, integritate

Pro-

Probitate Marcos, æquitate Mauricos,
Oratione Regulos, jocis Paullos.
Rubiginosis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forsan esse tu credas:
Ego esse miserum credo, cui placet nemo.

Marcos, æquitate Mauricos, eloquentia Regulos, salibus Paullos. Exedit omnia rubiginosis dentibus. Tu forte putes hominem malitiosum, ego puto esse infelicem, cui nullus arrides.

Sentiatque.] A persona Mamerci cujusdam maledici occasionem captat laudandi nobiles Romanorum familias, quarum cuique propriam quandam virtutem tribuit Poëta. Alii lemma scribunt *ad Aulum*.

Fratres Curtios.] Alii *Curtos*, sed repugnat legi hujus carminis; nam syllaba prima est brevis. Juvenalis sat. 2.

Qui Curios simulant, &c.

Attamen per ectasin posset produci. Itaque judicet lector.

Quiete Nervas.] Nervam, qui Domitiano successit, intelligunt interpretes, cujus mite ingenium fuisse testatur. Xiphilinus.

Comitate Rusones.] Alii *Drusones*, de quibus nihil reperi.

Mauricos.] Junii Maurici mentionem facit Plinius junior lib. 4. epist. 22.

Oratione Regulos.] Vide epig. 112. lib. 1. & epig. 16. lib. 4.

Ego esse miserum.] Vere quidem miser est, cui nihil placet, qui nullum amat, nec a quoquam amatur, Epig. 61. infra.

Ad Gelliam mulierem deformem. XXX.

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis,
Formosus septem, Marce, diebus eris.
Si non derides, si verum, lux mea, narras:
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

O Gellia, si quando ad me mittis leporem: O Marce, inquis, eris pulcher per septem dies. Si non ludes, ô lux mea, si profers veritatem: O Gellia, tu nunquam comedisti leporem.

Formosus.] Vulgi erat opinio, eum nempe per septem dies pulchrum fore, qui comedisset leporem. Plinius lib. 28. cap. 19. explicat, quis usus sit leporis mulieribus.

Edisti.] quia deformis es.

Ad Varronem egregium Poëtam, ut legat ejus libros. XXXI.

Varro Sophocleo non inficiande cothurno,
Nec minus in Calabra suspiciende lyra,
Differ opus: nec te facundi scena Catulli
Detineat, cultis aut elegia comis.
Sed lege fumoso non aspernanda Decembri
Carmina, mittuntur quæ tibi mense suo.
Commodius nisi forte tibi, potiusque videtur,
Saturnalitias perdere, Varro, nuces.

O Varro non amovende a cothurno Sophocleo, nec minus admirande in lyra Calabra; intermitte laborem: nec scena eloquentis Catulli te occupet, aut elegia capillis exornatis. At evolve versus non contemnendos fumoso Decembri, qui ad te mittuntur mense suo. Nisi, ô Varro, forte opportunius & gratius tibi videtur amittere nuces Saturnalitias.

Varro Sophocleo.] Tragicum Poëtam fuisse Varronem constat ex hoc epigrammate: dixit enim cothurnum Sophocleum, pro stilo tragico quo claruit Sophocles, de quo dictum est epig. 20. lib. 3.

In Calabra.] Per Calabram lyram alii intelligunt versus lyricos, quorum princeps Horatius Venusinus Calabriæ vicinus, ut ipse testatur sat. 1. lib. 2.

—— *Lucanus, an Appulus anceps.*

Alii

requisito carentes.

Equus 10.] Conqueritur Martialis Chærestratum abeuntem a nemine revocari; hoc est a nullo divite censum equestrem illi suppeditari.

Quis Stygios.] Quis omni ex parte perire non vult, sed liberalitate nomen suum immortalitati mandari cupit?

Hoc, rogo.] Sensus est: Nonne præstaret pecunia famam emere, quam maximas impensas facere in res inanes?

Quam rubro.] Croco scilicet amphitheatrum spargere. Vide epig. 3. lib. Spect.

Quam non sensuro.] hoc est, quam ponere statuas equo non sensuro.

Aureus.] Lib. 10. epig. 74.

Cum Scorpus una quindecim graves hora

Ferventis auri victor afferat saccos.

Unde mirum videri non debet auream illi statuam positam fuisse: nasus per synecdochen sumitur pro tota statua. Legunt alii *Æreus ut Scorpi*, de quo dictum epig. 67. lib. 4. & epig. 50. 53. lib. 3.

O frustra locuples.] Qui divitiis uti nescis, meæque paupertatis notitiam dissimulas. Legunt alii. *O dissimulator amici.*

Qua tibi.] Quantam famam tibi compatrares, mihi divitias largitus, ut meis carminibus nomen tuum posteritati commendarem.

Ad Codrum, quem mendicum vocaverat. XXVII.

QUOD alpha dixi, Codre, penulatorum,
Te nuper, aliqua cum jocarer in charta:
Si forte bilem movit hic tibi versus,
Dicas licebit beta me togatorum.

O Codre, quod paucis ante diebus te vocavi alpha penulatorum, cum luderem in aliqua charta: si forte hoc carmen tibi concitavit iracundiam, poteris me appellare beta togatorum.

Quod alpha.] Irridet Codrum, quem lib. 2. epig. 57. dixerat alpha penulatorum, hoc est mendicorum primum.

Dicas licebit.] Ut pares simus jam me voca beta togatorum, hoc est secundum inter egenos, qui togam ferebant.

In fictum equitem. XXVIII.

INGENIUM, studiumque, tibi moresque, genusque
Sunt equitis, fateor; cetera plebis habes.
Bis septena tibi non sunt subsellia tanti,
Ut sedeas viso pallidus Oceano.

Habes ingenium, & studium, & mores, & stirpem equitis, confiteor; in reliquis vero plebeius es. Non facis tanti quatuordecim subsellia, ut pallidus sedeas conspecto Oceano.

Sunt equitis, fateor.] Hoc per ironiam concedit Martialis. Aliter inscribit hoc epigramma Gronovius, *De non respondentis natalibus suis*, & explicat sic: Iste quicumque est non inferebat se equestri ordini; sed cum equestri loco natus esset, vitabat tamen quatuordecim ordines, propter deficientem censum.

Cetera plebis habes.] hoc est, non habes censum equestrem.

Bis septena.] Non æstimas tanti quatuordecim subsellia, ut paupertatis conscius in iis sedere audeas viso Oceano designatore, de quo epig. 95. lib. 3. & quatuordecim gradibus suse dictum epig. 8. & 14. supra.

In Mamercum obtrectatorem. XXIX.

UT bene loquatur, sentiatque Mamercus,
Efficere nullis, Aule, moribus possis:
Pietate fratres Curtios licet vincas,
Quiete Nervas, Comitate Rufones,

O Aule, nullis moribus valeas consequi, ut Mamercus recte loquatur & cogitet. Quamvis pietate superes Curtios fratres, tranquillitate Nervas, affabilitate Rufones, integritate

Pro-

Probitate Marcos, æquitate Mauricos,
Oratione Regulos, jocis Paullos.
Rubiginosis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forlan esse tu credas:
Ego esse miserum credo, cui placet nemo.

Marcos, æquitate Mauricos, eloquentia Regulos, salibus Paullos. Exedit omnia rubiginosis dentibus. Tu forte putes hominem malitiosum, ego puto esse infelicem, cui nullus arridet.

Senatuque.] A persona Mamerci cujusdam maledici occasionem captat laudandi nobiles Romanorum familias, quarum cuique propriam quandam virtutem tribuit Poëta. Alii lemma scribunt *ad Aulum.*

Fratres Curtios.] Alii *Curtos*, sed repugnat legi hujus carminis; nam syllaba prima est brevis. Juvenalis sat. 2.

Qui Curios simulant, &c.

Attamen per ectasin posset produci. Itaque judicet lector.

Quiete Nervas.] Nervam, qui Domitiano successit, intelligunt interpretes, cujus mite ingenium fuisse testatur. Xiphilinus.

Comitate Rusones.] Alii *Drusones*, de quibus nihil reperi.

Mauricos.] Junii Maurici mentionem facit Plinius junior lib. 4. epist. 22.

Oratione Regulos.] Vide epig. 112. lib. 1. & epig. 16. lib. 4.

Ego esse miserum.] Vere quidem miser est, cui nihil placet, qui nullum amat, nec a quoquam amatur, Epig. 61. infra.

Ad Gelliam mulierem deformem. XXX.

SI quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis,
Formosus septem, Marce, diebus eris.
Si non derides, si verum, lux mea, narras:
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

O Gellia, si quando ad me mittis leporem: O Marce, inquis, eris pulcher per septem dies. Si non ludis, ô lux mea, si profers veritatem: O Gellia, tu nunquam comedisti leporem.

Formosus.] Vulgi erat opinio, eum nempe per septem dies pulchrum fore, qui comedisset leporem. Plinius lib. 28. cap. 19. explicat, quis usus sit leporis mulieribur.

Edisti.] quia deformis es.

Ad Varronem
egregium Poëtam, ut legat ejus libros. XXXI.

VARRO Sophocleo non infciande cothurno,
Nec minus in Calabra suspicie e lyra,
Differ opus: nec te facundi scena Catulli
Detineat, cultis aut elegia comis.
Sed lege fumoso non aspernanda Decembri
Carmina, mittuntur quæ tibi mense suo.
Commodius nisi forte tibi, potiusque videtur,
Saturnalitias perdere, Varro, nuces.

O Varro non amovende a cothurno Sophocleo, nec minus admirande in lyra Calabra; intermitte laborem: nec scena eloquentis Catulli te occupet, aut elegia capillis exornata. At evolve versus non contemnendos fumoso Decembri, qui ad te mittuntur mense suo. Nisi, ô Varro, forte opportunius & gratius tibi videtur amittere unces Saturnalitias.

Varro Sophocleo.] Tragicum Poëtam fuisse Varronem constat ex hoc epigrammate: dixit enim cothurnum Sophocleum, pro stilo tragico quo claruit Sophocles, de quo dictum est epig. 20. lib. 3.

In Calabra.] Per Calabram lyram alii intelligunt versus lyricos, quorum princeps Horatius Venusinus Calabriæ vicinus, ut ipse testatur sat. 1. lib. 2.

—— *Lucanus, an Appulus anceps.*

Alii

Nulla ducis virtus dulcior esse potest.
Jam dudum tacito rides, Germanice, naso:
Utile quod non vis, do tibi consilium.

Nulla virtus Imperatoris potest esse gratior largitate. O Germanice, jampridem rides tacito naso: offero tibi consilium fructuosum, quod respuis.

Saturnalitia.] Ligula mensuræ genus est: hic videtur sumi ut supra epig. 18. pro gladiolo argenteo, qui constaret selibra argentea sane, ut in versu sequenti loquitur de toga, quæ constaret decem scrupulis: interpretes tamen sumunt pro mensura.

Flammatave.] Togam purpuream intelligit, a flammæ ardentis similitudine, qua micat purpura.

Decem scrupula.] Auri nempe; nam decem argenti scrupulis non emeris togam purpuream. Est autem scrupulum vicesima quarta pars unciæ; in libra autem 12. erant unciæ. De scrupulis jam dictum epig. 89. lib. 4.

Qui crepet aureolos.] Nummos aureos clientibus numeret; nam dum numerantur crepitum edunt. Alii hoc epigramma superiori adjungunt.

Ad Martialem de agenda vita beata. XXI.

Si tecum mihi, care Martialis,
Securis liceat frui diebus,
Si disponere tempus otiosum,
Et veræ pariter vacare vitæ:
Nec nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricas, forumque triste
Nossemus, nec imagines superbas.
Sed gestatio, fabulæ, libelli,
Campus, porticus, umbra, virgo, thermæ,
Hæc essent loca semper, hi labores.
Nunc vivit sibi neuter heu, bonosque
Soles effugere, atque abire sentit,
Qui nobis pereunt, & imputantur.
Quisquam vivere cum sciat, moratur?

O Dilecte Martialis, si mihi fas sit tecum consumere dies tutos, si frui tempore vacuo, & simul indulgere veræ vitæ: nec cognovissemus aulam, nec ædes divitum, nec caussas molestas, & forum mæstum, nec fastosas imagines. At gestatio, fabula, libri, campus, porticus, umbra, virgo, thermæ, hæc perpetuo essent loca; hæ occupationes. Neuter heu nunc sibi vivit, atque intelligit elabi, atque effluere dies felices, qui occidunt nobis, & nobis *numerantur. An quisquam cunctatur vivere, cum norit* quid sit vita beata?

Si tecum.] Vide epig. 64. lib. 4. de eodem Julio Martiali.

Et veræ.] Lege epig. 16. lib. 1. & epig. 90. lib. 2. vera vita apud nostrum poëtam accipitur, pro eo tempore quo indulgemus voluptatibus honestis, ut jam dictum est supra.

Imagines superbas.] hoc est, non coleremus nobiles superbos, qui de longa stemmatum, atque imaginum serie gloriantur, epig 90. lib. 2.

Atriaque immodicis arctat imaginibus.

Gestatio.] Significat vectionem, quæ vel lectica, vel vehiculo heret; significat quoque deambulationem arboribus opacam, atque amœnam. Plinius jun. lib. 2. epist. 17. *Gestatio buxo, aut rore marino, ubi deficit buxus, ambitur.*

Virgo.] Aquam virginem intellige, de qua lib. 6. epig. 42. & Marlianus lib. 6. cap. 15. & Plinius lib. 31. cap. 3.

Bonosque.] Nempe ad vivendum hilariter.

Et imputantur.] hoc est, alius dies non redditur, pro eo quem inutiliter absumpsisti, epig. 44. lib. 10.

Gaudia tu differs, at non & stamina differt
Atropos, atque omnis scribitur hora tibi.

De

De Apollonio oblivioso. XXII.

QUINCTUM pro Decimo, pro Crasso, Regule, Macrum
Ante salutabat rhetor Apollonius.
Nunc utrumque suo resalutat nomine, quantum
Cura, laborque potest! scripsit & edidicit.

O Regule, Apollonius rhetor antea salutabat Quinctum pro Decimo, & Macrum pro Crasso. Nunc salutat utrumque suo nomine, quantum cura, & labor prodest! scripsit, & edidicit.

Quinctum.] Apollonium rhetorem facete irridet, qui vel duo amicorum nomina tenere memoria nequiret.
Macrum.] Alii *Marcum* minus bene meo judicio: jocus est in nominibus ut ostendat ineptiam Apollonii, qui contraria, & secum prorsus pugnantia dicat.
Quantum cura.] Videtur alludere ad illud Virgilii,
—— *labor improbus omnia vincit.*
Apollonius enim assiduo labore edidicit duo amicorum nomina.

In Paullum quem domi mane non repererat. XXIII.

MANE domi si te merui, voluique videre,
Sint mihi, Paulle, tuæ longius Exquiliæ.
Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ;
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem.
Alta suburrani vincenda est semita clivi,
Et nunquam sicco sordida saxa gradu.
Vixque datur longas mulorum vincere mandras,
Quæque trahit multo marmora fune vides.
Illud adhuc gravius, quod te post mille labores,
Paulle, negat lasso janitor esse domi.
Exitus hic operis vani, togulæque madentis,
Vix tanti Paullum mane videre fuit.
Semper inhumanos habet officiosus amicos:
Rex, nisi dormieris, non potes esse meus.

O Paulle, si meritus sum, atque optavi mane videre te domi, tuæ Exquiliæ a me distent longius. Sed habito prope pilam Tiburtinam, qua agrestis Flora spectat Jovem veterem. Superanda est alta semita clivi suburrani, & saxa cœnosa nunquam gradu sicco. Et vix licet superare longas mandras mulorum, & marmora quæ cernis trahi multis funibus. Illud adhuc molestius, ô Paulle, quod post mille labores mihi defatigato janitor respondet te non esse domi. Hic est eventus laboris inanis, & togulæ madentis, vix tanti fuit mane cernere Paullum. Officiosi semper sunt amici inofficiosi; nequis esse meus dominus, nisi dormieris.

Si te merui.] hoc est, tua domus a mea longius distet, non recuso tamen te adire, si merear te domi reperire, & tibi salutem dicere: *si te* legunt alii, *nisi te*, id est, mihi etiam longius iter sit suscipiendum, nisi merear, & cupiam te videre. Eligat lector. Exquiliæ vero locus erat urbis valde distans a pila Tiburtina, ubi erat templum Floræ, unde Capitolium vetus prospiciebatur. Marlianus lib. 5. cap. 9. & 26.
Alta suburrani.] Ad montem Exquilinum per suburram ascendebatur.
Vincere mandras.] Ovium, boum, mulorum septa, & claustra mandræ proprie appellantur, hic vero mandra significat longam mulorum seriem & multitudinem. Juvenalis sat 3.
——*stantis convitia mandræ.*
Quæque trahit.] Viarum impedimenta eleganter describit Juvenalis sat. 3.
Negat lasso.] Idem dixit epig. 5. lib. 2.

Toga-

Togulaque madentis.] Vel pluvia, vel sudore propter longitudinem itineris.

Vix tanti.] Vix suscipiendus esset tantus labor, etiamsi certus essem te domi futurum, quam ergo moleste feram, post tot labores domi non reperire te, judices velim.

Rex nisi] Si cupis esse meus patronus seu dominus, dormi tantisper, donec salutatum te adveniam. His verbis innuit Poëta Paullum summo mane exire, ut & ipse alios salutaret, epig. 18. lib. 2.

Ad Bassum fictum equitem. XXIV.

HERBARUM fueras indutus, Basse, colores,
Jura theatralis dum siluere loci.
Quæ postquam placidi censoris cura renasci
Jussit, & Oceanum certior audit eques:
Non nisi vel cocco madida, vel murice tincta
Veste nites, & te sic dare verba putas.
Quadringentorum nullæ sunt, Basse, lacernæ:
Aut meus ante omnes Codrus haberet equum.

O Basse, indueras vestes herbei coloris, dum abrogatæ fuerunt leges loci theatralis: quas renovari postquam imperavit cura benigni censoris, & eques distinctus audit Oceanum: Non splendes nisi vestimento perfuso cocco atque imbuto murice, & sic credis imponere designatori. O Basse, nullæ lacernæ valent quadringentis: aut meus Codrus esset eques præ omnibus.

Herbarum fueras.] Vestes virides intelligit Poëta: legem vero theatralem, qua equites a plebe in amphitheatro distincti sunt, revocavit Domitianus, quem benignum censorem vocat. Epig. 8. & 14. supra.

Veste nites.] ut videaris verus eques.

Quadringentorum.] Quamvis vestibus purpureis sis indutus, illæ tamen non æstimantur quadringentis millibus sestertium, quæ censum equestrem constituebant.

Aut meus.] Licet enim pauperrimus, ut vidimus lib. 2. epig. 57 lacernam tamen coccineam posset sibi comparare. Legunt alii *Cordus*.

De Hermete præstantissimo gladiatore. XXV.

HERMES Martia seculi voluptas,
Hermes omnibus eruditus armis,
Hermes & gladiator, & magister.
Hermes turba sui tremorque ludi.
Hermes, quem timet Ælius, sed unum.
Hermes, cui cadit Advolans, sed uni,
Hermes vincere nec ferire doctus,
Hermes suppositirius sibi ipsi,
Hermes divitiæ locariorum,
Hermes cura, laborque ludiarum,
Hermes belligera superbus hasta,
Hermes æquoreo minax tridente,
Hermes casside languida timendus,
Hermes gloria Martis universi,
Hermes omnia solus, & ter unus.

Hermes deliciæ Martiæ hujus *temporis; Hermes doctus omni* genere *armorum; Hermes & gladiator & magister; Hermes perturbatio & terror sui ludi; Hermes, quem veretur Ælius, at solum; Hermes, a quo sternitur Advolans, at soli; Hermes sciens superare, nec percutiendo; Hermes qui sibi ipsi sufficitur; Hermes divitiæ locariorum; Hermes amor & sollicitudo ludiarum; Hermes superbus hasta bellica; Hermes horrificus tridente marino; Hermes metuendus tete languenti; Hermes decus universi Martis; Hermes solus omnia, & ter unus.*

Et gladiator.] Is nempe est qui in arena spectante populo pugnat. Magister vero gladiatorum Lanista dicitur, qui toti familiæ præest, illamque docet artem gladiatoriam.

Tremor-

Tremorque ludi.] quem arma gerentem reformidat omnis gladiatorum familia.

Quem timet Ælius.] Gladiator proximus ab Hermete.

Advolans.] alter gladiator nobilis.

Nec ferire.] Sic enim adversarium implicabat, ut sine ictu illum vinceret, vel qui victo adversario parcebat. Vulgata lectio *sed ferire.*

Suppositicius.] Gladiatores suppositicii erant ii qui defatigatis & victis aliis sufficerentur: Hermes vero pugnando nunquam defatigabatur, atque ita non indigebat suppositicio.

Divitiæ locariorum.] Pauperes qui loca commoda in spectaculis a se occupata divitibus tarde venientibus locarent, locarii dicebantur.

Laborque ludiarum.] Uxores vel amicæ gladiatorum ludiæ dicebantur, quæ omnes Hermetem amabant, eumque salvum anxie cupiebant.

Superbus hasta.] Samnites ante pugnam vibrabant hastas, quos æmulabatur Hermes, atque plausum populi captaret, in prælusione hastam mirifice vibrabat.

Æquoreo minax.] Retiarius nimirum, qui adversus Mirmillonem reti & tridente utebatur. Juvenalis sat. 8.

——— *movet ecce tridentem*
Postquam vibrata pendentia retia dextra
Nec quicquam effudit.

Armaturam retiarii expressam vide apud Lipsium lib. 2. Sat. cap. 8.

Hermes tassidе.] Hunc versum explicat Lipsius lib 2. Sat. cap. 12. Martialem, inquit, de Andabata interpretor, ubi Hermetem gladiatorem attollit, & variis armis pugnacem facit: quid enim aliud sit languida illa cassis, quam hæc quæ tenebras & languidam caliginem inducit, qua nempe tegebantur Andabatæ, qui cœcorum more pugnabant. Sic Lipsius. Sed forte intelligit Poëta Hermetem fuisse etiam egregium Mirmillonem. In Mirmillonis galea picta erat piscis; unde cum retiarius esset v bratturus retia, aiebat, Non te peto, piscem peto. Hunc autem versum ita explico, nempe Hermetem fuisse tremendum, licet galea ejus esset remissa & veluti neglecta, id est *languida*, cum ageret partes Mirmillonis. Ergo erat minax cum moveret hastam, cum esset retiarius, & aliquando Mirmillo. Itaque solus obibat officia trium gladiatorum. Hinc liquet sensus ultimi versus.

De Chæreſtrato

expulso ex 14. subselliis propter paupertatem. XXVI.

QUADRINGENTA tibi non sunt, Chæ-
 restrate, surge.
Lectius ecce venit; sta, fuge, curre, late.
Ecquis, iô, revocat? discedentemque redu-
 cit?
 Ecquis, iô, largas pandit amicus opes?
Quem chartis famæque damus, populisque
 loquendum,
 Qui Stygios non vult totus adire lacus?
Hoc, rogo, non melius, quam rubro pulpi-
 ta nimbo
 Spargere, & effuso permaduisse croco?
Quam non sensuro dare quadringenta cabal-
 lo,
 Aureus ut Scorpi nasus ubique micet?
O frustra locuples, ô dissimulator amice:
 Hæc legis & laudas: quæ tibi fama perit?

O Chæreſtrate, non habes quadringenta, surge, en Lectius advenit: sta, fuge, propera, delitesce. Ecquis, io, retrahit, & reducit abeuntem? Ecquis, io, amicus offert amplas divitias? Quem prædicandum tradimus chartis, & famæ, & populis? Quis cupit non omnis mori? Hoc, quæso, nonne melius est quam irrigare pulpita pluvia rubra, & perfundi croco dispersо? Quam donare quadringenta equo non sentiro, ut aureus nasus Scorpi splendeat ubique? O nequicquam dives, ô amice dissimulator: evolvis hæc, & probas: quantum nomen perdis?

Quadringenta.] Census nempe equestris, de quo 67. lib. 14. & epig. 8. supra.

Lectius.] Designator, qui ex quatuordecim gradibus expellebat equites censu requi-

requisito carentes.

Equus io.] Conqueritur Martialis Chærestratum abeuntem a nemine revocari; hoc est a nullo divite censum equestrem illi suppeditari.

Qui Stygias.] Quis omni ex parte perire non vult, sed liberalitate nomen suum immortalitati mandari cupit?

Hoc, rogo.] Sensus est: Nonne præstaret pecunia famam emere, quam maximas im pensas facere in res inanes?

Quam rubro.] Croco scilicet amphitheatrum spargere. Vide epig. 3. lib. Spect.

Quam non sensuro.] hoc est, quam ponere statuas equo non sensuro.

Auritus.] Lib. 10. epig. 74.

Cum Scorpus una quindecim graves hora
Ferventis auri victor afferat saccos.

Unde mirum videri non debet auream illi statuam positam fuisse: nasus per synecdochen sumitur pro tota statua. Legunt alii *Æreus ut Scorpi*, de quo dictum epig. 67. lib. 4. & epig. 50. 53. lib. 3.

O frustra locuples.] Qui divitiis uti nescis, meæque paupertatis notitiam dissimulas. Legunt alii. *O dissimulator amici.*

Quæ tibi.] Quantam famam tibi compa rares, mihi divitias largitus, ut meis carminibus nomen tuum posteritati commendarem.

Ad Codrum, quem mendicum vocaverat. XXVII.

QUOD alpha dixi, Codre, penulatorum,
Te nuper, aliqua cum jocarer in charta:
Si forte bilem movit hic tibi versus,
Dicas licebit beta me togatorum.

O Codre, quod paucis ante diebus te vocavi alpha penulatorum, cum luderem in aliqua charta: si forte hoc carmen tibi concitavit iracundiam, poteris me appellare beta togatorum.

Quod alpha.] Irridet Codrum, quem lib. 2. epig. 57. dixerat alpha penulatorum, hoc est mendicorum primum.

Dicas licebit.] Ut pares simus jam me voca beta togatorum, hoc est secundum inter egenos, qui togam ferebant.

In fictum equitem. XXVIII.

INGENIUM, studiumque, tibi moresque, genusque
Sunt equitis, fateor; cætera plebis habes.
Bis septena tibi non sunt subsellia tanti,
Ut sedeas viso pallidus Oceano.

Habes ingenium, & studium, & mores, & stirpem equitis, confiteor; in reliquis vero plebeius es. Non facis tanti quatuordecim subsellia, ut pallidus sedeas conspecto Oceano.

Sunt equitis, fateor.] Hoc per ironiam concedit Martialis. Aliter inscribit hoc epigramma Gronovius, *De non respondenti natalibus suis*, & explicat sic: Iste quicumque est non inferebat se equestri ordini; sed cum equestri loco natus esset, vitabat tamen quatuordecim ordines, propter deficientem censum.

Cætera plebis habes.] hoc est, non habes censum equestrem.

Bis septena.] Non æstimas tanti quatuordecim subsellia, ut paupertatis conscius in iis sedere audeas viso Oceano designatore, de quo epig. 95. lib. 3. & quatuordecim gradibus suse dictum epig. 8. & 14. supra.

In Mamercum obtrectatorem. XXIX.

UT bene loquatur, sentiatque Mamercus,
Efficere nullis, Aule, moribus possis:
Pietate fratres Curtios licet vincas,
Quiete Nervas, Comitate Rusones,

O Aule, nullis moribus valeas consequi, ut Mamercus recte loquatur & cogitet. Quamvis pietate superes Curtios fratres, tranquillitate Nervas, affabilitate Rufones, integritate

Pro-

Probitate Marcos, æquitate Mauricos,
Oratione Regulos, jocis Paullos.
Rubiginosis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forsan esse tu credas:
Ego esse miserum credo, cui placet nemo.

Marcos, æquitate Mauricos, eloquentia Regulos, salibus Paullos. Exedit omnia rubiginosis dentibus. Tu forte putes hominem malitiosum, ego puto esse infelicem, cui nullus arridet.

Sentiatque.] A persona Mamerci cujusdam maledici occasionem captat laudandi nobiles Romanorum familias, quarum cuique propriam quandam virtutem tribuit Poëta. Alii lemma scribunt *ad Aulum.*

Fratres Curtios.] Alii *Curios*, sed repugnat legi hujus carminis; nam syllaba prima est brevis. Juvenalis sat. 2.

Qui Curios simulant, &c.

Attamen per ectasin posset produci. Itaque judicet lector.

Quiete Nervas.] Nervam, qui Domitiano successit, intelligunt interpretes, cujus mite ingenium fuisse testatur. Xiphilinus.

Comitate Rusones.] Alii *Drusones*, de quibus nihil reperi.

Mauricos.] Junii Maurici mentionem facit Plinius junior lib. 4. epist. 22.

Oratione Regulos.] Vide epig. 112. lib. 1. & epig. 16. lib. 4.

Ego esse miserum.] Vere quidem miser est, cui nihil placet, qui nullum amat, nec a quoquam amatur, Epig. 61. infra.

Ad Gelliam mulierem deformem. XXX.

SI quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis,
Formosus septem, Marce, diebus eris.
Si non derides, si verum, lux mea, narras:
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

O Gellia, si quando ad me mittis leporem: O Marce, inquis, eris pulcher per septem dies. Si non ludis, ô lux mea, si profers veritatem: O Gellia, tu nunquam comedisti leporem.

Formosus.] Vulgi erat opinio, eum nempe per septem dies pulchrum fore, qui comedisset leporem. Plinius lib. 28. cap. 19. explicat, quis usus sit leporis mulieribus.

Edisti.] quia deformis es.

Ad Varronem egregium Poëtam, ut legat ejus libros. XXXI.

VARRO Sophocleo non inficiande cothurno,
Nec minus in Calabra suspiciende lyra,
Differ opus: nec te facundi scena Catulli
Detineat, cultis aut elegia comis.
Sed lege fumoso non aspernanda Decembri
Carmina, mittuntur quæ tibi mense suo.
Commodius nisi forte tibi, potiusque videtur,
Saturnalitias perdere, Varro, nuces.

O Varro non amovende a cothurno Sophocleo, nec minus admirande in lyra Calabra; intermitte laborem: nec scena eloquentis Catulli te occupet, aut elegia capillis exornatis. At evolve versus non contemnendos fumoso Decembri, qui ad te mittuntur mense suo. Nisi, ô Varro, forte opportunius & gratius tibi videtur amittere nuces Saturnalitias.

Varro Sophocleo.] Tragicum Poëtam fuisse Varronem constat ex hoc epigrammate: dixit enim cothurnum Sophocleum, pro stilo tragico quo claruit Sophocles, de quo dictum est epig. 20. lib. 3.

In Calabra.] Per Calabram lyram alii intelligunt versus lyricos, quorum princeps Horatius Venusinus Calabriæ vicinus, ut ipse testatur sat. 1. lib. 2.

—— *Lucanus, an Appulus anceps.*

Alii

Alii vero intelligunt versus heroïcos, quibus floruit Ennius Calaber, natus quippe Aletii, hodie *Lecci*. Judicet lector.

Scena Catulli.] Mimos forte intelligit a Catullo scriptos. Juvenalis sat. 8.

—— *clamosum ageres ut phasma Catulli.*

hoc est fabulam dictam phasma, id est spectrum, a Catullo mimographo scriptam. Raderus interpretatur suavitatem versuum Catulli, & amœnitatem, quæ omnes etiam Scenarum voluptates superet.

Cultis aut elegis.] Stilum cultum requirit elegia. Hinc cultus Tibullus dicitur.

Sed lege fumoso.] Hoc enim mensæ calet focus, & fumum mittit.

Quæ tibi mensæ suo.] Hæc nempe epigrammata læto Decembri conveniunt, quo aguntur Saturnalia.

Saturnalitias.] Nisi mavis ludere talis & perdere nuces. Sic maxime deprimit se Martialis, qui suorum, versuum lectioni etiam præferendas nugas censere videtur; aut potius ipsos nugatores carpit.

De ludo puerorum cum juvencis. XXXII.

ADSPICE, quam placidis insultet turba juvencis,
Et sua quam facilis pondera taurus amet,
Cornibus hic pendet summis: vagus ille per armos
Currit, & in toto ventilat arma bove.
At feritas immota riget, non esset arena
Tutior, & possent fallere plana magis.
Nec trepidant gressus, sed de discrimine palmæ
Securus puer est, solicitumque pecus.

Vide quam mansuetos in tauros insiliat agmen puerorum, & quam leni juvenco placeant sua pondera? Hic suspensus est summis cornibus: ille errans currit per humeros, & vibrat arma per totum taurum. Sed immanitas immobilis torpet, arena non esset securior, & plana possent magis decipere. Nec incessus titubat, at puer est tutus de periculo victoriæ, pecus vero anxium.

Insultet turba.] puerorum nempe tauris insidentium.

Et in toto.] hoc est vibrat tela ex omnibus taurorum partibus.

At feritas.] Illi quippe tauri vel certe defatigati, vel potius erant cicures.

Et possent.] Alii *& poterant.*

Nec trepidant gressus.] hoc est, Taurus incedens figit pedem sine ulla trepidatione. Alii legunt *gestus.*

Solicitumque pecus.] hoc est, Pueri certi sunt de victoria; tauri vero timent ne victoriæ impedimentum afferant.

Ad Faustinam de Crispo helluone. XXXIII.

QUADRANTEM Crispus tabulis, Faustine, supremis
Non dedit uxori: cui dedit ergo? sibi.

O Faustine, Crispus suo testamento non donavit quadrantem conjugi. Cui ergo donavit? Sibi.

Quadrantem Crispus.] Nihil uxori moriens reliquerat; nam omnia vivus decoxerat.

Sibi.] hoc est ventri suo.

In Caussidicum maledicum XXXIV.

CARPERE caussidicus fertur mea carmina, qui sit,
Nescio. si sciero, væ tibi, caussidice.

Caussidicus dicitur reprehendere meos versus: ignoro qui sit. Si didicero, væ tibi, ô caussidice.

De Erotio defuncta. XXXV.

HANC tibi Fronto pater, genitrix Flaccilla puellam,
Oscula commendo, deliciasque meas.
Pallida nec nigras horrescat Erotion umbras,
Oraque Tartarei prodigiosa canis.
Impletura fuit sextæ modo frigora brumæ,
Vixisset totidem ni minus illa dies;
Inter tam veteres ludat lascivà patronos,
Et nomen blæso garriat ore meum.
Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi
Terra gravis fueris, non fuit illa tibi.

O Fronto genitor tibi, & Flaccilla mater commendo hanc puellam basia, atque amores meos. Ne Erotium pallida formide umbras nigras, atque ora portentosa canis inferni. Jamjamque completura fuit sextum annum, nisi illa vixisset sex dies minus. Lasciva ludat inter tam veteres patronos, & garriat nomen meum ore balbutiente. Nec gleba dura tegat tenera ossa, nec illi ponderosa fueris, ô tellus, non fuit illa tibi ponderosa.

Epitaphium.] Inscribunt alii *de Erotio*, alii addunt *puella*. Gronovius contendit corruptum esse hoc lemma, & scribendum, *Epitaphium Erotii ad Frontonem patrem*. Et primum versum sic explicat: Ego Flaccilla genitrix tibi, ô Fronto pater, commendo nostrum Erotion, ita ut mater adhuc superstes defuncto marito commendet filiam. Sed hic sensus vix congruat cum sequente versu:

Inter tam veteres, &c.

Erotium & Erotion dicitur, ut apud Terentium Glycerion, & Glycerium. Alii primum distichon dividunt a sequenti, sed male meo judicio; quod ipse cohærens verborum sensus demonstrat. Defunctis ergo parentibus puellam vernulam suam commendat Poëta, ut scilicet animam ejus benigne excipiant, illamque a larvis & monstris intersis tueantur.

Lasciva patronos.] hoc est, inter patrem & matrem antiquos defensores ludat in campis Elysiis.

Blæso ore.] Balbutiunt enim infantes.

Mollia nec rigidus.] Solennis fuit hæc bene precandi mortuis formula, *sit tibi terra levis*, tam a Græcis quam Latinis usurpata. Inde vero originem sumpsit, quod sepultos incantationibus esse obnoxios, quas hac pia precatione amoveri, credebant veteres; terram autem incantatis gravem esse, nec facile animæ patere iter ad sepulchrum in parentalibus existimabant. Brissonius lib. 1. de Formulis agit de his precationibus.

De Euclide ficto equite. XXXVI.

CUM sibi redire de patruelibus fundis
Ducenta clamat coccinatus Euclides,
Corinthioque plura de suburbano:
Longumque pulchra stemma repetit a Leda
Et suscitanti Lectio reluctatur:
Equiti superbo, nobili, locupleti,
Cecidit repente magna de sinu clavis.
Nunquam, Fabulle, nequior fuit clavis.

Cum Euclides coccinatus vociferatur se percipere ducenta ex fundis patruelibus, & plura ex suburbano Corinthio: & ducit longum genus a formosa Leda, & resistit Lectio expellenti illum; *subito magna clavis e sinu lapsa est equiti arroganti, illustri, diviti. O Fabulle, nunquam clavis fuit improbior.*

De patruelibus.] hoc est, ex fundis relictis sibi a fratribus patruelibus ducenta sestertia percipere se dicebat Euclides. Legunt alii & forte melius *Patrensibus*. Patræ autem urbs erat ad sinum Corinthiacum.

Coccinatus.] Veste coccinea indutus epig. 24. supra.

Corinthioque.] Atque ex agro qui erat in suburbio Corinthi, quia Euclides Corinthius fingitur.

A Leda.]

A Leda.] Matre Castoris & Pollucis, cujus fatis nota historia.

Lectio] Designatori, cujus munus erat unicuique in theatro locum assignare.

De sinu clavis.] Quæ prodidit Euclidem, ostenditque vel esse servum, qui gestabat claves ædium, vel saltem egenum, qui famulum non haberet, sed suæ domus clavem ipse gestare cogeretur.

Ad Faustinum de quodam dissimulatore. XXXVII.

LAUDATUS nostro quidam, Faustine, libello
Dissimulat, quasi nil debeat; imposuit.

O Faustine, quidam celebratus nostro libro dissimulat, quasi nihil debeat; me decepit.

Laudatus.] Suis versibus Romanos celebrabat Martialis, ut ab illis munus aliquod acciperet; hic vero, de quo loquitur, finxit se nescire dandum esse Poëtæ præmium, atque ita spem ejus defraudavit.

De Erotio puella. cujus mortem deflet, & ridet Pætum. XXXVIII.

PUELLA senibus dulcior mihi cycnis,
Agna Galesi mollior Phalantini,
Concha Lucrini delicatior stagni:
Cui nec lapillos præferas Erythræos,
Nec modo politum pecudis Indicæ dentem,
Nivesque primas, liliumque non tactum;
Quæ crine vincit Bætici gregis vellus,
Rhenique nodos, aureamque nitellam;
Fragravit ore quod rosarium Pæsti,
Quod Atticarum prima mella cerarum,
Quod succinorum rapta de manu gleba,
Cui comparatus indecens erat pavo,
Inamabilis sciurus, & frequens phœnix:
Adhuc recenti tepet Erotion busto,
Quam pessimorum lex avara fatorum,
Sexta peregit hyeme, nec tamen tota,
Nostros amores, gaudiumque, lususque,
Et esse tristem me meus vetat Pætus:
Pectusque pulsans, pariter & comam vellens;
Deflere non te vernulæ pudet mortem?
Ego conjugem, inquit, extuli, & tamen vivo,
Notam, superbam, nobilem, locupletem:
Quid esse nostro fortius potest Pæto?
Ducenties accepit, & tamen vivit.

Puella mihi suavior senibus cycnis, tenerior agna Galesi Phalantini, delicatior concha lacus Lucrini: cui nec anteponas gemmas Erythræas, nec dentem elephantis modo politum, & primas nives, & lilium illibatum; quæ coma superat vellus gregis Bætici, & nodos Rheni, atque auream nitellam; ore spiravit idem quod rosa Pæstana, quod prima mella cerarum Atticarum, quod gleba electri extorta manu, cui collatus pavo erat deformis, insuavis sciurus, & phœnix creber: Erotium adhuc tepescit busto recenti, quam confecit lex avara fatorum improbissimorum sexto anno, nec tamen absoluto, nostras delicias, & lætitiam, & ludos. Et meus Pætus prohibet me lugere; & pectus tundens, simul & evellens capillos, non erubescis legere interitum vernulæ? Ego, inquit, extuli uxorem cognitam, arrogantem, illustrem, divitem, & nihilominus respiro: quid constantius esse potest nostro Pæto? accepit ducenties, & tamen respirat.

Puella.]

Puella.] De qua jam dictum epig. 35. supra: senes Cycni eximio pollent candore, & suavissime, ut multis placet, ante mortem cantant.

Agna Galesi.] Galesus est agri Tarentini fluvius, ubi multæ oves, quarum lana est nobilissima, epig. 43. lib. 2. Duce Phalanto restauratum & habitarum Tarentum. Ergo bene legitur *Phalantini*, non *Phalanni*.

Lucrini stagni.] Lacus ille est in Campania prope Baias.

Lapillos praferas.] Pretiosos nempe, hoc est, gemmas natas in mari rubro.

Batici gregis.] Oves Bæticæ nativo colore rutilabant. Vide epig. 133. lib. 14. Bætis fluvius in Hispania hodie *Guadalquivir.*

Rhenique nodos.] Germani enim Rheni accolæ crines in nodum colligebant, epig. 3. lib. Spect.

Nitellam.] Nitellæ sunt micæ pulveris aurei inter arenas resperfæ.

Rosarium Pasti.] Rosæ Pæsti oppidi in Lucania hodie *Pesti*, suavissimum emittebant odorem. Lucania vero hodie dicitur *principauté citerieure* in regno Neapolitano. At ea regio abundat melle optimo.

Quod succinorum.] Electrum manu tritum bene olet, epig. 64. lib. 3.

Frequens phœnix.] Erotium tam pulchra fuit, ut phœnice rarior videretur, de quo diximus, epig. 7. supra.

Ducenties.] Centena millia: argure irridet Pætum, qui tam ampla hereditate accepta læto animo uxoris mortem ferebat.

In Calliodorum, quem negat esse equitem divisis bonis cum fratre. XXXIX.

Calliodorus habet censum. quis nescit? equestrem,
Sexte: sed & fratrem Calliodorus habet.
Quadringenta secat, qui dicit σῦκα μέριζε,
Uno credis equo posse sedere duos?
Quid cum fratre tibi, quid cum Polluce molesto?
Non esset Pollux si tibi, Castor eras.
Unus, cum sitis duo, Calliodore, sedetis.
Surge: solœcismum, Calliodore, facis.
Aut imitare genus Ledæ; aut cum fratre sedere
Non potes: alternis, Calliodore, sede.

O Sexte, est census equestris Calliodoro (quis ignorat?) sed & frater est Calliodoro: separat quadringenta, qui dicit, ô vide ficus, an putas duos posse sedere uno equo? quid tibi negotii, cum fratre, quid cum importuno Polluce? si non haberes Pollucem, eras Castor. O Calliodore, unus sedetis, cum sitis duo O Calliodore, surge: facis solœcismum. Aut imitare filios Ledæ, aut nequis sedere cum fratre. O Calliodore, sede alternatim.

Quadringenta.] Sestertia nempe quæ censum equestrem efficiebant. Calliodorus autem fratrem habebat cum quo dividenda erant illi quadringenta.

Σῦκα μέριζε.] hoc est, divide ficus. Proverbium hoc dicitur de iis qui cum parvam adierint hereditatem, eam tamen inter plures coheredes dividere coguntur.

Uno credis.] Calliodorus una cum fratre censum equestrem habebat: Ergo, inquit Poëta, si ex censu communi estis equites, equo pariter communi sedere debetis, & communi subsellio, quod ridiculum est.

Non esset Pollux.] Pollux & Castor filii Ledæ ex Jove, quorum ille pugil, hic vero eques, unde in nominibus facetus est Poëtæ lusus.

Unus cum.] Neque enim licet dicere, Unus sedetis; & tamen deberet dici: hoc est, Unum tantum deberetis occupare subsellium, cum unum habeatis censum equestrem. Apage ergo, ô Calliodore, facis solœcismum. Poster aliter interpungi, *unus cum sitis*: hoc est eques.

Aut imitare.] Pollux enim & Castor alternis diebus moriuntur & reviviscunt, nec unquam simul esse illis concessum est: Calliodorus pariter cum fratre simul equus esse nequibat.

In Charinum sæpius mutantem testamentum. XL.

SUPREMAS tibi tricies in anno
Signanti tabulas, Charine, misi
Hyblæis madidas thymis placentas.
Defeci: miserere jam, Charine.
Signa rarius, aut semel fac illud,
Mentitur tua quod subinde tussis.
Excussi loculosque, sacculumque.
Crœso divitior licet fuissem,
Iro pauperior forem, Charine,
Si conchem toties meam comesses.

O Charine, tibi tricies in anno signanti testamentum misi libis uncta Hyblæis thymis. Exhaustus sum: O Charine, jam miserere. Signa rarius, aut semel fac id quod tua tussis mentitur identidem. Excussi crumenam & sacculum. Quamvis fuissem locupletior Crœso, ô Charine, essem pauperior Iro, si toties comedisses meam conchem.

Hyblæis madidas.] Melle Siculo imbutas: Hybla mons Siciliæ, ubi thymus vel thymum frutex nobilis, unde flores melli conficiendo aptissimos decerpunt apes. Videtur Poëta captatorem se fingere, quo argutius captatorum artes patefaciat.

Miserere.] id est morere, aut rarius scribe testamentum.

Mentitur tua.] Sæpius enim interitum tuum pollicita spem nostram defraudavit.

Crœso.] Lydiæ rex fuit ditissimus, cujus nota est historia ex Herodoto.

Iro pauperior.] Fuit Irus homo pauperrimus, de quo Homerus Odyss. σ.

Si conchem.] Conchis fabæ genus, sive edulium ex faba. Juvenalis sat. 3.

Cujus conche tumes?

Sensus est: Si quoties signas testamentum, toties conchem tantum, non vero mellitas placentas misissem, ad extremam tamen paupertatem essem redactus.

Ad Artemidorum rudem pictorem. XLI.

PINXISTI Venerem: colis, Artemidore, Minervam,
Et miraris, opus displicuisse tuum?

Pinxisti Venerem: O Artemidore, veneraris Minervam; & obstupescis opus tuum injucundum fuisse.

Pinxisti Venerem.] Cui anteponebat Minervam, quam coleret Artemidorus; unde mirum videri non debet, Veneri deesse Veneres. Vide epig. 103. lib. 1.

In Didymum effœminatum. XLII.

SPADONE cum sis eviratior fluxo,
Et concubino mollior Celenæo,
Quem sectus ululat matris Entheæ Gallus,
Theatra loqueris, & gradus, & edicta,
Trabeasque, & Idus, fibulasque, censusque:
Et pumicata pauperes manu monstras.
Sedere in equitum liceat an tibi scamnis,
Videbo, Didyme: non licet, maritorum.

Cum sis effœminatior molli spadone, & delicatior Celenæo concubino, quem vociferatur castratus Gallus sacerdos matris Cybeles, prædicas theatra, & gradus, & edicta, & trabeas, & Idus, & fibulas, & census: atque ostendis egenos manu lævi. Considerabo, an tibi fas sit sedere in subselliis equitum: non fas est maritorum.

Et concubino.] Atyn intellige puerum a Cybele amatum. *Celenæ.*] urbs Phrygiæ, in qua natus est Atys.

Matris Entheæ.] hoc est Cybeles sacerdotes nempe suos in furorem vertentis.

Theatra loqueris.] hoc est, ore superbo sermonem facis de edictis Domitiani in theatro servandis, epig. 8. supra.

Tra-

Trabeas.] De quibus Bayfius de re vestiaria cap. 10. Vestes interpretare purpureas quas gestabant equites, cum Idibus Julii, quo die victoriam olim reportaverant, coronati frondibus oleæ transveherentur initio pompæ facto ab æde Martis. De hac pompa agit Dionysius Halic. lib. 6. Antiquitatum Rom. & Valerius Maximus lib. 11. cap. 11.

Fibulasque.] Quas in trabea vel chlamyde gestabant equites ut nobilitatis insignia.

Et pumicata.] hoc est pumice polita manu per contemptum monstras pauperes.

Videbo.] An sis verus eques, si nempe designatores permiserint sedere te in quatuordecim subselliis.

Non licet] sedere in scamnis maritorum, quia spado es, vel effœminatus ut spado. Ordinem vero maritorum olim in theatro constituerat Augustus. Suetonius in Augusto cap. 44.

Amicis esse donandum. XLIII.

CALLIDUS effracta nummos fur auferet arca:
Prosternet patrios impia flamma Lares.
Debitor usuram pariter, sortemque negabit.
Non reddet sterilis semina jacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica:
Mercibus extructas obruet unda rates.
Extra fortunam est quidquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Fur versutus abripiet nummos effracta arca: ignis impius profligabit ædes paternas. Debitor negabit fœnus simul, & sortem. Ager sterilis non restituet semina commissa. Amica fraudulenta denudabit dispensatorem: aqua opprimet naves oneratas mercibus. Non est obnoxium fortunæ, quidquid datur amicis. Perpetuo possidebis solas divitias, quas donaveris.

Amicis esse.] Inscribunt alii *Amicis quod datur non perire.*

Callidus effracta.] Partium enumeratione probat Poeta divitias omnis generis casu perire posse, præter eas quæ donantur amicis.

Dispensatorem.] Servus nempe qui familiæ rationes administrat, domini pecuniam amicæ donare potest.

Quas dederis.] Memores amici accepta beneficia reponunt.

De Thaide & Lecania, quarum dentes irridet. XLIV.

THAIS habet nigros, niveos Lecania, dentes.
Quæ ratio est? emtos hæc habet, illa suos.

Thaidi nigri sunt dentes, candidi Lecaniæ. Quæ de causa? Hæc habet emptos, illa vero suos.

Thais habet.] De emtis dentibus lib. 1. epig. 73. & epig. 23. lib. 12. *Emptos hæc habet,* nimirum Lecania.

In Dentonem helluonem. XLV.

QUID factum est, rogo, quid repente factum?
Ad cœnam mihi, Dento, quod vocanti,
Quis credat, quater ausus es negare.
Sed nec respicis, & fugis sequentem:

Quid contigit, quæso, quid subito contigit? O Dento, quis putet quod non dubitasti quater recusare mihi invitanti te ad cœnam? Sed nec respicis, & vitas sequentem?

Quem

Quem thermis modo quærere, & theatris,
Et conclavibus omnibus solebas.
Sic est: captus es unctiore cœna,
Et major rapuit canem culina.
Jam te: sed cito cognitum, & relictum,
Cum fastidierit popina dives,
Antiquæ venies ad ossa cœnæ.

quem consueveras paulo ante requirere thermis & theatris, atque omnibus conclavibus. Ita se res habet: allectus es cœna pinguiore, & culina amplior jam attraxit te canem: at cum popina locuples fastidio te habuerit brevi cognitum & derelictum, redibis ad ossa veteris cœnæ.

Quid factum.] Facete irridet istum Dentonem; quater ad cœnam vocatus recusaverat, qui alias per totam urbem sequi Poëtam soleret. Jocum etiam quærit Martialis a nomine Dentonis, quod videtur ex dentibus deduci. Vide epig. 14. lib. 2. Canem porro illum vocat, quod culinam unctiorem odoratus alliceretur.

Unctiore cœna] Alii *unctiore mensa.*

In Bassam mulierem deformem. XLVI.

Dicis formosam, dicis te, Bassa, puellam.
Istud quod non est, dicere Bassa solet.

O Bassa, te prædicat pulchram & puellam. Bassa solet prædicare hoc quod non est.

Bassa.] De qua jam dictum epig. 91. lib. 7.

Istud quod non est.] Alii *istud quæ non est.*

Ad Diadumenum formosum. XLVII.

Basia dum nolo, nisi quæ luctantia carpsi:
Et placet ira mihi plus tua, quam facies:
Ut te sæpe rogem, cedo, Diadumene, sæpe.
Consequor hoc, ut me nec timeas, nec ames.

Dum recuso oscula, nisi quæ libavi coacta; & gratior est ira tua, quam vultus: O Diadumene, sæpe tibi cedo, ut te sæpe exorem. Sic hoc nanciscor, ut me nec metuas, nec diligas.

Cedo.] Alii Cædo. Epig. 65. lib. 3. de Diadumeno diximus.

De Philone inope. XLVIII.

Nunquam se cœnasse domi Philo jurat, & hoc est,
Non cœnat, quoties nemo vocavit eum.

Philo jurat se nunquam cœnasse domi, & hoc est verum, nam non cœnat, quoties a nemine invitatus est.

Nunquam se.] Alii *nusquam.* Philo, inquit Poëta, non cœnat quidem domi, cum non habeat unde cœnet.

De

De Encolpo
Pudentis puero qui ex voto capillos ſecuit. XLIX.

QUID non cogit amor? ſecuit nolente capillos
Encolpus domino, nec prohibente tamen.
Permiſit, flevitque Pudens. ſic ceſſit habenis
Audaci queſtus de Phaëtonte pater.
Talis raptus Hylas, talis deprenſus Achilles
Depoſuit gaudens, matre dolente, comas.
Sed tu nec propera, brevibus nec crede capillis,
Tardaque pro tanto munere, barba veni.

Ad quid non impellit amor? Encolpus totondit crines invito hero, nec vetante tamen. Pudens conceſſit, & lacrymatus eſt. Sic genitor tradidit habenas conqueſtus de temerario Phaëtonte. Talis Hylas raptus, talis agnitus Achilles lætus abjecit capillos mærente genitrice. At tu, ô barba, nec feſtina, nec crede crinibus brevibus, & ſera creſce tanti doni gratia.

Encolpus domino.] Vide epig. 32. lib. 1. Phœbo capillos ſuos voverat iſte puer, ſi quando Pudens ſuus dominus primipilus fieret, nunc exolvit votum domino primipilarem dignitatem adepto.

Sic ceſſit.] Sic invito animo Phœbus permiſit Phaëtonti ſuum currum moderari: nota hæc fabula ex Ovidio.

Talis raptus.] Hercules monuerat Hylam ne iret aquatum, attamen petenti puero recuſare nequivit, unde raptus eſt a Nymphis, epig. 19. lib. 3. Alii aliter explicant.

Talis deprenſus] Nota Achillis hiſtoria, qui ab Ulyſſe apud Lycomedem deprenſus Trojam profectus eſt lugente Thetide, utpote ſciente quod fatum maneret Achillem.

Levibus nec crede.] Ex eo quod breves capillos habeat Encolpus, ne credas, ô barba, illum jam virum evaſiſſe: delicati pueri comas tondebant anno 17.

Ad Labienum calvum. L.

VIDISSEM modo forte cum ſedentem
Solum te, Labiene: treis putavi,
Calvæ me numerus tuæ fefellit,
Sunt illinc tibi, ſunt & hinc capilli,
Quales nec puerum decere poſſint.
Nudum eſt in medio caput, nec ullus
In longa pilus area notatur.
Hic error tibi profuit Decembri,
Tunc cum prandia miſit Imperator,
Cum panariolis tribus rediſti.
Talem Geryonem fuiſſe credo.
Vites cenſeo porticum Philippi,
Si te viderit Hercules, periſti.

O Labiene, cum forte paulo ante te ſpectaſſem ſolum ſedentem: exiſtimavi tres, numerus tuæ calvæ me decepit, habes ex hac & illa parte crines, quales nec poſſint ornare puerum. Caput nudum eſt in medio, nec ullus pilus ſpectatur in longa area. Hic error te juvit menſe *Decembri; tunc cum Imperator miſit prandia: reverſus es cum tribus panariolis. Exiſtimo Geryonem fuiſſe* tibi *ſimilem. Moneo* ut *fugias porticum Philippi: ſi Hercules te aſpexerit, occidiſti.*

Tres putavi.] Tempora Labieni erant capillata, medium vero caput erat glabrum; atque ita tria fuiſſe capita facete dicit, epig. 83. lib. 10.

Quales nec.] Etiamſi ad ornandum pueri caput pauciſſimi requirantur.

In longa area.] hoc eſt, in ſumma calva.

Decembri.] hoc eſt, ſaturnalibus, quibus ultro citroque dona mittebantur.

Cum prandia.] Tunc enim Domitianus opsonia plebi distribuebat, unus autem Labienus cum trium hominum speciem referret, tres quoque sportulas referre debuit.

Talem Geryonem.] Qui triceps victus est ab Hercule. Hæc nota historia, de qua iterum infra epig. 66.

Porticum.] Ubi erat Herculis statua. Jocus elegans quæsitus a calva Labieni; ut enim Domitianus erravit in sportulis distribuendis, uni tibi tres largitus, ita errans Hercules te pro Geryone invadet.

In Charopinum cœnæ captatorem importunum. LI.

COeno domi quoties, nisi te, Charopine, vocavi,
Protinus ingentes sunt inimicitiæ;
Meque petis stricto medium transfigere ferro,
Si nostrum sine te scis caluisse focum.
Nec semel ergo mihi furtum fecisse licebit?
Improbius nihil est hac, Charopine, gula:
Desine jam nostram, precor, observare culinam,
Atque aliquando meus det tibi verba coquus.

O Charopine, quoties cœno domi, nisi te invitavi, statim graves inimicitia intercedunt; & quæris me transadigere educto gladio, si noviſti caluisse nostrum focum sine te. Nec igitur mihi permittetur semel fecisse furtum? O Charopine, nihil pejus est hac belluatione: jam cessa spectare nostram culinam, & meus coquus aliquando te circumveniat.

Si nostrum.] hoc est, si scis me domi cœnasse, te non vocato.

Nec semel.] id est, non licebit mihi vel semel domi cœnare te inscio?

Ad Rufum de caussidico inurbano. LII.

HIc qui libellis prægravem gerit lævam,
Notariorum quem premit chorus lævis,
Qui codicillis hinc & inde prolatis,
Epistolisque commodat gravem vultum
Similis Catoni, Tullioque, Brutoque;
Exprimere, Rufe, fidiculæ licet cogant,
Ave Latinum, χαῖρε non potest Græcum.
Si fingere me istud putas, salutemus.

Hic qui gestat sinistram onustam libellis, quem circumdat mollis corona notariorum, qui accommodat grave supercilium epistolis, & codicillis hinc & hinc oblatis, par Catoni & Ciceroni, & Bruto; O Rufe, quamvis fidiculæ cogant, nequit proferre ave latinum, nec χαῖρε græcum. Si credis a me excogitari istud, salutemus illum.

Prægravem gerit.] Libellos vel supplices, vel accusatorios palam ferebat in via hic caussidicus, ut negotiorum suorum multitudinem populo ostentaret. De notario vide lib. 14. epig. 208. *Lævis* male *levis* propter legem carminis.

Qui codicillis.] hoc est, qui attente, & sublato supercilio aures præbet codicillis. Sunt autem codicilli, parvi quidam & breves codices, in quibus veteres supremas suas voluntates scribebant, non adhibitis iis solennitatibus, quæ in testamentis requireban tur. Porro Codices erant tabulæ ligneæ unde codicilli dicti, in quibus scribebant veteres.

Similis Catoni.] Non humanitate quidem, aut moribus, sed negotiorum multitudine & gravitate. Cato, Tullius, & Brutus percussor Cæsaris, viri sunt notissimi.

Fidiculæ.] Adeo inurbanus est, ut nec tormentis cruciatus possit adduci ad reddendam salutem vel Græce, vel Latine. Raderus aliter: hoc est, inquit, adeo imperitus est hic caussidicus, ut ave Latinum quidem proferre possit, græcum vero nequeat χαῖρε, id est, ave. Eligat lector. Fidiculæ quæ in tormentis numerantur, inquit Turnebus lib. 4. cap. 3. mihi videntur lascivia quadam joci nomen invenisse, quod ut in fidibus

nervi,

nervi, item quoque ut nervi hinc & inde multis funibus homines distendebantur, sed & illa machina funes multos ut nervos habebat.

In Postumum passim commemorantem sua beneficia. LIII.

QUÆ mihi præstiteris memini, semperque tenebo:
Cur igitur taceo, Postume? tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat, Dixerat ipse mihi.
Non belle quædam faciunt duo, sufficit unus
Huic operi. si vis, ut loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Postume, dones,
Auctoris pereunt garrulitate sui.

Recordor eorum *quæ in me contuleris, & recordabor in æternum: cur ergo sileo, ô Postume?* quia *tu loqueris. Quoties exordior narrare alicui tua munera, statim exclamat, Ipse mihi narraverat. Quædam non fiunt convenienter a duobus, unus par est huic operi: si placet, ut loquar, ipse tace. O Postume, crede mihi, licet des ingentia, intereunt loquacitate sui auctoris.*

Tu loqueris.] Lege Senecam lib. 2. de beneficiis cap. 10. & 11. dantem oportet oblivisci, inquit Poëta, meminisse vero solum accipientem.

Quamvis ingentia dones.] Alii,

Quamvis ingentia, Postume, dona.

Pereunt.] Beneficia enim a se collata commemoranti nulla amplius gratia debetur.

Ad Bassum vilem Poëtam. LIV.

COLCHIDA quid scribis, quid scribis, amice, Thyesten?
Quid tibi vel Niobe, Basse, vel Andromache?
Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
Deucalion, vel, si non placet hic, Phaëton.

O *amice, quid componis* fabulam *Medea & Thyesta, O Basse, quid Niobe aut Andromache tibi* materia est? *Mihi crede, Deucalion est argumentum convenientissimum tuis scriptis; aut, si hic non arridet, Phaeton.*

Colchida.] Colchis, hodie *Mengrelia*, patria Medeæ pro qua sumitur: ejus vero historia sicut & Thyestæ satis nota. Epig. 45. lib. 3. & Andromaches uxoris Hectoris ex Seneca & Euripide: Niobes in saxum conversæ ex Ovidio lib. 6. Metam. Poëta carpit hunc Bassum, qui argumentum suis versibus conveniens non sumeret: argutissime autem dicit Deucalionem & Phaëtontem materiam esse idoneam malo Poëtæ; atque ita indicat carmina Bassi vel aquis vel flammis esse digna. Deucalion fuit tempore diluvii, & illum ponit pro diluvio: Phaeton flammis periit, pro quibus hoc loco usu patur. Simile est epigramma in Anthologia lib. 2. εἰς ζωγράφους.

Quid tibi vel Niobe.] Legunt alii,

Quid tibi vel Nioben, Basse, vel Andromachen?

& subintelligendum, *scriptio est*: hoc est, quid scribis Nioben, &c. Sic apud Plautum in Aulularia,

Quid tibi meam tactio est?

hoc est, Quid meam tangis? Judicet lector.

De rhetore obliviosо. LV.

EXTEMPORALIS factus est meus rhetor:
Calpurnium non scripsit, & salutavit.

Extemporalis evasit meus rhetor: non scripsit Calpurnium, & salutavit.

Extemporalis.] Poëta irridet Apollonium rhetorem, de quo supra epig. 22. qui adeo infelicis erat memoriæ, ut nomina eorum, quos erat salutaturus, scriberet, ut ea memoriter edisceret: jam vero tantum exercitatione profectum fecerat, ut ex tempore aliquem nominare posset, etsi nomen ejus antea non scripserat.

De Aquila portante Jovem. LVI.

DIc mihi quem portes, volucrum regina? Tonantem:
Nulla manu quare fulmina gestat? amat:
Quo calet igne Deus? pueri. cur mitis aperto
Respicis ore Jovem? de Ganymede loquor.

O Avium regina, dic mihi quem feras? Jovem: cur nulla fulmina gerit manu? Amore captus est: qua flamma uritur Deus? Pueri. Cur lenis respicis Jovem ore patenti? Loquor de Ganymede.

De aquila.] Inscribunt alii, *Cum aquila portante Jovem dialogismus.*

Dic mihi.] Per se patet hoc epigramma: aquila enim Jovem portans a Poëta interrogata respondet.

Ad Lupum solicitum de filio erudiendo. LVII.

CUi tradas, Lupe, filium magistro
Quæris solicitus, diuque tentas:
Omnes grammaticosque rhetorasque,
Devites, moneo: nihil sit illi
Cum libris Ciceronis, aut Maronis,
Famæ Rutilium suæ relinquat:
Si versus facit, abdices Poëtam.
Artes discere vult pecuniosas?
Fac, discat citharœdus, aut choraules.
Si duri puer ingenî videtur,
Præconem facias, vel architectum.

O Lupe, anxius perquiris cui præceptori committas filium, & diu periculum facis; Suadeo ut fugias omnes grammaticos & rhetoras: non legat libros Ciceronis aut Virgilii, non curet existimationem Rutilii: si componit carmina, averte illum *a Poesi:* An *cupis discere artes quæstuosas? Da operam evadat citharædus aut choraules. Si puer videtur mentis stupida, efficias* illum *præconem aut architectum.*

Diuque tentas.] Alii,
Quæris solicitus diu, rogasque.
Scribitur *solicitus* atque *sollicitus.*

Omnes grammaticos.] Hoc Lupo consilium affert per ironiam, quod tunc Romæ non esset locus honestis artibus.

Famæ Rutilium.] Videtur is esse quem commendat Cicero 1. de Oratore, & Suetonius in Augusto cap. 89.

Fac discat citharœdus.] Græcus dicendi modus: hoc est, discat fieri citharœdus. Choraules is est qui tibiam in choro inflat: citharœdi vero & choraulæ ars tunc summo fuit in pretio. Sic Poëta acute carpit mores sui temporis.

Si duri puer.] Architectus sane ingenio valere debet, & multis semper laudibus fuit celebrata architectura. Sed hoc invidiose dicit Martialis, quod plus architectis & præconibus, quam viris doctis & Poëtis faverent Romani.

Ad Cinnam, quem dominum vocabat. LVIII.

CUM voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere:
Sæpe etiam ſervum ſic reſaluto meum.

O Cinna, cum te appello dominum, noli te efferre: ſic quoque crebro ſaluto meum ſervum.

Noli tibi.] Alii *nolo*, minus bene. Cinnam dominum aſſentatorie vocabat Poëta, cum aliquid ab eo impetrare vellet: ſic & ſervum appellabat, vel cum ipſi blanditur, vel cum illum irrideret.

Ad Poſtumum de percipiendis voluptatibus ſine mora. LIX.

CRAS te victurum, cras dicis, Poſtume, ſemper:
Dic mihi cras iſtud, Poſtume, quando venit?
Quam longe cras iſtud, ubi eſt, aut unde petendum?
Numquid apud Parthos, Armenioſque latet?
Jam cras iſtud habet Priami vel Neſtoris annos,
Cras iſtud quanti dic mihi poſſit emi?
Cras vives: hodie jam vivere, Poſtume, ſerum eſt;
Ille ſapit, quiſquis, Poſtume, vixit heri.

O Poſtume, perpetuo prædicas cras te fruiturum vita: O Poſtume, dic mihi quando illuceſcit iſtud cras? quam procul eſt cras iſtud, ubi eſt, aut unde accerſendum? Num deliteſcit apud Parthos & Armenios? Jam cras iſtud habet annos Priami vel Neſtoris. Dic mihi quo pretio iſtud cras comparari poſſit? Cras vives: tardum eſt: ô Poſtume, jam vivere hodie. O Poſtume, ille ſapiens eſt quiſquis vixit heri.

Cras te.] Idem eſt argumentum epig. 16. lib. 1. Voluptates nempe ſine mora eſſe percipiendas. Ludit Poëta in frequenti repetitione iſtius *cras*.

Apud Parthos.] Parthia Aſiæ regio, quam hodie vocant alii *Arach*, alii *Chorasan*. Armenia duplex: major hodie *Turcomania*; minor hodie, ſecundum aliquos, *Anadule*; ſecundum alios, *Pegian*.

Jam cras iſtud.] Moram vitæ hilari interponens annos Neſtoris vel Priami aſſecutus es, quorum ætas & hiſtoria omnibus nota eſt.

Ille ſapit.] Idem dixit epig. 16. lib. 1.

Ad Stellam cui parva munera miſerat. LX.

QUOD non argentum, quod non tibi miſimus aurum,
Hoc facimus cauſſa, Stella diſerte, tua:
Quiſquis magna dedit, voluit ſibi magna remitti;
Fictilibus noſtris exoneratus eris.

O Stella facunde, quod ad te non miſimus argentum nec aurum, hoc facimus in tuam gratiam. Quiſquis donavit ingentia, cupit ad ſe remitti ingentia: fictilia noſtra te levabunt onere.

Quod

Quod non.] hoc est, Ad te mitto parva munera, ut facile, si volueris, par pari referas: odit enim Poeta, ut ipse dicit epig. 18. hoc libro.

Dolosas munerum & malas artes. Vide epig. 56. lib. 4.

Exoneratus.] Liberatus eris onere ad me munera remittendi, cum nostra vasa futilia parvi sint momenti.

Ad detractorem cui famam denegat. LXI.

ALLATRES licet usque nos, & usque,
Et gannitibus improbis lacessas:
Certum est hanc tibi pernegare famam,
Olim quam petis in meis libellis,
Qualiscumque legaris ut per orbem.
Nam te cur aliquis sciat fuisse?
Ignotus pereas, miser necesse est;
Non deerunt tamen hac in urbe forsan
Unus, vel duo, treive, quatuorve,
Pellem rodere qui velint caninam,
Nos hac a scabie tenemus ungues.

Quamvis allatres nos semper, & semper provoces perfidiosis gannitibus: ratum est tibi recusare hanc existimationem, quam jamdiu quaeris in meis libris, ut qualitercunque sis notus per orbem. Cur enim aliquis noverit te vixisse? O aerumnose, oportet te mori incognitum. Nihilominus hac in urbe forte reperientur unus, vel duo, aut tres, aut quatuor, quibus placeat rodere pellem caninam. Nos cohibemus ungues ab hac scabie.

Gannitibus.] hoc est, maledictis & convitiis.

Pellem rodere.] hoc est, qui velint te canem insectari maledictis; invidi quippe & maledici canibus comparantur. Horatius epodon 6.

Quid immerentes hospites vexas, canis Ignavus adversum lupos?

Nos hac a scabie.] A libidine maledicendi me cohibebo, nec unquam meis in versibus legetur nomen tuum, unde famam qualemcunque colligeres.

In Marianum, quem imprudentiae accusat. LXII.

CRISPULUS iste quis est, uxori semper adhaeret
Qui, Mariane, tuae? Crispulus iste quis est
Nescio quid dominae teneram qui garrit in aurem;
Et sellam cubito dexteriore premit:
Per cujus digitos currit levis annulus omnes:
Crura gerit nullo qui violata pilo?
Nil mihi respondes? uxoris res agit, inquis,
Iste meae: sane certus, & asper homo est,
Procuratorem vultu qui praeferat ipso:
Acrior hoc Chius non erit Aufidius.
O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini,
Te successurum, credo ego, Panniculo.
Res uxoris agit? res nullas Crispulus iste:
Res non uxoris, res agit iste tuas.

O Mariane, quis est iste crispulus qui semper adhaerescit tuae conjugi? quis est iste crispulus qui susurrat in teneram aurem dominae nescio quid, & incumbit cathedrae cubito dexteriore, per cujus omnes digitos fluit levis annulus, cujus crura non sunt polluta ullo pilo? Nihilne mihi respondes? Iste, ais, administrat negotia meae conjugis: expertus quidem & gravis est homo; qui fronte ipsa exprimat procuratorem: Chius Aufidius non erit asperior hoc crispulo. O Mariane, quam merebaris colaphos Latini, ego puto te occupaturum locum Panniculi. Procuratne negotia uxoris? Iste crispulus nulla procurat negotia: iste non curat res uxoris, sed tuas.

Crispu-

Crispulus.] Poëta irridet Marianum, qui inepte crederet, quendam crispulum, hoc est mollem, & capillis crispis juvenem uxoris suæ esse procuratorem.
Qui violata pilo.] Cujus crura lævia sunt, & depilata.
Sane certus.] hoc est eruditus, quem nulla ratio rei gerendæ fallit.
Non erit Aufidius.] Mœchus notissimus ex Juvenalis satyra 9. versu 25. Sensus est: Aufidius Chius non esset procurator gravior, nec certior hoc crispulo.
Alapis Latini.] O digne, inquit Parnabius, qui in spectaculis theatralibus risum moveas alaparum contumeliis exceptus, non secus ac Panniculus mimus, a Latino mœchi partes agente cæsus, epig. 72. lib. 2.

Os tibi præcisum, quanto non ipse Latinus
Vilia Panniculi percutit ora sono.

Res agit iste tuas.] Mœchus quippe mariti partes sustinet.

Ad hospites quibus hortos offert sine supellectili. LXIII.

JURE tuo nostris maneas licet hospes in hortis:
Si potes in nudo ponere membra solo:
Aut si portatur tecum tibi magna supellex:
Nam mea jam digitum sustulit hospitibus.
Nulla tegit fractos, nec inanis culcitra lectos:
Putris & abrupta fascia reste jacet.
Sit tamen hospitium nobis commune duobus;
Emi hortos, plus est: instrue tu, minus est

O Hospes, potes pro jure tuo commorari in nostris hortis, si potes recumbere in terra nuda: vel si tecum fertur magna supellex: mea enim jam sustulit digitum hospitibus. Nulla culcitra nec decrsta operit cubilia fracta: & insistia putrida jacet fune disrupto. Nihilominus diversorium commune sit nobis ambobus; mercatus sum hortos, plus est: tu adorna, minus est.

Nam mea.] hoc est, mea supellex consumpta est frequenti hospitio. Metaphora est petita a gladiatoribus, qui cum essent victi digitum tollebant in signum victoriæ adversario concessæ. *Mea supellex sustulit digitum hospitibus*, hoc est victa est, atque attrita ab hospitibus. Vel forte hæc metaphora petitur a licitationibus in quibus, teste Festo, in verbo *manceps* digito sublato emptorem se aliquis profitebatur. Et sensus erit: Mea supellex empta est ab aliis hospitibus, id est, alii hospites supellectilem meam tanquam a se emtam consumpserunt. Eligat lector.
Putris & abrupta.] Fasciæ lecti seu institæ humi demissæ sunt, ruptis nempe funibus quibus fulciebantur.

Ad Ponticum scriptorem ineptum. LXIV.

QUID sentis, inquis, de nostris, Marce, libellis?
Sic me solicitus, Pontice, sæpe rogas.
Admiror, stupeo: nihil est perfectius illis,
Ipse tuo cedit Regulus ingenio.
Hoc sentis? inquis, faciat tibi sic bene Cæsar.
Sic Capitolinus Juppiter, immo tibi.

O Marce, quid censes, ais, de nostris scriptis? O Pontice, crebro anxius sic me interrogas. Admiror, stupeo, nihil est elegantius illis, Regulus ipse primas dat tua solertia. Hocne censes? ais, sim tarias propitio Cæsare, sic Jove Capitolino, imo tu.

Quid sentis.] Ponticum deridet, cujus versus nonnunquam laudabat, ut ipsi blandiretur, licet pessimos judicaret.
Regulus.] Caussidicus celebris de quo epig. 13. lib. 1.
Faciat tibi sic.] Sic particula sæpe usurpatur

patur in precationibus. Ponticus precatur ut sic Jupiter bene faciat Martiali, ut de ejus scriptis bene senserat.

Imo tibi.] Precationem Pontico regerit Poëta: mala enim erat, cum male sensisset de Pontici versibus.

Ad suos ministros,
genialiter esse vivendum, cum moriendum sit. LXV.

SEXTANTES, Calliste, duos infunde Falerni:
Tu super æstivas, Alcine, funde nives.
Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo,
Lassenturque rosis tempora sutilibus.
Jam vicina jubent nos vivere Mausolea:
Cum doceant, ipsos posse perire deos.

O Calliste, infunde duos sextantes Falerni: tu Alcine super Falernum funde nives æstivas. Capillus madens amomo pinguescat mihi, & tempora defatigentur rosis consutis. Jam propinqua monumenta hortantur nos indulgere genio: cum argumento sint posse mori ipsos deos.

Sextantes.] Sextans est sexta pars assis, atque ita duabus unciis constat; cum de mensuris agitur, duos continet cyathos.

Tu super.] hoc est, aquam gelidam e nivibus expressam funde. Alii legunt *solve.*

Pinguescat.] Unguentis madidi, & floribus coronati convivabantur veteres. *Amomo*, hoc est unguenta ex amomo arbore odorifera expresso: rosas vero *sutiles* dixit pro corona ex rosis facta, & consuta.

Jam vicina.] hoc est, sepulchrum Augusti ad similitudinem Mausolei ab Artemisia extructi, de quo epig. 1. lib. Spect. nos invitat ad voluptates alacriter percipiendas. Legunt alii *Tam vicina*, quod sepulchrum Augusti proximum esset ei loco, in quo potabat Martialis. *Vivere* hic est voluptatibus indulgere, & epig. 16. lib. 1. epig. 59 lib. 2.

Ipsos deos.] Cæsarea intellige, quos tanquam deos colebat populus.

Ad Cæsarem
Domitianum, cujus spectacula commendat. LXVI.

ASTRA, polumque dedit, quamvis obstante noverca,
Alcidæ, Nemeæ terror, & arcas Aper.
Et castigatum Libycæ ceroma palæstræ:
Et gravis in Siculo pulvere fusus Eryx:
Sylvarumque tremor, tacita qui fraude solebat
Ducere nec rectas Cacus in antra boves.
Ista tuæ, Cæsar, quota pars spectatur arenæ?
Dat majora novus prælia mane dies.
Quot graviora cadunt Nemeæo pondera monstro?
Quot tua Mænalios collocat hasta sues?
Reddatur si pugna triplex pastoris Iberi,
Est tibi, qui possit vincere Geryonem.
Sæpe licet Graiæ numeretur bellua Lernæ,
Improba Niliacis quid facit Hydra feris?

Hercules licet noverca impediente assecutus est sidera & cælum propter victum leonem terrorem Nemeæ, at ut aprum Arcadiæ: & punitum ceroma palæstræ Africæ; atque Erycem gravem prostratum in pulvere Siculo: & Cacum tremorem sylvarum, qui latentibus dolis solebat ducere boves aversas in speluncas. Ista, ô Cæsar, quota portio est tuæ arenæ, imo nova mane exhibet majora certamina. Quot pondera procumbunt graviora monstro Nemeæo? quot sues Mænalios sternit tua hasta? si triplex certamen pastoris Iberi renovetur, habes eum qui valeat superare Geryonem. Quamvis crebro prædicetur bellua Lerna Arcadia, quomodo Hydra pestifera potest

Pro

Pro meritis cœlum tantis, Auguste, dederunt
Alcidæ cito dii, sed tibi sero dabunt.

comparari feris Nili? O Auguste. dii pro tantis meritis celeriter donaverunt Herculem calo, at te donabunt tarde.

Obstante noverca.] Junone quæ oderat Alcmenam Amphitryonis uxorem, Jovis pellicem, & Herculis matrem.

Nemea terror.] In Nemeæa sylva Argolidis leo, in Arcadia vero aper Mænalius interfectus est ab Hercule. Vide epig. 27. lib. Spect.

Libyca ceroma.] Antæum intellige, pro quo per metonymiam dixit ceroma, id est unguentum ex oleo, pulvere, & cera mixtum, quo ungebantur athletæ. Libycæ palæstræ: in Libya enim eum Antæo pugnavit Hercules, cujus certamen fuse describit Lucanus lib. 4.

Fusus Eryx.] Veneris filius cæstuum certamine in Sicilia victus est ab Hercule.

Cacus.] Vulcani filius, latro insignis, qui boves in antrum suum cauda retro traxerat, ne earum vestigia deprehenderentur. Hoc modo bovem Herculi rapuerat, a quo deprehensus in Albano monte interfectus est. Virg. 8. Æneid.

Ista.] Omnia nempe Herculis facta, ô Cæsar, cum tuis spectaculis collata quotam partem efficient?

Mane dies.] Mane cum bestiis pugnabant gladiatores, post meridiem vero inter se. Seneca epist. 7. *Mane leonibus & ursis homines, meridie spectatoribus suis objiciuntur. Interfectores interfecturis jubentur objici, & victorem in aliam detinent cadem,* &c.

Collocat hasta.] Epig. 15. lib. Spect. dixit Poëta,

—— longe porrexit vulnere pardum.

Ex hoc versu, & duobus sequentibus colligunt interpretes hoc epigramma referri ad Carpophorum, de quo lib. Spect. epig. 27. & Domitiano tribuit quicquid venator ejus Carpophorus facit.

Pastoris Iberi.] Geryonis nempe tricipitis victi ab Hercule in Hispania.

Est tibi.] Carpophorus nimirum.

Bellua Lerna.] Lerna est Achaiæ locus, & palus in qua erat hydra novis capitibus in locum abscissorum renascentibus perniciosa, quam tamen domuit Hercules.

Niliacis feris.] Crocodilos intellige, qui in spectaculis exhibiti interficiebantur, cum quibus ipsam hydram conferendam esse negat Poëta.

Sed tibi sero.] Majora sunt tua gesta Herculis factis, atque dignior es cœlo, quo tamen tarde donaberis, ut diu rempublicam administres.

In Pontilianum inurbanum. LXVII.

SÆPE salutatus, nunquam prior ipse salutas:
Sic erit æternum, Pontiliane, vale.

Crebro salutatus, nunquam ipse salutas prior: O Pontiliane, sic erit aeternum vale.

O Pontiliane.] quem Poëta ut inurbanum & agrestem hominem carpit, qui neminem unquam ipse prior salutaret.

Sic erit.] Sic solebant antiqui salutare mortuos. Virgilius:

—— salve mi maxime Palla,
Æternumque vale.

Sensus est: Te in posterum mortuum existimabo, cum omnis in te mortua sit humanitas.

De hirundine quæ hyeme in Africam non avolarat. LXVIII.

HIBERNOS peterent solito cum more recessus
Atthides, in nidis una remansit avis.
Deprendere nefas ad tempora verna reversæ,
Et profugam volucres diripuere suæ.

Cum hirundines more solito peterent hyemalia receptacula, una volucris remansit in nidis. Primo vere reversæ agnoverunt scelus, atque aves sua speciei discerpserunt fugiti-

Sero dedit pœnas, discerpi noxia mater
Debuerat: sed tunc, cum laceravit Ityn.

vam. Tarde punita est, nefanda mater dilanianda erat: at tunc, cum dilaniavit Ityn.

Attbides.] Sic hirundines dictæ sunt a Progne Pandionis regis Atticæ filia, quæ in hirundinem fuit conversa. Ovidius 6. Metam.

Deprendere nefas.] Nefas vocat, quod ista hirundo ab aliarum more desciverit, nec cum reliquis avolârit.

Noxia mater.] Progne in hirundinem conversa tunc, inquit, fuit discerpenda, cum Ityn suum filium dilaniatum Tereo marito apposuit comedendum, ob stupratam ab illo Philomelam suam sororem.

Ad Lesbiam cujus flavam comam vituperat. LXIX.

ARCTOA de gente comam tibi, Lesbia, misi:
Ut scires quanto sit tua flava magis.

O Lesbia, ad te misi cæsariem ex septentrionali natione, ut cognosceres quanto tua sit magis flava.

Arctoa de gente.] Ex Germania, quæ est sub Arcto ad Septentrionem: Germani vero flavam comam alunt, at Romæ nigram alebant matronæ, flavam meretrices. Sic Poëta Lesbiæ impudicitiam ostendit, quæ flavos crines affectaret. Juvenalis de Messalina sat. 6. versu 121.

Et nigrum flavo crinem abscondente galero
Intravit calidam veteri centone lupanar.

In Marcum Antonium Ciceronis interfectorem. LXX.

ANTONI Phario nil objecture Photino,
Et levius tabula quam Cicerone nocens:
Quid gladium, demens, Romana stringis in ora?
Hoc admisisset nec Catilina nefas.
Impius infando miles corrumpitur auro:
Et tantis opibus vox tacet una tibi.
Quid prosunt sacræ pretiosa silentia linguæ?
Incipient omnes pro Cicerone loqui.

O Antoni nihil oppositure Photino Ægyptio, & minus nocens tota proscriptorum tabula quam uno Cicerone: O insane, quid educis ensem in ora Romanorum? Nec ipse Catilina fecisset hoc scelus. Impius miles corrumpitur improbo auro: & tanta pecunia vox una silet tibi. Quid juvant cara silentia sacræ linguæ? Omnes incipient loqui pro Cicerone.

Antoni.] Nota est Antonii triumviri historia, qui multos cives Romanos proscriptione durante interfici jussit, scelus tamen minus alios omnes interficiens, quam unum Ciceronem opprimens admisit: Photinus Ægyptius Pompeium magnum jussu Ptolemæi occidit.

Romana stringis.] Ultimam vocalem vocis præcedentis brevem produxit propter duas consonantes sequentis dictionis. Sic Virgilius:

—— date tela, scandite muros.

Romana in ora.] hoc est in Ciceronem. Unde epig. 65. lib. 3. de eodem Cicerone:

Hoc tibi, Roma, caput, cum loquereris, erat.

Nec Catilina.] Notus ex Salustii historia.

Miles corrumpitur.] percussor Ciceronis.

Pretiosa.] hoc est, Magno pretio silentium frustra emisti, ô Antoni, cum totus populus dicat, quod jam tacet Cicero, epig. 82. lib. 2.

De

De Syrisco decoctore. LXXI.

INfusum sibi nuper a patrono
Plenum, maxime, centies Syriscus
In sellariolis vagus popinis
Circa balnea quatuor peregit.
O quanta est gula, centies comesse!
Quanto major adhuc, nec accubare!

O Maxime, Syriscus errans in sellariolis popinis circum quatuor balnea consumpsit centies laxum nuper sibi donatum a patrono. O quanta est helluatio decoxisse centies! quanto major adhuc non accumbere!

Plenum centies.] Centena scilicet sestertiûm millia integra. Syriscus itaque manumissus dictam summam a patrono acceperat, quam breviter consumpsit *in popinis sellariolis*, quæ tabernæ erant in quibus ganeones non accumbendo, ut mos erat honestorum virorum, sed sedendo ventri indulgebant.

Circa balnea quatuor.] Thermas Neronianas, Grylli, Titi, & Agrippæ, ut putant interpretes.

Ad Faustinum quem vocat in agrum Trebulanum. LXXII.

HUmida qua gelidas summittit Trebula valles,
Et viridis Cancri mensibus alget ager;
Rura Cleonæo nunquam temerata leone,
Et domus Æolio semper amica Noto,
Te, Faustine, vocant, longas his exige messes
Collibus, hibernum jam tibi Tibur erit.

Ubi uda Trebula deprimit frigidas valles, atque ager virens friget mensibus Cancri; rura nunquam violata Cleonæo leone, & villa semper objecta Austro Æolio te invitat, ô Faustine: his collibus age longos dies æstivos, jam frueris Tibure hyemis tempore.

Trebula.] vicus aut oppidum in Sabinis æstate frigidissimum.

Cancri mensibus.] Mense scilicet Julio, quo Cancer signum cœleste fervet; & mense Augusto, quo Leo ardet; Cleonæus dictus, quia prope Cleonas oppidum Peloponnesi leonem inter astra deinde relatum interfecit Hercules.

Notus.] ventus meridianus pluviosus, Æolius autem dicitur, quod in ditione Æoli sint venti.

Hibernum.] hoc est, Trebulanus ager adeo frigidus est, ut æstate non jam frigido Tibure, sed Trebulæ mansurus sis. Vide epig. 57. 60. & 62. lib. 4.

De origine Bacchi. LXXIII.

QUi potuit Bacchi matrem dixisse tonantem,
Ille potest Semelen dicere, Rufe, patrem.

Cui licuit vocare Jovem matrem Bacchi, illi licet, ô Rufe, vocare Semelen patrem.

Qui potuit.] διμήτωρ a Græcis dictus est Bacchus, hoc est habens duas matres, Semelem nempe Cadmi filiam, & Jovem ex cujus femore natus esse dicitur. Hæc nota est fabula.

Potest Semelen.] Nam ut Jupiter vir & tamen mater, ita Semele licet fœmina potest dici pater; aut si hoc absurdum, erit & illud.

Ad Theodorum ineptum ſcriptorem. LXXIV.

NON donem tibi cur meos libellos
Oranti toties, & exigenti,
Miraris, Theodore? magna cauſſa eſt,
Dones tu mihi ne tuos libellos.

O Theodore, mirariſne cur non dem tibi meos libros toties roganti atque expoſtulanti? Magna cauſſa eſt, ne tu mihi des tuos libellos.

Non donem.] Per ſe patet hoc epigramma, cui ſimile plane eſt epigramma 2. lib. 7.

De Pompeio & filiis. LXXV.

POMPEIOS juvenes Aſia, atque Europa, ſed ipſum
Terra tegit Libyes, ſi tamen ulla tegit.
Quid mirum toto ſi ſpargitur orbe? jacere
Uno non poterat tanta ruina loco.

Aſia atque Europa condunt *Pompeios juvenes, at terra Libya condit ipſum* Pompeium, *ſi tamen ulla condit. Quid mirum ſi diffunditur per univerſum mundum? Tanta ruina nequibat jacere uno loco.*

Aſia atque Europa.] Nobile elogium Pompeii & filiorum. Cneius Pompeii magni filius periit in Hiſpania a Cæſare victus ad urbem *Mundam*: Sextus vero a militibus Antonii *Mileti* interceptus in Aſia interiit: Pompeius pater in Africa ad Peluſium occiſus eſt, de cujus morte jam dictum epig. 65. lib. 3.
Si tamen ulla tegit.] Non conſtat enim ſepultum fuiſſe Pompeium, ut patet ex hoc diſticho:

Marmoreo in tumulo Licinus jacet, at Cato parvo,
Pompeius nullo, quis putat eſſe deos?

Toto orbe.] hoc eſt in tribus orbis partibus tunc cognitis, de quibus Pompeius magnus triumpharat, teſte Cicerone pro lege Manilia.

Ad Quinctum mœchum. LXXVI.

QUÆ legis cauſſa nupſit tibi Lælia, Quincte,
Uxorem potes hanc dicere legitimam?

O Quincte, poteſne vocare legitimam uxorem Læliam, quæ tibi nupſit propter legem?

Quæ legis cauſſa.] Legem Juliam in adulteros revocavit Domitianus, de qua Juvenalis ſat. 2.

——— qui tunc leges revocabat amaras.

Lælia ergo adultera Quincto mœcho nupſit, ne puniretur. Legitima uxor dicitur quæ ſecundum leges nubit: in quo verbo ludit Poëta, cum metu legis Juliæ nupſiſſet adultera hæc Lælia, quæ legi obſecuta aliquo modo uxor legitima videri poterat lege epig. 7. lib. 6.

Ad Cinnam pauperem. LXXVII.

PROFECIT poto Mithridates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.
Tu quoque caviſti cœnando tam male ſemper,
Ne poſſes unquam, Cinna, perire fame.

Sæpe hauſto veneno conſecutus eſt Mithridates, ne virus crudele poſſet obeſſe ſibi. Tu etiam, ô Cinna, cœnando ſemper tam male, providiſti ne poſſes unquam necari fame.

Profecit

Profecit poto.] Plinius lib. 25. cap. 2. *Uni ei* (Mithridati) *excogitatum quotidie venenum bibere, præsumptis remediis, ut consuetudine ipsa innoxium fieret. Primo inventa genera antidoti, ex quibus unum etiam nomen ejus retinet. Illius inventum autumant sanguinem anatum Ponticarum miscere antidotis, quoniam veneno viverent.* De eo agit etiam Gellius lib. 17. cap. 16.

Ad Marullum assentatorem. LXXVIII.

NARRATUR belle quidam dixisse, Marulle,
Qui te ferre oleum dixit in auriculam.

O Marulle, quidam refertur lepide dixisse, qui dixit te instillare oleum in auriculam.

Qui te ferre.] Assentatores enim dum potentioribus blandiuntur, in eorum aures oleum infundere videntur. Alii aliter explicant hoc adagium, & legunt *in auricula*, ut sit sensus: Marullum rigida & supina aure fuisse, id est omnia aversantem & fastidientem aliorum dicta. Sic epig. 42. lib. 6.

Non attendit, & aure me supina
Jamdudum quasi negligenter audit.

Metaphora ducta a gestu eorum, quibus aliquid in aurem infusum est; &, ne effluat, aurem supinant. Qui loqui non posset, apud antiquos dicebatur oleum ore gestare: ita qui nihil audit, videtur oleum ferre in auricula. Vel Poëta irridet Marullum ita caput incurvantem, ac si in ea oleum tulisset. Eligat lector.

Ad Turanium quem invitat ad tenuem cœnam. LXXIX.

SI tristi domicœnio laboras,
Turani, potes esurire mecum.
Non deerunt tibi, si soles προπίνειν,
Viles Cappadocæ, gravesque porri.
Divisis cybium latebit ovis,
Ponetur digitis tenendus unctis
Nigra cauliculus virens patella,
Algentem modo qui reliquit hortum,
Et pultem niveam premens botellus,
Et pallens faba cum rubente lardo.
Mensæ munera si voles secundæ,
Marcentes tibi porrigentur uvæ,
Et nomen pyra quæ ferunt Syrorum,
Et quas docta Neapolis creavit,
Lento castaneæ vapore tostæ;
Vinum tu facies bonum bibendo,
Post hæc omnia forte si movebit
Bacchus, quam solet, esuritionem,
Succurrent tibi nobiles olivæ,
Piceni modo quas tulere rami,
Et fervens cicer, & tepens lupinus.
Parva est cœnula, quis potest negare?

O Turani, si habes domi cœnam tristem, licet tibi esurire mecum. Si soles propinare, viles Cappadocæ, & porri succo gravi non tibi deerunt. Cybium delitescet ovis sectis, cauliculus viridis qui modo allatus est ex horto frigido tractandus digitis unctis apponetur in nigra patella, & botellus impositus candidæ pulti, & pallida faba cum rubente larido. Si dona mensæ secundæ tibi placebunt, marcentes uvæ tibi apponentur, & pyra quæ denominantur a Syris, & castaneæ tostæ calore moderato, quas produxit erudita Neapolis: potando probabis vinum esse bonum: post hæc omnia, si vinum excitabit solitam famem, præstantes olivæ tibi præsto erunt, quas modo produxerunt oleæ Picenæ, & fervens cicer apponetur; *& tepens lupinus. Exigua est cœnula, (quis potest inficiari?)*

P Sed

Sed finges nihil, audieſve fictum,
Et vultu placidus tuo recumbes,
Nec craſſum dominus leget volumen,
Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt ſine fine prurientes
Laſcivos docili tremore lumbos;
Sed, quod non grave ſit, nec infacetum,
Parvia tibia condyli ſonabit.
Hæc eſt cœnula, Claudiam ſequeris,
Quam nobis cupis eſſe tu priorem.

At nihil diſſimulabis, nec audies quicquam *excogitatum, & accubabis fronte tua ſerena nec herus leget denſum volumen, nec prurientes ſine fine puellæ ex laſcivis Gadibus agitabunt petulantes lumbos docili tremore: at tibia parvi condyli ſonabit, quod nec moleſtum ſit, nec illepidum. Hæc eſt cœnula: ſequeris Claudiam, quam tu optas adeſſe prius quam nos.*

Domicœnio.] Nova vox lepide ficta a domo & cœno. Turanius ſingularis fuit noſtri Poëtæ amicus, de quo iterum epiſtola lib. 9.

Eſurire mecum.] hoc eſt contentus eſſe frugali menſa.

Si ſoles προπίνειν.] Nimirum tibi non deerunt quæ bibendi deſiderium excitent. Merula legit,

Non deerunt tibi ſeſſiles propinquæ.

hoc eſt ſeſſiles lactucæ ex vicinis hortis, de quibus lib. 3. epig. 47. Plinius lib 19. cap. 7. facit mentionem Cappadocarum. *Diligentiores*, inquit, *plura genera* (lactucarum) *faciunt, purpureas, criſpas, Cappadocas, Græcas.*

Cybium.] Eſt piſcis genus, ex quo cibus conficiebatur ſimul cum ovis modice ſectis.

Unctis.] Teſte Lipſio propter infuſum caulibus oleum. Alii legunt *uſtis*, propter antitheſim algentis horti.

Et pultem.] De pultibus ſcribit Apicius lib. 5. cap. 1. Nivea dicitur, hoc eſt ex farina tritici candida. Lib. 2. cap. 5. Sic botellum deſcribit Apicius: *Botellum ſic facies ex ovi vitellis coctis, nucleis pineis concisſis, quibus cepam & porrum conciſum, thuſque crudum admiſcebis, cum pipere modico, atque ita inteſtinum farcies, adjectoque liquamine, & vino decoquas.*

Rubente lardo.] Rubens dicitur laridum vetus & fumoſum.

Marcentes uvæ.] Alii intelligunt maturas: alii, liquore perfuſas.

Vinum tu.] hoc eſt, ſi hilariter vinum meum biberis, qualecunque ſit, oſtendes tibi ſapere.

Si movebis.] Prava vina bibebant antiqui, ut vomitu purgarent ſtomachum, quo major deinde foret edendi & bibendi appetentia.

Piceni modo.] De olivis Picenis dictum lib. 1. epig. 44.

Et fervens cicer.] Genus eſt piſi vel ab igne cocti, vel natura fervidi. *Lupinus eſens* dicitur, quia aqua tepenti macerabatur: eſt vero genus leguminis.

Parva eſt cœnula.] ſed jucunda, qualis eſſe ſolet inter amicos, in qua, quidquid in buccam venerit, quiſque garriet ſine ullo delatorum timore.

Vultu tuo.] hoc eſt non compoſito in alterius gratiam, nec tibi, inquit, ero moleſtus longi voluminis lectione.

De Gadibus.] De quibus epig. 42. lib. 1. unde puellæ ſaltatriculæ levitate & laſcivia famoſæ Romam ducebantur, epig. 42. lib. 2.

Tibia condyli.] Condylus tibicen fuiſſe videtur. Alii putant loqui poëtam de tibia quæ parvum haberet foramen inſtar condyli, qui proprie nodus eſt in digitis incurvis extans. Prior ſenſus mihi videtur melior.

Claudiam.] hoc eſt, aderit & Claudia a te amata, quam libenter ſequêris, & omnium primam adeſſe cupis. Legunt alii,

Quæ nobis cupit eſſe te priorem.

Vulgata lectio,

Quam nobis cupis eſſe turpiorem.

Ne illius amore capiamur, ut nempe ſolus ea potiaris.

In Zoilum ſuarum veſtium oſtentatorem. LXXX.

UNDECIES una ſurrexti, Zoile, cœna,
Et mutata tibi eſt ſyntheſis undecies,
Sudor inhæreret madida ne veſte retentus,

O Zoile, ſurrexiſti undecies una cœna, atque undecies mutaviſti ſyntheſim, ne ſudor retentus remaneret in veſte per-

Et

Et laxam tenuis læderet aura cutem.
Quare ego non sudo, qui tecum, Zoile, cœno?
Frigus enim magnum synthesis una facit.

fusa, & tenuis aura noceret remissæ cuti. Cur, Zoile, ego non sudo, qui cœno tecum? Una enim synthesis caussa est magni frigoris.

Undecies.] Zoilum hunc de quo jam lib. 2. epig. 16. carpit, qui alia de caussa synthesim non mutabat, nisi ut suarum vestium copiam ostentaret. Synthesis vestis est qua domi utebantur Romani in cœna, & foris Saturnalium tempore, epig. 46. lib. 2.

Laxam cutem.] propter sudorem.

Frigus enim.] Solus sudas, alii frigent, quippe unus multas habes syntheses, quas ostentare cupis. Epig. 16. lib. 2.

Ad Severum cui librum suum emendandum mittit. LXXXI.

NON totam mihi, si vacabis, horam,
Dones, & licet imputes, Severe,
Dum nostras legis, exigisque nugas,
Durum est perdere ferias, rogamus,
Jacturam patiaris hanc, ferasque.
Quod si legeris ipsa cum diserto,
(Sed numquid sumus improbi?) Secundo,
Plus multo tibi debiturus hic est,
Quam debet domino suo libellus.
Nam securus erit, nec inquieta
Lassi marmora Sisyphi videbit,
Quem censoria cum meo Severo
Docti lima momorderit Secundi.

O Severe, si otium erit, concedas mihi horam non totam; & licet adscribas muneri, grave est amittere otia dum evolvis atque examinas nostras ineptias, oramus patiaris & feras hoc damnum. Quod si evolveris ista cum eloquenti Secundo (at numquid sumus impudentes?) hic libellus tibi debiturus est multo plus quam suo auctori. Nam tutus erit, nec spectabit inquieta saxa defatigati Sisyphi, quem momorderit censoria lima eruditi Secundi simul cum *meo Severo.*

Et licet imputes.] hoc est, per me licet ut me semihoræ mihi concessæ debitorem facias.

Sumus improbi.] hoc est, Numquid sum impudens, qui te rogem ut meos libros legas, cum tu gravioribus negotiis operam des. Secundi jam meminit lib. 1. epig. 2.

Nec inquieta.] Nota Sisyphi fabula, qui in inferis ingens saxum sine ulla quiete movet. Sensus est: Meus libellus non adibit inferos. Dicebant veteres poëmata adire inferos, & interire, cum non leguntur.

Lima.] Egregia metaphora. Lima habet suos dentes, unde dicitur mordere ferrum, cum illud polit. Sic eruditi viri emendando versus impolitos mordent seu poliunt.

Ad Æmilianum, solos divites facere rem. LXXXII.

SEMPER eris pauper, si pauper es, Æmiliane:
Dantur opes nulli nunc, nisi divitibus.

O Æmiliane, semper eris egenus, si egenus es: nunc nulli donantur divitiæ nisi locupletibus.

Semper eris.] Mores sui temporis carpit Poëta, quo soli divites rem faciebant. Idem queritur Juvenalis sat. 3. cum de Codro paupere, & Arturo divite agit.

In Gaurum avarum. LXXXIII.

QUID promittebas mihi millia, Gaure, ducenta:
Si dare non poteras millia, Gaure, decem?
An potes, & non vis?' rogo, non est turpius istud?
I, tibi dispereas, Gaure: pusillus homo es.

O Gaure, cur mihi pollicebaris ducenta millia, si nequibas, ô Gaure, largiri decem millia? An potes, & non places? Nonne illud, quaso, inhonestius est? I, tibi dispereas, es homo sordidus.

Si dare non poteras.] vel fœnori, vel gratis.

Roga, non est.] hoc est: Si potes dare, & non vis, cur mihi promittebas? Nunquid hoc turpius est quam si mihi ab initio petenti denegasses.

I, tibi dispereas.] Hæc lectio mihi videtur perobscura: omnium optime meo judicio legit Heraldus:

An potes, & non vis? rogo, non est turpius istud
Sic tibi? Dispeream, Gaure, pusillus homo es.

Ad Dindymum, cujus diversa erant a suis studia. LXXXIV.

INSEQUERIS, fugio; fugis, insequor: hæc mihi mens est:
Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

Insequeris, fugio; fugis, insequor: hac est mea sententia: quod vis, mihi non placet: quod non vis, gratum est.

Insequeris, fugio.] Per se patet hoc epigramma, quo lepide docet Poëta, Dindymi voluntatem a sua esse diversam.

Ad Gallam, quæ Saturnalibus donum nullum Poëtæ miserat. LXXXV.

JAM tristis nucibus puer relictis
Clamoso revocatur a magistro:
Et blando male proditus fritillo
Arcana modo raptus e popina,
Ædilem rogat udus aleator.
Saturnalia transiere tota,
Nec munuscula parva, nec minora
Misisti mihi, Galla, quæ solebas.
Sane sic abeat meus December.
Scis certe, puto, vestra jam venire
Saturnalia, Martias Kalendas.
Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

Jam puer mœstus abjectis nucibus revocatur a clamoso præceptore: & madidus aleator incommode proditus sono blandi fritilli modo abreptus ex secreta popina obsecratur Ædilem. Saturnalia omnino effluxerunt, nec misisti ad me, ô Galla, munuscula exigua, nec minora, quæ consueveras. Sic hercle effluat meus December. Tenes, opinor, Martias Kalendas vestra Saturnalia jam appropinquare. Tunc, ô Galla, tibi restituam quod donasti.

Nucibus

Nucibus relictis.] Nucibus ludere solebant pueri Romani Saturnalium tempore, mense scilicet Decembri, quo vacabant a studio. Quinque vero erant legitimi Saturnalium dies, epig. 53. lib. 7. & 89. lib. 4. quibus finitis ad studium revocabantur.

Et blando.] Saturnalium tempore concessum erat juvenibus virisque alea ludere; at præteritis Saturnalibus si ludentes deprehenderentur ab Ædili, magistratu nempe cui id curæ erat, puniebantur. Fritillus, pyrgus, seu turricula est ex qua mittebantur tesseræ in tabulam lusoriam.

Saturnalia transiere.] Quibus nempe solebant amici ad sese invicem munera mittere.

Mens December.] Quo mense Saturnalia virorum celebrabantur Kalendis vero Martiis Saturnalia fœminarum. Suet. in Vespasiano: *Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita & Kalendis Martii feminis.* Macrobius lib. 1. cap. 12. *Et servis* (mense Martio) *cœnas apponebant matronæ, ut domini Saturnalibus.* Juvenalis sat. 9. versu 53.

Munera femineis tractes secreta Kalendis.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER VI.

Ad Julium Martialem ut emendet suum librum. I.

SExtus mittitur hic tibi libellus,
In primis mihi care Martialis:
Quem si terseris aure diligenti,
Audebit minus anxius, tremensque
Magnas Cæsaris in manus venire.

INTERPRETATIO.
O mihi dilectissime Martialis mitto tibi hunc sextum librum: quem si emendaveris sedula censura, minus sollicitus & pavidus audebit venire in manus ingentes Cæsaris.

NOTÆ.

Sextus mittitur.] Huic epigrammati deest titulus in antiquis codicibus, in novis vero reperitur *ad Julium Martialem*, de quo jam epig. 21. lib. 5. & lib. 10. epig. 47. & lib. 4. epig. 64.

Si terseris.] Alludit ad spongiam de qua lib. 4. epig. 10. hoc est, si acri judicio, quæ sunt delenda, accurate deleveris, & emendaveris. *Aure diligenti* dixit, quod superbissimum sit aurium judicium.

Magnas.] epig. 8. lib. 4. sic jam de Domitiano locutus est.

Ingentique tenet pocula parca manu.
Legunt alii *magni*.

Adulatorium ad Domitianum. II.

LUsus erat sacræ connubia fallere tædæ:
Lusus & immeritos execuisse mares.
Utraque tu prohibes, Cæsar, populisque futuris
Succurris, nasci quos sine fraude jubes.
Nec spado jam, nec mœchus erit, te præside, quisquam,
At prius, ô mores, & spado mœchus erat.

Jocus erat decipere conjugia sacri matrimonii, & jocus erat castrare mares sine caussa. O Cæsar, tu vetas utraque, & subvenis populis venturis, quos imperas gigni sine dolo. Nec jam ullus spado erit, nec adulter, te Imperatore, sed prius, ô mores, etiam spado erat adulter.

Lusus erat.] hoc est, antea lusus erat adulteria committere, & mares castrare, quod utrumque fieri prohibuit Domitianus, teste etiam Suetonio in Domitiano cap. 7.



VI *Lib.* 71 *epigr.* 4 *verſ.*
Rogos] Qui ſæpe è ligno polito & affabrè exſtructo. Tales in Conſecratorum Augg. *Numis.*



VI *Lib.* 10 *epigr.* 7 *verſ.*
Tribuit Diademata] Uti Trajanus Parthamaſpati, Partho; uti & Verus Soëmo, Armeno; teſte ejus *Numo*, apud *Patinum.*



VI *Lib.* 21 *epigr.* 8 *verſ.*
Juno] In Auguſtarum *Numis* frequenter obvia. Hæc verò in Samiorum rarior.



VI *Lib.* 10 *epigr.* 11 *verſ.*
Pallas] Domitiano familiare-numen, in ejus *Numis* maximè obvium. Hîc tamen eam damus è *Num.* Gordiani tert.



VI *Lib.* 3 *epigr.* 2 *verſ.*
Magne puer] Quem, ſtellato globo inſidentem, vides, in *Num* Domit.v. elegantiſſimo.



VI *Lib.* 13 *epigr.* 1 *verſ.*
Julia] Titi imp. filia; cujus hæc è *Num.* fac es.

Sine fraude.] id est legitime, non ex adulterio.

Et spado.] Qui ducebat uxorem non sibi, sed aliis, unde ipse erat adulter suæ uxoris. Juvenalis sat. 1.

Cum tener uxorem ducat spado, &c.

vel potius intellige etiam spadones mulieribus, quæ parere nollent, gratos fuisse, infra epig. 67. Juven. sat. 6. versu 367.

Sunt, quas eunuchi imbelles, & mollia semper
Oscula delectent.

De filio Domitiani. III.

NASCERE Dardanio promissum nomen Iulo,
Vera deûm soboles: nascere magne puer.
Cui pater æternas post secola tradat habenas:
Quique regas orbem cum seniore senex.
Ipsa tibi niveo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phryxi Julia nebit ovem.

O nomen promissum Dardanio Iulo, orire, ô vera progenies Numinum; ô magne puer orire. Cui immortales habenas committat genitor post secula: & qui senex gubernes mundum cum seniore patre. Julia ipsa candido pollice ducet pro te aurea fila, & nebit totam ovem Phryxi.

Magne puer.] Ex Domitia uxore, cujus mentionem facit Suetonius in Domit. cap. 3. non ex Julia Titi ejus fratris filia, cujus amore misere peribat Domitianus, quam conceptum abigere coëgit, teste eodem Suetonio cap. 22. in Domit. *ut etiam caussa mortis illius extiterit.*

Nascere Dardanio.] Iulo nempe filio Æneæ promiserant fata aliquando nasciturum hunc puerum.

Vera deûm.] Domitianus enim ejus pater dominus & deus appellabatur, epig. 8. lib. 5.

Habenas.] hoc est imperium administrandum, postquam Domitianus diu illud rexerit.

Ipsa tibi.] Julia a Domitiano patruo adamata, te filium ejus amabit, & Parcarum partibus fungetur, tibique ducet fila aurea, quæ summam felicitatem portendunt.

Et totam ovem.] hoc est, tibi nebit totum vellus aureum, quale erat arietis illius, quo vectus mare trajecerat Phryxus. Ex Hetruscorum autem doctrina aries aureo vellere ornatus Imperatori omnium rerum copiam portendebat. Sic Virgilius, Augustum felicem fore conjiciens ait Eclog. 4.

Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.

Adulatorium ad Domitianum. IV.

CENSOR maxime, principumque princeps,
Cum tot jam tibi debeat triumphos,
Tot nascentia templa, tot renata,
Tot spectacula, tot deos, tot urbes:
Plus debet tibi Roma, quod pudica est.

O Censor maxime, & princeps principum, cum Roma jam tibi debeat tot triumphos, tot templa nova, tot restituta, tot spectacula, tot Numina, tot civitates: tibi debet plus, quod casta est.

Censor maxime.] Vide Suetonium in Domitiano cap. 8. Domitianus revocavit legem Juliam de adulteriis puniendis, mares castrari vetuit, Vestalium impudicitiam severe coërcuit; Corneliam enim virginem maximam absolutam olim, dehinc convictam defodi imperavit; unde merito maximus censor dicitur.

Principumque princeps.] Romanorum enim Imperatori exterarum gentium reges tributa solvebant.

Tot triumphos.] De Dacis, Cattis, & Sarmatis de quibus supra.

Nascentia templa.] Lege Suetonium in Domit. cap. 5.

Tot spectacula.] Suetonius cap. 3. epig. 19. lib. 5.

Tot Deos.] Ipsum Domitianum intellige, patrem ejus, & fratrem Titum, quos in deorum numerum referri voluit.

Tot urbes.] Populorum quos vicit. *Plus debet.*] Revocatis legibus quæ impudicitiam coërcerent, plus meritus es de urbe Roma. Suet. in Domit. cap. 7. & 8. illas leges recenset. Vide epig. 2. supra.

Ad Cæcilianum fœneratorem. V.

RUSTICA mercatus nummis sum prædia multis.
Mutua des centum, Cæciliane, rogo.
Nil mihi respondes, tacitum te dicere credo:
Non reddes: ideo, Cæciliane, rogo.

Multis nummis emi possessiones rusticas, ô Cæciliane, oro mihi des centum mutuo. Nullum mihi das responsum, puto te tacitum dicere: non reddes; ideirco, ô Cæciliane, oro.

Des centum.] Millia scil. sestertiûm. *Ideo rogo.*] Si enim essem redditurus, non rogarem, quia non gratis dares, sed poscerem, nec precibus uterer.

Ad Lupercum Paullæ amatorem. VI.

COMOEDI tres sunt: sed amat tua Paulla, Luperce,
Quatuor: & κωφὸν Paulla πρόσωπον amat.

Tres sunt comœdi: at tua Paulla, ô Luperce, amat quatuor: & Paulla ardet personam mutam.

Sed amat tua.] Paullam irridens, eam excusat quod amaret quatuor comœdos, nec eam facere præter legem dramatis ostendit: licet enim in Scena tres tantum colloqui inter se conveniat, Horat.

Nec quarta loqui persona laboret;

tamen quarta persona potest induci, quæ vel muta sit, vel parce loquatur. Tacite intelligit Poëta, omnes comœdos quotquot sint a Paulla amari.

De Thelesina adultera. VII.

JULIA lex populis ex quo, Faustine, renata est,
Atque intrare domos jussa pudicitia est,
Aut minus, aut certe non plus tricesima lux est,
Et nubit decimo jam Thelesina viro.
Quæ nubit toties, non nubit; adultera lege est.
Offendor mœcha simpliciore minus.

O Faustine, ex quo lex Julia revocata est in gratiam populorum, & castitas jussa est ingredi domos, sunt triginta dies aut minus, aut sane non plus, & Thelesina jam nubit decimo viro. Quæ nubit toties, non nubit: mœcha est lege. Adultera publica minus mihi displicet.

Julia lex.] De qua epig. 2. & 4. supra. *Adultera lege est.*] Thelesina enim, ne adulterii accusaretur, a marito repudiata nubebat mœcho, atque conjugii nomine prætexebat adulterium. Sic erat adultera legitima, ut dixit epig. 76. lib. 5. & epig. 22. infra.
Mœcha simpliciore.] Illa quippe nullam fraudem facit legi, nec adulterat nuptias quas non contrahit.

Ad

Ad Severum in mores sui temporis. VIII.

PRÆTORES duo, quatuor tribuni,
Septem caussidici, decem Poëtæ,
Cujusdam modo nuptias petebant
A quodam sene: non moratus ille
Præconi dedit Eulogo puellam.
Dignum quid fatuo, Severe, fecit?

Duo prætores, quatuor tribuni, septem caussidici, decem Poëtæ, paulo ante rogabant quendam senem conjugium cujusdam puellæ: *ille sine mora tradidit virginem præconi Eulogo. O Severe, quid egit dignum stulto?*

Prætores duo.] Per se patet hoc epigramma, bonas nempe artes contemni, præcones vero & citharœdos pluris fieri: quod jam dixit epig. 57. lib. 5.

Dignum quid fatuo.] Imo sapienter fecit; nam tunc præconis ars erat pecuniosa, aliæ autem honestiores artes spernebantur. Legunt alii,

Dic numquid fatue, Severe, fecit?

Ad Lævinum fictum equitem. IX.

IN Pompeiano dormis, Lævine, theatro,
Et quereris, si te suscitat Oceanus?

O Lævine, dormis in theatro Pompeii: attamen quereris, si Oceanus te suscitat.

Si te suscitat.] Dormire se simulabat Lævinus, ne ex quatuordecim subsellius ejiceretur, cum censum equestrem non haberet. Illum irridet Poëta, & ludit in ambiguitate hujus verbi *suscitat*, id est removet: alias potest significare, a somno excitat. Oceanus vero erat designator, cui curæ erat unicuique locum suum assignare, de quo diximus epig. 94. lib. 3.

Petit latenter a Domitiano pecuniam. X.

PAUCA Jovem nuper cum millia forte rogarem,
Ille dabit, dixit, qui mihi templa dedit.
Templa quidem dedit ille, Jovi, sed millia nobis
Nulla dedit: pudeat pauca rogasse Jovem.
At quam non tetricus, quam nulla nubilus ira,
Quam placido nostras legerat ore preces:
Talis supplicibus tribuit diademata Dacis,
Et Capitolinas itque reditque vias:
Dic precor, ô nostri, dic conscia virgo Tonantis,
Si negat hoc vultu, quo solet ergo dare?
Sic ego; sic breviter, posita mihi Gorgone Pallas,
Quæ nondum data sunt, stulte, negata putas?

Cum nuper forte peterem a Jove pauca millia, Ille donabit, inquit, qui mihi donavit ædem. Ille quidem donavit ædem Jovi, sed nulla millia largitus est nobis: pudeat petiisse a Jove pauca. Sed quam non acerbus, quam nulla iracundia nubilus legerat nostras rogationes! Talis fronte concedit Dacis abjectis coronam, & petit Capitolium, & redit. Dic rogo, ô Virgo conscia nostri Tonantis, si recusat hac fronte, qua igitur solet donare? Sic ego quærebam: *sic paucis Pallas* respondit *deposita Gorgone: quæ nondum donata sunt, ô fatue, credisne recusata?*

Pauca

Pauca millia.] Sestertiûm nempe ; non latenter imo aperte a Domitiano pecuniam petit Poëta.

Qui mihi.] Respondet Jupiter, in cujus honorem Capitolium incendio absumptum restituit Domitianus. Suetonius in Domitiano cap. 5.

Pudeat.] Alii *pudet heu.*] A magnis viris magna petere decet, & forte, ut intelligere videtur, Nihil dedit Jupiter, seu potius Cæsar, quod nihil dignum ipso petierat Martialis.

Diademata.] hoc est, Dacis victis concessit uti suis legibus, epig. 3. lib. 5.

Et Capitolinas.] Et talis triumphans in Capitolium ascendit.

Conscia virgo.] Minerva familiare erat numen Domitiani. Vide epig. 1. lib. 4. Palladem astute interrogat Poëta, quod ipsum Domitianum indecenter interrogaret.

Nostri Tonantis.] Domitiani.

Posita Gorgone.] hoc est posito clypeo, in cujus medio depictum erat caput Medusæ dirum ac terribile, quod qui intuerentur, statim in lapides commutabantur. Forte alludit Poëta ad simulachrum Palladis in Capitolio positum sine Ægide: quod factum erat in gratiam Domitiani, cujus statua Ægidem gestabat, epig. 179. lib. 14.

Negata putas.] Quasi dicat, Jamjam dabit.

In Marcum,

qui mirabatur nullam esse tunc veram amicitiam. XI.

QUOD non sit Pylades hoc tempore, non sit Orestes,
 Miraris ? Pylades, Marce, bibebat idem.
Nec melior panis, turdusve dabatur Oresti:
 Sed par, atque eadem cœna duobus erat.
Tu Lucrina voras: me pascit aquosa Peloris,
 Non minus ingenua est & mihi, Marce, gula.
Te Cadmæa Tyros, me pinguis Gallia vestit:
 Vis te purpureum, Marce, sagatus amem ?
Ut præstem Pyladem, aliquis mihi præstet Orestem:
 Hoc non fit verbis: Marce, ut ameris, ama.

An mirum tibi videtur quod hoc ævo non existat Pylades, nec Orestes? O Marce, Pylades potabat idem. Nec melior panis, aut turdus apponebatur Oresti: at ambo habebant æqualem cœnam, atque eandem. Tu voras ostrea Lucrina: me vero alit aquosa Peloris, ô Marce, non habeo gulam minus delicatam. Cadmæa Tyros te vestit, me Gallia pinguis: O Marce, placetne ut ego sagatus diligam te purpureum? Aliquis mihi præbeat Orestem, ut præbeam Pyladem: hoc non fit verbis. O Marce, dilige ut diligaris.

Quod non sit.] Caussam affert Poëta, cur nulla esset vera amicitia ; quod nempe inter eos qui amici esse cuperent, nulla esset rerum communio. Vide epig. 43. lib. 2. & epig. 59. lib. 3. Pylades vero & Orestes inter se fuerunt conjunctissimi, quorum satis nota est historia. Vide etiam epig. 11.

Tu Lucrina.] Lacus Lucrini ostrea optimi sunt saporis; epig. 59. lib. 3.

Aquosa Peloris.] Ostrei genus est Peloris, quam aquosam dicit, hoc est flaccidam ; nempe sine callo, ut ait Raderus, quo multum commendantur ostrea.

Cadmæa Tyros] hoc est, te vestit purpura ex Tyro, me vero tegit sagum Gallicum rude & crassi fili, epig. 19. lib. 4.

Non fit verbis.] sed re. Seneca epist. 9. *Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius venefica carmine. Si vis amari, ama.*

De

De Fabulla ornata comis emptitiis. XII.

JURAT capillos esse, quos emit, suos
Fabulla: numquid illa, Paulle, pejerat?

Fabulla jurat suos esse crines, quos mercata est. O Paulle, numquid illa pejerat?

Jurat.] Ludit in hac voce *suos*: Meum enim est quod mihi natura tribuit, vel quod ab alio emi. Epig. 20. lib. 2.
Nam quod emas, possis dicere jure tuum.
Unde Fabulla nec jusjurandum, nec fidem negligebat, licet crines non nativos suos esse diceret.

De statua Juliæ. XIII.

QUIS te Phidiaco formatam, Julia, cœlo,
Vel quis Palladiæ non putet artis opus?
Candida non tacita respondet imagine Lygdos,
Et placido fulget vivus in ore decor.
Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo,
Quem rapuit collo, parve Cupido, tuo.
Ut Martis revocetur amor summique Tonantis,
A te Juno petat ceston, & ipsa Venus.

O Julia, quis non credat te effictam cœlo Phidiæ, aut opus artis Palladiæ? Candida Lygdos simulachra non silente respondet, & naturalis pulchritudo micat in ore sereno. Manus at tenera ludit baltheo Veneris, quem eripuit ex tuo collo, ô parve Cupido. Juno & ipsa Venus a te petat baltheum, ut revocetur amor Martis & supremi Jovis.

Quis te Phidiaco.] Amore Juliæ, ut vidimus jam epig. 3. supra, ardebat Domitianus, cui statuam miro artificio elaboratam erigi curavit. De Phidia sculptore nobilissimo dictum epig. 35. lib. 3.

Palladia artis.] Præstantiora opera Palladi, ut artium inventrici, tribuuntur.

Candida Lygdos.] hoc est marmor candidissimum Lygdinum dictum, in monte Tauro repertum, epig. 42. infra, quod formam Juliæ sic repræsentabat, ut loqui videretur.

In ore decor.] Turnebus lib. 23. cap. 28. legit *in ore liquor* pro mollitudine quadam & teneritate. Gronovius vero sic explicat: *Liquor vivus* est succus ille & sanguis faciei, qui splendet e viventi, viva, veraque facie: ille fulget in hac statua, loqui putes, & vivo succo os accendi.

Ludit Acidalio nodo.] hoc est, blanda manu Julia gerit ceston Veneris, quæ dicta est Acidalia ab Acidalio fonte in Bœotia, in quo lavare Gratiæ dicebantur: in eo autem cingulo omnes Gratiæ & Veneres inerant, quo qui percutiuntur, percutientis amore accenduntur.

Juno petat.] hoc est, si Juno Jovem sibi conciliare velit, & Venus Martem, utantur baltheo quo Domitianum percussit Julia. His verbis indicat Poëta Juliam esse pulchriorem Junone, & ipsa Venere.

In Laberium Poëtam ostentatorem. XIV.

VERSUS scribere posse te disertos
Affirmas, Laberi; quid ergo non vis?
Versus scribere qui potest disertos,
Non scribat, Laberi, virum putabo.

O Laberi, asseveras te posse componere docta carmina: cur igitur non places? qui potest condere docta carmina, ô Laberi, non condat, existimabo eum virum.

Versus scribere.] fictum est nomen hujus Laberii; alterius vero mimorum scriptoris meminit Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 7. Suetonius in Julio cap. 39.

Virum

Virum putabo.] hoc eſt, fortiſſimi eſſe animi eum putabo, qui famam nominis ſui contemnat, & qui verſus diſertos cum poſſit ſcribere, ſe tamen a ſcribendo cohibeat. Sic Laberium carpit, qui ſane a ſcribendo non ſe abſtinuiſſet, ſi verſus facere diſertos valuiſſet, ut ipſe jactabat.

De formica ſuccino incluſa. XV.

DUM Phaëtontea formica vagatur in umbra,
Implicuit tenuem ſuccina gutta feram:
Sic modo quæ fuerat vita contemta manente,
Funeribus facta eſt nunc pretioſa ſuis.

Dum formica errat in umbra populea, gutta electri intricavit exilem feram: ſic quæ paulo ante nullius erat pretii dum viveret, nunc evaſit pretioſa ſua morte.

Dum Phaëtontea.] Dum formica reperet ſub frondibus populorum, in quas converſæ fuerunt ſorores Phaëtontis, in liquorem ſuccini e populo fluentis lapſa eſt, quo implicita lucebat nobilem ſortita tumulum. Idem argumentum eſt de ape epig. 32. & de vipera epig. 59. lib. 4.

XVI.

In Cinnamum qui ſyllabam detraxerat ex ſuo nomine. XVII.

CINNAM, Cinname, te jubes vocari;
Non eſt hic, rogo, Cinna, barbariſmus:
Tu ſi Furius ante dictus eſſes,
Fur iſta ratione diceceris.

O Cinname, vis appellari Cinna. Quaſo, ô Cinna, nonne eſt hic barbariſmus? Si prius tu vocatus fuiſſes Furius, hac ratione vocareris Fur.

Cinname.] Exemplo Furii & Furis allato Poëta irridet hunc Cinnamum, qui detracta ultima ſui nominis ſyllaba Cinnam vocari ſe jubebat, ut nempe ab antiqua Cinnarum ſtirpe genus ſuum repeteret.

Barbariſmus.] Eſt cum verbum aliquod vitioſe profertur. Cinnamus tonſor fuit, de quo epig. 63. lib. 7.

Ad Priſcum de Salonino mortuo. XVIII.

SANCTA Salonini terris requieſcit Iberis,
Qua melior Stygias non videt umbra domos.
Sed lugere nefas; nam, qui te, Priſce, reliquit,
Vivit, qua voluit vivere parte magis.

Sancta umbra Salonini requieſcit in terris Iberis, qua probior non ſpectat ſedes tartareas. At non licet mœrere: nam, ô Priſce, qui te reliquit, vivit ea parte qua magis cupiit vivere.

Sancta Salonini.] Manes a veteribus ſancti proprie dicti ſunt. Vide Macrobium lib. 3. Saturn. cap. 3. Iberus *Ebro* fluvius Hiſpaniæ Tarracon.

Sed lugere nefas.] Nam Saloninus mortuus in te, ô Priſce, qui alter es Saloninus, vivit, & præterea vivit fama & gloria recte factorum. Sic Horatius lib. 3. ode 30.

Non omnis moriar: multaque pars mei
Vitabit Libitinam.

In Postumum ineptum caussidicum. XIX.

NOn de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis:
Vicini queror has abesse furto:
Hoc judex sibi postulat probari.
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,
Et perjuria Punici furoris,
Et Sullas, Mariosque, Muciosque
Magna voce sonas, manuque tota.
Jam dic, Postume, de tribus capellis.

Habeo controversiam non de vi, nec occisione, nec veneno, at de tribus capellis. Expostulo has deesse furto propinquo. judex petit probationem hujus furti. Tu magna voce, & tota manu clamas Cannas, bellum Mithridaticum, & perjuria furoris Punici, & Sullas, & Marios, & Mucios. Jam, ô Postume, fac verba de tribus capellis.

De tribus capellis.] Fac verba de re cujus controversia movetur, nec figurarum tumore & vana rerum alienarum a nostra caussa commemoratione judices obtundas.

Cannas.] Ignobilis est Apuliæ vicus, ad quem funditus ab Hannibale cæsi sunt Romani: quam cladem fuse describit Livius.

Mithridaticum.] gestum a Lucullo, Sulla, alii Sylla, & Pompeio contra Mithridatem.

Et perjuria.] Silius Italicus lib. 1. de bello Punico sic canit:

——— *ter Marte sinistro*
Juratumque Jovi fœdus conventaque patrum
Sidonii fregere duces, &c.

Omnibus vero notum civile bellum inter Sullam & Marium.

Mucios.] Porsennæ bellum intelligit, in quo Mucius Scævola manu in ignem immissa immortalem gloriam consecutus est, epig. 22. lib. 1.

Manuque tota.] hoc est omni conatu, totis viribus gestum agens.

Jam dic.] Invehitur in caussidicos, qui otiosorum controversias rhetorum a foro alienas proponebant, nec ad rem quicquam dicebant.

In Phœbum fœneratorem. XX.

MUTUA te centum sestertia, Phœbe, rogavi,
Cum mihi dixisses, exigis ergo nihil?
Inquiris, dubitas, cunctaris, meque diebus,
Teque decem crucias: jam rogo, Phœbe, nega.

O Phœbe, ante petii centum sestertia *mutuo, posteaquam mihi dixeras, igitur nihil postulas? inquiris, hæres, differs, & decem diebus affligas te & me: ô Phœbe, jam oro, recusa.*

Exigis ergo nihil.] His verbis sæpius Martialem hortatus fuerat Phœbus, ut ab eo aliquid peteret: jam vero cum ille petiisset centum sestertia, & quidem mutuo, Phœbus non ausus aperte negare longa mora se & Poëtam cruciabat: itaque illum rogat Martialis, ut tandem neget, cum nihil gravius sit quam diu pendere, epig. 42. infra.

De Ianthide & Stella conjugibus. XXI.

PERPETUAM Stellæ dum jungit Ianthida vati
Læta Venus, dixit: Plus dare non potui.

Dum Venus hilaris copulat Ianthida in perpetuum cum Poëta Stella, dixit: Nequi-

Hæc

Hæc coram domina: sed nequius illud in aurem,
Tu ne quid pecces exitiose vide.
Sæpe ego lascivum Martem furibunda cecîdi,
Legitimos esset cum vagus ante toros.
Sed postquam meus est, nulla me pellice læsit:
Tam frugi Juno vellet habere Jovem.
Dixit, & arcano percussit pectora loro.
Plaga juvat: sed tu jam dea cæde duos.

vi plus donare. Hac præsente domina: at garriit in aurem illud improbius, Tu cave, ô improbe, ne quid pecces. Ego furens crebro percussi lascivum Martem, cum vagaretur ante legitimum connubium. At ex quo meus est, non me offendit ulla concubina; Juno optaret habere Jovem ita temperantem. Locuta est, & secreto baltheo læsit cor. Vulnus placet: at tu, ô diva, jam percute duos.

Perpetuam Stellæ.] De Stella lib. 1. epig. 8. Qui Violantillam, cujus amore jam diu deperibat, duxit uxorem. Violantilla autem græce dicitur Ianthis ab ἴον viola, & ἄνθος flos.
Coram domina.] Violantilla.
Ne quid pecces.] Amori Stellæ insultat Venus illum monens, ne Violantillæ anteponat aliam puellam.
Cecîdi.] Cestos de quo supra epig. 13. ut scilicet mihi Martem conciliarem.
Esset vagus.] Alii *Isset vagus.*] hoc est, cum antequam ipsi nuberem, mœcharetur. Legitimum Veneris maritum fuisse Martem vix reperias; sed idem hic de Venere dici posse existimo, quod de Didone Virgil. lib. 4. Æneid. versu 171.

Nec jam furtivum Dido meditatur amorem,
Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.

Arcano loro.] hoc est, cesto cujus erat arcana virtus, epig. 13. supra.
Plaga juvat.] Placet Stellæ.
Cæde duos.] Ut mutuo amore ardeat Violantilla.

In Proculinam adulteram. XXII.

Quod nubis, Proculina, concubino,
Et mœchum modo, nunc facis maritum,
Ne lex Julia te notare possit:
Non nubis, Proculina, sed fateris.

O Proculina, quod nubis mœcho, & nunc facis maritum paulo antè adulterum; ne lex Julia queat te punire: O Proculina, non nubis, at confiteris.

Ne lex Julia.] Quæ vetabat adulteria, epig. 7. supra, & 75. lib. 1.
Sed fateris.] Te cum illo mœchatam fuisse.

XXIII.

De Carisiano paupere. XXIV.

Nil lascivius est Carisiano:
Saturnalibus ambulat togatus.

Nihil petulantius est Carisiano: togatus incedit Saturnalibus.

Saturnalibus.] Quo tempore equites & senatores togam deponebant, & synthesim, id est vestem cœnatoriam assumebant, epig. 1. lib. 14. Cum vero Carisianus pauper non haberet synthesim, sed tantum togam, ambulabat togatus. Ludens autem Poëta paupertatis caussam adscribit lasciviæ, quasi lasciviens contra morem incederet Carisianus.

Ad

Ad Marcellinum militantem in Dacia. XXV.

MARCELLINE boni soboles sincera parentis,
Horrida Parrhasio quem tegit ursa jugo:
Ille vetus pro te, patriusque quid optet amicus,
Accipe, & hæc memori pectore vota tene:
Caura sit ut virtus: ne te temerarius ardor
In medios enses, sævaque tela ferat.
Bella velint, Martemque ferum rationis egentes:
Tu potes & patriæ miles, & esse decus.

O Marcelline, vera progenies patris probi, quem tegit ursa horrida cælo Septentrionis: audi quid expectat pro te ille antiquus, & patrius amicus, & serva hæc vota corde memors: ut virtus tua sit provida, ne ardor temerarius te rapiat in medios gladios, & fera tela. Carentes ratione expetant bella & sævum Martem: tu potes esse miles, & ornamentum patriæ.

Horrida.] Marcellinus iste militabat in Dacia, hodie *Moldavia*, &c. epig. 79. lib. 7. & epig. 46. lib. 9. ad eundem Marcellinum.

Et Getici tuleris sidera pigra poli.

Strabo lib. 7, Γέτας μὲν, τοὺς πρὸς τὸν Πόντον κεκλιμένους, καὶ πρὸς τὴν ἕω. Δάκους δὲ, τοὺς εἰς τ' ἀναντία πρὸς Γερμανίαν, καὶ τὰς τοῦ Ἴστρου πηγάς, οὓς οἶμαι Δάους καλεῖσθαι τὸ παλαιόν. Getæ qui versus Pontum & Orientem inclinant: Daci qui in diversum ad Germaniam, & Istri fontes vergunt, quos puto antiquitus esse Davos appellatos.

Jugo Parrhasio.] hoc est, Septentrione, nempe sub ursa quæ dicta est Parrhasia, ab Arcadiæ urbe unde erat Calisto in ursam a Jove commutata. Vide epig. 11. lib. 4.

Patriusque.] Ex his verbis colligit Domitius Marcellinum fuisse Hispanum Martialis popularem, sed potius a patre Marcellini patrius amicus fuisse mihi videtur.

Bella velint.] hoc est, temere pugnent furiosi; nec enim vetat Marcellinum pugnare, sed tantum monet, ne in hostes temere irruat.

Tu potes.] Potes patriæ esse ornamento tempore belli, & pacis. Legunt alii,

Tu potes & patris miles, & esse ducis.

quæ lectio non placet.

XXVI.

Ad Nepotem, quem hortatur ad genialem vitam. XXVII.

BIs vicine Nepos (nam tu quoque proxima Floræ
Incolis, & veteres tu quoque Ficelias)
Est tibi, quæ patrii signatur imagine vultus,
Testis maternæ nata pudicitiæ.
Tu tamen annoso nimium ne parce Falerno:
Et potius plenos ære relinque cados.
Sit pia, sit locuples, sed potet filia mustum.
Amphora cum domina nunc nova fiat anus.
Cæcuba non solos vindemia nutriat orbos:
Possunt & patres vivere, crede mihi.

O Nepos bis vicine (nam tu etiam habitas in locis propinquis Floræ, atque etiam in antiquis Ficeliis) habes filiam testem maternæ castimoniæ, quæ refert imaginem paterni vultus. Nihilominus ne nimis te abstineas a veteri Falerno; & potius relinque cados plenos pecunia. Filia sit pia, sit dives, sed bibat mustum. Amphora nunc recens senescat cum domina. Cæcuba vindemia non alat solos orbos: licet & patribus vivere, mihi adhibe fidem.

Bis

Bis vicine.] Duplici modo Nepotem sibi esse vicinum dicit Poëta: primo quidem Romæ, circa templum Floræ, de qua epig. 23. lib. 5. tum in Sabinis in Ficeliarum oppido, inter quod & Nomentum Martialis prædium habuit. Sic Cluverius Ital. lib. 2. cap. 9.

Tu tamen.] Licet habeas filiam, noli tamen nimium defraudare genium: sufficiet enim si illi cados pecunia plenos reliqueris; ipse porro bibe Falernum *e* multis annis reconditum.

Mustum.] hoc est, vinum annosum ne relinquas filiæ; sed mustum, seu vinum recens, quod ipsa leverit, & quod cum ipsa simul consenuerit.

Cæcuba.] Non solum iis qui liberis carent, bibere vinum cæcubum, sed & iis qui liberos habent, liceat hilariter vivere. De vino cæcubo vide epig. 115. lib. 13.

Epitaphium Glauciæ ad viatorem. XXVIII.

Libertus Melioris ille notus,
Tota qui cecidit dolente Roma,
Cari deliciæ breves patroni,
Hoc sub marmore Glaucias humatus,
Juncto Flaminiæ jacet sepulchro:
Castus moribus, integer pudore,
Velox ingenio, decore felix.
Bis senis modo messibus peractis
Vix unum puer applicabat annum.
Qui fles talia, nil fleas viator.

Glaucias ille cognitus libertus Melioris, qui interiit tota Roma mærente, deliciæ breves patroni dilecti, hoc sub marmore sepultus jacet tumulo juncto viæ Flaminiæ: purus moribus, integer pudore, promptus ingenio, florens pulchritudine: Puer adjungebat vix unum annum duodecim messibus paulo ante absolutis. O viator qui luges casum ejusmodi, nihil lugeas deinceps.

Libertus Melioris.] Vide apud Statium lib. 2. Sylvarum, *Epicedion in Glauciam Melioris.* Melior Atedius vir sane clarissimus fuit, ad quem sunt Statii arbor & psittacus.

Flaminiæ.] viæ nempe extra urbem, ad quam frequentes erant tumuli.

Velox ingenio.] Homerum enim recitabat, stupentibus omnibus. Vide Statium loco citato.

Messibus.] hoc est annis. Quidam male legunt *mensibus*; nam quod ingenium bimulo?

Nil fleas.] hoc est, ô viator qui mortem hujus pueri desles, opto nihil habeas unquam deflendum: id est, felix esto.

De eodem XXIX.

Non de plebe domus, nec avaræ verna catastæ,
Sed domini sancto dignus amore puer:
Munera cum posset nondum sentire patroni,
Glaucia libertus jam Melioris erat.
Moribus hoc formæque datum, quis blandior illo?
Aut quis Apollineo pulchrior ore fuit?
Immodicis brevis est ætas, & rara senectus:
Quidquid amas, cupias non placuisse nimis.

Puer fuit *non verna plebeiæ domus, nec avaræ catastæ, at dignus sancto amore heri* sui: *Glaucia jam erat libertus Melioris, cum nondum posset intelligere dona patroni. Hoc concessum moribus & pulchritudini, quis suavior illo? aut quis Apollineo ore formosior fuit? Eximia sortiuntur brevem ætatem, & raram senectam: Optes non arridere nimis quicquid diligis.*

Non de plebe domus.] Lege epigramma præcedens. Glaucia, inquit, non erat de plebe servili, nec verna venalitius, qui cum reliquis servis in catasta exponeretur. Erat autem catasta locus, vel potius machina lignea longa compedis instar, ubi venales

venales servi exponerentur. Avaram dixit, quia avari erant mangones, qui ex venditione servorum quæstum faciebant.

Aut quis.] hoc est, quis vel etiam formosus ut Apollo fuit pulchrior Glaucia?

Immodicis.] Quibus est præcox ingenium, & gratissima infantia, ii cito moriuntur. Hoc dicere videtur Poëta secundum impiam opinionem, qua credebant antiqui nimiæ hominum gloriæ deos invidere.

Cupias non placuisse.] ne cito pereat.

In Pætum qui tarde dederat quod promiserat. XXX.

Sex sestertia si statim dedisses,
Cum dixti mihi, Sume, tolle, dono;
Deberem tibi, Pæte, pro ducentis.
At nunc cum dederis diu moratus,
Post septem, puto, vel novem Kalendas;
Vis dicam tibi veriora veris?
Sex sestertia, Pæte, perdidisti.

Si subito donasset sex sestertia, cum mihi dixisti; Accipe, aufer, largior; ô Pæte, essem tibi debitor ducentorum. Sed cum diu cunctatus modo donaveris, post septem, opinor, vel novem menses; placetne tibi dicam aliquid verius veritate? O Pæte, amisisti sex sestertia.

Sex sestertia.] Poëtæ daturum se promiserat Pætus, quæ si donasset sine mora, tantum illi debuisset Martialis, quantum pro ducentis.

Perdidisti.] fere enim nulla est gratia tarde concessa: at vero bis dat qui cito dat.

XXXI.

De morte Othonis. XXXII.

Cum dubitaret adhuc belli civilis Enyo
  Forsitan & posset vincere mollis Otho,
Damnavit multo staturum sanguine Martem,
  Et fodit certa pectora nuda manu.
Sit Cato dum vivit, sane vel Cæsare major;
  Dum moritur, numquid major Othone fuit?

Cum Enyo belli civilis esset adhuc in ancipiti, & forte effæminatus Otho posset superare, improbavit Martem non staturum nisi multo sanguine, & transfodit nudum pectus manu non dubia. Cato, dum vivit, sit hercle major vel ipso Cæsare; dum interit, an fuit major Othone?

Cum dubitaret.] Enyo, id est Bellona Martis soror, cum adhuc dubitaret cui victoriam concedere, an Vitellio, an Othoni. Vide Suetonium in Othone.

Damnavit Martem.] Hoc est bellum, quod stare seu cessare nequibat sine multo sanguine, nisi forte sumas stare pro constare. *Staturum.*] Legunt alii *saturatum*, vel *saturum jam.* Prior lectio magis placet.

Numquid major.] Desperatis enim rebus, metu hostium se interfecit Cato: Otho vero prope integris pectus transfodit, unde moriendo plus gloriæ quam Cato adeptus videtur.

XXXIII.

Ad Diadumenum puerum formosum. XXXIV.

BASIA da nobis, Diadumene, pressa; quot inquis?
Oceani fluctus me numerare jubes;
Et maris Ægæi sparsa per litora conchas,
Et quæ Cecropio monte vagantur apes;
Quæque sonant pleno vocesque, manusque theatro,
Cum populus subiti Cæsaris ora videt.
Nolo quot arguto dedit exorata Catullo
Lesbia: pauca cupit, qui numerare potest.

O Diadumene, liba nobis oscula pressa: quot ais? Imperas a me recenseri fluctus Oceani, & conchas sparsas per litora maris Ægæi, atque apes quæ errant in monte Cecropio, & voces & manus quæ applaudunt pleno theatro, cum populus intuetur vultum repentinum Cæsaris. Nolo quot exorata Lesbia libavit concinno Catullo: pauca optat, qui potest recensere.

Basia da nobis.] De Diadumeno jam actum epig. 64. lib. 5. & epig. 47. lib. 5.

Et quæ Cecropio,] Hymettum intellige, de quo Pausanias in Atticis: *Ὑμηττὸς φύει νομὰς μελίτταις ἐπιτηδειοτάτας*. Hymettus pastiones habet apibus aptissimas. Cecropius vero dicitur, id est Atticus.

Nolo quot.] Lege Catulli epig. 5. ad Lesbiam:

Da mihi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum,
&c.

Hæc vero basia utpote numerabilia pauca esse existimat noster Poëta.

Ad Cæcilianum molestum caussidicum. XXXV.

SEPTEM clepsydras magna tibi voce petenti,
Arbiter invitus, Cæciliane, dedit.
At tu multa diu dicis: vitreisque tepentem
Ampullis potas semisupinus aquam.
Ut tandem saties vocemque, sitimque, rogamus,
Jam de clepsydra, Cæciliane, bibas.

O Cæciliane, judex non libenter tibi postulanti magna voce concessit septem clepsydras. Sed tu profers multa diu: & semisupinus bibis vitreis phialis tepentem aquam. Ut tandem expleas vocem, & sitim, oramus, ô Cæciliane, jam potes de clepsydra.

Septem clepsydras.] Clepsydra seu hydrologium, aquarium est horologium. Vasculum quippe erat aut ex vitro aut ex alia materia, per quod aqua inclusa guttatim defluens dimetiebatur tempus. Nam orantibus in foro ex more Atheniensium præscriptum erat tempus: attamen sæpe liberæ erant actiones, nec ad certum tempus dicere jubebantur patroni. Quantum vero temporis dimensa fuerit una clepsydra, mihi compertum non est. Sunt qui singulas horas singulis clepsydris definiant, in qua sententia est Domitius: alii clepsydræ mediam horam, alii tribus clepsydris horam tribuunt. Plinius Junior lib. 2. epist. 11. sic de clepsydra: *Dixi*, inquit, *horis pene quinque: nam decem clepsydris quas spatiosissimas acceperam, sunt additæ quatuor.* Nisi hic locus varie legeretur, rem definiret; etenim alii legunt pro decem clepsydris, viginti, alii duodecim, alii tribus; tandem pro longo temporis spatio septem clepsydras hic posuit Poëta.

Vitreisque.] Nonnunquam autem comedisse, & bibisse oratores in ipsa actione disce a Quintiliano lib. 11. cap. ultimo. *Bibere*, inquit; *aut etiam esse inter agendum, quod multis moris fuit, & est quibusdam ab oratore meo procul absit, &c.*

Jam de clepsydra.] Aquam bibe, ut ineptæ tuæ orationi finem breviter imponas.

XXXVI.

XXXVI.

XXXVII.

De filio Reguli, cujus infantis adhuc indolem laudat. XXXVIII.

ADspicis ut parvus, nec adhuc trieteride plena,
Regulus auditum laudet & ipse patrem;
Maternosque sinus viso genitore relinquat,
Et patrias laudes sentiat esse suas?
Jam clamor centumque viri, densumque coronæ
Vulgus, & infanti Julia templa placent.
Acris equi soboles magno sic pulvere gaudet,
Sic vitulus molli prælia fronte cupit.
Dî, servate, precor, matri sua vota, patrique,
Audiat ut natum Regulus, illa duos.

Videsne ut parvus Regulus, nec adhuc tribus annis peractis, celebret & ipse auditum genitorem; & deserat gremium genitricis conspecto patre, atque intelligat decus paternum esse suum? Jam clamor, & centum viri, & plebs frequens cœtus, & Julia templa sunt jucunda infanti. Sic progenies fortis equi lætatur magno pulvere; sic vitulus tenera fronte appetit pugnam. O dii, servate, oro, sua vota genitrici, ut Regulus audiat filium, illa vero *ambos.*

Nec adhuc trieteride.] Quæ est spatium trium annorum.

Regulus.] Filius scil. infans jam lætabatur cum orantem in foro patrem audiret. Vide Plinium juniorem epist. 2. lib. 4. ubi describit mortem hujus pueri.

Centumque viri.] Erant judices quorum munus describit Cicero lib. 1. de Oratore.

Julia templa.] Alii Julia tecta. Juliam basilicam intellige, in qua scil. jus reddebant centum viri, quos ingens populi multitudo circumstabat. Lege Plinium jun. epist. 21. lib. 5.

Acris equi.] Videtur respicere illud Horatii,

Fortes creantur fortibus.

Dî servate.] Solennis antiquorum bene precandi formula.

Audiat ut natum.] Orantem scilicet. *Illa duos*: mater nempe audiat maritum, & aliquando filium agentem caussas.

In Cinnam de adulteriis uxoris. XXXIX.

PAter ex Marulla, Cinna, factus es septem
Non liberorum, namque nec tuus quisquam,
Nec est amici, filiusve vicini;
Sed in grabatis, tegetibusque concepti
Materna produnt capitibus suis furta.
Hic qui retorto crine Maurus incedit,
Sobolem fatetur esse se Cogisantræ:
At ille sima nare, turgidis labris;
Ipsa est imago Pannici palæstritæ;
Pistoris esse tertium quis ignorat,

O Cinna ex Marulla uxore suscepisti septem non liberos, namque nec quisquam est tuus, nec filius amici, aut vicini; at concepti in grabatis, & tegetibus indicant suis capitibus adulteria matris. Hic Maurus, qui ambulat retorta coma, fatetur se esse progeniem Cogisantræ: sed ille depressa nare, tumidis labris, simillimus est Pannico palæstritæ: quis nescit tertium esse Pistoris,

Quicumque lippum novit, & videt Damam?
Quartus cinæda fronte, candido vultu,
Ex concubino natus est tibi Lygdo:
Præcide si vis filium, nefas non est.
Hunc vero acuto capite, & auribus longis,
Quæ sic moventur, ut solent asellorum,
Quis morionis filium neget Gyrthæ?
Duæ sorores, illa nigra, & hæc rufa,
Croti choraulæ, villicique sunt Carpi.
Jamque hybridarum grex tibi foret plenus,
Si spado Corculus, Dindymusque non esset?

quicumque cognovit & spectat lippum Damam? . . . Quis vero inficietur filium esse Sannionis Gyrthæ hunc acuto capite, atque auribus longis, quæ sic moventur, ut solent asellorum? duæ sorores, illa nigra, & hæc rufa genitæ sunt a Croto choraula, atque a Carpo villico. Jamque haberes gregem plenum hybridarum, si Corculus & Dindymus non essent spadones?

Pater ex Marulla.] Adulteria Marullæ facete narrat, quæ servorum amore debaccharetur.

Sed in grabatis.] hoc est lectis servorum propriis, & tegetibus, hoc est matris, quibus utebantur meretrices pro lectis. Juven. sat. 6. de Messalina Claudii uxore loquens sic ait.

Ausa Palatino tegetem præferre cubili.

Cirisantra.] Servi Mauri. Legunt alii *coci santra.*

Palæstrita.] Pannici dantis operam palæstræ, epig. 57. lib. 3.

Et videt Damam.] Tertius vero filius lippus genitus erat a pistore Dama, qui & ipse lippus erat.

Gyrtha.] Alii *Gyrrha.*

Jamque hybridarum.] Hybrida est fœtus ex imparibus parentibus, ut ex apro, & sue; sic filios ex matre ingenua & patre servo hybridas vocat Poëta.

Si spado Corculus.] Alii *Coresus.*

Ad Lycorim quam amaverat olim. XL.

FOEMINA præferri potuit tibi nulla, Lycori,
Præferri Glyceræ fœmina nulla potest.
Hæc erit hoc, quod tu: tu non potes esse, quod hæc est.
Tempora quid faciunt! hanc volo, te volui.

O Lycori, nulla olim *mulier potuit tibi anteponi, nulla* nunc *mulier potest anteponi Glyceræ. Hæc fiet hoc quod tu es: tu nequis esse quod hæc est. Quid efficiunt tempora! Hæc placet mihi, tu placuisti.*

Hæc erit hoc.] Fiet anus.

Tu non potes.] Fieri juvenis.

In raucum Poëtam colla lana tegentem. XLI.

QUI recitat lana fauces, & colla revinctus,
Hic se posse loqui, posse tacere negat.

Qui recitat gutture & collo circumdato lana, hic affirmat se nec posse loqui, nec posse silere.

Qui recitat.] Raucum hunc Poëtam carpit Martialis: etenim cum ille faucibus focale adhiberet, ne frigore corriperetur, ostendebat se non posse nisi ægre loqui: ostendebat pariter se tacere non posse, cum licet raucus vellet recitare. Vide epig. 41. lib. 4 & Gellium lib. 1, cap. 15. de inani loquacitate. *Epicarmium quoque*, inquit, *illud non inscite se habet.*

Οὐ λέγειν δεινὸς, ἀλλὰ σιγᾷν ἀδύνατος

Ex quo profecto sumptum est: qui cum loqui non posset, tacere non poterat.

De

De Etrusci thermis. XLII.

ETRUSCI nisi thermulis laveris,
Illotus morieris, Oppiane.
Nullæ sic tibi blandientur undæ,
Nec fontes Aponi rudes puellis,
Non mollis Sinuessa, fervidique
Fluctus Passeris, aut superbus Anxur,
Non Phœbi vada, principesque Baiæ.
Nusquam tam nitidum micat serenum:
Lux ipsa est ibi longior, diesque,
Nullo tardius a loco recedit.
Siccos pinguis onyx anhelat æstus.
Illic Taygeti virent metalla,
Et certant vario decore saxa,
Quæ Phryx, & Libys altius cecîdit,
Et flamma tenui calent Ophitæ.
Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda virgine, Martiaque mergi:
Quæ tam candida, tam serena lucet,
Ut nullas ibi suspiceris undas,
Et credas vacuam nitere Lygdon.
Non attendis, & aure me supina,
Jamdudum quasi negligenter audis:
Illotus morieris, Oppiane.

Oppiane, interibis illotus, nisi laveris thermulis Etrusci. Nullæ aquæ sic tibi palpabuntur, nec fontes Aponi intact. puellis, non mollis Sinuessa, & calidi fluctus Passeris, aut altus Anxur, nec vada Phœbi, & Baiæ nobilissimæ. Nullibi serenitas tam nitida splendet: lux ipsa est longior illic, nec serius dies abit ab ullo loco. Onyx pinguis emittit siccos fervores. Illic metalla Taygeti virescunt, & varia pulchritudine contendunt lapides, quos alcius excidit Phrygius & Afer, atque Ophitæ fervent leni igne. Si mores Lacedæmoniorum tibi arrideant, contentus arido vapore potes immergi in frigidam aquam virginem, atque Marciam: quæ tam pura & tam nitida micat, ut suspiceris nullas esse aquas illic, & putes splendere Lygdinum marmor vacuum. Non auscultas, & jam diu quasi oscitanter me audis aure negligente. Oppiane, interibis illotus.

Etrusci nisi.] Papinius lib. 1. Sylvarum balneum Etrusci fuse describit.

Illotus.] Aliæ enim aquæ sordes tuas, & malum colorem, de quo epig. 3. lib. 7. eluere non poterunt.

Nec fontes Aponi.] Juxta Patavium. Suetonius cap. 14. in Tiberio, *rudes puellis.* Cassiodorus epig. 39. lib. 2. ait lavacrum illud singulari pudicitiæ disciplina sanctum esse; in eam enim aquam in qua viri recreantur, si mulier descendat, calore exuritur. Vel forte Poëta respicit ad Patavinarum pudicitiam, quam commendat Plinius junior epist. 14. lib. 1. & Poëta noster epig. 17. lib. 11.

Mollis Sinuessa.] Urbs Campaniæ maritima, hodie, ut aiunt, *Rocca di Mondragone.* Tacitus lib. 12. Annalium de Claudio: *Refovendis viribus mollitie cœli, & salubritate aquarum Sinuessam perrexit.*

Fluctus Passeris.] Aquæ blandissimæ in Campania ad mare interum, ut putant interpretes. De his nihil reperi.

Anxur.] hodie *Terracina*, epig. 1. lib. 5.

Phœbi vada] Cumanum litus intelligunt interpretes, ubi nempe celebre fuit Apollinis templum, Virgilius 6. Æneid. Cluverius Italiæ lib. 2. cap. 2. intelligit aquas Apollinarea calidas, & nobiles olim *Cæretanas* dictas, juxta Cære Etruriæ oppidum.

Pinguis onyx] Genus quoddam marmoris de quo Plinius lib. 6. cap. 7. aliàs gemma, & vas etiam unguentarium dicitur. Onychem tamen in his thermis fuisse negat Papinius loco supra citato:

Maret onyx longe, queriturque exclusus ophites.

Pinguis dicitur, hoc est *sudans*, inquit Raderus. *Æstus siccos*, nempe similes radiis solis.

Taygeti.] montis in Laconia, in quo marmor, quod metallum vocat, cum tamen proprie non dicatur nisi de ferro, auro, &c.

Quæ Phryx.] hoc est ex Phrygia atque ex Libya.

Ophitæ.] marmor nempe maculis distinctum instar serpentis.

Ritus si placeant.] quos explicat ipse Poëta ver-

versibus sequentibus: hoc est, si placet sudare sicca cella, frigida vero lavare. De aqua virgine, sic dicta quod fluens in urbem declinaret a rivo Herculis jam dictum epig. 21. lib. 5. de qua Plinius lib. 31. cap. 3. & ibidem de aqua Martia, ab Anco Martio rege, deinde a Q. Martio prætore in urbem invecta, ut aiunt interpretes.

Lygdon.] Locus nempe erat in Tauro monte, ubi marmor candidissimum.

Aure me supina.] Vide epig. 78. lib. 5. Auris supina significat habitum prope dormientis, qui caput in humeros inclinat, & negligenter auscultat.

Ad Castricum rusticantem Baiis. XLIII.

DUM tibi felices indulgent, Castrice, Baiæ:
Canaque sulphureis nympha natatur aquis:
Me Nomentani confirmant otia ruris,
Et casa jugeribus non onerosa suis.
Hîc mihi Baiani soles, mollisque Lucrinus:
Hic vestræ mihi sunt, Castrice, divitiæ.
Quondam laudatas quocunque libebat ad undas
Currere, nec longas pertimuisse vias.
Nunc urbi vicina juvant, facilesque recessus,
Et satis est, pigro si licet esse mihi.

O Castrice, dum frueris amœnis Baiis; & natatur Nympha cana undis sulphureis; quies villæ Nomentanæ me corroborat, & domus non gravis suo fundo. Hic fruor Baianis solibus, & molli Lucrino: hic, ô Castrice, fruor vestris opibus. Olim placebat currere quocunque ad aquas commendatas, nec reformidare longum iter. Nunc secessus faciles, & loca juxta urbem placent, & sufficit, si fas est mihi segni esse.

Canaque.] Genus est, natas in aqua cana, quia sulphurea, & Nympham posuit pro lympha, seu aqua.

Confirmant.] Ex hoc verbo licet colligere Martialem fuisse ægrotum; atque tunc incepisse convalescere in agro suo Nomentano non procul ab urbe, de quo epig. 38. lib. 2.

Non onerosa.] hoc est, pro modo, & ratione fundi ædificata, nec nimis magna nec parva nimis.

Et satis est.] Olim currebam ad aquas amœnas etiam remotissimas, nunc vero me ætate provectum, & pigrum, juvant loca urbi vicina, & sufficit, si mihi liceat otiosam vitam agere.

In Calliodorum impurum scurram. XLIV.

FESTIVE credis te, Calliodore, jocari,
Et solum multo permaduisse sale.
Omnibus arrides, dicteria dicis in omnes,
Sic te convivam posse placere putas.
At si ego non belle, sed vere dixero quiddam:
Nemo propinabit, Calliodore, tibi.

O Calliodore, putas te cavillari lepide, & te unum perfusum esse multis facetiis. Subrides cunctis, cavillationibus lacessis cunctos, hoc modo credis esse conviva jucundus. At si ego non facete, sed vere protulero quiddam, ô Calliodore, nemo propinabit tibi.

Permaduisse.] Putas te solum esse facetum & jucundum divitibus, quorum cœnam captas.

Nemo propinabit.] Propter oris tui impuritatem nemo tibi suum poculum tradet in quo bibas, id est nemo te invitabit ad cœnam. Vide epig. 15. lib. 2.

XLV.

XLV.

Ad Catianum de Veneto auriga. XLVI.

VAPULAT assiduo Veneti quadriga flagello,
Nec currit: magnam rem, Catiane, facit.

Quadriga Veneti perpetuo caeditur virgis, nec properat: O Catiane, agit magnam rem.

Vapulat.] Quidam auriga ex Venetorum factione equos quadrijugos assidue verberabat, nec tamen illi properabant; illum irridet Poëta, quasi magnam rem faciat, qui cum equos verberibus disrumpat, non currant tamen; vel qui cum tali quadriga audeat venire in certamen. Erant autem quatuor factiones Venetorum nempe, qui coeruleum ferebant, coelo & mari sacri: Prasinorum, qui viridem terrae seu veri, & floribus dicati; Russatorum, qui igni, & Marti, Alborum, qui albos viridi mixtos gerebant pannos. Sic Raderus. Plura vide apud Bulengerum.

Ad Ianthida nympham Stellae. XLVII.

NYMPHA mei Stellae, quae fonte domestica puro
Laberis, & domini gemmea tecta subis:
Sive Numae conjux Triviae te misit ab antro:
Sive Camoenarum de grege nona venis:
Exsolvit votis hac se tibi virgine porca
Marcus, furtivam quod bibit aeger aquam.
Tu contenta meo jam crimine, gaudia fontis
Da secura tui: sit mihi sana sitis.

O Nympha mei Stellae, quae domestica fluis fonte puro, atque ingrederis ades gemmeas: sive uxor Numae te misit a specu Dianae, seu venis nona de grege Musarum: hac virgine porca Martialis se liberat votis tibi factis, qui aegrotus furtim hausit aquam tuam. Tu jam placata meo scelere expiato tuta praebe gaudia fontis tui: sit mihi sana sitis.

Nympha mei Stellae.] Alii *meo.* Laudat Stellae fontem, cujus Numen seu Nympham Ianthidem appellat a nomine Ianthidis uxoris Stellae, de qua epig. 21. supra.

Sive Numae conjux.] Ægeria nempe de qua Florus in Numa. Ovidius 3. Fastorum agit de fonte Ægeriae:

Ægeria est, quae praebet aquas, dea grata Camoenis,
Illa Numae conjux, consiliumque fuit.

Trivia.] hoc est Dianae, epig. 1. lib. Spect. quae in valle Aricina colebatur.

Sive Camoenarum.] hoc est, seu laberis ex fonte Musarum, vel seu venis una ex novem Musis.

Exsolvit.] Huic Nymphae, seu huic fonti vota nuncupaverat Martialis, se nempe porcam intactam immolaturum, quod aegrotus furtim bibisset aquam ex illo fonte. Horatius ode 13. lib. 3. hoedum immolat fonti Blandusiae.

Gaudia fontis.] hoc est: Tu, ô Nympha jam secura meo scilicet scelere expiato, fac mihi copiam salubrium tuarum aquarum. Vel *secura* refer ad *gaudia.*

Sit mihi sana sitis.] Jam a morbo recreatus nunc ita sitiam, ut olim aeger sitiebam.

In Pomponium Poëtam ineptum. XLVIII.

QUod tam grande sophos clamat tibi turba togata:
Non tu, Pomponi, cœna diserta tua est.

Quod turba togatorum exclamat tibi tam grande sophos, non tu, ô Pomponi, sed convivium tuum facundum est.

Grande sophos] De hac exclamatione egimus lib. 1. epig. 4. Versus suos coram amicis ad cœnam vocatis recitare solebant veteres. Poëta hunc Pomponium irridet, qui non laudaretur propter versus, sed propter cœnam lautam. Sic Persius sat. 1.

——— calidum scis ponere sumen,
Scis comitem horridulum trita donare lacerna.

XLIX.

De Thelesino, qui familiariter usus impuris hominibus dives evasit. L.

CUm coleret puros pauper Thelesinus amicos,
Errabat gelida sordidus in togula.
Obscœnos postquam cœpit curare cinædos,
Argentum, mensas, prædia, solus emit.
Vis fieri dives, Bithynice, conscius esto.
Nil tibi, vel minimum, basia pura dabunt.

Cum Thelesinus inops observaret amicos pudicos, sordidus vagabatur in frigida togula. Ex quo cœpit colere turpes cinædos, ille unus mercatur argentum, mensas, fundos. O Bithynice, cupis locupletari? conscius esto. Oscula pudica conferent tibi nihil, vel minimum.

Cum coleret puros.] Sensus est: Nihil consecutus est Thelesinus, dum coluit amicos castos; at vero dives factus est, statim ac coluit homines turpes, quorum libidinis conscius fuit. Juvenalis sat. 3.
Quis nunc diligitur nisi conscius, &c.
Argentum.] vel cælatum, vel purum.

Ad Lupercum avarum. LI.

QUod convivaris sine me tam sæpe, Luperce:
Inveni, noceam qua ratione tibi.
Irascar, licet usque voces, mittasque rogesque.
Quid facies? inquis, quid faciam? veniam.

O Luperce, excogitavi, quo modo te lædam; quod epularis sine me tam crebro. Succensebo, quamvis semper invites & mittas, atque ores. Quid ages? ais, quid agam? ibo.

Quid convivaris.] Carpit Lupercum, qui raro eum ad cœnam invitaret. *Veniam.*] Cœnabo apud te, atque avaritiæ tuæ pœnas dabis.

Epi-

Epitaphium Pantagathi tonsoris. LII.

HOc jacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus, domini cura, dolorque fui,
Vix tangente vagos ferro resecare capillos
Doctus, & hirsutas excoluisse genas.
Sis licet inde sibi tellus placata, levisque,
Artificis levior non potes esse manu.

Pantagathus mortuus annis puerilibus amor, & mæror sui heri, jacet in hoc sepulchro, sciens resecare errantes crines ferro vix tangente, atque expolire malas pilosas. O terra, quantumvis deinceps sis illi placata & levis, nequis esse levior manu artificis.

Pantagathus.] Raptus fato immaturo, amor nempe domini dum viveret, dolor vero ex quo mortuus. Ipse forte Poëtæ fuit servus.

Sis licet inde sibi.] De hac bene precandi formula vide epig. 35. lib. 5. *tellus sis sibi,* hoc est ei, qui modus est loquendi Græcus, quem & Latini usurpant. Alii legunt, *sis licet ut debes.* Videat lector. Sensus est: O terra, quantumvis sis levis, nequis tamen esse levior manu Pantagathi, dum tonderet: quæ propria tonsoris laus est.

Do Andragora, cujus repentinæ mortis caussam rejicit in medicum Hermocratem. LIII.

LOTUS nobiscum est hilaris, cœnavit & idem.
Inventus mane est mortuus Andragoras.
Tam subitæ mortis caussam, Faustine, requiris?
In somnis medicum viderat Hermocratem.

Andragoras lætus lavit nobiscum, & idem cœnavit, mane repertus est defunctus. O Faustine, rogas caussam tam repentini interitus? Medicus Hermocrates apparuerat illi in somnis.

Lotus nobiscum.] Huic simile est epigramma Græcum lib. 2. Anthologiæ, εἰς ἰατρούς. Poëta carpit Hermocratem, qui proculdubio multos ægros sua imperitia necaret.

LIV.

In Coracinum variis unguentis opprimentem fœtidum halitum. LV.

QUOD semper casiaque, cinnamoque,
Et nido niger alitis superbæ
Fragras plumbea Nicerotiana,
Rides nos, Coracine, nil olentes:
Malo, quam bene olere, nil olere.

O Coracine, irrides nos nihil fragrantes, quod tu semper unctus casia & cinnamomo, & nido avis superba oles Nicerotiana plumbea: magis placet nihil olere, quam bene olere.

Quod semper.] Iste Coracinus variis odoribus animæ fœtorem compescebat, quibus non opus est nihil olenti.

Casia cinnamoque.] frutices sunt odoris suavissimi.

Et nido niger.] hoc est unctus iis herbis odoriferis, quibus nidum conficit phœnix, ut aiunt Poëtæ, quæ vera esse negat Plinius lib. 12. cap. 19. Vide epig. 7. lib. 5.

Plumbea.] Redoles unguenta, quæ vasis plumbeis in umbra, teste Plinio lib. 13. cap. 2. concoquebantur. *Nicerotiana* dicuntur a Nico-

Nacerote unguentario, de quo lib. 10. epig. 38. & lib. 12. epig. 65. Alii *Nicerotiana*.

Nil olere.] Cur malit nihil olere, explicuit Poëta lib. 2. epig. 12.

Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Postume, semper:
Postume, non bene olet qui bene semper olet.

L V I.

In Phœbum calvum. L V I I.

MENTIRIS fictos unguento, Phœbe, capillos,
Et tegitur pictis sordida calva comis.
Tonsorem capiti non est adhibere necessum;
Radere te melius spongia, Phœbe, potest.

O Phœbe, unguento dissimulas falsas comas. & turpis calva operitur picta cæsarie. Non est opus admovere tonsorem capiti. O Phœbe, spongia potest radere te melius.

Mentiris fictos.] Turnebus lib. 25. cap. 27 Olim qui erant toto capite calvi, sibi solebant unguento perfusi velut fila capillorum imitari. Vide epig. 74. infra.

Radere te. hoc est, abstergere pictos crines, & delere potest spongia. *Radere* non dicitur proprie nisi de novacula.

Ad Aulum Pudentem de morbo, quo pene interiit. L V I I I.

CERNERE Parrhasios dum te juvat, Aule, Triones,
Cominus & Scythici sidera ferre poli;
O quam pene tibi Stygias ego raptus ad undas
Elysiæ vidi nubila fusca plagæ!
Quamvis lassa tuos quærebant lumina vultus,
Atque erat in gelido plurimus ore Pudens.
Si mihi lanificæ ducunt non pulla sorores
Stamina, nec surdos vox habet ista deos:
Sospite me sospes Latias reveheris ad urbes,
Et referes pili præmia clarus eques.

O Aule, dum tibi placet cominus spectare Triones Parrhasios, & tolerare astra Poli Scythici: O quam fere ego tibi raptus ad undas Stygias spectavi atra nubila regionis Elysiæ! Oculi licet graves quærebant tuos vultus, & gelido ore sæpissime loquebar de meo Pudente. Si lanificæ sorores trahunt mihi stamina non nigra, nec ista vox pervenit ad surda Numina: me salvo salvus remeabis ad urbes Latii, atque eques illustris reportabis præmia primipili.

Cernere Parrhasios.] Gellius lib. 2. cap. 21. *Sed ego quidem*, inquit, *cum Lælio, & Varrone sentio: qui Triones rustico vocabulo appellatos scribunt, quasi quosdam terrones: hoc est aranda colendaque terra idoneos. Itaque hoc sidus, quod a figura positurâque ipsa quia simile plaustri videtur, antiqui Græcorum ἅμαξαν dixerunt: nostri quoque veteres a bubus junctis, Septentriones appellarunt: id est a septem stellis, ex quibus quasi juncti triones figurantur.* Vide epig. 11. lib. 4 & epig. 25. supra. De Aulo Pudente jam dictum lib. 1. epig. 32. & lib. 5. epig. 49.

Sidera ferre.] Alii *sidera pigra*.

O quam.] hoc est, quam pene mortuus sum.

Non pulla.] Quæ mortem minantur, epig. 73. lib. 4.

Et referes.] hoc est, primipili, seu primi centurionis legionis honore, & equestribus ornamentis decoratus redibis: qui enim primipilus fiebat, statim in ordinem equestrem adscribebatur, teste Lipsio lib. 2. de militia Romana.

In Baccaram veſtium oſtentatorem. LIX.

ET dolet; & queritur, ſibi non contingere frigus,
Propter ſexcentas Baccara gauſapinas;
Optat & obſcuras luces, ventoſque, niveſque,
Odit & hibernos, ſi tepuere, dies;
Quid fecere mali noſtræ tibi, ſæve, lacernæ,
Tollere de ſcapulis quas levis aura poteſt?
Quanto ſimplicius, quanto eſt humanius illud,
Menſe vel Auguſto ſumere gauſapinas.

Baccara mœret atque expoſtulat, ſe non corripi frigore, propter ſexcentas gauſapinas: expetit dies nubilos, & ventos, & nives; odit & dies hibernos, ſi tepuere. O acerbe, quid in te peccarunt noſtra laterna, quas levis aura poteſt auferre ex humeris? quanto ſimplicius, & quanto humanius illud eſt, uti gauſapinis vel menſe Auguſto.

Et dolet, & queritur.] Iſte Baccara dolebat hyemem non ſævire, ut poſſet oſtentare gauſapinas, penulas nempe villoſas, quibus uterentur Romani hiberno tempore frigido; Simili morbo laborabat Zoilus, de quo epig. 16. lib. 2.

Obſcuras luces.] hoc eſt, cœlum nubilum.

Sæve.] Alii legunt *Sæva*: nomen eſt fictum, inquit Raderus, ſeu fœminæ, ſeu viri, placet accipere pro virili, neſcio an fœminis geſtatæ gauſapinæ.

Quanto ſimplicius.] hoc eſt, humanius faceres, ſi aperte fatereris tuum morbum, gauſapinas geſtando vel media æſtate.

De Pompillo

qui libros componebat invita Minerva. LX.

REM factam Pompillus habet, Fauſtine; legetur,
Et nomen toto ſparget in orbe ſuum:
Sic leve flavorum valeat genus Uſipiorum,
Quiſquis & Auſonium non amat imperium.
Ingenioſa tamen Pompilli ſcripta feruntur:
Sed famæ non eſt hoc, mihi crede, ſatis.
Quam multi tineas paſcunt, blattaſque diſerti!
Et redimunt ſoli carmina docta coci!
Neſcio quid plus eſt, quod donat ſecula chartis,
Victurus Genium debet habere liber.

O Fauſtine, Pompillus geſſit rem feliciter; evolvetur, & diffundet nomen ſuum per totum mundum: ſic valeat gens mobilis flavorum Uſiporum, & quiſquis non favet Imperio Romano. Nihilominus ſcripta Pompilli dicuntur ingenioſa. At mihi fidem adhibe, hoc non ſufficit fama. Quam multi eloquentes alunt tineas, & blattas! Et ſoli coci emunt verſus eruditos! Neſcio quid plus eſt, quod conciliat immortalitatem ſcriptis, liber victurus debet habere genium.

Rem factam.] De hoc loquendi modo dictum epig. 28. lib. 1. & epig. 26. lib. 2. dicitur de eo qui putat ſine dubio conſecuturum ſe quod optat.

Sic leve.] Sic valeant hoſtes populi Romani, ut libri Pompilli; hoc eſt, utinam ſic pereant, ut libri Pompilli perituri ſunt. Uſipii vero populi ſunt Germaniæ Rheni accolæ ex Tacito lib. 4. hiſtoriarum, qui eos conjungit cum Cattis, & Mattiacis; Ptolemæus tamen Uſipios ad Iſtrum ponit. Ita Raderus. Leves dicuntur, quod a Romanis defeciſſent.

Ingenioſa tamen.] Imperiti nempe cenſent ingenioſa eſſe ſcripta Pompilli: Poëta reſpondet hoc non ſufficere ad conſequendam famam.

Blattas.] vermes qui rodunt libros.

Carmina.]

Carmina.] quibus scilicet piper, pisces, & cætera ejusmodi involvantur.
Genium.] hoc est leporem, & gratiam nativam: unde Horatius:
Tu nihil invita dices, faciesve Minerva.

In invidum. LXI.

LAUDAT, amat, cantat nostros mea Roma libellos:
Meque sinus omnis, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit.
Hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent.

Mea Roma celebrat, diligit, & canit nostros libros, & versor in gremio & manu omnium. Ecce quidam rubet, pallet, obstupescit, oscitatur, odit. Hoc volo: nunc versus nostri sunt nobis jucundi.

Mea Roma.] hoc est, mihi amica & benevola.
Ecce rubet.] Describit Poëta animi motus quibus cruciantur invidi.
Oscitat.] ore hiscit, quod signum est fastidii.
Nunc nobis.] Nunc, inquit, mea mihi placent carmina, cum displiceant invidis.

Ad Apianum captatorem hereditatis. LXII.

AMISIT pater unicum Silanus,
Cessas mittere munera, Apiane?
Heu crudele nefas, malæque Parcæ!
Cujus vulturis hoc erit cadaver?

Silanus genitor perdidit unigenitum: ô Apiane, an moraris mittere dona? heu scelus inhumanum, atque improba Parca! cui vulturi continget hoc cadaver?

Cessas mittere.] Iste Apianus, alii *Oppianus*, quidam fuit hereditatum captator, quem carpit Poëta.
Cujus vulturis.] Seneca epist. 95. *Ægro aliquis assidet, probamus: at hoc si hereditatis caussa fecit, vultur est, cadaver expectat.*

Ad Marianum
qui captatorem scripserat heredem. LXIII.

SCIS te captari: scis hunc, qui captat, avarum:
Et scis qui captat, quid, Mariane, velit:
Tu tamen hunc tabulis heredem, stulte, supremis
Scribis, & esse tuo vis, furiose, loco.
Munera magna quidem misit, sed misit in hamo;
Et piscatorem piscis amare potest?
Hiccine deflebit vero tua fata dolore?
Si cupis, ut ploret, des, Mariane, nihil.

O Mariane, scis te allici, nosti avarum esse hunc qui allicit: & nosti quæ sit mens illius qui allicit: nihilominus tu, ô demens, instituisti hunc heredem ultimo testamento, & vis, ô vesane, illum tibi succedere. Misit quidem magna dona, at misit in hamo: & piscis potestne diligere piscatorem? An hic lugebit tuam mortem vero mærore? O Mariane, si placet ut fleat, nihil dones.

Scis

Scit te captari.] Marianum hunc irridet Poëta, qui blanditiis & muneribus allici se patiebatur.

Quid velit.] nempe tuam mortem, ut possideat tua bona.

Sed misit in hamo.] Vide epig. 18. lib. 5.

Vero tua fata.] Fictæ erunt ejus lacrymæ; heredis enim fletus sæpissime risus est. Alii *mea*.

Des nihil.] Vana expectatione delusus tunc vere flebit.

In detractorem. LXIV.

CUM sis nec rigida Fabiorum gente creatus,
Nec qualem Curio, dum prandia portat aranti,
Hirsuta peperit rubicunda sub ilice conjux:
Sed patris ad speculum tonsi, matrisque togatæ,
Filius, & sponsam possit te sponsa vocare:
Emendare meos, quos novit fama, libellos,
Et tibi permittis felices carpere nugas:
Has, inquam, nugas, quibus aurem advertere totam,
Non aspernantur proceres urbisque, forique,
Quas & perpetui dignantur scrinia Silî,
Et repetit toties facundo Regulus ore;
Quique videt propius magni certamina Circi
Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ:
Ipse etiam tanto dominus sub pondere rerum,
Non dedignatur bis terque revolvere Cæsar.
Sed tibi plus mentis, tibi cor limante Minerva
Acrius, & tenues finxerunt pectus Athenæ.
Ne valeam, si non multo sapit altius istud
Quod cum panticibus laxis, & cum pede grandi,
Et rubro pulmone vetus nasisque timendum,
Omnia crudelis Lanius per compita portat.
Audes præterea, quos nullus noverit, in me
Scribere versiculos, miseras & perdere chartas.
At si quid nostræ tibi bilis inusserit ardor,
Vivet, & hærebit, totoque legetur in orbe.
Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte;
Sed miserere tui, rabido nec perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.
Sit placidus licet, & lambat digitosque manusque,

Cum nec sis oriundus ex severa familia Fabiorum, nec talis, qualem Curio genuit rubicunda uxor sub ilice frondosa dum fert prandia ipsi aranti: sed filius patris tonsi ad speculum, & matris togatæ, & cum possit sponsa te appellare sponsam: tibi facis potestatem corrigendi meos libros quos celebrat fama, & sugillandi felices nugas: has, inquam, ineptias quibus præbere aurem non dedignantur principes urbis & fori, & quæ includuntur in armariis immortalis Silii, & toties ore diserto repetuntur a Regulo, & commendantur a Sura propinquo Dianæ Aventinæ, qui spectat propius pugnas magni circi: ipse etiam dominus Cæsar sub tanto pondere rerum non aspernatur bis & ter relegere. At tu habes plus ingenii, Minerva poliente tibi judicium acrius, & subtiles Athenæ informarunt pectus tuum. Dispeream, si non multo altius sapit illud cor, quod cum intestinis laxis, & cum pede grandi, & vetus pulmone corrupto, & metuendum nasis circumfert sævus lanius per omnia compita. Insuper audes componere in me carmina quæ nemo legerit, & perdere chartas infelices. At si æstus nostræ iræ tibi quid inusserit, durabit, & hærebit, & legetur in toto orbe. Nec Cinnamus arte callida tollet stigmata: at miserere tui, nec miser ore furenti experiaris fumantem nasum vivi ursi. Quamvis sit tranquillus, & lambat digitos & manus,

Si

Si dolor, & bilis, si justa coëgerit ira,
Ursus erit: vacua dentes in pelle fatiges,
Et tacitus quæras, quam possis rodere carnem.

Si impelletur dolore, & bili; & justa ira, ursus fiet: defatiges dentes in pelle mortua, & latens quaeras carnem quam possis rodere.

Fabiorum gente.] studiis belli asperrima & nobilissima.
Curio.] M. Curium Dentatum intellige, de quo Cicero de Senectute: *In hac vita* (rusticana) *M. Curius cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum ætatis.*
Ad speculum tonsi.] id est filius effœminati patris, qui pilos vellebat ad speculum mollis Othonis instar, de quo Juvenalis sat. 1.
Ille tenet speculum pathici gestamen Othonis.
Matrisque togata.] hoc est adulteræ: fœminæ enim adulterii convictæ togam ferre cogebantur: epig. 39. lib. 2.
Et tonsam.] quia effœminatus es.
Sili.] De Silio Italico, Poëta vide epig. 14. lib. 4. de Regulo dictum epig. 13. lib. 1.
Quique videt.] Sura orator clarissimus habitabat in monte Aventino, ubi Diana colebatur, unde poterat despicere in circum maximum vicinum. Suræ meminit Suetonius in Domitiano cap. 13.
Cæsar.] Domitianus.
Sed tibi.] Tu nempe unus omnium Romanorum sapientissimus.
Finxerunt.] Alii minus bene *fixerunt*.
Ne valeam.] hoc est, dispeream si non plus sapit cor pecudis quod venale circumfert lanius per totam urbem. Legunt alii *Quidcum* minus bene.
Nasisque timendum.] quia putridum.
At si quid.] hoc est, At si ego iratus versus in te scripsero, non peribunt, tibique sempiternam infamiæ notam inurent.
Cinnamus.] Tonsor de quo lib. 7. epig. 63. *Stigmata.*] notas infamiæ intellige, quas fugitivorum servorum fronti imprimere solebant Romani.
Fumantem.] Sensus est: Noli me adversus te incitare, aliter iracundum me ursum senties. *Nasum* dixit, quia in naso iræ sedes est. χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται; *bilis in nares sedet.* Theocritus Idyll. 1.
Vacua dentes.] Canes imitare, pellem mortuam rode, me vero vivum ne tangas.

Ad Tuccam epigrammatum censorem. LXV.

Hexametris epigramma facis, scio dicere Tuccam,
Tucca solet fieri: denique Tucca licet.
Sed tamen hoc longum est, solet hoc quoque Tucca licere,
Si breviora probas, disticha sola legas.
Conveniat nobis, ut fas, epigrammata longa
Sit transire tibi: scribere Tucca mihi.

Non ignoro Tuccam dicere; scribis epigrammata hexametris. O Tucca, hoc solet fieri: denique, ô Tucca, fas est. At nihilominus hoc longum est, ô Tucca, hoc etiam solet permitti: si breviora placent, evolvas sola disticha. Paciscamur inter nos ut liceat tibi praeterire longa epigrammata: mihi facere, ô Tucca.

Hexametris.] Superius epigramma ut longum, atque hexametris scriptum, fine redarguerat Tucca: quod utrumque fieri posse docet Poëta.

De præcone puellam vendente. LXVI.

Famæ non nimium bonæ puellam,
Quales in media sedent Subura,
Vendebat modo præco Gellianus.
Parvo cum pretio diu liceret,
Dum puram cupit approbare cunctis:

Paulo ante praeco Gellianus vendebat puellam existimationis non nimis integrae, quales versantur in media Subura. Cum diu aestimaretur parvo pretio, dum vult ostendere omnibus illam esse puditam,

At-

Attraxit prope ſe manu negantem:
Et bis, terque, quaterque baſiavit.
Quid profecerit oſculo, requiris?
Sexcentos modo qui dabat, negavit.

prope ſe attraxit manu recuſantem, atque oſculatus eſt bis & ter, & quater. Rogas, quid ſit aſſecutus baſio? Qui paulo ante deferebat ſexcentos recuſavit.

Quales in.] Subura urbis erat regio in qua habitabant meretrices.

Manu negantem.] Puella illa erat quidem facilis, at inſtructa arte meretricia negabat, quo magis placeret.

Baſiavit.] a que impuro ſuo ore tam impuram reddidit puellam, ut qui modo ſexcentos ſeſtertios nummos offerret, jam neget.

Ad Pannicum de Gellia amante ſolos Eunuchos. LXVII.

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia, quæris
Pannice, vult futui Gellia, non parere.

O Pannice, ſolicitaris cur Gellia habeat tantum eunuchos? Gellia placet ſubagitari, non autem *parere.*

Non parere.] Juvenalis ſat. 6.
Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia ſemper
Oſcula delectent, &c.

De morte Eutychi pueri aquis extincti. LXVIII.

Flete nefas veſtrum, ſed toto flete Lucrino,
Naiades, & luctus ſentiat ipſa Thetis.
Inter Baianas raptus puer occidit undas
Eutychus: ille tuum, Caſtrice, dulce latus.
Hic tibi curarum ſocius, blandumque levamen;
Hic amor, hic noſtri vatis Alexis erat.
Numquid te vitreis nudum laſciva ſub undis
Vidit, & Alcidæ nympha remiſit Hylam?
An dea fœmineum jam negligit Hermaphroditum,
Amplexu teneri ſolicitata viri?
Quidquid id eſt, ſubitæ quæcunque eſt cauſſa rapinæ,
Sit, precor, & tellus mitis, & unda tibi.

O Naiades, deplorate veſtrum ſcelus, at deplorate toto Lucrino, atque ipſa Thetis audiat veſtram *mæſtitiam. Puer Eutychus periit raptus inter undas Baianas: Ille, ô Caſtrice,* qui *blandus* adhærebat *tuo lateri. Hic erat particeps tuarum ſolicitudinum, & dulce levamentum: hic amor, hic Alexis noſtri Poëta. Nunquid Nympha petulans te aſpexit nudum ſub aquis vitreis, & remiſit Hylam Herculi? An dea allecta amplexu viri teneri jam aſpernatur fœmineum Hermaphroditum? Utut eſt, quæcunque eſt cauſſa repentini raptus; precor ut terra ſit tibi lenis & aqua.*

Flete nefas.] Eutychus puer Caſtrici aquis Baianis extinctus eſt, cujus mortem deflet Poëta.

Ipſa Thetis.] Thetis Nerei filia, & uxor Pelei, pro ipſo mari ponitur. Senſus eſt: Thetis audiat, vel forte ipſa experiatur veſtrum dolorem. Lucrinus vero in Campania, bodie *Mar morto*, vel *Lago di Licola.*

Alexis.] Eutychus tibi erat in deliciis, ut Virgilio Alexis. Virgil. Eclog. 2.

Nympha remiſit.] Te rapuit Hyla pulchriorem, quem reſtituit Herculi. Epig. 49. lib. 5.

An

An dea.] Salmacis Hermaphroditum Veneris, & Mercurii filium amavit. Ovidius 4. Metamorph.

Solicitata.] Eutychi amplexu.

Sit precor.] Mortuis bene precandi formula. Epig. 35. lib. 5.

De Bassa aquam bibente. LXIX.

NON miror, quod potat aquam tua Bassa, Catulle:
Miror, quod Bassi filia potat aquam.

Non miror, quod tua Bassa bibit aquam, ô Catulle: miror, quod filia Bassi bibit aquam.

Non miror.] Oris forte erat impuri hæc Bassa, ut Lesbia de qua epig. 50. lib. 2. unde merito aquam potabat, qua os impurum purgaret: at cum esset temulenti Bassi filia, miratur Poëta illam a patre ebrio sic degenerasse, ut aquam biberet.

Ad Martianum, vivere nihil aliud esse quam bene valere. LXX.

SEXAGESIMA, Martiane, messis
Acta est, & puto jam secunda Cottæ.
Nec se tædia lectuli calentis
Expertum meminit die vel uno.
Ostendit digitum, sed impudicum,
Alconti, Dasioque, Symmachoque.
At nostri bene computentur anni;
Et quantum tetricæ tulère febres,
Aut languor gravis, aut mali dolores,
A vita meliore separentur:
Infantes sumus, & senes videmur.
Ætatem Priamique, Nestorisque
Longam qui putat esse, Martiane,
Multum decipiturque, falliturque.
Non est vivere, sed valere, vita.

O Martiane, Cotta explevit annum sexagesimum, atque opinor, jam secundum. Nec meminit se vel uno die sensisse molestias lectuli calentis. Porrexit digitum at impurum Alconti, & Dasio, & Symmacho medicis. Sed nostri anni diligenter revocentur ad calculos, & removeatur a vita meliore, quicquid abstulerunt sæva febres, aut languor gravis, vel improbi mærores; infantes sumus, & senes apparemus. O Martiane, qui credit longam esse ætatem Priami & Nestoris, multum errat, & decipitur. Vita non est vivere, sed bene valere.

Tædia lectuli calentis.] hoc est, non meminit se unquam ardenti febre laborasse; propter quam incalescit lectus.

Ostendit digitum.] Medium nempe per contemptum, epig. 28. lib. 2. Juvenalis sat. 10.

—— *mediumque ostenderet unguem.*

Et quantum.] Quot annos abstulerunt febres, &c.

Decipitur.] Nam qui diu vivunt, ut Priamus & Nestor, qui gravi animi & corporis dolore cruciati sunt, non fruuntur vita longa, sed qui semper sani sunt, & vitam hilarem agunt.

De Thelesina lasciva puella. LXXI.

EDERE lascivos ad Bætica crusmata gestus,
Et Gaditanis ludere docta modis.
Tendere quæ tremulum Pelian, Hecubæque maritum

Thelesina sciens agere gestus lascivos ad sonitus Bæticos, & ludere modulationibus Gaditanis. Quæ posset ad libidinem incendere trementem Pelian atque excitare maritum Hecubæ

Posset

Posset ad Hectoreos solicitare rogos.
Urit, & excruciat dominum Thelesina priorem;
Vendidit ancillam, nunc redimit dominam.

prope rogum Hectoris. Thelesina adurit & torquet priorem herum; venundedit servam, nunc redimit dominam.

Edere lascivos.] Eum deridet Poëta, qui vendiderat Thelesinam, vel Telethusam servam, quam postea ejus amore captus redemit.

Crusmata.] hoc est, sonitus a verbo κρούω pulso. Bætica, hoc est Hispana; Bætis enim Hispaniæ fluvius hodie *Guadalquivir*. Puellæ autem Hispaniæ maxime Gaditanæ choreas agebant valde lascivas; epig. 42. lib. 1. & epig. 79. lib. 5.

Pelias.] Senex longævus fuit Thessaliæ rex, de quo Ovid. 7. Metam. Priamus vero maritus Hecubæ fuit, cujus senectus & historia satis nota.

De Cilice fure. LXXII.

FUR notæ nimium rapacitatis
Compilare Cilix volebat hortum:
Ingenti sed erat, Fabulle, in horto
Præter marmoreum nihil Priapum;
Dum non vult vacua manu redire,
Ipsum surripuit Cilix Priapum.

Cilix fur rapacitatis nimium comperta cupiebat furtum facere in horto: at, ô Fabulle, nihil erat in horto immenso præter Priapum marmoreum; dum Cilix non vult reverti manu vacua, furatus est ipsum Priapum.

Fur notæ.] Simile est epig. Græcum lib. 2. Anthologiæ cap. 25. cum nihil in horto surripiendum inveniret fur, ipsum horti custodem surripuit.

De Priapo Hilari. LXXIII.

NON rudis indocta fecit me falce colonus.
Dispensatoris nobile cernis opus.
Nam Ceretani cultor notissimus agri
Hos Hilarus colles, & juga læta tenet.
Adspice, quam certo videar non ligneus ore,
Nec devota focis inguinis arma geram:
Sed mihi perpetua nunquam moritura cupresso
Phidiaca rigeat mentula digna manu.
Vicini, moneo, sanctum celebrate Priapum,
Et bis septenis parcite jugeribus.

Non imperitus colonus formavit me falce rudi: vides egregium opus dispensatoris. Nam Hilarus notissimus cultor agri Ceretani possidet hos colles, & jugera læta. Vide quam bene efficto vultu compaream non ligneus, nec gestem arma ... comburenda... O Vicini, moneo, colite sanctum Priapum, atque abstinete a quatuordecim jugeribus.

Non rudis.] De Priapo hortorum custode sæpius dictum.

Dispensatoris.] Videtur esse nomen peritissimi cujusdam artificis. Alias dispensator servus appellatur, qui familiæ rationes dispensat, peculiique administrationem habet. L. 51. & l. 62. ff. de solutionibus.

Phidiaca.] Epig. 35. lib. 3. de Phidia dictum.

Ad Esculanum, de calvo & edentulo. LXXIV.

MEDIO recumbit imus ille qui lecto
Calvam trifilem segmentatus unguento,
Foditque tonsis ora laxa lentiscis:
Mentitur, Esculane, non habet dentes.

Ille qui imus accubat in medio lecto calva trifili sulcata unguento, & scalpit ora ampla politis lentiscis, mentitur, Esculane, illi non sunt dentes.

Medio recumbit.] In Romanorum cœnaculis tres erant lecti, quorum singuli utplurimum tres convivas accumbentes capiebant: medius vero lectus aliis erat honoratior, & medius locus in medio lecto omnium honoratissimus; tribus ergo uno in lecto recumbentibus summus dicebatur, qui ad caput lecti recumbebat, imus vero qui ad pedes recumbentis in medio accubabat. De his fuse Lipsius lib. 3. antiquarum lectionum.

Calvam trifilem.] Hunc locum explicat Turnebus lib. 25. cap. 27. Ille enim, inquit, etiam unguento comam sibi in capite calvo pinxerat, & effinxerat: sed quæ trium filorum esset, & capillorum: vel calvam haberet, cui reliqui essent tres capilli. Et cum in capite sulcos duxisset unguenti lituris, & veluti vias secuisset, *semitatus* dixit. Quæ est antiquorum librorum scriptura: ut mirer quid sit quod & contra sententiam, & versus rationem multi *segmentatus* & defendant, & declarent. Judicet lector. Legunt alii *semitactus*: tangere quippe est oleo ungere ut aiunt. Porro segmentatum illud dicitur quicquid ex tenuissimis segmentis vermiculatim compositum est.

Lentiscis.] Lentiscus arbor est cujus frondea cuspide dentium sordes purgabant.

In Pontiam veneficam. LXXV.

CUM mittis turdumque mihi, quadramve placentæ,
Sive femur leporis, sive quid his simile?
Buccellas misisse tuas te, Pontia, dicis.
Has ego nec mittam, Pontia, sed nec edam.

Cum ad me mittis turdum, aut frustum placenta, aut femur leporis, aut aliquid hujusmodi, ô Pontia? dicis te misisse tuas buccellas. O Pontia, nec mittam has ad alios, *at nec mandacabo.*

Quadramve.] Aliquando quadra significat mensam. Juvenalis sat. 5.

——— *aliena vivere quadra.*

Hic sumitur pro frusto, nam in quadrata frusta secabantur placentæ. Sic lib. 3. epig. 76.

Nec te liba juvant, nec secta quadra placentæ.

Buccellas.] hoc est, frusta optimorum ciborum tibi appositorum, quanta nempe bucca capere potest. Alii aliter.

Pontia.] Forte enim veneno imbutæ sunt illæ buccellæ. Pontia quippe venefica erat improbissima, de qua lib. 2. epig. 34.

Epitaphium Fusci, qui in Dacia pugnans interfectus est. LXXVI.

ILLE sacri lateris custos, Martisque togati,
Credita cui summi castra fuere ducis:
Hic situs est Fuscus. licet hoc fortuna fateri.
Non timet hostiles jam lapis iste minas.
Grande jugum domita Dacus cervice recepit,
Et famulum victrix possidet umbra nemus.

Ille custos sacri lateris, & Martis togati, cui fuit commissus exercitus summi Imperatoris: hic jacet Fuscus. Fas est, ô Fortuna, hoc confiteri. Jam iste lapis non metuit minas hostium. Grande jugum impositum est subacta cervici Daci, & umbra victrix tenet sylvam subditam.

Ille sacri.] Domitiani Præfectus Prætorii. *Martis togati.*] Domitiani in urbe residentis, & per duces bellum gerentis, qui idcirco togatus dicitur. Vel Martis togati custos dicitur, quod Prætorianæ cohortis esset Præfectus, quæ nempe urbis muros custodiret.

Hic situs est.] Fusci meminit Suetonius in Domitiano cap. 6. Ad Fuscum est epigramma 27. lib. 7. cujus cineres sane Romam allati fuerant.

Licet hoc.] O fortuna quæ Fusco invidisti, invita tamen fateri debes, Fuscum licet mortuum, cui sane in Dacia tumulus fuerat erectus, jam non timere hostes victos, unde umbra victrix dicitur. De Dacia sæpius dictum.

In Afrum mendicum. LXXVII.

Cum sis tam pauper, quam nec miserabilis Irus;
Tam juvenis, quam nec Parthenopæus erat;
Tam fortis, quam nec, cum vinceret, Artemidorus;
Quid te Cappadocum sex onus esse juvat?
Rideris, multoque magis traduceris, Afer,
Quam nudus medio si spatiere foro.
Non aliter monstratur Atlas cum compare mulo,
Quæque vehit similem bellua nigra Libyn.
Invidiosa tibi quam sit lectica, requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Cum sis tam inops, quam nec erat infelix Irus; tam juvenis, quam nec Parthenopæus; tam robustus, quam nec Artemidorus, cum vinceret; Cur places gestari a sex Cappadocibus? Irrideris, ô Afer, & multo majori es ludibrio, quam si nudus ambulares medio foro, Non aliter ostenditur Atlas cum malo compare, & nigrâ bellua quæ portat Libyn. Rogas, quantum odium tibi conciliet lectica? Ne mortuus quidem *debes gestari hexaphoro.*

Irus] de quo epig. 40. lib. 5. arrogantem & mendicum Afrum carpit, qui lectica perinde ac si ditissimus veheretur.

Parthenopæus.] Juvenis pulcherrimus simul & fortissimus, quem celebrat Papinius 4. Thebaidos.

Artemidorus.] pugil forte vel gladiator.

Cappadocum sex.] hoc est, quid gestaris a sex servis e Cappadocia?

Traduceris.] De hoc verbo vide quæ diximus epig. 4. lib. Spect.

Monstratur Atlas.] hoc est, si Atlas nanus mulum pumilionem conscendat, ludibrio erit. Sic Angelus Politianus hunc locum explicat Miscell. cap. 23. *cum compare mulo.* Legit Scriverius *cum compare gin*no, hoc est parvulo mulo. Vetus codex habet *cum compare gibbo.* Cujusdam nani, qui Atlas vocaretur, meminit Juvenalis sat. 8. Sic & Libys seu Afer vulgo ridetur ubi concolorem sibi elephantem conscendit.

Non debes.] Quid sit hexaphorum dictum epig. 81. lib. 2. Divites mortui efferebantur hexaphoro, pauperes vero sandapila, qua mortuus hic Afer efferendus erat, utpote pauper.

Ad Aulum de lusco potatore. LXXVIII.

Potor nobilis, Aule, lumine uno
Luscus Phryx erat, alteroque lippus:
Huic dicit medicus, Bibas caveto
Vinum: si biberis, nihil videbis.
Ridens Phryx oculo, Valebis, inquit.
Misceri sibi protinus deunces,
Sed crebros jubet: exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

O Aule, Phryx egregius potator erat captus uno oculo, & lippus altero: Medicus huic dicit, Vide ne potes vinum: si potaveris, nihil videbis. Phryx ridens dicit oculo suo, *Valebis. Statim imperat sibi porrigi deunces, sed frequentes. Rogas eventum? Phryx hausit merum, oculus virus.*

Vale

Valebis.] Ludit in hoc verbo, quasi dicat *sanaberis*: sed intellige eo sensu, quo epig. 67. lib. 5. hoc est *peribis*.

Oculus bibit venenum.] Nam vino extinctus est oculus. Cætera per se patent.

Ad Lupum intempestive tristem. LXXIX.

TRISTIS es, & felix: sciat hoc fortuna, caveto:
Ingratum dicet te, Lupe, si scierit.

Mœstus es, & beatus; vide ne fortuna hoc discat: si didicerit, ô Lupe, te vocabit immemorem.

Ingratum.] Cum grato & læto animo beneficia, quæ in te contulit plurima non accipias.

De rosis ad Cæsarem missis. LXXX.

UT nova dona tibi, Cæsar, Nilotica tellus
Miserat hibernas ambitiosa rosas:
Navita derisit Pharios Memphiticus hortos,
Urbis ut intravit limina prima tuæ.
Tantus veris honos, & odoræ gratia Floræ,
Tantaque Pæstani gloria ruris erat.
Sic quacunque vagus, gressumque oculosque ferebat,
Textilibus sertis omne rubebat iter.
At tu Romanæ jussus jam cedere brumæ,
Mitte tuas messes, accipe, Nile, rosas.

O Cæsar, terra Ægyptia fastosa ad te miserat hyemales rosas ut nova munera: nauta Memphiticus contempsit hortos Ægyptios, ubi ingressus est primum aditum tuæ urbis. Tantum erat decus veris, & honor Floræ odoriferæ, & tanta pulchritudo Pæstani agri. Sic quacunque errans iret aut aspiceret, omnis via rubebat sertis textilibus. At tu, ô Nile, coactus dare primas hyemi Romanæ, mitte tua frumenta, atque *accipe* nostras *rosas*.

Ambitiosa.] Propter flores quos hyeme nasci alibi non credebant Ægyptii.

Navita Memphiticus.] hoc est ex urbe Memphi, de qua epig. 1. lib. Spect. Ille scilicet Ægyptius hortos patriæ suæ contempsit, statim atque vidit roseta Romanorum.

Tantus veris honos.] id est, tanta erat rosarum copia, quibus abundat Pæstanus ager, de quo epig. 38. lib. 5.

Textilibus sertis.] hoc est coronis textis ex rosis. Alii legunt *sutilibus*: coronas nempe ex rosarum foliis consuere solebant veteres. Vide epig. 65. lib. 5. & epig. 95. lib. 9. de qua lectione judicet lector.

Cedere brumæ.] hoc est, cedere rosis quæ hyemis tempore Romæ nascuntur.

Tuas messes.] Frumentis abundat Ægyptus, unde dicta est Reipublicæ Romanæ horreum.

LXXXI.

Ad Rufum a quo lepide petit lacernas. LXXXII.

QUIDAM me modo, Rufe, diligenter
Inspectum, velut emptor, aut lanista
Cum vultu digitoque subnotasset,
Tune es, tune, ait, ille Martialis,
Cujus nequitias jocosque novit
Aurem qui modo non habet Batavam?

Cum paulo ante quidam velut emptor aut lanista me accurate consideratum subnotasset oculis & manibus, Tune es, tune, inquit, ille Martialis, cujus lascivias & sales tenet qui modo non habet aurem Batavam?

Subrid-

Subrisi modice: levique nutu
Me, quem dixerat esse, non negavi.
Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?
Respondi: quia sum malus Poëta.
Hoc ne sæpius accidat Poëtæ,
Mittas, Rufe, mihi bonas lacernas.

Subrisi parum: & levi nutu fassus sum me esse quem dixerat. Quare igitur, inquit, sunt tibi lacernæ viles? Quia sum vilis Poëta. O Rufe, mitte mihi elegantes lacernas; ne hoc frequentius contingat vati.

Velut emptor.] Cum mangones servos empturi essent, eos diligenter inspiciebant, & manibus attrectabant. *Lanista* magister fuit gladiatorum quos domi habebat, atque instituebat ut illos deinde locaret & venderet.

Non habet Batavam.] hoc est rusticam & barbaram, duri quippe & barbari habebantur Batavi, hodie Hollandi. Alii legunt *severam*: sed placet prior lectio; nec enim ullam nationem antiquis suis dotibus spoliare decet, at reddendum unicuique quod suum est. Scriverius legit quidem *Batavam*, sed aliter explicat; exponit nempe sibi gratulari Poëtam, quod legatur ab omnibus Romæ, præterquam a Batavis, qui armis & duriori vitæ assueti, corporis Augusti custodes, non ita curabant jocos istos. Hæc sunt Scriverii verba, de quibus judicet lector.

Lacernas.] vestes quæ togis superinduebantur.

Quia sum malus.] Hoc urbane respondet Martialis; nec enim ideo tritis lacernis erat indutus, quia malus Poëta, sed propter hoc ipsum, quod *amor ingenii neminem unquam divitem fecerit*, ut ait Petronius.

Ad Cæsarem Domitianum cujus clementiam laudat. LXXXIII.

QUANTUM solicito fortuna parentis Etrusco,
Tantum, summe ducum, debet uterque tibi.
Nam tu missa tua revocasti fulmina dextra;
Hos cuperem mores ignibus esse Jovis.
Si tua sit summo, Cæsar, natura tonanti,
Utetur toto fulmine rara manus.
Muneris hoc utrumque tui testatur Etruscus,
Esse, quod & comiti contigit, & reduci.

Quantum sors patris debet filio Etrusco inquieto, tantum tibi debet uterque, ô summe ducum. Tu enim retraxisti fulmina jacta tua dextera: Optarem ut talis esset natura fulminum Jovis. O Cæsar, si summus Jupiter habeat tuam indolem, manus ejus raro emittet totum fulmen. Etruscus filius testatur se consecutum hoc utrumque eno dono, quod & licuit illi esse comiti, & reduci.

Quantum.] Duo fuere Etrusci, pater, & filius, ille a Domitiano missus est in exilium, hic patrem sponte comitatus est, cujus reditum tandem impetravit. Vide Papinii Sylvam 3. & epig. 39. lib. 7.

Hos cuperem.] hoc est, optarem ut tantam clementiam haberet Jupiter; raro enim fulmen vibraret totum.

Hoc utrumque.] Nempe ipsi fuisse permissum & comitari patrem, & simul cum eo redire ab exilio. Sic Poëta laudat clementiam Domitiani.

De Philippo lectica vecto. LXXXIV.

OCTAPHORO sanus portatur, Avite, Philippus:
Hunc tu si sanum credis, Avite, furis.

O Avite, Philippus sanus vehitur Octaphoro: ô Avite, si tu hunc existimas sanum, insanie.

Octaphoro.] Lectica scilicet ab octo servis gestata, epig. 81. lib. 2.

Sanus.] Corpore.

Hunc tu si sanum.] Animo nempe; etenim nimiæ erat arrogantiæ ab octo servis gestari.

Flet mortem Rufi. LXXXV.

EDITUS est sextus sine te, mi Rufe, Camenis:
Nec te lectorem sperat, amice, liber.
Impia Cappadocum tellus, & numine lævo
Visa tibi, cineres reddit, & ossa patri;
Funde tuo lacrymas, orbata Bononia, Rufo,
Et resonet tota planctus in Æmilia.
Heu qualis pietas, heu quam brevis occidit ætas!
Viderat Alphei præmia quinque modo.
Pectore tu memori nostros evolvere lusus,
Tu solitus nostros, Rufe, tenere jocos.
Accipe cum fletu mœsti breve carmen amici,
Atque hæc absentis thura fuisse puta.

O mi Rufe, te absente edidi sextum librum Musis: nec confidit, ô amice; te habere lectorem. A te conspecta impia terra Cappadocum, & dea aversante restituit genitori tuo cineres, atque ossa tua. O Bononia, privata tuo Rufo effunde lacrymas, & lamentationes personent in tota Æmilia. Heu qualis pietas, heu quam brevis ætas periit! Paulo ante spectaverat quinque præmia Alphei. O Rufe, tui moris erat legere nostros ludos, & memoriter scire nostras facetias. Accipe cum lacrymis brevem versum amici tristis, a que existima has fuisse thura absentis.

Editus est.] Est editus a me sextus liber Camenis, Musis, id est liber carminum. Quæ enim carmine scribuntur, Musis carminum præsidibus eduntur. Sic hunc versum explicat Raderus. Alii legunt *Rufe Camoni* cujus familiæ meminit lib. 9. epig. 76. & 78.

Nec te.] Quia interiisti.

Impia.] Cappadoces impii dicuntur a Poëta vel propter pravam indolem, vel propter mortem Rufi pestilenti Cappadociæ aëre interfecti.

Bononia.] Italiæ urbs nota, patria Rufi.

Æmilia.] De via Æmilia, quæ Bononiam ducit, dictum lib. 3. epig. 4.

Viderat Alphei.] Poëta intelligit Olympica certamina, quæ ad Alpheum amnem, cujus fons in Arcadia, quarto quoque anno celebrabantur teste Suida; atque ita sensus est, Rufum interiisse viginti annos natum, vel forte viginti quinque, si Olympiadem pro lustro intelligat Poëta, ut epig. 39. lib. 7.

In bibentes aquam. LXXXVI.

SETINUM, dominæque nives, densique trientes,
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?
Stultus, & ingratus, nec tanto munere dignus,
Qui mavult heres divitis esse Midæ.
Possideat Libycas messes, Hermumque, Tagumque,
Et potet calidam qui mihi laudat aquam.

O Setinum, & nives jucundæ, & densi trientes, quando ego vos potabo, medico non vetante? Qui mavult succedere locupleti Midæ, demens est, atque immemor, nec dignus tanto dono. Qui mihi commendat aquam calidam, bibat illam, & fruatur messibus Africæ, & Hermo, & Tago.

Setinum.] Vinum nobile e Setia Campaniæ oppido.

Dominæ nives.] Optatæ, quibus scilicet vinum refrigeratur: vocat autem nives dominas, quod illum allicerent, traherentque, epig. 65. lib. 5.

Densique trientes.] hoc est frequentes, triens vero quatuor cyathos continet.

Qui mavult.] Possidere divitias Midæ regis Phrygiæ ditissimi, Ovid. Metam. lib. 11. quam bibere Setinum nivibus refrigeratum, ille stultus est, atque in deos ingratus.

Libycas

Libycas messes.] hoc est, Africanos agros frumentis abundantes, & Hermum Asiæ, & Tagum Hispaniæ amnes auriferos habeat Medicus, vel quilibet alius, dum modo aquam calidam potet; mihi vero pauperi vinum bibendum relinquat.

Qui mihi laudat.] Turnebus lib. 25. cap. 27. Reperio, inquit, in veteribus, qui mihi *libat*, ut sit ne liberaliter quidem præbet, sed ministrat parce, & maligne, ut si l baret, & tamen laudat, nos quoque laudamus. Alii *livet*, hoc est invidet:

Et potet calidam, qui mihi livet, aquam.

Ad Cæsarem, a quo aliquid petit. LXXXVII.

DI tibi dent, & tu, Cæsar, quæcumque mereris:
Dì mihi dent, & tu, quæ volo, si merui.

O Cæsar, a te, atque a diis consequaris quæcumque mereris: consequar a te atque a diis, quæ cupio si dignus sum.

Dì tibi.] O Domitiane, non indiges ab aliis quam a te ipso atque a diis quicquam expectare, cum omnium mortalium ditissimus, & ipse deus sis. Ego vero a diis atque a te consequar, quæ meritus sum.

Ad Cæcilianum, quem non appellaverat suum dominum. LXXXVIII.

MANE salutavi vero te nomine casu,
Nec dixi dominum, Cæciliane, meum.
Quanti libertas constet mihi tanta, requiris?
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

Forte mane salutavi te vero nomine: nec appellavi meum dominum. O Cæciliane, rogas quanti constet mihi tanta licentia? illa me privavit centum quadrantibus.

Centum quadrantes.] Clientes vocabant patronos, quos colebant, dominos, a quibus solebant consequi centum quadrantum sportulam, quam amisit Martialis, cum forte salutasset Cæcilianum, nec dominum appellasset.

De Panareto potore. LXXXIX.

CUM peteret seram media jam nocte matellam
Arguto madidus pollice Panaretus:
Spoletina data est, sed quam siccaverat ipse:
Nec fuerat soli tanta lagena satis.
Ille fide summa testæ sua vina remensus
Reddidit œnophori pondera plena sui.
Miraris, quantum biberat, cepisse lagenam?
Desine mirari, Rufe: merum biberat.

Cum Panaretus ebrius digito crepante posceret seram matellam media jam nocte; spoletina porrecta est, at quam exhauserat ipse: nec tanta lagena suffecerat illi soli. Ille summa fide remensus testæ sua vina restituit pondera completa sui œnophori. An miraris lagenam continuisse quantum potaverat? O Rufe, cessa mirari: potaverat merum.

Matellam.] vas ad effundendum lotium.

Arguto pollice.] crepitu nempe digitorum poscebatur matella, epig. 80. lib. 3.

Spoletina.] Lagena quæ Spoleti in urbe Umbriæ ficta erat, vel quæ plena esset vino Spoletino.

Remensus.] hoc est, tantum lotii effudit, quantum vini biberat, atque œnophorum seu vas vinarium omnino implevit.

Merum biberat.] Si vinum aqua dilutum bibisset Panaretus ille, plus lotii, pro ratione aquæ infusæ, effudisset, quam lagena capere potuisset: at summa fide remensus est quod exhauserat.

De Gellia mœcha. XC.

MOECHUM Gellia non habet, nisi unum.
Turpe est hoc magis, uxor est duorum.

Gellia non habet nisi unum mœchum. Hoc fœdius est, conjux est duorum.

Uxor est duorum.] Mariti scilicet & adulteri. Seneca 3. de beneficiis cap. 16. *Infrunita*, hoc est insulsa, *& antiqua est, quæ nesciat matrimonium vocari unum adulterium.* Hæc ergo Gellia excusabat se, quod unicum haberet mœchum: Poëta vero probat hoc illi turpius esse, quam innuptæ plures habere mœchos. Etenim repugnat unam fœminam duorum esse conjugem, quod tamen contingit, cum unum habeat mœchum.

XCI.

In Amianum bibentem vinum pessimum. XCII.

CÆLATUS tibi cum sit, Amiane,
Serpens in patera Myronis arte,
Vaticana bibis, bibis venenum.

O Amiane, cum habeas in patera insculptum serpentem arte Myronis, potas vina Vaticana, potas toxicum.

Myronis arte.] Sculptoris nobilis, de quo epig. 39. lib. 4.
Vaticana bibis.] quæ erant pessima. Vide epig. 19. lib. 1. Vinum vero Vaticanum, seu toxicum, ut dixit citato epigrammate, mire convenit cum serpente expresso in patera, quæ est poculi genus latum ac patens.

De Thaide male olente. XCIII.

TAM male Thais olet, quam non fullonis avari,
Testa vetus, media, sed modo fracta via.
Non ab amore recens hircus, non ora leonis,
Non detracta cani Transtiberina cutis.
Pullus abortivo nec cum putrescit in ovo,
Amphora corrupto nec vitiata garo.
Virus ut hoc alio fallax permutet odore,
Deposita quoties balnea veste petit:
Psilotro nitet, aut acida latet oblita creta:
Aut tegitur pingui terque quaterque faba.
Cum bene se tutam per fraudes mille putavit:
Omnia cum fecit, Thaida Thais olet.

Thais olet putidius quam vetus amphora fullonis avari, at paulo ante rupta media via. Hircus a coitu recenti, ora leonis, pellis Transtiberina ablata a cane. Pullus cum corrumpitur in ovo abortivo, amphora rupta putrido garo. Quoties veste abjecta adit balneas, ut fraudulenta commutet hunc graveolentiam alio odore; nitescit psilotro, aut delitescit delibuta creta acida, aut ter & quater operitur faba opima. Cum credidit se bene munitam per mille dolos: cum molita est omnia, Thais olet Thaida.

Quam non fullonis.] In triviis amphoras collocabant fullones ad excipiendum lotium, magnum vero pretium pro vestibus purgandis exigebant: quam ob caussam, ut putat Raderus, avari dicuntur. Camelorum *urinam fullonibus utilissimam esse tradunt*, inquit Plinius lib. 28. cap. 8.
Non ab amore.] Vide epig. 4. lib. 4. Plinius lib. 11. cap. 53. Animæ leonis virus grave.
Transtiberina.] Vide epig. 42. lib. 1. in regione urbis trans Tiberim sordida exercebantur opera.
Nec pullus.] Nec pejus olet pullus abortivus in ovo putrido.
Garo.] quod ex intestinis & sanguine scom-

scombrorum conficiebatur, lib. 13. epig. 102.

Psilotro.] Unguentum de quo epig. 74. lib. 3.

Aut acida.] id est creta aceto macerata, qua faciem oblinebat Thais.

Faba.] Unguento facto ex farina fabarum, quod lomentum vocari putat Domitius epig. 42. lib. 3.

Cum bene se tutam.] A graveolentia scilicet, semper nativum odorem omnium pessimum olet Thais.

De Calpetiano paupere. XCIV.

PONUNTUR semper chrysendeta Calpetiano,
Sive foris, seu cum cœnat in urbe domi.
Sic etiam in stabulo semper, sic cœnat in agro:
Non habet ergo aliud? non habet immo suum.

Semper apponuntur chrysendeta Calpetiano; seu cum cœnat foris, seu domi in urbe. Sic quoque semper cœnat in diversorio, sic in villa: an igitur non habet aliud? Imo non habet suum.

Chrysendeta.] Quæ sic explicat Turnebus lib. 14. cap. 3. Vasa doctissimi viri explicant crustis aureis illigata, & exornata, ut in Martiale lib. 2. epig. 43. Ego vasa gemmata esse puto, quorum gemmæ confertæ & contextæ tenerentur.

Non habet.] Interrogat lector. Calpetianus ergo non habet alia vasa præter chrysendeta?

Imo.] Respondet Poëta, imo ea vasa quibus utitur, non sunt sua, sed mutuo sumpta.



M. VAL.

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATUM

LIBER VII.

Ad Domitianum de lorica. I.

ACcipe belligeræ crudum thoraca Minervæ,
Ipsa Medufeæ quem timet ira deæ.
Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari,
Pectore cum facro federit, Ægis erit.

Interpretatio.
O Cæsar, indue sævum thoraca bellicosæ Minervæ, quem ipsa dea Medusea etiam *irata metueret. Poterit hæc lorica appellari, dum otiosa est: cum munierit sacrum pectus, vocabitur Ægis.*

N O T Æ.

Accipe.] Hoc epigramma ad Sarmaticam expeditionem referri videtur, de qua Suet. in Domit. cap. 6.

Ipsa Medusea.] Alii,

Ipsa Medusea quo timet ira dea.

hoc est, quo irata Pallas utitur, & quo induta ferocior evadit, quæ Medusea dicitur, quod illius ope Medusam interfecerit Perseus. Legunt alii,

Ipsa Medusea quem timet ira coma.

hoc est quem thoraca vel ipsa Medusa serpentibus, quos pro capillis gerebat, munita timeret. Eligat lector.

Ægis erit.] Lorica qua dii utuntur, Ægis dicitur, quæ est clypeus Palladis factus ex Amaltheæ capræ corio, in cujus medio erat Gorgonis caput: quo clypeo si Numen aliquod munierit pectus, Ægis dicitur, lorica autem, cum illo usus fuerit mortalis. Cæsar Domitianus deus haberi volebat Sequens epigramma cum hoc primo conjunxit Domitius, & inscripsit *ad loricam Domitiani*: at esse distinguendum contendit Raderus: hîc enim, inquit, Cæsarem ipsum alloquitur, loricam vero sequentibus distichis. Ego cum Radero existimo esse novum epigramma, sed illud non notabo ut secundum, ne indicis ordo perturbetur.

Ad loricam Domitiani.

INvia Sarmaticis domini Lorica sagittis,
Et Martis Getico tergore fida magis;
Quam vel ad Ætolæ securam cuspidis ictus,
Texuit

O Lorica domini impenetrabilis jaculis Sarmatarum, & tutior Getico tergore Martis: quam tutam vel ab ictibus teli Ætoli

Texuit innumeri lubricus unguis apri;
Felix sorte tua es, sacrum cui tangere pectus
Fas erit, & nostri mente calere dei.
I comes, & magnos illæsa merere triumphos,
Palmatæque ducem, sed cito, redde togæ.

texuerunt politi ungues multorum aprorum: Nacta es felicem sortem, cui licebit tangere sacrum pectus, & calefieri mente Numinis nostris. Ito socia, atque illæsa, merere magnos triumphos, & quamprimum restitue Imperatorem toga palmatæ.

Invia Sarmaticis.] Vide epig. superius. Sarmatis duplex est, inquit Ortelius, Europæa, & Asiatica, Europæam *Russiam* hodie vocat, Asiaticam vero, *Tartariam.*

Et Martis Getico.] Mars deus belli apud Getas colebatur indutus lorica facta ex pellibus animalium.

Quam vel ad.] Ætolam cuspidem intellige telum Meleagri in Ætolis nati; vel Ætolam cuspidem interpretare lanceam, & quidem acutissimam, Ætoli enim, inquit Raderus, Plinio teste, lanceas invenerunt.

Lubricus unguis.] Hæc Domitiani lorica erat contexta vel ex laminis æreis aprorum ungues referentibus, vel forte ex veris aprorum unguibus.

Dei.] Domitiani.

Palmataque.] hoc est, urbi restitue Imperatorem triumphantem: nam palmata vestis, in qua nempe depictæ erant palmæ, triumphantium erat propria.

Ad Pontilianum Poëtam ineptum. II.

CUR non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

O Pontiliane, quare non mitto ad te meos libros? ne tu, ô Pontiliane, mittas ad me tuos.

Cur non.] Per se patet hoc epig. ejusdem argumenti est epig. 74. lib. 5.

De Oppiano pallido. III.

ESSET, Castrice, cum mali coloris,
Versus scribere cœpit Oppianus.

O Castrice, cum Oppianus haberet malum colorem, incepit componere carmina.

Esset.] Oppianus iste, de quo jam epig. 42. lib. 6. Poësi animum applicuit ratus propter pallorem ex morbo contractum, se habitum iri nobilem Poëtam, quales erant ii qui chartis impallescerent. Persius sat. 5. Horat. epist. 19. lib. 1.

Decipit exemplar vitiis imitabile, quod si
Pallerem casu, biberent exangue cuminum.

Ad Cæsarem Domitianum, ut redeat in urbem. IV.

SI desiderium, Cæsar, populique, patrumque,
Respicis, & Latiæ gaudia vera togæ,
Redde deum votis poscentibus: invidet hosti
Roma suo, veniat laurea multa licet.
Terrarum dominum propius videt ille; tuoque
Terretur vultu barbarus & fruitur.

O Cæsar, si moveris amore populi, & patrum, & vera lætitia togæ Latiæ, restitue te deum vehementibus votis Romanorum: Roma invidet suo hosti, quamvis frequens laurea afferatur. Ille propius spectat dominum orbis; & barbarus terretur tuo vultu, sed fruitur.

Latia

Latia gaudia.] hoc est, Romanorum togatorum.

Redde deum.] hoc est, redi in urbem.

Invidet hosti.] Quod nempe fruitur tua præsentia.

Veniat laurea.] hoc est, licet ad nos literæ laureatæ sæpe afferantur, victoriarum, quas ex Sarmatis reportas, nunciæ. Vide epig. sequens.

De fama reditus Domitiani. V.

ECQUID hyperboreis ad nos conversus ab oris
Ausonias Cæsar jam parat ire vias?
Certus abest auctor, sed vox hoc nunciat omnis.
Credo tibi, verum dicere, Fama, soles.
Publica victrices testantur gaudia chartæ:
Martia laurigera cuspide pila virent.
Rursus io magnos clamat tibi Roma triumphos,
Invictusque tua, Cæsar, in urbe sonas.
Sed jam lætitiæ quo sit fiducia major,
Sarmaticæ laurus nuntius ipse veni.

Ecquid Cæsar ad nos conversus a regionibus Septentrionis meditatur suscipere iter Italiæ? auctor manifestus non apparet, at vox omnis nunciat hunc reditum. O Fama, tibi adhibeo fidem, tui moris est dicere verum. Laureatæ literæ confirmant publicam lætitiam: pila Martia virescunt cuspide laureata. Roma iterum clamat io tibi magnos triumphos, atque tua in urbe, ô Cæsar, invictus proclamaris. At jam ipse redi renunciaturus victoriam Sarmaticam, ut sit major securitas nostri gaudii.

Ecquid hyperboreis.] De Sarmatia regione ad Septentrionem, vide epig. 1. supra.

Ausonias.] Italás: Italia enim Ausonia dicta est ab Ausone Ulyssis & Calypsus filio.

Verum dicere.] Imo falsum dicere solet fama. Virg. 4. Æneid.

Facta atque infecta canit.

Tamen videtur Poëta intelligere tunc famam solere dicere verum, cum constanti omnium sermone aliquid celebratur; Domitiani vero reditum omnes renunciabant. Vel quod facile credimus, quod cupimus.

Victrices chartæ.] Reportata victoria solebant duces Romani vel ad Senatum, vel ad principem mittere laureatas literas indices victoriæ, cujus insigne est laurus. Livius Decad. 1. lib. 5. *Literæ*, inquit, *a Postumio laureata sequuntur victoriam populi Romani.*

Martia laurigera.] Milites hastarum, & pilorum cuspidem lauro circumdabant in signum lætitiæ ex reportata victoria.

Rursus io.] Vox triumphi solennis. Vide Horat. ode 9. lib. Epod.

Ad Cæsarem Domitianum de amore & desiderio populi Romani erga ipsum absentem. VI.

HIBERNA quamvis Arctos, & rudis Peuce,
Et ungularum pulsibus calens Ister,
Fractusque cornu jam ter improbo Rhenus,
Teneat domantem regna perfidæ gentis,
Te summe mundi rector, te parens orbis,
Abesse nostris non tamen potes votis.
Illic & oculis & animis sumus, Cæsar,
Adeoque mentes omnium tenes unus,

O Summe moderator mundi, & pater orbis, licet hyemalis Arctos, & barbara Peuce, & Danubius calefactus agitationibus ungularum, & jam ter cornu fracto Rhenus rebellis retineat te vincentem regna nationis perfidiosæ: Nihilominus nequis remotus esse a nostris votis. Ibi, ô Cæsar, adsumus & oculis, & mentibus, atque ita, tu unus occupas cogitationes omnium,

Ut

Ut ipsa magni turba nesciat Circi
Utrumne currat Passerinus, an Tigris.

ut ipsa multitudo Circi magni ignoret, utrumne Passerinus currat, an Tigris.

Hiberna.] Vide superiora epigrammata: hoc est, quamvis te longe a nobis bella detineant in regionibus Septentrionis, nostris tamen mentibus præsens es.

Rudis Peuce.] Insula magna ad ostia Istri, teste Strabone lib. 7.

Et ungularum.] Vide Ovidium Tristium lib. 3. eleg. 10.

Cæruleos ventis latices durantibus Ister
Congelat, & tectis in mare serpit aquis.
Quaque rates ierant, pedibus nunc itur: & undas
Frigore concretas ungula pulsat equi, &c.

Fractusque cornu.] Metonymia est: fractum Rhenum dicit pro victis Batavis & Germanis: alludit autem noster Poëta ad fluviorum cornua. Virgilius 8. Æneid.

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.

& vide etiam epig. 104. lib. 9.

Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri.

Adeoque.] Omnes enim a spectaculis avertuntur cum aliquid narratur aut de tuo reditu, aut de tuis victoriis.

Passerinus an Tigris.] Ambo cursu certabant, reliquosque longe superabant, lib. 12. epig. 36.

Vis cursu, pedibusque gloriari?
Tigrim vince, levemque Passerinum.

De reditu Domitiani. VII.

NUNC hilares, si quando mihi, nunc ludite Musæ:
Victor ab Othrysio redditur orbe Deus.
Certa facis populi tu primus vota, December:
Jam licet ingenti dicere voce, Venit.
Felix sorte tua, poteras non cedere Jano,
Gaudia si nobis, quæ dabit ille, dares.
Festa coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros cum comes ibit equos.
Fas audire jocos, levioraque carmina, Cæsar,
Sit tibi: si lusus ipse triumphus amat.

O Musæ nunc lætæ nunc canite, si unquam mihi cecinistis: Deus restituitur victor ab orbe Othrysio. O December, tu primus reddis certa vota populi: jam fas est clamare summa voce, Venit. Beatus sorte tua, poteras non dare primas Jano, si nobis pareres lætitiam quam pariet ille. Miles coronatus jocabitur contumelias festivas, cum socius sequetur inter equos laureatos. O Cæsar, liceat tibi audire ludos, & versus leviores, si triumphus ipse admittit jocos.

Ab Othrysio.] Othrys mons Thraciæ: melius forte legunt alii *Odrysio.* Odrysæ enim populi sunt Thraciæ, quos aliqui hodie vocant *Moldavenses.* Claudianus tamen de 3. Cons. Honor.

Otrysium pariter Getico fœdavimus Hebrum
Sanguine. ————

Certa facis.] Mense enim Decembri literæ Romam sunt allatæ de reditu Domitiani.

Poteras non.] Sensus est: Si mense Decembri urbem ingressurus esset Cæsar, poterat ille non cedere Januario, a Jano deo, in cujus honorem multa sacrificia fiebant, sic dicto, Ovidius 1. Fastorum, quo nempe mense Romam erat rediturus Cæsar.

Festa coronatus.] Triumphum comitari milites lauro coronati, & in ipsum Imperatorem jocosa convicia jacere solebant.

Inter laurigeros.] Ovidius lib. 4. Tristium eleg. 2.

Vinclaque captiva reges cervice gerentes
Ante coronatos ire videbit equos.

Levioraque.] hoc est audire mea epigrammata.

De

De Casselio tarde ingenioso. VIII.

CUM sexaginta numeret Casselius annos,
Ingeniosus homo est. quando disertus erit?

Cum Casselius natus sit sexaginta annos, solers est: quando erit eloquens?

Cum sexaginta.] Jam senex iste Casselius ingeniosus videri volebat, quem Poëta irridet, quod nempe tardius ad discendum eluxisset ejus ingenium.

In Olum obtrectatorem. IX.

PÆDICATUR Oros, fellat Linus, Ole, quid ad te?
De cute quid faciat ille, vel illa sua?
Centenis futuit Matho millibus, Ole, quid ad te?
Non tu propterea, sed Matho pauper erit.
In lucem cœnat Sertorius, Ole, quid ad te,
Cum liceat tota stertere nocte tibi?
Septingenta Tito debet Lupus, Ole, quid ad te?
Assem ne dederis, crediderisve Lupo.
Illud dissimulas, ad te quod pertinet, Ole:
Quodque magis curæ convenit esse tuæ.
Pro togula debes, hoc ad te pertinet, Ole.
Quadrantem nemo jam tibi credet: & hoc.
Uxor mœcha tibi est: hoc ad te pertinet, Ole.
Poscit jam dotem filia grandis: & hoc.
Dicere quindecies poteram, Quid pertinet ad te?
Sed quid agas, ad me pertinet, Ole, nihil.

. . . . *Ole, Sertorius cœnat ad diem usque: quid* spectat *ad te, cum tibi fas sit arcte & graviter dormire tota nocte? Lupus debet septingenta Tito, Ole, quid ad te? Ne assem* quidem *donaveris aut credideris Lupo. Ole, taces id, quod spectat ad te, & quod congruit magis tua solicitudini: debes pro togula, Ole, hoc pertinet ad te. Nullus jam tibi mutuo dabit quadrantem: & hoc* pertinet ad te. *Habes conjugem adulteram: hoc ad te attinet, Ole. Filia jam grandis petit dotem: & hoc. Poteram quindecies repetere. Quid pertinet ad te? At, Ole, nihil attinet ad me quid facias.*

In lucem.] Suas compotationes protrahit Sertorius.

Septingenta.] sestertia nempe.

Crediderisve.] Nam si nihil Lupo credideris, tunc cura vacabis.

Pro togula.] Quam nondum solvisti, & tamen aliorum debita recenses.

Quadrantem.] hoc est quartam assis partem.

Poscit jam dotem.] Filiæ debitor est pater, cum illam dotare teneatur, Leg. 19. ff. de ritu nuptiarum.

Dicere quindecies.] Sensus est: Ole, tam curiosus es in alienis negotiis, ut pluries repetere potuerim, Quid ad te?

Sed quid agas.] Poëtæ objicere poterat Olus; Quid tu, ô Martialis, satagis rerum mearum? Quapropter illum occupat Poëta.

Ad

Ad Pudentem, qui petierat epigrammata manu Poëtæ scripta. X.

COGIS me calamo, manuque nostra
Emendare meos, Pudens, libellos.
O quam me nimium probas, amasque,
Qui vis archetypas habere nugas!

O Pudens, me cogis corrigere meos libros calamo & manu propria. O quam nimium probas me, & diligis, qui vis habere ineptias autographas!

Cogis me.] De Pudente jam dictum epig. 32. lib. 1. Nescio an hic idem sit: utut est, Poëtæ erat amicissimus, qui in memoriæ simul & amicitiæ argumentum ab illo peteret versus propria ejus manu scriptos, & emendatos, quos Martialis vocat *nugas archetypas*.

Nimium probas.] Nam si in meis versibus aliqua fuerint menda, in librarium culpam rejicere non potero.

Ad Faustinum de suis libellis innocuis. XI.

SIC me fronte legat dominus, Faustine, serena,
Excipiatque meos qua solet aure jocos:
Ut mea nec juste quos odit, pagina lædit,
Et mihi de nullo fama rubore placet.
Quid prodest, cupiant cum quidam nostra videri,
Si qua Lycambeo sanguine tela madent?
Vipereumque vomant nostro sub nomine virus,
Qui Phœbi radios ferre, diemque negant?
Ludimus innocuis verbis, hoc juro potentis
Per genium famæ, Castalidumque gregem:
Perque tuas aures magni mihi numinis instar,
Lector, inhumana liber ab invidia.

O Faustine, dominus ita legat me vultu benigno, & excipiat meos ludos aure qua consuevit: ut mei libri nec offendant quos jure oderunt, & fama non est grata mihi de rubore cujusquam. Quid juvat, cum quidam velint existimari nostra, si quædam tela perfunduntur sanguine Lycambeo, atque effundant venenum vipereum sub nostro nomine, qui fatentur se non posse pati radios solis & lucem? Jocamur vocibus innocuis; hoc juro per genium Famæ potentis, & chorum Musarum; & per aures tuas mihi instar Numinis, ô lector aliene a crudeli invidia.

Sic me fronte.] hoc est, Sic me legat & amet Domitianus, ut ego nec lædo quos jure odi.

Si qua Lycambeo.] Archilochus Poëta Lacedæmonius versus Iambicos tam acerbos scripsit in Lycamben, quod desponsam ipsi suam filiam negavisset, ut laqueo suspendere se simul cum filia illum coëgerit. Sensus est: Quid prodest occulto Poëtæ versus mordaces & contumeliosos edere, cum omnes noverint candidum meum ingenium? Vide epist. lib. 1.

Qui Phœbi radios.] qui non audent versus suo nomine edere in lucem.

Innocuis verbis.] Alii legunt,
Ludimus innocuis: scis hoc bene.

Castalidumque gregem.] hoc est chorum Musarum, quæ a fonte Castalio sibi atque Apollini sacro Castalides dicuntur.

De Lycoride fusca. XII.

DUM Tiburtinis albescere collibus audit
Antiqui dentis fusca Lycoris ebur,

Dum fusca Lycoris audit ebur antiqui dentis album fieri collibus Tiburis, petiit.

Venit

Venit in Herculeos colles: quid Tiburis alti
Aura valet? parvo tempore nigra redit.

Herculeos colles: quid potest aura excelsi Tiburis? brevi tempore nigra revertitur.

Dum Tiburtinis.] De Lycoride idem est argumentum lib. 4. epig. 62. ubi egimus de cœlo Tiburtino.

Antiqui dentis.] id est vetusti eboris.

De sua puella lugente mortem cujusdam adolescentis. XIII.

ACCIDIT infandum nostræ scelus, Aule, puellæ:
Amisit lusus, deliciasque suas:
Non quales teneri ploravit amica Catulli
Lesbia, nequitiis passeris orba sui;
Vel Stellæ cantata meo, quam flevit Ianthis,
Cujus in Elysio nigra columba volat.
Lux mea non capitur nugis, nec amoribus istis,
Nec dominæ pectus talia damna movent.
Bis denos puerum numerantem perdidit annos,
Mentula cui nondum sesquipedalis erat.

O Aule, ingens flagitium contigit nostra puella: perdidit ludos atque amores suos: non quales deflevit Lesbia amica blandi Catulli, privata lasciviis sui passeris; vel celebrata a meo Stella, quam ploravit Ianthis, cujus nigra columba volat in campis Elysiis. Lux mea non capitur ineptiis, nec istis deliciis, nec cor meæ dominæ movetur talibus jacturis. Amisit puerum natum viginti annos . . . .

Infandum scelus.] Parcarum nempe: ad finem usque epigrammaris mentem lectoris lepide suspendit Poëta.

Lesbia.] Vide Catullum epig. 2. de passere mortuo Lesbiæ.

Vel Stellæ cantata.] id est columba, de qua epig. 8, lib. 1. De Ianthide uxore Stellæ vide epig. 21. lib. 6. *In Elysio.*] hoc est, cujus columbæ umbra est apud inferos secundum antiquorum opinionem, qui existimabant mortuorum omnium animalium umbras esse in inferis.

Ad Arginum puerum Ianthidos. XV.

QUIS puer hic nitidis absistit Ianthidos undis,
Et fugit ad dominam Naiada? nunquid Hylas?
O bene, quod sylva colitur Tirynthius ista,
Et quod amatrices tam prope servat aquas!
Securus licet hos fontes, Argine, ministres:
Nil faciunt nymphæ: ne velit ipse, cave.

Quis puer hic refugit aquas puras Ianthidos, & fugit ad dominam Naiada? Nunquid est Hylas? O factum bene, quod Hercules colitur in isto nemore, & quod tam prope custodit amatrices undas! O Argine, fas est tutus ministres has undas: Nymphæ nihil faciunt: adverte ne ipse cupiat te rapere.

Ianthidos undis.] De hoc fonte vide epig. 47. lib. 6. In ædibus Stellæ erat fons, cujus Nympham a Violantilla seu Ianthide Stellæ uxore Ianthidem denominat, ad quam Violantillam confugiebat hic servus, ne a Nymphis raperetur. Vide epig. 21. lib. 6.

Nunquid Hylas.] De quo epig. 49. lib. 5.

O bene.] In vicino scilicet nemore colitur Hercules, qui te tuebitur a Nymphis.

Nil faciunt.] Tute potes haurire aquam ex hoc fonte, & ministrare; nec enim hujus fontis Nymphæ te rapient: sed cave ab ipso Hercule.

Ad

Ad Regulum a quo lepide petit pecuniam. XV.

ÆRA domi non sunt. superest hoc, Regule, tantum,
Ut tua vendamus munera: nunquid emis?

Non habeo pecuniam domi, ô Regule: hoc unum restat ut vendamus tua dona: nunquid emis?

Superest hoc.] Nihil quicquam habeo præter munera quæ a te accepi: hoc autem facete dicit Poëta sperans Regulum ea non redempturum, sed liberaliter subventurum suæ inopiæ. De Regulo dictum epig. 13. lib. 1.

Ad Bibliothecam Julii Martialis. XVI.

RURIS Bibliotheca delicati,
Vicinam videt unde lector urbem,
Inter carmina sanctiora si quis
Lascivæ fuerit locus Thaliæ,
Hos nido licet inseras vel imo,
Septem quos tibi misimus libellos
Auctoris calamo sui notatos:
Hæc illis pretium facit litura.
At tu munere dedicata parvo,
Quæ cantaberis orbe nota toto:
Pignus pectoris hoc mei tuere,
Juli Bibliotheca Martialis.

O Bibliotheca amenæ villæ, ex qua lector aspicit propinquam urbem, si quis fuerit locus jocosæ Thaliæ inter versus sanctiores, colloces licet vel infimis foruliis hos septem libros, quos ad te misimus emendatos calamo sui auctoris: hæc litura constituit illis pretium. Sed tu, ô Bibliotheca Julii Martialis donata parvo munere, quæ cognita celebraberis toto orbe, serva hoc pignus mei amoris.

Ruris bibliotheca.] Hoc rus longo Janiculi collo recumbebat, ut dictum est epig. 64. lib. 4.

Lascivæ Thaliæ.] hoc est, jocosis meis carminibus. Vide epig. 8. lib. 4.

Nido vel imo.] hoc est vel in ultimo ordine colloces velim.

XVII.

De fragmento navis *Argus.* XVIII.

FRAGMENTUM, quod vile putas, & inutile lignum,
Hæc fuit ignoti prima carina maris;
Quam nec Cyaneæ quondam potuere ruinæ
Frangere, nec Scythici tristior ira freti.
Secula vicerunt; sed quamvis cesserit annis,
Sanctior est salva parva tabella rate.

Fragmentum quod credis contemptum, atque inutile lignum, hæc fuit prima carina maris incogniti; quæ olim nec potuit frangi ruinis Cyaneis, nec sæviore ira Scythici freti victa est seculis; at licet cesserit annis, exigua tabella augustior est nave integra.

Fragmentum.] Navis scilicet Argûs, quod Romæ tunc extabat. De illa nave & Argonautis vide Valerium Flaccum.

Hæc fuit.] Ante Argonautas mare navibus tentatum non fuit, ut canunt Poëtæ.

Cyaneæ ruinæ.] Cyaneæ seu Symplegades secundum Ptolemæum duæ sunt insulæ, vel saxa adjacentia Bosphoro Thraclo, hodie *Canal de Constantinople*, quæ non sine magno periculo transmiserunt Argonautæ.

Ira freti.] hoc est tempestas Ponti Euxini. Alii legunt *unda freti.*

Sanctior.] propter venerationem quæ debetur antiquitati.

In Sanctram helluonem & avarum. XIX.

Nihil est miserius nec gulosius Sanctra,
Rectam vocatus cum recurrit ad cœnam,
Quam tot diebus noctibusque captavit;
Ter poscit apri glandulas, quater lumbum,
Et utramque coxam leporis, & duos armos,
Nec erubescit pejerare de turdo,
Et ostreorum rapere lividos cirros.
Dulci placenta sordidam linit mappam.
Illic & uvæ collocantur ollares,
Et Punicorum pauca grana malorum,
Et excavatæ pellis indecens vulvæ,
Et lippa ficus, debilisque boletus.
Sed mappa cum jam mille rumpitur furtis,
Rosos tepenti spondylos sinu condit,
Inde vorato capite turturem truncum,
Colligere longa turpe nec pudet dextra
Analecta, quidquid & canes reliquerunt.
Nec esculenta sufficit gulæ præda,
Misto lagenam replet ad pedes vino.
Hæc per ducentas cum domum tulit scalas,
Seque obserata clausit anxius cella,
Gulosus ille postero die vendit.

Nihil est infelicius & gulosius Sanctra, cum invitatus properat ad cœnam rectam, quam aucupatus est tot diebus & noctibus; ter petit glandulas apri, quater lumbum, atque utram ne coxam leporis; & duos armos; nec pudet illum pejerare de turdo, & subducere lividos cirros ostreorum. Dulci placenta inficit sordidam mappam. Illic & uvæ ollares, & pauca grana malorum Punicorum apponuntur, & pellis indecora vulvæ exesæ, & ficus lippa, & debilis boletus. At cum jam mappa frangitur mille furtis, calido sinu occultat spondylos exesos, nec deinde existimat inhonestum porrecta manu colligere turturem mutilum devorato capite, & frusta, & quicquid reliquerunt canes. Nec præda escaria sufficit helluationi, vino misto replet amphoram jacentem ad pedes. Cum hæc omnia portavit domum per ducentos gradus, & solicitus se abscondit cella clausa, postridie ille helluo vendit hæc frusta.

Rectam vocatus.] Quam revocaverat Domitianus sublatis sportulis. Vide epig. 69. lib. 2.

Glandulas.] Vide epig. 81. lib. 3. lumbus vero est media pars apri in tres partes divisi.

Utramque coxam.] Coxa posteriorum pedum pars est superior, armus anteriorum.

Pejerare.] hoc est, cum subduxit turdos, non pudet ipsum jurare sibi non fuisse appositos.

Ostreorum lividos cirros.] Cirri propriè crines sunt, sed hîc sumuntur pro fibris ostreorum carnis colorem referentibus, unde *lividos* vocat. Sensus est, ab illo helluone rapi etiam ostrea.

Dulci placenta.] Quam & clam subductam mappa involvebat. Legunt alii *brevis placenta*, hoc est frustis: alii *dulcis placenta*. Videat lector.

Uvæ ollares.] Quæ nempe in ollis servabantur.

Et excavatæ.] Exesa enim carne sola pellis supererat.

Et lippa ficus.] E qua lacteus humor lippitudinis instar fluit.

Debilisque boletus.] Quia parum durat, non optimus, inquit Farnabius: immo recisus vel nullo aut debili caule. Gronovius.

Mille furtis.] hoc est, esculentis in mappa involutis.

Spondylos.] Quos puto hic sumi pro quodam piscium genere, alias spondylus est vertebra dorsi, Plin. lib. 32. cap. 11.

Inde vorato.] Alii *Et devorato. Analecta.*] reliquias & frusta intellige, quæ servi colligerent, epig. 80. lib. 14.

Misto lagenam.] Subducit etiam vinum aqua temperatum, quod servi ad pedes bibebant.

Per ducentas scalas.] His verbis indicat Sanctram istum sub tegulis pauperum more habitasse, epig. 118. lib. 1.

Vendit] Non helluationem tantum, sed & Sanctræ avaritiam carpit.

De

De natali Lucani. XX.

HÆc eſt illa dies quæ magni conſcia partus,
Lucanum populis, & tibi, Polla, dedit.
Heu Nero crudelis, nullaque inviſior umbra:
Debuit hoc ſaltem non licuiſſe tibi.

O Polla, hæc eſt illa lux, quæ teſtis magni partus edidit Lucanum populis & tibi. Heu, ſæve Nero, nec odioſior propter ullam aliam *umbram: ſaltem hoc non debuit tibi permiſſum fuiſſe.*

Hæc eſt illa dies.] Quarta ſcilicet aut tertia Nonas Novembris. Lucani opera commentariis illuſtravit Lambertus Hortenſius, & vitam illius Poëtæ copioſe deſcribit.

Polla.] Lucani uxor, quem interfici juſſit Nero, quod conjuraverat contra eum Lucanus, cum ab ipſo prohiberetur ſua carmina in lucem edere.

Nulla inviſior.] hoc eſt, O Nero, nullius cædes majus tibi odium conciliavit.

Non licuiſſe.] Interficere tam egregium Poëtam. Videtur ad Neronis dictum reſpicere, qui multis occiſis, neſciſſe hactenus Cæſarem, quantum Imperatori liceret, dicebat. Rad.

De eodem. XXI.

VAtis Apollinei magno memorabilis ortu
Lux redit: Aonidum turba, favete ſacris.
Hæc meruit, cum te terris, Lucane, dediſſet,
Mixtus Caſtaliæ Bætis ut eſſet aquæ.

Dies revertitur celebrandus magno ortu Poëtæ Apollinei: O Muſæ, eſtote propitiæ ſacrificiis. O Lucane, cum Bætis te donaſſet orbi, hoc aſſecutus eſt ut miſceretur undæ Caſtaliæ.

Turba favete.] Turba eſt nomen collectivum, quapropter verbum ponitur in plurali.

Bætis.] Corduba natus eſt Lucanus, quæ eſt ad Bætim Hiſpaniæ Bæticæ fluvium hodie *Guadalquivir*, qui fluvius inter fontes Muſarum numeratur, quoniam tulit Poëtam Lucanum; de fonte autem Caſtalia jam ſæpius dictum. *Hæc meruit.*] Alii ſic explicant: Hæc dies vel propter te, ô Lucane, editum meruit, ut Bætis patrius Lucani fluvius numeraretur inter fontes Muſarum. Judicet Lector.

De eodem ad Phœbum. XXII.

PHOEBE veni, ſed quantus eras, cum bella canenti,
Ipſe dares Latiæ plectra ſecunda lyræ.
Quid tanta pro luce precer? tu, Polla, maritum,
Sæpe colas, & ſe ſentiat ipſe coli.

O Apollo veni, at quantus eras, cum ipſe bella cantanti concederes plectra ſecunda lyræ Latinæ. Quid optabo pro die tam memoranda? tu, ô Polla, crebro colas conjugem, atque ille intelligat ſe coli.

Veni.] Nempe ad hæc ſacra, quæ facimus natalem Lucani diem celebrantes.

Bella canenti.] Alii *tonanti.*

Plectra ſecunda.] hoc eſt, cui Lucano tu ipſe, ô Phœbe, ſecundam a Virgilio carminis epici gloriam conceſſiſti.

Tu ô Polla.] Diu vivas, ut maritum ſæpius colere poſſis.

In maledicum qui Juvenalem cum Martiale committere tentaret. XXIII.

CUM Juvenale meo quæ me committere tentas,
Quid non audebis, perfida lingua, loqui?
Te fingente nefas, Pyladen odisset Orestes:
Thesea Pirithoi destituisset amor.
Tu Siculos fratres, & majus nomen Atridas,
Et Ledæ poteras dissociare genus.
Hoc tibi pro meritis, & talibus imprecor ausis,
Ut facias illud quod, puto, lingua facit.

O Lingua improba, quæ experiris committere me cum meo Juvenale, quid non audebis dicere? Orestes odisset Pyladen te excogitante scelus, atque amor Pirithoi deseruisset Thesea. Tu valebas disjungere Siculos fratres, atque Atridas fortiores majorem famam, & stirpem Ledæ. Hoc tibi exopto pro meritis, & talibus ausis ut facias illud quod, optnor, lingua facit.

Cum Juvenale.] hoc est: O lingua, quæ tentas contentionis & dissidii semina jacere inter me & Juvenalem Poëtam satis notum.

Pyladen.] horum heroum historia omnibus nota est.

Siculos fratres.] Intellige Amphinomum & Anapiam natos Catanæ, hodie *Catania* in urbe Siciliæ, non longe a monte Ætna, quorum pium in parentes amorem refert Strabo lib. 6.

Atridas.] Agamemnonem & Menelaum celebriores Siculis istis fratribus.

Ledæ genus.] Castorem & Pollucem.

Facit.] Alii *facis.* Videtur enim alloqui linguam: cui precatur, ut adhæreat rebus turpibus, epig. 61, lib. 2.

In malum Poëtam. XXIV.

DULCIA cum tantum scribas epigrammata semper,
Et cerussata candidiora cute:
Nullaque mica salis, nec amari fellis in illis
Gutta sit: ô demens, vis tamen illa legi
Nec cibus ipse juvat morsu fraudatus aceti:
Nec grata est facies, cui gelasinus abest.
Infanti melimela dato, fatuasque mariscas:
Nam mihi, quæ novit pungere, Chia sapit.

Cum perpetuo componas epigrammata solum dulcia, & candidiora pelle cerussata: nec aspergantur ulla mica salis, nec gutta fellis amari: ô Fatue, nihilominus vis illa evolvi! nec ipse cibus places destitutus acerbitate aceti: nec vultus arridet, cui deest gelasinus. Trade puero poma mellita, & mariscas insulsas: ego enim amo Chiam, quæ scit pungere.

Dulcia cum.] Insulsa, nec imbuta illa mordacitate quæ his versibus convenit.

Candidiora.] hoc est, in quibus inest sensus candidior cerussa, quæ erat eximii candoris. Vide epig. 73. lib. 1. Candidus vero album quidem significat, sed & simplex etiam ut sumitur hic.

Nulla mica salis.] hoc est, nulla urbanitas, nec acerbitas.

Nec cibus ipse] Acerba enim irritant stomachum, lectorem quoque alliciunt sales.

Gelasinus.] Gelasini sunt sulculi qui a ridentibus in ore fiunt, inquit Raderus. Robertus Stephanus in suo Thesauro ait: Gelasini sunt lineæ quæ ridendo efficiuntur, & summam gratiam ori conciliant. Gelasini sunt etiam dentes anteriores, qui ridendo nudantur. Gelasinum scurram quoque significat.

Mariscas.] Genus quoddam ficus insulsæ; infantibus enim placent dulcia.

Chia.] Ficus nempe acerbi saporis: hoc est, mihi placet epigramma mordax. De Chia ficu epig. 23. lib. 13.

Sca-

Scazonta mittit ad Apollinarem. XXV.

APOLLINAREM conveni meum, Scazon,
Etsi vacabit, ne molestus accedas,
Hoc qualecumque, cujus aliqua pars ipse est,
Dabis; hoc facetum carmen imbuant aures,
Si te receptum fronte videris tota,
Noto rogabis ut favore sustentet,
Quanto mearum scis amore nugarum
Flagret: nec ipse plus amare te possum.
Contra malignos esse si cupis tutus,
Apollinarem conveni meum, Scazon.

O Scazon, adi meum Apollinarem: licet otiosus sit, ne importunus accedas, trades hoc qualecunque, cujus aliquam partem effecit ipse: aures illius emendans festivum hunc versum. Si videris te exceptum tota vultu, rogabis ut te ferat gratia solita. Tenes quanto ardeat studio mearum ineptiarum: nec ipse possum te diligere magis. Si vis esse securus adversus improbos, o Scazon, adi meum Apollinarem.

Apollinarem.] doctissimum sane virum, de quo epig. 87. lib. 4. Scazon Iambus est claudicans; in sexto enim pede ponitur spondæus.

Etsi vacabit.] Tamen tempus maxime opportunum captabis. *Vacare.* Impersonale est hic. Virgilius lib. 2. Æneid.

Sed si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et vacet annales nostrorum audire laborum.

Cujus aliqua pars.] Nam nostri Poëtæ versus emendabat Apollinaris.

Hoc facetum.] Quomodo facetum, quod modo vocabat qualecunque? Cui modestiæ istud haudquaquam convenit scribe, *faceta*: aures *facetas* vocat ejus qui scit eleganter audire. Hæc Gronovius.

De apro sibi a Dextro misso. XXVI.

TUSCÆ glandis aper populator, & ilice multa
Jam piger Ætolæ fama secunda feræ,
Quem meus intravit splendenti cuspide Dexter,
Præda jaces nostris invidiosa focis.
Pinguescant madidi læto nidore Penates,
Flagret & exciso festa culina jugo.
Sed coquus ingentem piperis consumet acervum,
Addet & arcano mista Falerna garo.
Ad dominum redeas: noster te non capit ignis
Conturbator aper. vilius esurio.

O Aper vastator Tuscæ glandis, & jam piger multa ilice, fama proxima ab Ætola fera, quem interfecit Dexter fulgenti venabulo, procumbis præda odiosa nostris focis. Penates madidi pinguescant hilari nidore, & culina læta ardeat cæsis lignis. At coquus impendet ingentem cumulum piperis, atque adjunget Falerna mixta interiori garo. Revertaris ad dominum: O aper decoctor, non te capiunt nostri Lares. Fames mea constat vilioris.

De apro.] Legunt alii, *de apro a se occiso*, & in tertio versu *culter* pro *Dexter*; sed huic lectioni repugnat ultimum distichum: ad Dextrum enim suum amicum videtur remittere aprum, cui condiendo non sufficerent suæ opes. Alii, *ad aprum missum.*

Tusca glandis.] In agro nempe Tusco aper glandibus saginatus lente incedebat.

Ætola fama.] Hic scilicet aper proximus erat ab ingenti apro Calydonio, quem in Ætolorum agros immiserat irata Diana. Vide epig. 15. lib. Spect.

Præda jaces.] Alii *jacet invidiosa*, hoc est major quam ferat mea conditio.

Lætia gaudia.] hoc eſt, Romanorum togatorum.

Redde deum.] hoc eſt, redi in urbem.

Invidet hoſti.] Quod nempe fruitur tua præſentia.

Veniat laurea.] hoc eſt, licet ad nos literæ laureatæ ſæpe afferantur, victoriarum, quas ex Sarmatis reportas, nunciæ. Vide epig. ſequens.

De fama reditus Domitiani. V.

ECQUID hyperboreis ad nos converſus ab oris
Auſonias Cæſar jam parat ire vias?
Certus abeſt auctor, ſed vox hoc nunciat omnis.
Credo tibi, verum dicere, Fama, ſoles.
Publica victrices teſtantur gaudia chartæ:
Martia laurigera cuſpide pila virent.
Rurſus io magnos clamat tibi Roma triumphos,
Invictuſque tua, Cæſar, in urbe ſonas.
Sed jam lætitiæ quo ſit fiducia major,
Sarmaticæ laurus nuntius ipſe veni.

Ecquid Cæſar ad nos converſus a regionibus Septentrionis meditatur ſuſcipere iter Italiæ? auctor manifeſtus non apparet, at vox omnis nunciat hunc reditum. O Fama, tibi adhibeo fidem, tuæ moris eſt dicere verum. Laureatæ literæ confirmant publicam lætitiam: pila Martia vireſcunt cuſpide laureata. Roma iterum clamas io tibi magnos triumphos, atque tua in urbe, ô Cæſar, invictus proclamaris. At jam ipſe redi renunciaturus victoriam Sarmaticam, ut ſit major ſecuritas noſtri gaudii.

Ecquid hyperboreis.] De Sarmatia regione ad Septentrionem, vide epig. 1. ſupra.

Auſonias.] Italas: Italia enim Auſonia dicta eſt ab Auſone Ulyſſis & Calypſus filio.

Verum dicere.] Imo falſum dicere ſolet fama. Virg. 4. Æneid.

Facta atque infecta canit.

Tamen videtur Poëta intelligere tunc famam ſolere dicere verum, cum conſtanti omnium ſermone aliquid celebratur; Domitiani vero reditum omnes renunciabant. Vel quod facile credimus, quod cupimus.

Victrices chartæ.] Reportata victoria ſolebant duces Romani vel ad Senatum, vel ad principem mittere laureatas literas indices victoriæ, cujus inſigne eſt laurus. Livius Decad. 1. lib. 5. *Literæ*, inquit, *a Poſtumio laureatæ ſequuntur victoriam populi Romani.*

Martia laurigera.] Milites haſtarum, & pilorum cuſpidem lauro circumdabant in ſignum lætitiæ ex reportata victoria.

Rurſus io.] Vox triumphi ſolennis. Vide Horat. ode 9. lib. Epod.

Ad Cæſarem Domitianum de amore & deſiderio populi Romani erga ipſum abſentem. VI.

HIBERNA quamvis Arctos, & rudis Peuce,
Et ungularum pulſibus calens Iſter,
Fractuſque cornu jam ter improbo Rhenus,
Teneat domantem regna perfidæ gentis,
Te ſumme mundi rector, te parens orbis,
Abeſſe noſtris non tamen potes votis.
Illic & oculis & animis ſumus, Cæſar,
Adeoque mentes omnium tenes unus,

O Summe moderator mundi, & pater orbis, licet hyemalis Arctos, & barbara Peuce, & Danubius calefactus agitationibus ungularum, & jam ter cornu fracto Rhenus rebellis retineat te vincentem regna nationis perfidioſæ: Nihilominus nequis removeri eſſe a noſtris votis. Ibi, ô Cæſar, adſumus & oculis, & mentibus, atque ita, tu unus occupas cogitationes omnium,

Ut

Ut ipsa magni turba nesciat Circi
Utrumne currat Passerinus, an Tigris.

ut ipsa multitudo Circi magni ignoret, utrumne Passerinus currat, an Tigris.

Hiberna.] Vide superiora epigrammata: hoc est, quamvis te longe a nobis bella detineant in regionibus Septentrionis, nostris tamen mentibus præsens es.

Rudis Peuce.] Insula magna ad ostia Istri, teste Strabone lib. 7.

Et ungularum.] Vide Ovidium Tristium lib. 3. eleg. 10.

Cæruleos ventis latices durantibus Ister
Congelat, & tectis in mare serpit aquis.
Quaque rates ierant, pedibus nunc itur: & undas
Frigore concretas ungula pulsat equi, &c.

Fractusque cornu.] Metonymia est: fractum Rhenum dicit pro victis Batavis & Germanis: alludit autem noster Poëta ad fluviorum cornua. Virgilius 8. Æneid.

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.

& vide etiam epig. 104. lib. 9.

Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri.

Adeoque.] Omnes enim a spectaculis avertuntur cum aliquid narratur aut de tuo reditu, aut de tuis victoriis.

Passerinus an Tigris.] Ambo cursu certabant, reliquosque longe superabant, lib. 12. epig. 36.

Vis cursu, pedibusque gloriari?
Tigrim vince, levemque Passerinum.

De reditu Domitiani. VII.

NUNC hilares, si quando mihi, nunc ludite Musæ:
Victor ab Othrysio redditur orbe Deus.
Certa facis populi tu primus vota, December:
Jam licet ingenti dicere voce, Venit.
Felix sorte tua, poteras non cedere Jano,
Gaudia si nobis, quæ dabit ille, dares.
Festa coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros cum comes ibit equos.
Fas audire jocos, levioraque carmina, Cæsar,
Sit tibi: si lusus ipse triumphus amat.

O Musæ nunc lætæ nunc canite, si unquam mihi cecinistis: Deus restituitur victor ab orbe Othrysio. O December, tu primus reddis certa vota populi: jam fas est clamare summa voce, Venit. Beatus sorte tua, poteras non dare primas Jano, si nobis pareres lætitiam quam pariet ille. Miles coronatus jocabitur contumelias festivas, cum socius sequetur inter equos laureatos. O Cæsar, liceat tibi audire ludos, & versus leviores, si triumphus ipse admittit jocos.

Ab Othrysio.] Othrys mons Thraciæ: melius forte legunt alii *Odrysio.* Odrysæ enim populi sunt Thraciæ, quos aliqui hodie vocant *Moldavenses.* Claudianus tamen de 3. Cons. Honor.

Otrysium pariter Getico fœdavimus Hebrum
Sanguine. ———

Certa facis.] Mense enim Decembri literæ Romam sunt allatæ de reditu Domitiani.

Poteras non.] Sensus est: Si mense Decembri urbem ingressurus esset Cæsar, poterat ille non cedere Januario, a Jano deo, in cujus honorem multa sacrificia fiebant, sic dicto, Ovidius 1. Fastorum, quo nempe mense Romam erat rediturus Cæsar.

Festa coronatus.] Triumphum comitari milites lauro coronati, & in ipsum Imperatorem jocosa convicia jacere solebant.

Inter laurigeros.] Ovidius lib. 4. Tristium eleg. 2.

Vinclaque captiva reges cervice gerentes
Ante coronatos ire videbit equos.

Levioraque.] hoc est audire mea epigrammata.

De

De Casselio tarde ingenioso. VIII.

CUM sexaginta numeret Cassellius annos,
Ingeniosus homo est. quando disertus erit?

Cum Cassellius natus sit sexaginta annos, solers est: quando erit eloquens?

Cum sexaginta.] Jam senex iste Cassellius ingeniosus videri volebat, quem Poëta irridet, quod nempe tardiùs ad discendum eluxisset ejus ingenium.

In Olum obtrectatorem. IX.

PÆDICATUR Oros, fellat Linus, Ole, quid ad te?
De cute quid faciat ille, vel illa sua?
Centenis futuit Matho millibus, Ole, quid ad te?
Non tu propterea, sed Matho pauper erit.
In lucem cœnat Sertorius, Ole, quid ad te,
Cum liceat tota stertere nocte tibi?
Septingenta Tito debet Lupus, Ole, quid ad te?
Assem ne dederis, credideris ve Lupo.
Illud dissimulas, ad te quod pertinet, Ole:
Quodque magis curæ convenit esse tuæ.
Pro togula debes, hoc ad te pertinet, Ole.
Quadrantem nemo jam tibi credet: & hoc.
Uxor mœcha tibi est: hoc ad te pertinet, Ole.
Poscit jam dotem filia grandis: & hoc.
Dicere quindecies poteram, Quid pertinet ad te?
Sed quid agas, ad me pertinet, Ole, nihil.

. . . . *Ole, Sertorius cœnat ad diem usque: quid* spectat *ad te, cum tibi fas sit arcte & graviter dormire tota nocte? Lupus debet septingenta Tito, Ole, quid ad te? Ne assem* quidem *donaveris aut credideris Lupo. Ole, taces id, quod spectat ad te, & quod congruit magis tuæ solicitudini: debes pro togula, Ole, hoc pertinet ad te. Nullus jam tibi mutuo dabit quadrantem: & hoc* pertinet ad te. *Habes conjugem adulteram: hoc ad te attinet, Ole. Filia jam grandis petit dotem: & hoc. Poteram quindecies repetere. Quid pertinet ad te? At, Ole, nihil attinet ad me quid facias.*

In lucem.] Suas compotationes protrahit Sertorius.

Septingenta.] sestertia nempe.

Credideris ve.] Nam si nihil Lupo credideris, tunc cura vacabis.

Pro togula.] Quam nondum solvisti, & tamen aliorum debita recenses.

Quadrantem.] hoc est quartam assis partem.

Poscit jam dotem.] Filiæ debitor est pater, cum illam dotare teneatur, Leg. 19. ff. de ritu nuptiarum.

Dicere quindecies.] Sensus est: Ole, tam curiosus es in alienis negotiis, ut pluries repetere potuerim, Quid ad te?

Sed quid agas.] Poëtæ objicere poterat Olus; Quid tu, ô Martialis, satagis rerum mearum? Quapropter illum occupat Poëta.

Ad Pudentem, qui petierat epigrammata manu Poëtæ ſcripta. X.

COGIS me calamo, manuque noſtra
Emendare meos, Pudens, libellos.
O quam me nimium probas, amaſque,
Qui vis archetypas habere nugas!

O Pudens, me cogis corrigere meos libros calamo & manu propria. O quam nimium probas me, & diligis, qui vis habere ineptias autographas!

Cogis me.] De Pudente jam dictum epig. 32. lib. 1. Neſcio an hic idem ſit: utut eſt, Poëtæ erat amiciſſimus, qui in memoriæ ſimul & amicitiæ argumentum ab illo peteret verſus propria ejus manu ſcriptos, & emendatos, quos Martialis vocat *nugas archetypas.*

Nimium probas.] Nam ſi in meis verſibus aliqua fuerint menda, in librarium culpam rejicere non potero.

Ad Fauſtinum de ſuis libellis innocuis. XI.

SIc me fronte legat dominus, Fauſtine, ſerena,
Excipiatque meos qua ſolet aure jocos:
Ut mea nec juſte quos odit, pagina lædit,
Et mihi de nullo fama rubore placet.
Quid prodeſt, cupiant cum quidam noſtra videri,
Si qua Lycambeo ſanguine tela madent?
Vipereumque vomant noſtro ſub nomine virus,
Qui Phœbi radios ferre, diemque negant?
Ludimus innocuis verbis, hoc juro potentis
Per genium famæ, Caſtalidumque gregem:
Perque tuas aures magni mihi numinis inſtar,
Lector, inhumana liber ab invidia.

O Fauſtine, dominus ita legat me vultu benigno, & excipiat meos ludos aure qua conſuevit: ut mei libri nec offendant quos jure oderunt, & fama non eſt grata mihi de rubore cujuſquam. Quid juvat, cum quidam velint exiſtimari noſtra, ſi quædam tela perfundantur ſanguine Lycambeo, atque effundant venenum vipereum ſub noſtro nomine, qui fatentur ſe non poſſe pati radios ſolis & lucem? Jocamur vocibus innocuis; hoc juro per genium Famæ potentis, & chorum Muſarum; & per aures tuas mihi inſtar Numinis, ô lector aliene a crudeli invidia.

Sic me fronte.] hoc eſt, Sic me legat & amet Domitianus, ut ego nec lædo quos jure odi.

Si qua Lycambeo.] Archilochus Poëta Lacedæmonius verſus Iambicos tam acerbos ſcripſit in Lycamben, quod deſponſam ipſi ſuam filiam negaviſſet, ut laqueo ſuſpendere ſe ſimul cum filia illum coëgerit. Senſus eſt: Quid prodeſt occulto Poëtæ verſus mordaces & contumelioſos edere, cum omnes noverint candidum meum ingenium? Vide epiſt. lib. 1.

Qui Phœbi radios.] qui non audent verſus ſuo nomine edere in lucem.

Innocuis verbis.] Alii legunt,

Ludimus innocui: ſcis hoc bene.

Caſtalidumque gregem.] hoc eſt chorum Muſarum, quæ a fonte Caſtalio ſibi atque Apollini ſacro Caſtalides dicuntur.

De Lycoride fuſca. XII.

DUM Tiburtinis albeſcere collibus audit
Antiqui dentis fuſca Lycoris ebur,

Dum fuſca Lycoris audit ebur antiqui dentis album fieri collibus Tiburis, petiit.

Venit in Herculeos colles: quid Tiburis alti
Aura valet? parvo tempore nigra redit.

Herculeos colles: quid potest aura excelsi Tiburis? brevi tempore nigra revertitur.

Dum Tiburtinis.] De Lycoride idem est argumentum lib. 4. epig. 62. ubi egimus de cœlo Tiburtino.

Antiqui dentis.] id est vetusti eboris.

De sua puella lugente mortem cujusdam adolescentis. XIII.

Accidit infandum nostræ scelus, Aule, puellæ:
Amisit lusus, deliciasque suas:
Non quales teneri ploravit amica Catulli
Lesbia, nequitiis passeris orba sui;
Vel Stellæ cantata meo, quam flevit Ianthis,
Cujus in Elysio nigra columba volat.
Lux mea non capitur nugis, nec amoribus istis,
Nec dominæ pectus talia damna movent.
Bis denos puerum numerantem perdidit annos,
Mentula cui nondum sesquipedalis erat.

O Aule, ingens flagitium contigit nostræ puellæ: perdidit ludos atque amores suos: non quales deflevit Lesbia amica blandi Catulli, privata lascivüs sui passeris; vel celebrata a meo Stella, quam ploravit Ianthis, cujus nigra columba volat in campis *Elysiis. Lux mea non capitur ineptiis, nec istis deliciis, nec cor meæ dominæ movetur talibus jacturis. Amisit puerum natum viginti annos* . . . .

Infandum scelus.] Parcarum nempe: ad finem usque epigrammatis mentem lectoris lepide suspendit Poëta.

Lesbia.] Vide Catullum epig. 2. de passere mortuo Lesbiæ.

Vel Stellæ cantata.] id est columba, de qua epig. 8, lib. 1. De Ianthide uxore Stellæ vide epig. 21. lib. 6. *In Elysio.*] hoc est, cujus columbæ umbra est apud inferos secundum antiquorum opinionem, qui existimabant mortuorum omnium animalium umbras esse in inferis.

Ad Arginum puerum Ianthidos. XV.

Quis puer hic nitidis absistit Ianthidos undis,
Et fugit ad dominam Naiada? nunquid Hylas?
O bene, quod sylva colitur Tirynthius ista,
Et quod amatrices tam prope servat aquas!
Securus licet hos fontes, Argine, ministres:
Nil faciunt nymphæ: ne velit ipse, cave.

Quis puer hic refugit aquas puras Ianthidos, & fugit ad dominam Naiada? Nunquid est *Hylas?* O factum *bene, quod Hercules colitur in isto nemore, & quod tam prope custodit amatrices undas! O Argine, fas est tutus ministres has undas: Nymphæ nihil faciunt: adverte ne ipse capiat te* rapere.

Ianthidos undis.] De hoc fonte vide epig. 47. lib. 6. In ædibus Stellæ erat fons, cujus Nympham a Violantilla seu Ianthide Stellæ uxore Ianthidem denominat, ad quam Violantillam confugiebat hic servus, ne a Nymphis raperetur. Vide epig. 21. lib. 6.

Nunquid Hylas.] De quo epig. 49. lib. 5.

O bene.] In vicino scilicet nemore colitur Hercules, qui te tuebitur a Nymphis.

Nil faciunt.] Tute potes haurire aquam ex hoc fonte, & ministrare; nec enim hujus fontis Nymphæ te rapient: sed cave ab ipso Hercule.

Ad

Ad Regulum a quo lepide petit pecuniam. XV.

ÆRA domi non sunt. superest hoc, Regule, tantum,
Ut tua vendamus munera: nunquid emis?

Non habeo pecuniam domi, ô Regule: hoc unum restat ut vendamus tua dona: nunquid emis?

Superest hoc.] Nihil quicquam habeo præter munera quæ a te accepi: hoc autem facete dicit Poëta sperans Regulum ea non redempturum, sed liberaliter subventurum suæ inopiæ. De Regulo dictum epig. 13. lib. 1.

Ad Bibliothecam Julii Martialis. XVI.

RURIS Bibliotheca delicati,
Vicinam videt unde lector urbem,
Inter carmina sanctiora si quis
Lascivæ fuerit locus Thaliæ,
Hos nido licet inseras vel imo,
Septem quos tibi misimus libellos
Auctoris calamo sui notatos:
Hæc illis pretium facit litura.
At tu munere dedicata parvo,
Quæ cantaberis orbe nota toto:
Pignus pectoris hoc mei tuere,
Juli Bibliotheca Martialis.

O Bibliotheca amenæ villæ, ex qua lector aspicit propinquam urbem, si quis fueris locus jocosæ Thaliæ inter versus sanctiores, colloces licet vel infimis forulis hos septem libros, quos ad te misimus emendatos calamo sui auctoris: hæc litura constituit illis pretium. Sed tu, ô Bibliotheca Julii Martialis donata parvo munere, quæ cognita celebraberis toto orbe, serva hoc pignus mei amoris.

Ruris bibliotheca.] Hoc rus longo Janiculi collo recumbebat, ut dictum est epig. 64. lib. 4.
Lasciva Thaliæ.] hoc est, jocosis meis carminibus. Vide epig. 8. lib. 4.
Nido vel imo.] hoc est vel in ultimo ordine colloces velim.

XVII.

De fragmento navis *Argus.* XVIII.

FRAGMENTUM, quod vile putas, & inutile lignum,
Hæc fuit ignoti prima carina maris;
Quam nec Cyaneæ quondam potuere ruinæ
Frangere, nec Scythici tristior ira freti.
Secula vicerunt; sed quamvis cesserit annis,
Sanctior est salva parva tabella rate.

Fragmentum quod credis contemptum, atque inutile lignum, hæc fuit prima carina maris incogniti; quæ olim nec potuit frangi ruinis Cyaneis, nec saviore ira Scythici freti victa est seculis; at licet cesserit annis, exigua tabella angustior est nave integra.

Fragmentum.] Navis scilicet Argûs, quod Romæ tunc extabat. De illa nave & Argonautis vide Valerium Flaccum.
Hæc fuit.] Ante Argonautas mare navibus tentatum non fuit, ut canunt Poëtæ.
Cyanea ruina.] Cyaneæ seu Symplegades secundum Ptolemæum duæ sunt insulæ, vel saxa adjacentia Bosphoro Thracio, hodie *Canal de Constantinople*, quæ non sine magno periculo transmiserunt Argonautæ.
Ira freti.] hoc est tempestas Ponti Euxini. Alii legunt *unda freti.*
Sanctior.] propter venerationem quæ debetur antiquitati.

In Sanctram helluonem & avarum. XIX.

NIhil eſt miſerius nec guloſius Sanctra,
Rectam vocatus cum recurrit ad cœnam,
Quam tot diebus noctibuſque captavit;
Ter poſcit apri glandulas, quater lumbum,
Et utramque coxam leporis, & duos armos,
Nec erubeſcit pejerare de turdo,
Et oſtreorum rapere lividos cirros.
Dulci placenta ſordidam linit mappam.
Illic & uvæ collocantur ollares,
Et Punicorum pauca grana malorum,
Et excavatæ pellis indecens vulvæ,
Et lippa ficus, debiliſque boletus.
Sed mappa cum jam mille rumpitur furtis,
Roſos tepenti ſpondylos ſinu condit,
Inde vorato capite turturem truncum,
Colligere longa turpe nec pudet dextra
Analecta, quidquid & canes reliquerunt.
Nec eſculenta ſufficit gulæ præda,
Miſto lagenam replet ad pedes vino.
Hæc per ducentas cum domum tulit ſcalas,
Seque obſerata clauſit anxius cella,
Guloſus ille poſtero die vendit.

Nihil eſt infelicius & guloſius Sanctra, cum invitatus properat ad cœnam rectam, quam aucupatus eſt tot diebus & noctibus; ter petit glandulas apri, quater lumbum, atque utram ne coxam leporis; & duos armos; nec pudet illum pejerare de turdo, & ſubducere lividos cirros oſtreorum. Dulci placenta inficit ſordidam mappam. Illic & uvæ ollares, & pauca grana malorum Punicorum apponuntur, & pellis indecora vulva exeſa. & ficus lippa, & debilis boletus. At cum jam mappa frangitur mille furtis, calido ſinu occultat ſpondylos exeſos, nec deinde exiſtimat inhoneſtum porrecta manu colligere turturem mutilum devorato capite, & fruſta, & quicquid reliquerunt canes. Nec præda eſcaria ſufficit helluationi, vino miſto replet amphoram jacentem ad pedes. Cum hæc omnia portavit domum per ducentos gradus, & ſolicitus ſe abſcondit cella clauſa, poſtridie ille helluo vendit hæc fruſta.

Rectam vocatus.] Quam revocaverat Domitianus ſublatis ſportulis. Vide epig. 69. lib. 2.

Glandulas.] Vide epig. 81. lib. 3. lumbus vero eſt media pars apri in tres partes diviſi.

Utramque coxam.] Coxa poſteriorum pedum pars eſt ſuperior, armus anteriorum.

Pejerare.] hoc eſt, cum ſubduxit turdos, non pudet ipſum jurare ſibi non fuiſſe appoſitos.

Oſtreorum lividos cirros.] Cirri propriè crines ſunt, ſed hic ſumuntur pro fibris oſtreorum carnis colorem referentibus, unde *lividos* vocat. Senſus eſt, ab illo helluone rapi etiam oſtrea.

Dulci placenta.] Quam & clam ſubductam mappa involvebat. Legunt alii *bucciis placenta*, hoc eſt fruſtis: alii *dulcis placenta*. Videat lector.

Uvæ ollares.] Quæ nempe in ollis ſervabantur.

Et excavata.] Exeſa enim carne ſola pellis ſupererat.

Et lippa ficus.] E qua lacteus humor lippitudinis inſtar fluit.

Debiliſque boletus.] Quia parum durat, non optimus, inquit Farnabius: immo reciſus vel nullo aut debili caule. Gronovius.

Mille furtis.] hoc eſt, eſculentis in mappa involutis.

Spondylos.] Quos puto hic ſumi pro quodam piſcium genere, alias ſpondylus eſt vertebra dorſi, Plin. lib. 32. cap. 11.

Inde vorato.] Alii *Et devorato. Analecta.*] reliquias & fruſta intellige, quæ ſervi colligerent, epig. 80. lib. 14.

Miſto lagenam.] Subducit etiam vinum aqua temperatum, quod ſervi ad pedes bibebant.

Per ducentas ſcalas.] His verbis indicat Sanctram iſtum ſub tegulis pauperum more habitaſſe, epig. 118. lib. 1.

Vendit] Non helluationem tantum, ſed & Sanctræ avaritiam carpit.

De

De natali Lucani. XX.

HÆc est illa dies quæ magni conscia partus,
Lucanum populis, & tibi, Polla, dedit.
Heu Nero crudelis, nullaque invisior umbra:
Debuit hoc saltem non licuisse tibi.

O Polla, hæc est illa lux, quæ testis magni partus edidit Lucanum populis & tibi. Heu, sæve Nero, nec odiosior propter ullam aliam umbram: saltem hoc non debuit tibi permissum fuisse.

Hæc est illa dies.] Quarta scilicet aut tertia Nonas Novembris. Lucani opera commentariis illustravit Lambertus Hortensius, & vitam illius Poëtæ copiose describit.
Polla.] Lucani uxor, quem interfici jussit Nero, quod conjuraverat contra eum. Lucanus, cum ab ipso prohiberetur sua carmina in lucem edere.
Nulla invisior.] hoc est, O Nero, nullius cædes majus tibi odium conciliavit.
Non licuisse.] Interficere tam egregium Poëtam. Videtur ad Neronis dictum respicere, qui multis occisis, nescisse hactenus Cæsarem, quantum Imperatori liceret, dicebat. Rad.

De eodem. XXI.

VATIS Apollinei magno memorabilis ortu
Lux redit: Aonidum turba, favete sacris.
Hæc meruit, cum te terris, Lucane, dedisset,
Mixtus Castaliæ Bætis ut esset aquæ.

Dies revertitur celebrandus magno ortu Poëtæ Apollinei: O Musæ, estote propitiæ sacrificiis. O Lucane, cum Bætis te donasset orbi, hoc assecutus est ut misceretur undæ Castaliæ.

Turba favete.] Turba est nomen collectivum, quapropter verbum ponitur in plurali.
Bætis.] Cordubæ natus est Lucanus, quæ est ad Bætim Hispaniæ Bæticæ fluvium hodie *Guadalquivir*, qui fluvius inter fontes Musarum numeratur, quoniam tulit Poëtam Lucanum; de fonte autem Castalia jam sæpius dictum. *Hæc meruit.*] Alii sic explicant: Hæc dies vel propter te, ô Lucane, editum meruit, ut Bætis patrius Lucani fluvius numeraretur inter fontes Musarum. Judicet Lector.

De eodem ad Phœbum. XXII.

PHOEBE veni, sed quantus eras, cum bella canenti,
Ipse dares Latiæ plectra secunda lyræ.
Quid tanta pro luce precer? tu, Polla, maritum,
Sæpe colas, & se sentiat ipse coli.

O Apollo veni, at quantus eras, cum ipse bella cantanti concederes plectra secunda lyræ Latinæ. Quid optabo pro die tam memoranda? tu, ô Polla, crebro colas conjugem, atque ille intelligat se coli.

Veni.] Nempe ad hæc sacra, quæ facimus natalem Lucani diem celebrantes.
Bella canenti.] Alii *tonanti*.
Plectra secunda.] hoc est, cui Lucano tu ipse, ô Phœbe, secundam a Virgilio carminis epici gloriam concessisti.
Tu ô Polla.] Diu vivas, ut maritum sæpius colere possis.

Scazonta mittit ad Apollinarem. XXV.

APOLLINAREM conveni meum, Scazon,
Etsi vacabit, ne molestus accedas,
Hoc qualecumque, cujus aliqua pars ipse est,
Dabis; hoc facetum carmen imbuant aures,
Si te receptum fronte videris tota,
Noto rogabis ut favore sustentet,
Quanto mearum scis amore nugarum
Flagret: nec ipse plus amare te possum.
Contra malignos esse si cupis tutus,
Apollinarem conveni meum, Scazon.

O Scazon, adi meum Apollinarem: licet otiosus sit, ne importunus accedas, trades hoc qualecunque, cujus aliquam partem effecit ipse: aures illius emendent festivum hunc versum. Si videris te exceptum toto vultu, rogabis ut te ferat gratia solita. Tenes quanto ardeat studio mearum ineptiarum: nec ipse possum te diligere magis. Si vis esse securus adversus improbos, ô Scazon, adi meum Apollinarem.

Apollinarem.] doctissimum sane virum, de quo epig. 87. lib. 4. Scazon Iambus est claudicans; in sexto enim pede ponitur spondæus.

Etsi vacabit.] Tamen tempus maxime opportunum captabis. *Vacare.* Impersonale est hic. Virgilius lib. 2. Æneid.

Sed si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et vacet annales nostrorum audire laborum.

Cujus aliqua pars.] Nam nostri Poëtæ versus emendabat Apollinaris.

Hoc facetum.] Quomodo facetum, quod modo vocabat qualecunque? Cui modestiæ istud haudquaquam convenit scribe, *faceta*: aures *facetas* vocat ejus qui scit eleganter audire. Hæc Gronovius.

De apro sibi a Dextro misso. XXVI.

TUSCÆ glandis aper populator, & ilice multa
Jam piger Ætolæ fama secunda feræ,
Quem meus intravit splendenti cuspide Dexter,
Præda jaces nostris invidiosa focis.
Pinguescant madidi læto nidore Penates,
Flagret & exciso festa culina jugo.
Sed coquus ingentem piperis consumet acervum,
Addet & arcano mista Falerna garo.
Ad dominum redeas: noster te non capit ignis
Conturbator aper. vilius esurio.

O Aper vastator Tuscæ glandis, & jam piger multa ilice, fama proxima ab Ætola fera, quem interfecit Dexter fulgenti venabulo, procumbis præda odiosa nostris focis. Penates madidi pinguescant hilari nidore, & culina læta ardeat cæsis lignis. At coquus impendet ingentem cumulum piperis, atque adjunget Falerna mixta interiori garo. Revertaris ad dominum: O aper decoctor, non te capiunt nostri Lares. Fames mea constat vilioris.

De apro.] Legunt alii, *de apro a se occiso*, & in tertio versu *culter* pro *Dexter*; sed huic lectioni repugnat ultimum distichum: ad Dextrum enim suum amicum videtur remittere aprum, cui condiendo non sufficerent suæ opes. Alii, *ad aprum missum.*

Tusca glandis.] In agro nempe Tusco aper glandibus saginatus lente incedebat.

Ætola fama.] Hic scilicet aper proximus erat ab ingenti apro Calydonio, quem in Ætolorum agros immiserat irata Diana. Vide epig. 15. lib. Spect.

Præda jaces.] Alii *jacet invidiosa*, hoc est major quam ferat mea conditio.

 Madidi

Madidi lato.] Legunt alii *madido leti.* Alii *madido tetri.* Eligat lector. Penates vero dii sunt domestici sumpti pro ipsa domo. Sensus est, Lauta cœna instruatur.

Excisso jugo.] Montis nimirum, id est cæsa ligna largius reponantur super focum.

Addet & arcano.] hoc est meliori & interiori. De garo dictum epig. 93. lib. 6. Genus erat liquaminis, de quo iterum lib. 13. epig. 102.

> *Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo*
> *Accipe fastosum munera cara garum.*

Ad dominum.] Dextrum scilicet.

Noster te.] Nostra culina non habet unde te condiat; seu in quo apro condiendo conturbarentur & decoquerentur opes meæ.

Ad Fuscum cui librum emendandum mittens omnia fausta precatur. XXVII.

Sic Tiburtinæ crescat tibi silva Dianæ,
Et properet cæsum sæpe redire nemus.
Nec Tartessiacis Pallas tua, Fusce, trapetis
Cedat, & immodici dent bona musta lacus.
Sic fora mirentur, sic te pallatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores:
Otia dum medius præstat tibi parva December,
Exige, sed certa quos legis aure jocos.
Scire libet verum, res est hæc ardua, sed tu
Quod tibi vis dici, dicere, Fusce, potes.

Sic nemus Dianæ Tiburtinæ tibi augescat, & sylva excisa festinet crescere. Nec oleæ tuæ, ô Fusce, cedant prælis Baticis, atque ingentes cupæ præbeant bona musta. Sic fora mirentur, sic palatia commendent te, & multa palma exornent geminas fores: dum medius December concedit tibi brevem quietem, examina, sed aure attenta, ludos quos evolvis. Placet scire veritatem, hæc est res difficilis: at tu, ô Fusce, potes dicere quod cupis dici tibi.

Sic Tiburtinæ.] Tibure sylvam habebat iste Fuscus doctus sane caussidicus, quæ Dianæ utpote nemorum præsidis esse dicitur.

Nec Tartessiacis.] Pallas seu Minerva inventrix fuit olivæ pro qua & ipsa sumitur. Sensus est: nec tua oliveta cedant olivetis Bæticis: Bætis vero fluvius est Hispaniæ, hodie *Guadalquivir*, qui olim dictus est Tartessus, ad quem multæ sunt oleæ, & quidem optimæ: trapes autem, seu trapetum, est mola olearia, & sumitur pro ipso prælo.

Lacus.] Cupæ sunt in quas vinum prælis expressum labitur.

Sic fora mirentur.] Te agentem caussas.

Palatia laudent.] hoc est, Imperator ipse te laudet.

Excolat & geminas.] Solebant veteres palmis exornare fores caussidicorum, qui in caussis agendis vicissent. Juvenalis sat. 7.

> ——————— *ut tibi lasso*
> *Figantur virides scalarum gloria palmæ.*

Otia dum.] Saturnalium tempore a foro vacabant caussidici.

Exige.] hoc est diligenter examina. Alii *excipe.*

Scire libet.] Alii *ferre licet.* Fusci oratio esse videtur metuentis veritatem proferre, quæ sæpius odium parit.

Quod tibi vis.] Subjungit Poëta: Dic, ô Fusce, quod tibi in simili occasione dici velles.

Ad Testilum puerum. XXVIII.

Testile, Victoris tormentum dulce Voconî,
Quo nemo est toto notior orbe puer:

O Testile, suavis cura Voconii Victoris, quo nullus notior est toto orbe, sic quoque pulcher diligaris sensis crinibus, &

Sic

Sic etiam positis formosus amêre capillis,
Et placeat vati nulla puella tuo:
Paul sper domini de ctos sepone libellos,
Carmina Victori dum lego pauca tuo:
Et Mæcenati Maro cum cantaret Alexim,
Nota tamen Marsi fusca Melænis erat.

nulla puella grata sit tuo Poëta: aliquantum remove eruditos libros heri, dum lego paucos versus tuo Victori: cum Virgilius caneret Alexim ipsi Mæcenati, nihilominus fusca Melænis Marsi erat quoque nota.

Victoris.] Poëtæ qui Testilum suum puerum amabat.

Et Mæcenati.] De formoso Alexi, quem ardebat Virgilius, elegantissimam eclogam scripsit ad Mæcenatem, qui tamen non desinebat legere carmina Marsi Poëtæ Virgilio minus politi, quibus ille Marsus puellam suam & quidem fuscam celebrabat: ita, inquit Martialis, Voconius mea epigrammata suis versibus longe inferiora non aspernabitur.

XXIX.

Ad Regulum, cui empta in foro munera mittere se ait. XXX.

RAUCÆ cortis aves, & ova matrum,
Et flavas medio vapore Chias,
Et fœtum querulæ rudem capellæ,
Nec jam frigoribus pares olivas,
Et canum gelidis olus pruinis,
De nostro tibi rure missa credis.
O quam, Regule, diligenter erras.
Nil nostri nisi me, ferunt agelli.
Quidquid villicus Umber, aut colonus,
Aut Tusci tibi, Tusculive mittunt
Aut rus marmore tertio notatum;
Id tota mihi nascitur Subura.

Putas me tibi misisse de mea villa aves raucæ cortis, atque ova gallinarum, & ficus Chias flavas temperato calore, & rudem fœtum gementis capellæ, & olivas jam cedentes frigori, & brassicam canam pruinis frigidis. O Regule, quam data opera falleris. Agelli nostri nihil ferunt, nisi me. Quicquid villicus Umber, aut colonus, aut Tusci, aut Tusculi mittunt ad te, aut villa ad tertium lapidem; id mihi gignitur tota Subura.

Raucæ cortis.] propter raucum strepitum avium domesticarum, quas describit noster Poëta epig. 57. lib. 3.

Vagatur omnis turba sordida cortis
Argutus anser, gemmeique pavones, &c.

Et flavas medio.] hoc est ficus Chias moderato calore exsiccatas de quibus supra epig. 24. & epig. 23. lib. 13.

Et fœtum.] hoc est hœdulum de quo solicita est capella.

Nec jam.] nec olivas frigore constrictas.

Et canum gelidis.] hoc est, modo ex horto lectum, atque adhuc gelu constrictum.

O quam.] Dedita nempe opera erras fingens te nescire sterilissimum esse meum agellum. De Regulo dictum epig. 83. lib. 1.

Marmore tertio] hoc est rus ad tertium ab urbe milliare; singula enim milliaria lapidibus notabantur.

Nascitur Subura.] Regio urbis erat Subura, in qua hæc omnia vendebantur.

Ad Atticum
cujus exercitationem currendi laudat. XXXI.

ATTICE, facundæ renovas qui nomina gentis,
Nec finis ingentem conticuisse domum:
Te pia Cecropiæ comitatur turba Minervæ,
Te secreta quies, te sophos omnis amat.
At juvenes alios fracta colit aure magister,
Et rapit immeritas sordidus unctor opes.
Non pila, non follis, non te paganica thermis
Præparat aut nudi stipitis ictus hebes:
Vara, nec injecto ceromate brachia tendis:
Non harpasta vagus pulverulenta rapis:
Sed curris niveas tantum prope virginis undas,
Aut ubi Sidonio taurus amore calet.
Per varias arteis, omnis quibus area servit,
Ludere, cum liceat currere, pigritia est.

O Attice, qui revocas nomina familiæ diserta, nec pateris illustrem domum esse in oblivione; pia turba Minervæ Atheniensis tibi adhæret, quies seclusa te, omnis sapiens diligit te. At magister instituit alios juvenes aure fracta, atque avarus aliptes rapit immeritam pecuniam. Non pila, non follis, nec paganica præparat te ad balnea, vel retusus ictus nudi stipitis: nec tendis brachia vara injecto ceromate: nec incertus subripis harpasta pulverulenta: at solum curris juxta aquas niveæ virginis, vel ubi taurus uritur amore Sidonio. Inertia est ludere variis artibus quibus inservit area, cum fas sit currere.

Facundæ renovas.] Memoriam nempe Pomponii Attici, cujus vitam scripsit Cornelius Nepos, ad quem epistolae scripsit Cicero, quæ inscribuntur ad Atticum quem moribus & doctrina imitabatur hic Atticus.

Te pia.] hoc est, Græci Philosophi tibi semper adhærent. Cur Minerva Cecropia dicatur, vide epig. 40. lib. 1.

Te secreta quies.] hoc est, non agit caussas, nec ambis magistratus, sed remotus a turba operam das philosophiæ.

Fracta colit aure.] hoc est, Gymnasiorum exercitor alios juvenes magnis clamoribus instituit: vel *fracta aure* dixit, quod cum exercitor pugilatum doceret juvenes, eorum aures verberibus contundebat. Virgilius lib. 5.

——— *erratque aures, & tempora circum*
Crebra manus, duro crepitant sub vulnere malæ.

Vide Turnebum lib. 24. cap. 28.

Rapit immeritas.] hoc est, juvenes spoliat pecunia immerita quidem, quia operam illis non utilem impendit. Legit Turnebus lib. 24. cap. 28.

Et rapit innumeras sordidus unctor opes.

Judicet lector.

Non pila.] nempe trigonalis. De quatuor pilarum generibus, scilicet de trigonali, folli, paganica, & harpasto fuse diximus epig. 19. lib. 4.

Aut nudi stipitis.] In terram figebatur palus, contra quem tanquam adversarium se exercebant tyrones. Juvenalis sat. 6. vers. 247.

——— *aut quis non vidit vulnera pali*
Quem cavat assiduis sudibus scutoque lacessit.

Vara nec.] hoc est, nec luctaris: ita vero in lucta athletæ implicabant brachia, ut vara viderentur. Legunt alii *rara* minus bene. *Ceroma* autem erat unguentum ex oleo & luto confectum, quo ungebantur athletæ. Vide epig. 57. lib. 3.

Prope virginis undas.] Sensus est: Sed exerces te cursu ad aquam virginem, de qua epig. 21. lib. 5. Vel ad porticum Europes, ubi depictus erat Jupiter in taurum conversus, qualis per mare in Cretam vexit Europen filiam Agenoris, qui Sidonem condiderat.

Ludere, cum liceat.] His verbis omnibus aliis exercitationibus cursum anteponit.

In Cinnam, cujus ſordida toga fœdabat calceos albos. XXXII.

SORDIDIOR cœno cum ſit toga, calceus autem
Candidior prima ſit tibi, Cinna, nive:
Dejecto quid, inepte, pedes perfundis amictu?
Collige, Cinna, togam, calceus ecce perit.

O Cinna, cum habeas togam ſordidiorem luto, calceum vero candidiorem prima nive; ô demens, quid madefacis pedes veſte demiſſa? O Cinna, attolle togam, en calceus inquinatur.

Candidior.] Hinc colligere eſt, Romanos calceis albis uſos fuiſſe: hunc autem Cinnam toga ſordida indutum, & calceis albis utentem lepide irridet Poëta.

Ad Severum de balneis Charini. XXXIII.

QUO poſſit fieri modo, Severe,
Ut vir peſſimus omnium Charinus
Unam rem bene fecerit, requiris?
Dicam ſed cito, quid Nerone pejus?
Quid thermis melius Neronianis?
Non deeſt protinus ecce de malignis,
Qui ſic rancidulo loquatur ore,
Ut quid tu domini, deique noſtri
Præfers muneribus Neronianas?
Thermas præfero balneis cinædi.

O Severe, rogas qua ratione fieri poſſit ut Charinus homo omnium improbiſſimus recte egerit unam rem? Dicam, at breviter, quid improbius Nerone? Quid tamen *melius thermis Neronianis? En ſtatim adeſt* aliquis *ex malitioſis, qui ſic loquatur ore fœtido, Ut quid anteponis* thermas *Neronianas ædificiis Domini & Dei noſtri?* Ego *antepono* illas *balneis cinædi.*

Ut vir, peſſimus.] De quo homine impuriſſimo dictum epig. 39. lib. 4, licet improbiſſimus in gratiam populi, ut Nero thermas, ſic ille balnea extruxit nobiliſſima.

Rancidulo.] Metaphora ducta a cibo vitiato jam, & prope corrupto. *Rancidulum* dixit, hoc eſt os putidum & corruptum calumniis atque adulationibus.

Muneribus.] hoc eſt ædificiis quibus urbem decoravit Domitianus.

Thermas præfero.] Aliorum ædificia non antepono ædificiis Domitiani; ſed Neronia thermas balneis Charini præfero.

XXXIV.

Ad Stellam a quo veſtem petit. XXXV.

CUM pluvias, madidumque Jovem perferre negaret,
Et rudis hibernis villa nataret aquis,
Plurima quæ poſſet ſubitos effundere nimbos,
Muneribus venit tegula miſſa tuis.
Horridus ecce ſonat Boreæ ſtridore December:
Stella tegis villam, non tegis agricolam.

Cum rudis villa nequiret tolerare imbres & cœlum pluvium, atque inundaretur aquis hyemalibus, tuo dono multa tegulæ ad me allatæ ſunt, quæ poſſent emittere pluvias: en December horrens fremit ſtrepitu Aquilonis: O Stella, tegis villam, non tegis agricolam.

Cum

Cum pluvias.] Sensus epigrammatis est: O Stella, ut tuum munus omni ex parte absolutum sit, mitte togam qua tegar, quemadmodum tegulas misisti, quibus tegeretur mea villa.

Ad Castricum de theta
quod signum est mortis. XXXVI.

NOSTI mortiferum quæstoris, Castrice, signum?
Est operæ pretium discere theta novum.
Exprimeret quoties rorantem frigore nasum,
Lethalem juguli jusserat esse notam:
Turpis ab inviso pendebat stiria naso,
Cum flaret madida fauce December atrox.
Collegæ tenuere manus, quid plura requiris?
Emungi misero, Castrice, non licuit.

O Castrice, an tibi comperta est lethalis nota quæstoris? expedit discere theta inusitatum. Quoties emungeret nasum stillantem frigore, imperaverat esse mortiferum judicium juguli: turpis stiria pendebat ab odioso naso, cum sævus December flaret humida fauce. Collegæ cohibuerunt manus, quid rogas plura? O Castrice, infelix non potuit emungere se.

Mortiferum quæstoris.] Lege 2. ff. de origine juris officium quæstoris sic definitur. *Constituti sunt quæstores, qui pecuniæ præessent, & dicti sunt ab eo, quod inquirendæ & conservandæ pecuniæ caussa creati erant: & quia de capite civis Romani injussu populi non erat lege permissum Consulibus jus dicere, propterea quæstores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus præessent. Hi appellabantur quæstores parricidii*; de quibus agit Poëta. Theta vero signum erat mortis, quæ græce θάνατος dicitur.

Stiria.] Stilla est congelata; hîc significat gallice *roupie*.

Cum flaret.] Alii *floret*, alii *flaret*, prior lectio magis placet.

Collegæ tenuere.] Atque ita nasum emungere nequivit, quod signum esset hominis interficiendi.

De Polyphemo
servo, & Scylla serva miræ magnitudinis. XXXVII.

TANTUS es, & talis nostri, Polypheme, Severi,
Ut te mirari possit & ipse Cyclops:
Sed nec Scylla minor; quod si fera monstra duorum
Junxeris, alterius fiet uterque timor.

O Polypheme, nostri Severi tam magnus, & talis es, ut possis movere admirationem & ipsi Cyclopi: at nec Scylla minor: quod si junxeris sæva portenta amborum, sibi invicem incutient terrorem.

Nec Scylla minor.] Nimirum ipso Polyphemo conservo: tantæ ergo magnitudinis erant servus iste Polyphemus, & Scylla serva, ut & ipsi Cyclopi noto ex Theocrito, & Virgilio, admirationem movere possent; imo & alter alteri terrori esse posset. Legunt alii,

Sed nec Scylla minus.

Prior lectio placet Turnebo lib. 24. cap. 28. hoc est, nec Scylla servus, aut serva, ut sentiunt interpretes, minor est Polyphemo conservo. Quidam intelligunt duas fuisse statuas ingentis magnitudinis, sed intelligendum potius de duobus servis, ut opinor, tam deformibus & tam magnis, ut sibi invicem terrori esse potuerint.

De

De Cælio podagram fingente ne mane cogeretur salutem potentioribus nunciare. XXXVIII.

DISCURSUS varios, vagumque mane,
Et fastus, & ave potentiorum,
Cum perferre, patique jam negaret,
Cœpit fingere Cælius podagram.
Quam dum vult nimis approbare veram,
Et sanas linit, obligatque plantas,
Inceditque gradu laborioso,
Quantum cura potest, & ars doloris!
Desit fingere Cælius podagram.

Cum Cælius jam nollet pati & tolerare varios discursus, atque errores matutinos, & superbiam, & salutationes potentiorum; incepit simulare podagram, quam dum nimis cupit demonstrare veram, atque obluit, & illigat plantas sanas, atque ambulat incessu molesto, (ô quantum vales cura & ars doloris!) Cælius cessavit simulare podagram.

Vagumque mane.] De matutinis salutationibus dictum epig. 56. lib. 1.

Quantum cura.] Eadem usus est ironia epig. 22. lib. 5.

Desit.] Per contractionem pro *desiit*, nam re ipsa correptus est podagra.

Epitaphium patris Etrusci. XXXIX.

HIc jacet ille senex Augusta notus in aula,
Pectore non humili passus utrumque Deum:
Natorum pietas sanctis quem conjugis umbris
Miscuit: Elysium possidet umbra nemus.
Occidit illa prior viridi fraudata juventa;
Hic prope ter senas vidit Olympiadas.
Sed festinatis raptum tibi credidit annis,
Adspexit lacrymas quisquis, Etrusce, tuas.

Hic jacet ille senex cognitus in aula Augusta passus utrumque Deum corde non abjecto; quem pietas liberorum conjunxit sanctis manibus uxoris: umbra habitat in Elysio nemore. Illa prior interiit privata viridi juventute; hic fere vidit octodecim Olympiadas. At quisquis spectavit tuos fletus, ô Etrusce, putavit illum *tibi ablatum* fuisse *morte immatura.*

Hic jacet.] De Etrusco patre, & Etrusco filio dictum epig. 83. lib. 6.

Passus utrumque Deum.] Domitianum nempe propitium, atque adversum, qui iratus in exilium miserat Etruscum, placatus vero eundem revocaverat. Lib. 6. epig. 83.

Natorum pietas.] hoc est, eodem sepulchro conditus est cum uxore sua.

Possidet umbra.] Alii forte melius legunt *ambo* pro ambos, Etruscum scilicet, atque uxorem. Sic Virgil lib. 11.

Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros, &c.

Hic prope ter senas.] Poëta videtur sumpsisse Olympiadem pro lustro, seu quinquennio: Papinius enim lib. 3. in Sylva, quæ inscribitur, *Lacrymæ Etrusci*, sic de Etrusco canit:

Dextra bis octonis fluxerunt sæcula lustris,
Atque ævi sine nube tenor, &c.

Ex his versibus constat Etruscum feliciter egisse octoginta annos, antequam mitteretur in exilium. Ovidius etiam de Ponto lib. 4. Eleg. 6. Olympiadem sumpsit pro lustro:

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est
Jam tempus lustri transit in alterius.

Apud historicos vero Olympias accipitur pro quatuor annis integris, de quibus jam dictum supra. Si ergo Olympiadem pro quatuor annis acciperet, septuaginta annos circumcirca vixisset Etruscus, atque ita contra Papinium diceret Martialis.

Sed festinatis.] hoc est, ô Etrusce fili, licet

licet Etruscus pater tuus senior interierit, fato tamen immaturo abreptum tibi illum credidit, quisquis vidit tuos planctus. Legunt alii,

Raptum te credidit annis.

In hoc versu, Etruscum patrem, in ultimo Etruscum filium alloqueretur Poeta, ut aiunt. Melior longe mihi videtur prior lectio.

Ad Sempronium Tuccam, qui se cosmici nomine jactaret. XL.

COSMICOS esse tibi, Semproni Tucca, videris:
Cosmica, Semproni, tam mala, quam bona sunt.

O Semproni Tucca, credis te esse cosmicum: ô Semproni, cosmica aeque bona ac mala sunt.

Cosmicos.] κοσμικός, hoc est, mundanus. Hoc epigramma sic explicat Turnebus lib. 25. cap. 24. Credo, inquit, Sempronium voluisse videri Socratis, & philosophorum imitatorem, qui se mundanos dicebant, non alicujus certi definitique loci municipes: ac se mundanum esse respondit interroganti, cujas esset Socrates: Martialis autem qui mundum tantundem boni, quantum mali habere sciret, & multos intelligeret ambitioso philosophi nomine magna vitia occultare, cosmica & bona & mala esse dicit, ne eo nomine se Sempronius circumspiceret.

Ad Castricum cui se inferiorem fatetur & muneribus & carminibus. XLI.

MUNERIBUS cupiat si quis contendere tecum,
Audeat hic etiam, Castrice, carminibus.
Nos tenues in utroque sumus, vincique parati,
Inde sopor nobis, & placet alta quies.
Tam mala cur igitur dederim tibi carmina, quaeris?
Alcinoo nullum poma dedisse putas?

O Castrice, si quis velit certare tecum donis, hic quoque audeat versibus. Nos sumus mediocres in utroque, & prompti ad cedendum, hinc amo soporem atque otium nimium. Rogas, cur ergo dederim tibi tam malos versus? An credis Alcinoum a nemine accepisse poma?

Muneribus.] Hic Castricus & divitiis & doctrina abundavit, cui primas dat Poëta.
Tam mala.] Rationem reddit, cur ad Castricum versus miserit, quia, nempe, inquit, & Alcinoo Phaeacum regi in insula Corcyra hodie *Corfou*, cujus horti pomis nobilissimis abundarunt, aliquis forsan obtulit poma, & quidem suis longe inferiora. Hujus Alcinoi hortos describit Homerus 6. Odyss.

In Cinnam, vel cito dandum, vel cito esse negandum. XLII.

PRIMUM est, ut praestes, si quid te, Cinna, rogabo:
Illud deinde sequens, ut cito, Cinna, neges.

O Cinna, primum est ut des, si quid petam a te, deinde illud sequens, ut recuses sine mora.

Diligo

Diligo præstantem: non odi, Cinna, negantem.
Sed tu nec præstas, nec cito, Cinna, negas.

O Cinna, amo dantem, non odi recusantem. At tu, ô Cinna, nec das, nec recusas celeriter.

Primum est.] Vide epig. 20. & 30. lib. 6.

Ad Ovidium, de imagine Maximi Cæsonii. XLIII.

MAXIMUS ille tuus, Ovidi, Cæsonius hic est,
Cujus adhuc vultum vivida cera tenet.
Hunc Nero damnavit: sed tu damnare Neronem,
Ausus es, & profugi, non tua fata sequi.
Æquora per Scyllæ magnus comes exsulis isti:
Qui modo nolueras consulis ire comes.
Si victura meis mandantur nomina chartis,
Et fas est cineri me superesse meo:
Audiet hæc præsens, venturaque turba, fuisse
Illi te, Senecæ quod fuit ille suo.

Ovidi, hic est ille tuus Maximus Cæsonius, cujus faciem adhuc exprimit cera vivida. Damnatus est a Nerone, at tu ausus es condemnare Neronem, & sequi sortem exulis, non tuam. Tu potius comitatus es profugum per mare Siculum, qui paulo ante recusaras comitari illum *Consulem. Si nomina non peritura traduntur meis chartis, & licet me vivere superstitem meo cineri, præsentes & posteri scient hac, te illi fuisse, quod ille fuit suo Senecæ.*

Maximus ille.] In cera nempe ad vivum expressus Cæsonius, qui damnatus a Nerone in conjuratione Pisoniana, in exilium aut in Siciliam aut in Africam fuit missus. De eo Tacitus lib. 15. Annal.
Sed tu damnare.] Cum sponte tua Cæsonium ut innocentem secutus es.
Æquora per Scyllæ.] Scylla scopulus est in mari Siculo.
Consulis ire comes.] In Africam, quam paulo ante administraverat Cæsonius.
Senecæ quod fuit.] Hinc colligere est Cæsonium in Corsicam comitatum fuisse Senecam exulem.

Ad eundem de eadem imagine. XLIV.

FACUNDI Senecæ potens amicus,
Caro proximus, aut prior Sereno,
Hic est Maximus ille quem frequenti
Felix litera pagina salutat:
Hunc tu per Siculas secutus undas,
O nullis, Ovidi tacende, linguis,
Sprevisti domini furentis iras.
Miretur Pyladem suum vetustas,
Hæsit qui comes exsuli parentis.
Quis discrimina comparet duorum?
Hæsisti comes exsuli Neronis.

Potens amicus diserti Senecæ proximus Caro, aut prior Sereno, hic est ille Maximus, quem salutat felix epistola frequenti pagina: hunc tu comitatus per mare Siculum, Ovidi celebrande omnibus linguis, contempsisti furores domini irati. Antiquitas prædicet suum Pyladem, qui comitatus est exulem matris: quis conferat pericula amborum? Secutus es exulem Neronis.

Caro proximus.] In amore nempe erga Senecam. Carus autem & Serenus, & hic Maximus Cæsonius, Senecæ amicissimi fuerunt. Vide Senecæ epistolam 87.
Quem frequenti.] Ad quem Cæsonium toties scripsit Seneca. *Felix litera* dicitur, ut opinor, quod bearet ipsum Cæsonium.
Hunc tu.] Vide epigramma præcedens.

Domini.] Neronis.
Miretur Pyladem.] Qui se comitem adjunxit Oresti exulanti, ne a matre sua Clytemnestra, ut Agamemnon pater, interficeretur. Euripides in Oreste, & Sophocles in Electra. Deinde reversus matrem occidit, & rursum exulavit.
Duorum.] Pyladis nempe & Ovidii: ille enim Orestem secutus non tantum periculum expertus est, quantum adiit Ovidius damnatum a Nerone sævissimo tyranno Cæsonium comitatus.

Ad Priscum, ne munus sibi egenti promissum carminibus exornet. XLV.

COMMENDARE tuum dum vis mihi carmine munus,
Mæonioque cupis doctius ore loqui:
Excrucias multis pariter, me, teque diebus:
Et tua de nostro, Prisce, Thalia placet.
Divitibus poteris Musas; elegosque sonantes
Mittere: pauperibus munera pexa dato.

Dum vis versibus commendare mihi tuum donum, & cupis canere eloquentius Homero, & te & me similiter exanimas multis diebus: & tua Thalia, ô Prisce, tibi grata est cum nostro dispendio. Licebit mittere locupletibus Musas, atque elegos sonantes: largire egenis munera pexa.

Commendare tuum.] Dum enim carmina meditaretur Priscus, interim noster Poëta egebat.
Mæonio.] Cur Homerus vocaretur Mæonius dictum lib. 5. epig. 10.
Et tua de nostro.] Et tibi jucundum est meditari carmina cum meo damno: munus enim promissum non mittis. Turnebus lib. 24. cap. 28. legit, *Thalia tacet.* Quod enim, inquit, versus se scribere accuratos simularet Priscus, vel etiam meditaretur, nec interea dona remitteret: silentium ejus merito sibi conqueritur damnosum Martialis. Judicet lector.
Munera pexa.] Raderus vestem paxam intelligit. Vide epig. 58. lib. 2. Legunt alii *plana*, id est sine carminibus. Alii *plena*. hoc est, inquit Farnabius, quorum gratia non diminuitur mora.

Ad Licinium Suram, quem ex gravi morbo convaluisse lætatur. XLVI.

DOCTORUM Licini celeberrime Sura virorum,
Cujus prisca graves lingua reduxit avos;
Redderis heu quanto fatorum munere nobis,
Gustata Lethes pene remissus aqua!
Perdiderant jam vota metum, securaque flebat
Tristitia; & lacrymis jamque peractus eras.
Non tulit invidiam taciti regnator Averni,
Et raptas fatis reddidit ipse colos.
Scis igitur, quantas hominum mors falsa querelas
Moverit, & frueris posteritate tua.
Vive velut rapto, fugitivaque gaudia carpe:
Perdiderit nullum vita reversa diem.

O Licini Sura celeberrime hominum eruditorum, cujus antiqua lingua revocavit severos avos: heu quanto dono fatorum restitueris nobis fere remissus libata unda Lethes! Jam vota amiserant timorem, & mæror tutus lacrymabatur, & jam deploraveramus te. Rex silentis Orci non fuit par odio nostro, atque ipse restituit pensa erepta a fatis. Ergo novisti quantas querimonias hominum excitarit tuus interitus falsus, & frueris tua posteritate. Vive velut rapto, & percipe lætitiam fugacem: vita reddita nullam amiserit diem.

Licini.]

Licini.] Cujus mentionem facit Plinius junior epist. 30. lib. 4. *Attuli tibi*, inquit, nempe Licinio Suræ, *ex patria mea pro munusculo quæstionem altissimâ ista eruditione tua dignissimam.* Legunt alii,

——— *celeberrime, summe,*

quæ lectio non videtur bona.

Cujus prisca.] Cujus oratio gravitatem & mores antiquorum sapit.

Gustata Lethes. Lethe inferorum fluvius, hoc est, fere mortuus vitæ restitueris.

Vota metum.] Spe enim tuæ vitæ deposita jam desieramus timere, & certam tuam mortem lugebamus. Legunt alii,

——— *securaque flebant*
Tristia cum lacrymis, &c.

prior lectio mihi videtur melior, nisi forte melius legas,

——— *securaque flebam::*

nempe vota,

Tristitia, & lacrymis jamque peractus erat.

Regnator Averni.] Pluto.

Reddidit.] Parcis pensa restituit quæ a fatis ablata fuerant.

Frueris posteritate tua.] Ipse velut redivivus scis quam fueris carus nobis, tuis nimirum posteris, cum mortuum te credidimus.

Vive velut rapto.] hoc est, percipe voluptates perinde ac si ex rapto viveres. Vide epig. 16. lib. 1.

De Annio
cujus cœnam ambulatoriam damnat. XLVII.

CUM mensas habeat fere ducentas,
Pro mensis habet Annius ministros:
Transcurrunt gabatæ, volantque lances.
Has vobis epulas habete lauti.
Nos offendimur ambulante cœna.

Cum mensa prope ducenta sint Annio, sunt famuli loca mensarum: paropsides transcurrunt, & lances volant. O divites, servate vobis has dapes. Cœna ambulans lædit nos.

Fere ducentas.] Numerus est certus pro incerto.

Pro mensis.] hoc est, mensarum vicibus funguntur ipsi ministri cibos & opsonia in gabatis seu paropsidibus circumferentes, nec quicquam apponunt convivis. Turnebus lib. 25. cap. 24. sic explicat hos versus. Puto, inquit, ita intelligendum: suppetunt illi plurimæ mensæ ad ducentas, non tamen in ais opsonia reponit: sed eas semper servi gerunt, nec epulis frui possunt convivæ, ita ambulatoriam cœnam potius spectant, quam comedunt: cum ministri celeriter paropsides, & gabatas ante convivas præferant, &c. Mensas accipere videtur Turnebus pro gabatis ipsis, & lancibus.

Nos offendimur.] Quia ambulatoriis his epulis frui non possumus.

Ad Severum, cui munus mittit ex villa sua. XLVIII.

PARVA suburbani munuscula mittimus horti;
Faucibus ova tuis: poma, Severe, gulæ.

O Severe, mittimus exigua munuscula suburbani horti; ova tuis faucibus, poma gulæ.

Faucibus ova.] hoc est, quæ tuæ raucitati medeantur; poma autem, quæ palato grata sint, famemque stimulent.

Ad fontem Ianthidos. XLIX.

FONS dominæ, regina loci, quo gaudet Ianthis
Gloria conspicuæ, deliciumque domus:

O Fons dominæ, regina loci, quo delectatur Ianthis, decus, & voluptas splendida domus:

Cum

Cum tua tot niveis ornetur ripa miniſtris,
Et Ganymedeo luceat unda choro:
Quid facit Alcides ſylva ſacratus in iſta?
Tam vicina tibi cur tenet antra Deus?
Numquid nympharum notos obſervat amores?
Tam multi pariter ne rapiantur Hylæ?

cum tua ripa decoretur tot candidis famulis, atque aquâ ſplendeat choro Ganymedeo; quid agit Hercules ſacratus in iſta ſylva? quare Deus occupat tam propinquas tibi ſpeluncas? num cuſtodit cognitos amores Nympharum, ne tam multi Hylæ ſimiliter rapiantur?

Ianthis.] Vide epig. 47. lib. 6. epig. 14. ſupra.

Ad Urbicum, ut adeat Pompeium Auctum, ſi velit ſcire epigrammata, nec emere. L.

Mercari noſtras ſi te piget, Urbice, nugas:
Et laſciva tamen carmina noſſe libet:
Pompeium quæras, & noſti forſitan, Auctum,
Ultoris prima Martis in æde ſedet.
Jure madens, varioque togæ limatus in uſu,
Non lector meus hic, Urbice, ſed liber eſt.
Sic tenet abſentis noſtros, cantatque libellos:
Ut pereat chartis litera nulla meis.
Denique, ſi vellet, poterat ſcripſiſſe videri,
Sed famæ mavult ille favere meæ.
Hunc licet a decima (nec enim ſatis ante vacabit)
Solicites: capiet cœnulâ parva duos.
Ille leget, bibe tu: nolis licet, ille ſonabit:
Et cum jam, ſatis eſt, dixeris, Ille leget.

O Urbice, ſi tadet te emerè noſtras ineptias, & nihilominus placet tenere verſus laſcivos: quæras Pompeium Auctum, & forte noviſti, habitat in æde prima Martis ultoris. Imbutus juriſprudentia, atque exercitatus in vario uſu togæ, ô Urbice, hic non eſt meus lector, ſed liber. Ita ſcit & canit noſtros libros non præſentes, ut nulla ſyllaba deſit meis ſcriptis. Tandem ſi liberet, poterat videri compoſuiſſe: at ille mavult ſtudere meæ exiſtimationi. Potes hunc provocare a decima: (nec enim prius erit ipſi ſatis otii) exigua cœnula apponetur ambobus. Ille leget, tu pota: quamvis nolis ille recitabit: & cum jam dixeris, ſufficit: ille leget adhuc.

Ultoris prima.] Quam Marti bello Philippenſi pro ultione paterna ſuſcepto voverat Auguſtus. Suet. in Auguſto cap. 29.

Jure madens.] Alii intelligunt, coqui inſtar juſculo unctum fuiſſe hunc Auctum, cujus etiam toga, qua ad varios uſus uteretur, attrita eſſet, ego vero & juriſperitum fuiſſe, & ſtudiis pacis & vario cauſſarum genere exercitatum libenter dixerim. Vide epig. 68. infra, & epig. 40. lib 1.

Sic tenet abſentis.] Pro abſentes, ita & alii auctores locuti ſunt. Senſus eſt: ita ad unguem Pompeius Auctus tenet mea carmina, ut ea memoriter ſine ullo errore recitare poſſit. Heraldus mavult *abſentis* eſſe in genitivo, Martialia ſcilicet.

Licet a decima.] Prius enim propter ſua negotia non vacabat Auctus. Hora vero nona cœnare incipiebant antiqui. De horia dictum epig. 8. lib. 4. Senſus eſt: Si Auctum rogaveris ut mea carmina legat, te ad cœnam invitabit; & leget ad nauſeam uſque.

Ad

Ad Auctum, quod legeret Celeri ejus epigrammata. LI.

GRATUM eſt, quod Celeri noſtros legis, Aucte, libellos,
Si tamen & Celerem quod legis, Aucte, juvat.
Ille meas gentes, & Celtas rexit Iberos,
Nec fuit in noſtro certior orbe fides.
Major me tanti reverentia turbat: & aures
Non auditoris, judicis eſſe puto.

O Aucte, jucundum eſt quod recitas Celeri noſtros libros, ſi tamen & placet Celeri, quod recitas. Ille adminiſtravit meam nationem, & Celtas Iberos, nec fides ſanctior fuit in noſtro orbe. Major obſervantia in tantum virum terret me; atque exiſtimo aures eſſe judicis, non auditoris.

Quod Celeri.] De Aucto vide epigramma præcedens. Celeris vero mentionem facit Plinius junior lib. 4. epiſt. 11. qui ob Corneliam Veſtalem inceſti accuſatam in comitio virgis cæſus eſt: de quo ſane hic non loquitur Poëta, ſed de altero, qui præfectus fuit Hiſpaniæ patriæ Martialis. Celtæ autem Iberi ripas incolentes, dicti ſunt Celtiberi.

In noſtro orbe.] In Hiſpania patria mea, quæ mari & Pyrenæis montibus clauſa, quaſi orbis alter eſt

Non auditoris.] Nec enim auditorem tantum, ſed ut Celtiberorum, ſic & Muſarum judicem vereor Celerem. In ſuperiori verſu alii legunt *tanto* pro *tanti*.

In Umbrum, cujus munera Saturnalibus ſibi miſſa irridet. LII.

OMNIA miſiſti mihi Saturnalibus, Umber,
Munera, contulerant quæ tibi quinque dies:
Bis ſenos triplices, & dentiſcalpia ſeptem:
His comes acceſſit ſpongia, mappa, calix,
Semodiuſque fabæ cum vimine Picenarum,
Et Laletanæ nigra lagena ſapæ:
Parvaque cum canis venerunt cottana prunis,
Et Libycæ fici pondere teſta gravis.
Vix puto triginta nummorum tota fuiſſe
Munera, quæ grandes octo tulere Syri.
Quanto commodius nullo mihi ferre labore
Argenti potuit pondera quinque puer?

O Umber, Saturnalibus miſiſti ad me omnia dona, quæ acceperas quinque diebus. miſiſti duodecim triplices, & ſeptem dentiſcalpia: his adjuncta eſt ſpongia, mappa, calix, & ſemodius fabæ, cum ciſtella Picenarum olivarum, & nigra amphora ſapæ Laletanæ: atque exigua cottana acceſſerunt cum prunis canis, & teſta gravis pondere fici Libycæ. Credo omnia dona, quæ portarunt octo grandes Syri, vix valuiſſe triginta nummis. Quanto facilius ſervus potuit nullo labore ferre quinque libras argenti?

Miſiſti.] De Saturnalibus dictum epig. 85. lib. 5.

Bis ſenos triplices.] hoc eſt, duodecim pugillares: dicuntur autem triplices a tribus foliis: fiebant ex citro, ebore, &c.

Dentiſcalpia.] quibus dentes purgantur. Vide epig. 74. lib 6. & epig. 22. lib. 14.

Spongia.] ad tergendas menſas, epig. 144. lib. 14.

Semodiuſque.] epig. 46. lib. 4.

Et Laletana.] hoc eſt, vinum fæcis plenum ex Laletania in Hiſpania Tarraconenſi. *Sapa* proprie vinum eſt decoctum.

Cottana.] de quibus epig 28. lib. 13. & lib 4. epig. 89.

Et Libycæ fici.] Vide epig. 46. lib. 4.

Syri.] hoc eſt ſervi ex Syria.

Argenti pondera.] hoc eſt, quinque libras argenti.

In Nasidianum, cujus somniis quotidie turbabatur. LIII.

SEMPER mane mihi de me mera somnia narras,
Quæ moveant animum, solicitentque meum.
Jam prior ad fæcem, sed & hæc vindemia venit,
Exorat noctes dum mihi saga tuas.
Consumpsi salsasque molas, & thuris acervos:
Decrevere greges, dum cadit agna frequens.
Non porcus, non cortis aves, non ova supersunt.
Aut vigila, aut dormi, Nasidiane, tibi.

Semper mane exponis mihi mera somnia de me; quæ agitant atque angant mentem meam. Jam prior vindemia, sed & hæc redacta est ad fæcem, dum saga placat mihi tuas noctes. Exhausi & salsas molas, atque acervos thuris: greges diminuti sunt, dum crebra agna immolatur. Non porcus, non aves cortis, non ova restant. O Nasidiane, aut vigila, aut dormi tibi.

Semper mane mihi.] Ut munera captaret a Poëta, Nasidianus fingebat plena terroris somnia quæ aliquid mali portenderent Martiali: atque ab illo modo thus, modo vinum petebat ad ea placanda. Quid autem de somniis crediderint antiqui, vide Macrobium in Somnio Scipionis.

Jam prior.] Vinum superioris vindemiæ & hornotinæ jam consumptum est.

Exorat noctes.] id est, dum saga expiat infausta tua somnia.

Consumpsi salsasque.] In sacrificiis, quæ fiebant ad omen aliquod avertendum, antiqui adhibebant vinum, hostiam, thua, & salsas molas, id est far tostum & sale mixtum.

Aut dormi tibi.] hoc est, aut de te somnia tuo damno.

LIV.

Ad Rabirium architectum egregium. LV.

ASTRA polumque tua cepisti mente, Rabiri:
Parrhasiam mira qui struis arte domum.
Phidiaco si digna Jovi dare templa paravit,
Has petat a nostro Pisa tonante manus:

O Rabiri, mente tua complexus es cælum & sidera; qui ædificas domum Palatinam mirabili artificio. Si Pisa cogitavit extruere templa convenientia Jovi Phidiaco, postulet a nostro Tonante has manus Rabirii.

Astra polumque.] Sensus est: Palatium tam superbum Domitiano extruxerat Rabirius, ut cœlum ipsum mente concepisse videretur, ad cujus imaginem palatium illud ædificaverat. Rabirii rursus meminit lib. 10. epig. 71.

Parrhasiam.] id est Palatinam, in monte nempe Palatino, ubi Evander Arcas ex urbe Parrhasia primus domum extruxit. Sic interpretes hunc locum explicant Virg. lib. 11. Æneid.

——— *Parrhasio Evandro*
Armiger ante fuit.

Phidiaco si digna.] hoc est, Si Pisa urbs Peloponnesi ad fluvium Alpheum voluerit Jovi extruere templum dignum illo simulachro, quod ex ebore Phidias statuarius nobilissimus formavit, a Domitiano nostro Jove petat Rabirium.

Paravit.] Turnebus lib. 24. cap. 28. legit *parabit.*

De Achilla censum equestrem adepto. LVI.

CASTORA de Polluce Gabinia fecit Achillam:
Pyxagathos fuerat, nunc erit Hippodamus.

Gabinia ex Polluce fecit Achillam Castora, pyxagathos fuerat, nunc erit Hippodamus.

Gabi-

Gabinia.] Dives fœmina equeſtri cenſu donavit Achillam, ut eques fieret. Alludit autem ad illum verſum Homeri:

Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα:

hoc eſt, Caſtora equorum domitorem, & Pollucem pugnis fortem. Achillas ergo antea quidem pugil erat ſtrenuus: jam vero eſt equorum domitor: id eſt, eques factus eſt, & Gabiniam inibit. Lib. 3. epig. 90.

LVII.

De Cæciliano helluone. LVIII.

NON cœnat ſine apro noſter, Tite, Cæcilianus,
Bellum convivam Cæcilianus habet.

O Tite, Cæcilianus noſter non cœnat ſine apro: Cæcilianus habet egregium convivam.

1 *Sine apro.*] Unde Juvenalis ſatyra 1. verſ. 141.

——— *quanta eſt gula quæ ſibi totos*
Ponit apros, animal propter convivia natum, &c.

Aprum ergo ſibi ſoli apponebat Cæcilianus, quem facete ejus convivam appellat. Domitius tamen mavult de apro homine intelligere, cujus meminit Poëta lib. 10. epig. 15. Eligat lector.

Ad Jovem cujus ope indigere ſe negat, modo ſalvus ſit Domitianus. LIX.

TARPEÏÆ venerande rector aulæ,
Quem ſalvo duce credimus Tonantem,
Cum votis ſibi quiſque te fatiget,
Et poſcat dare, quæ dei poteſtis;
Nil pro me mihi Juppiter petenti,
Ne ſuccenſueris, velut ſuperbo.
Te pro Cæſare debeo rogare:
Pro me debeo Cæſarem rogare.

O colende gubernator aulæ Tarpeiæ, quem Tonantem putamus ſoſpite Imperatore, cum quilibet pro ſe te oneret votis, & petat ut concedas, quæ dii poteſtis: O Jupiter, ne iraſcaris mihi nihil poſcenti pro me, velut arroganti. Debeo orare te pro Cæſare: at debeo orare Cæſarem pro me.

Tarpeiæ.] hoc eſt Capitolii, in quo colebatur Jupiter.
Quem ſalvo.] quem Jovem deum credimus, ſalvo Domitiano. Sic epig. 1. lib. 5.
Quæ dei poteſtis.] Alii, *quæ dei poteſtas.* Idem eſt ſenſus.

Pro me debeo.] Poteſt enim Domitianus mihi ſuppeditare quæ ſunt neceſſaria. Turpis hæc eſt erga Domitianum adulatio; quaſi vero ille velut Deus potuiſſet Martialem tueri ab omnibus caſibus quibus obnoxia eſt humana vita.

Ad Cæſarem Domitianum de urbe laxata. LX.

ABSTULERAT totam temerarius inſtitor urbem,
Inque ſuo nullum limine limen erat.
Juſſiſti tenues, Germanice, creſcere vicos:
Et modo quæ fuerat ſemita, facta via eſt.
Nulla catenatis pila eſt præcincta lagenis:
Nec prætor medio cogitur ire luto.

Inconſideratus mercator occupaverat totam urbem, & nullum limen erat in ſuo limine. O Germanice, imperaſti laxari vicos anguſtos: & qui paulo ante trames fuerat, factus eſt via. Nulla pila eſt referta catenatis lagenis: nec prætor cogitur ambulare medio cœno.

Stringitur in densa nec cœca novacula turba,
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina servant:
Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.

Nec cœca novacula nudatur in frequenti turba, aut fumosa popina tenet totas vias. Tonsor, caupo, coquus, lanius manent domi suæ: nunc Roma est, nuper fuit magna officina.

Abstulerat totam.] Passim mercatores erant media via, ut vix locus esset ambulantibus per urbem; Domitianus vero, quem Germanicum ob devictos Germanos vocat, vicos laxari jussit. Institor is est qui in taberna mercibus vendendis præpositus est.

Inque suo.] hoc est, nullum ante ædes suas liberum euntibus per urbem transitum relinquebant mercatores.

Nulla catenatis.] Pilæ erant columnæ ad quas libri vendebantur. Horatius sat. 4. lib. 1.

> *Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos.*

Quibus etiam affixæ erant connexæ inter se lagenæ, signum nempe vini venalitii.

Nec prætor.] Vicis enim laxatis jam transitus liber est juxta tabernas.

Stringitur in densa.] hoc est, inquit Domitius, novacula non nudatur amplius media via; cellæ enim tonsoriæ media via collocatæ, uti & cauponum tabernæ dejectæ sunt, & jam tonsorea domi tondere coguntur. Raderus conjicit hoc referri posse ad sacculanos, qui media in turba marsupia exsecarent. *Cœca novacula* dicitur vel quod sit recondita theca sua, vel quod non videatur in turba, cum res brevis sit & exigua. Hic locus obscurus mihi videtur. Judicet lector.

Limina servant.] hoc est, hi omnes non extruunt amplius tabernas media via, sed domi suæ exercent suas artes.

Roma est.] Idem fere dixit epig. 2. lib. Spect. *reddita Roma sibi est*, quæ antea magna videbatur officina.

LXI.

De Silio primum caussidico, deinde Poëta. LXII.

PERPETUI nunquam moritura volumina Silî,
Qui legis, & Latia carmina digna toga;
Pierios tantum vati placuisse recessus
Credis, & Aoniæ Bacchica serta comæ?
Sacra cothurnati non attigit ante Maronis,
Implevit magni quam Ciceronis opus.
Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum:
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.
Postquam bis senis ingentem fascibus annum
Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit:
Emeritos Musis, & Phœbo tradidit annos:
Proque suo celebrat nunc Helicona foro:

O Lector, qui evolvis libros non perituros Silii non morituri, & versus dignos toga Latia; an putas Poëtam amavisse tantum recessus Musarum, & coronas Bacchicas comæ Aoniæ? non prius se tradidit sacris cothurnati Maronis, quam absolvit opus magni Ciceronis. Gravis hasta centum virorum hunc miratur adhuc; multi clientes hunc prædicant ore memori. Postquam duodecim fascibus administraverat ingentem annum, qui fuit sacer mundo vindicato in libertatem: *dedit emeritos annos Musis, & Phœbo: & nunc commendat Helicona pro suo foro.*

Perpetui.] De Silio Italico Poëta vide epig. 14. lib. 4. & epistolam 7. Plinii lib. 3.

Et Latia.] hoc est, inquit Domitius, digna rebus gestis Romanorum: Silius enim scripsit secundum bellum Punicum: Farnabius interpretatur carmina digna majestate Oratoris Romani, & Consulis; Raderus vero intelligit carmina tam egregia, quam natus in urbe Poëta scribere poterat: Silium enim natum in urbe *Italica* metropoli Pelignorum, ex qua dictus est *Italicus* affirmat. Secundum alios *Italica*, hodie *Sevilla la veja*, urbs fuit Hispaniæ Bæticæ, patria Silii Poëtæ. Legunt alii,

Latia

Latia carmina digna lyra.
Pieriis.] Vide epig. 77. lib. 1, Sensus est: Credisne Silium poëti tantum vacavisse?
Serta.] quibus more Bacchico caput coronant Musæ Aoniæ.
Cothurnati.] Propter carminum gravitatem. De cothurno lib. 5. epig. 31.
Implevit magni.] hoc est, non prius se Musis tradidit, quam Ciceronis opera implevisset legendo, & imitando.
Centum gravis hasta.] De centum virorum judicio vide epig. 38. lib. 6.
Hunc loquitur.] quos defendit clientes, illum prædicant.
Postquam.] Fuit consul eo anno, quo interfecto Nerone imperium assertum fuit in libertatem: idcirco annum illum vocat ingentem.
Emeritos.] id est accepta rude ex caussis forensibus, inquit Domitius.
Proque.] pro caussis agendis, jam Musis vacat.

In Cinnamum exulem, & olim tonsorem. LXIII.

QUI tonsor fueras tota notissimus urbe,
Et posthæc dominæ munere factus eques:
Sicanias urbes, Ætnæaque regna petisti,
Cinname, cum fugeres tristia jura fori.
Qua nunc arte graves tolerabis inutilis annos?
Quid facit infelix, & fugitiva quies?
Non rhetor, non grammaticus, ludive magister,
Non Cynicus, non tu Stoicus esse potes,
Vendere nec vocem Siculis, plausumque theatris,
Quod superest, iterum, Cinname, tonsor eris.

O Cinname, qui fueras tonsor celeberrimus tota urbe, & deinde factus eques dono dominæ; profectus es in urbes Siculas, & regna Ætnæa, cum vitares grave judicium fori. Qua arte nunc inutilis sustentabis graves annos? Quid agit otium miserum, & fugitivum? Tu non potes esse rhetor, nec grammaticus, aut ludimagister, nec Cynicus, nec stoicus, nec vendere vocem Siculis, & plausum theatris: quod reliquum est, ô Cinname, rursus eris tonsor.

Dominæ.] Amicæ nempe, quæ censu equestri Cinnamum donaverat.
Ætnæaque.] Ætna mons est Siciliæ.
Cum fugeres.] In jus enim vocatus Cinnamus Siciliam petiit, ut grave judicium fugeret.
Graves annos.] hoc est senectutem.
Fugitiva quies.] Qua frueris in tuo exilio.
Ludique Magister.] Literatorem intelligit Raderus: nam ut a rhetore, inquit, ad grammaticum, ita a grammatico ad literatorem descendit Poëta: hoc sensu ludimagister sumitur epig. 62. lib. 10. Lanistam interpretatur Domitius. Raderi explicatio mihi videtur melior.
Vendere nec.] Nec potes sollicitis reis verba vendere, hoc est, nequis esse caussidicus, epig. 16. lib. 5. Intelligunt alii de præcone: quod minus placet.
Plausumque.] hoc est nec histrio, nec citharœdus esse potes.

In Gargilianum a viginti annis litigantem. LXIV.

LIs te bis decimæ numerantem frigora brumæ,
Conterit una tribus, Gargiliane, foris,
Ah miser, & demens, viginti litigat annis,
Quisquam? cui vinci, Gargiliane, licet?

O Gargiliane, tribus foris una lis consumit te a viginti annis. Ah infelix & fatue, an quisquam litigat viginti annis? ô Gargiliane, cui fas est cedere?

Conterit una tribus.] De triplici foro legimus lib. 5. epig. 38.
Cui vinci.] Qui enim semel vincitur, plus lucri facit, quam si lite ad tot annos prorogata, tandem vincat adversarium.

De Labieno herede instituto. LXV.

HEREDEM Fabius Labienum ex asse reliquit:
Plus meruisse tamen se Labienus ait.

Fabius instituit heredem Labienum ex asse: nihilominus Labienus dicit plus se meruisse.

Ex asse.] Id est, heredem omnium bonorum: hereditas enim vulgo dividitur in 12. uncias quibus constat as.

Plus meruisse.] Labienus enim multis donis captaverat hereditatem Fabii decoctoris, atque ita heres institutus ex asse minus acceperat, quam donaverat. Sensus est: Labienus dicit se plus meruisse, hoc est, dignum esse majori præmio, cum intelligat Poëta, illum majori pœna esse dignum, qui malis artibus hereditatem Fabii captavisset.

LXVI.

Ad Rufum Instantium ne ejus epigrammata commendet socero suo. LXVII.

COMMENDARE meas, Instanti Rufe, Camenas
Parce precor socero, seria forsan amat.
Quod si lascivos admittit & ille libellos,
Hæc ego vel Curio, Fabricioque legam.

O Rufe Instanti, quæso ne commendes socero meas Musas, forte diligit graves versus. Quod si & libri jocosi placent ipsi, ego legam hæc vel Curio, vel Fabricio.

Instanti.] Socero, inquit Raderus: ego vero puto esse in vocativo & referri ad Rufum, cujus meminit Poëta lib.8. epig. 51. *Instanti litera Rufi.* & lib. 12. epig. 92.

Hæc ego.] Carmina legam viris vel gravissimis. Curius & Fabricius noti ex Livio & aliis, sumuntur pro viris gravissimis. Juv. sat.2.

Qui Curios simulant.

De Theophila ad Canium Poëtam. LXVIII.

HÆc est illa tibi promissa Theophila, Cani,
Cujus Cecropia pectora voce madent.
Hanc sibi jure petat magni senis Atticus hortus:
Nec minus esse suam Stoïca turba velit.
Vivet opus quodcumque per istas miseris aures:
Tam nec fœmineum, nec populare sapit.
Non tua Parthenis nimium se præferat illi,
Quamvis Pierio sit bene nota choro.
Carmina fingentem Sappho laudarit amatrix:
Castior hæc, & non doctior illa fuit.

O Cani, hæc est illa Theophila desponsa tibi, cujus mens imbuta est literis Græcis. Hortus Atticus magni senis jure vendicet hanc sibi; nec turba Stoica minus cupiat habere illam discipulam. Quodcunque opus subjeceris his auribus, non peribit: tam valet illa judicio nec muliebri, nec vulgari: Tua Parthenis ne nimis se anteponat illi, licet chorus Musarum bene noverit illam. Sappho amatrix commendaverit Theophilam *condentem versus: hæc fuit purior, nec illa fuit eruditior.*

Promissa Theophila.] Puella erudita sponsa Canii, de quo epig.20. lib. 3.

Cujus Cecropia.] hoc est, erudita literis græcis: hunc loquendi modum explicuimus lib. 1.

lib. 1. epig. 40. Alii *dote madent*.

Atticus hortus.] Sensus est: hanc sibi discipulam jure vendicet Plato, vel quilibet alius magister, qui philosophiam doceat in horto ab heroë Academo Athenis in usum scholæ consecrato. Sunt qui referant hunc hortum ad Epicurum, qui ut ait Raderus, hortum 80. minis emerat, & vixit nonaginta circiter annos, unde magnus senex dicitur. Judicet lector. Alii, *altus in hortis*.

Stoïca turba.] Theophilam expetant quoque Stoïci.

Non tua Parthenis.] Eruditam nescio quam poëtriam intelligere videtur.

Laudaris.] Vel *laudaret*: alii vero *laudavit*, hoc est, ipsa Sappho poëtria nobilis, cujus historia satis nota est, & cujus restant adhuc carmina aliis poëtis lyricis juncta, laudaret Theophilam. Amatricem vocat Phaonis scil. Lesbii juvenis forma egregia, a quo cum repulsam pateretur, se in mare præcipitem dedit.

Castior hac.] Theophila nimirum: *Non doctior illa*, Sappho scilicet.

LXIX.

De familia ficosa. LXX.

FIcosa est uxor, ficosus & ipse maritus:
Filia ficosa est, & gener atque socer:
Nec dispensator, nec villicus ulcere turpi,
Nec rigidus fossor, sed nec arator eget.
Cum sint ficosi pariter juvenesque senesque:
Res mira est, ficos non habet unus ager.

Conjux est ficosa, & ipse vir ficosus, filia est ficosa, & gener & socer, nec dispensator caret fœdo ulcere, nec durus fossor, at nec arator. Cum juvenes & senes sint æqualiter ficosi: mirum videtur, solus ager non habet ficos.

Ficosa est uxor.] Tota hæc familia turpi ulcere laborabat, quod ficum vocant medici. Vide epig. 66. lib. 1. & epig. 52. lib. 4.

Ficos non habet.] Ludit in ambigua significatione *fici*: hoc est, solus ager non habet ficos, vel ficus, poma nempe, epig. 66. lib. 1.

Ad Paullum assertorem suorum epigrammatum. LXXI.

GRatus sic tibi, Paulle, sit December:
Nec vani triplices, brevesque mappæ,
Nec thuris veniant leves selibræ:
Sed lances ferat, aut scyphos avorum,
Aut grandis reus, aut potens amicus:
Seu quod te potius juvat, capitque.
Sic vincas Noviumque, Publiumque
Mandris, & vitreo latrone clausos:
Sic palmam tibi de trigone nudo
Unctæ det favor arbiter coronæ,
Nec laudet Polybî magis sinistras.
Si quisquam mea dixerit malignus
Atro carmina quæ madent veneno,
Ut vocem mihi commodes patronam,
Et, quantum poteris, sed usque, clames,
Non scripsit meus ista Martialis.

O Paulle, sic December sit jucundus tibi: nec futiles triplices tibi donentur, & breves mappæ, nec leves selibræ thuris; at vel reus dives, vel potens amicus mittat lances aut pocula avorum: sive quod te delectat & tenet. Sic superes Novium & Publium clausos mandris & vitreo latrone: sic favor turbæ unctæ judex tibi addicat præmium de trigone nudo, nec magis commendes sinistras Polybii. Si quisquam malevolus dixerit esse mea carmina quæ perfunduntur atro veneno, ut concedas mihi vocem patronam, & clames, at semper, & quantum valebis: Meus Martialis non composuit ista.

Sit December] Saturnalia tibi sint fructuosa. Vide epig. 46. lib. 4. *Sic* bene vel male precandi formula.

Vani triplices.] pugillares nullius pretii, epig. 52. supra.

Sed lances.] epig. 47. supra.

Scyphos avorum.] hoc est pocula antiqua, & magni pretii.

Grandis reus.] cliens dives quem defendisti.

Noviumque Publiumque.] peritissimus nempe calculorum lusores. Calcagninus de calculorum ludo, sic calculos explicat: Quin & latronum, & canum nomine celebratos calculos agnosco: erant scilicet in abaco, quem & πλίνθιον vocaverunt, seu tu laterculum dixeris, regiones lineis distinctæ, has urbes nuncupabant. Erant hæ regiones plerumque quinque lineolis, transversariisque & decussationibus alternatim dimensæ quinque & viginti numero: singulis latrones quinque insidebant præter mediam, cui tantum quatuor tribuebantur: excubabant itaque utrinque latrones, seu canes mutuo discrete coloribus distincti & hostili animo insidiantes. Ea tota ludi ratio; ut si unus ex hostili agmine incomitatus deprehenderetur, ita ut circumveniri posset, captivus ex acie traheretur. Et paulo infra: *De calculis*, inquit, *meminit & Martialis*, lib. 14. epig. 20.

Insidiosorum si ludis bella latronum
Gemmeus iste tibi miles, & hostis erit.

& Ovidius de arte amandi:

Sive latrocinii sub imagine calculus ibit,
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

Nec tamen me præterit, sic pergit Calcagninus, gemmeos quin & vitreos a Martiale calculos appellari:

Sic vincas Novium, Publiumque
Mandris, & vitreo latrone clausos.

Mandras enim dictas puto, quas regiones Pollux vocat, & Eustathius: cum vero distincti forent suis coloribus calculi, & ex iis ille deperiret qui inter duos deprehensus facile circumveniri posset, hinc ab eodem Martiale dictum putamus:

Discolor hic gemino victus ab hoste perit.

Idem Calcagninus putat hunc calculorum ludum diversum esse a scapis, Gallice *Eschets*, quos alii latrunculos vocant.

De trigone nudo.] De hoc pilæ genere lib. 4. epig. 19. quem ludum nudi & uncti exercebant.

Polybi.] Lusoris sane periti sinistra non magis laudetur quam tua: Observa sinistram maxime usui fuisse in hoc ludo: vide epig. 46 lib 15.

Si quisquam.] Meo nomine famosa carmina ediderit, me ab hac calumnia defendas rogo.

Ad Maximum plures domos habentem. LXXII.

ESQUILIIS domus est, domus est tibi colle Dianæ,
Et tua patricius culmina vicus habet:
Hinc viduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ,
Inde novum, veterem prospicis inde Jovem.
Dic, ubi conveniam: dic, qua te parte requiram?
Quisquis ubique habitat, Maxime, nusquam habitat.

Habes ædes Esquiliis, habes ædes in colle Dianæ, & domicilium tibi est in vico Patricio: ex hac parte vides sacraria viduæ Cybeles, ex illa Vestæ, inde novum Jovem, inde veterem. Dic ubi conveniam, dic qua parte quæram te? Quisquis ubique habet domicilium, nullo in loco habet.

Esquiliis.] Vide epig. 23. una nempe erat urbis regio.

Colle Dianæ] hoc est monte Aventino ubi templum Dianæ, epig. 64. lib. 6.

Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.

Et tua patricius.] *Patricius vicus Romæ dictus, eo quod ibi patricii habitaverant, jubente Servio Tullio.* Festus.

Hinc viduæ Cybeles.] hoc est, matris deûm templum hinc vides. Viduam vocat propter Atym puerum mortuum, quem illa deperibat. Lipsius legit *hinc bivire*, propter Saturnum & Atym. Videat lector. De templo Cybeles & Vestæ dictum jam epig. 71. lib. 1.

Inde novum.] hoc est Capitolium novum & vetus.

Quisquis ubique.] *Nusquam est qui ubique est.* Senec. epist. 2.

Ad Mercurium pro Caro & Norbana votum. LXXIII.

CYLLENES, cœlique decus, facunde minister,
Aurea cui torto virga dracone viret:
Sic tibi lascivi non desit copia furti;
Sive cupis Paphien, seu Ganymede cales:
Maternæque sacris ornentur frondibus Idus,
Et senior parca mole prematur avus:
Hunc semper Norbana diem cum conjuge Caro
Læta colat, primis quo coiere toris.
Hic pius antistes sophiæ sua dona ministrat:
Hic te thure vocat fidus & ipse Jovi.

O diserte minister, gloria Cyllenis, & cœli, cui virescit virga aurea torto dracone: . . . . Idus materna decorentur frondibus sacris, atque avus senior prematur parvo pondere: Norbana cum Caro marito perpetuo celebret hunc diem, quo conjuncti sunt matrimonio. Hic pius sacerdos colit sapientiam, hic & ipse fidelis Jovi te invocat thure.

Cyllenes.] montis in Arcadia, ubi Maia a Jove compressa peperit Mercurium. *Aurea cui torto.*] Caduceum intellige, draconibus masculo & fœmina involutum. Hæc ad generationem spectare putabant Ægyptii; qua de caussa Mercurium invocat Poeta, ut Norbanæ & Cari nuptiis propitius sit. *Maternaque.*] Turnebus lib. 25. cap. 24. ait: De Mercurii natali & feriis intelligendum est, ut ostendit versiculus ille lib. 12. epig. 68.

Maia Mercurium creastis Idus.

Et senior parca.] Atlas scilicet Maiæ pater, qui cœlum humeris sustinere dicitur. *Hic pius.*] Carus nempe colit sapientiam & eloquentiam, cujus tu deus es. *Fidus & ipse Jovi.*] Domitiano nostro Jovi, quemadmodum & tu fidus es Jovi cœlesti.

LXXIV.

Ad Philomusum scurram. LXXV.

QUOD te diripiunt potentiores
Per convivia, porticus, theatra,
Et tecum, quoties ita incidisti,
Gestari juvat, & juvat lavari:
Nolito nimium tibi placere.
Delectas, Philomuse: non amaris.

Quod ditiores te rapiant in conviviis, deambulationibus, theatris, & gratum est, quoties sic occurristi, tecum gestari, & gratum est lavari: ne nimis tibi tribuas. O Philomuse, delectas, non diligeris.

Diripiunt.] hoc est, certatim invitant, ut alius huc, alius illuc te trahat. *Delectas.*] Ridiculus tuis dictis moves illis risum.

In Tuccam sordidum & avarum. LXXVI.

EXIGIS ut nostros donem tibi, Tucca, libellos.
Non faciam: nam vis vendere, non legere.

O Tucca, postulas ut dem tibi nostros libros. Non dabo; nam vis vendere, non legere.

In Papilum sibi parcum, sed erga alios magnificum. LXXVII.

CUM Saxetani ponatur cauda lacerti,
Et bene si cœnas, conchis inuncta tibi est:
Sumen, aprum, leporem, boletos, ostrea, mullos,
Mittis. habes nec cor, Papile, nec genium.

Cum cauda lacerti Saxetani apponatur tibi, si vero cœnas laute, conchis sine oleo: mittis sumen, aprum, leporem, boletos, ostrea, mullos. O Papile, nec tibi est cor, nec genius.

Cum Saxetani.] Piscis nempe vilissimi: *Saxetani a patria Batica* meminit Plinius lib. 32. cap. 11. & forte sic legendum.

Conchis inuncta.] Faba valde insulsa, nisi multo oleo perfundatur: inunctus tamen sumitur etiam pro uncto. Horatius:

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis.

Habes nec cor.] hoc est, stultus es: homo enim prudens cordatus dicitur.

Nec genium.] Cui non indulges: optimos enim cibos aliis mittis, tu vilissimos comedis, & cum foris lautus videri velis, domi labores inopia.

Ad Severum de vino consulari quod biberat. LXXVIII.

POTAVI modo consulare vinum.
Quæris quam vetus atque liberale?
Ipse consule conditum, sed ipse
Qui ponebat, erat, Severe, consul.

Paulo ante bibi vinum consulare, rogas ne quam antiquum, & nobile? Ipso consule conditum, at ipse, qui apponebat, ô Severe, erat consul.

Consulare vinum.] In hoc verbo ludit Poëta, nam consulare vinum, ut vulgo sumitur, vetus est vinum & quidem sæpe Opimianum, de quo epig. 27. lib. 1.

Ipso consule conditum.] Proindeque novum.

Ad Faustinum, ut libellos suos Marcellino mittat. LXXIX.

QUATENUS Odrysios jam pax Romana Triones
Temperat, & tetricæ conticuere tubæ,
Hunc Marcellino poteris, Faustine, libellum
Mittere. jam chartis, jam vacat ille jocis.
Sed si parva tui munuscula quæris amici
Commendare, ferat carmina nostra puer:
Non qualis Geticæ satiatus lacte juvencæ
Sarmatica gelido ludit in amne rota:

Quandoquidem pax Romana moderatur Odrysios Triones, & tristes tubæ siluere, ô Faustine, poteris mittere Marcellino hunc librum. Jam dat operam scriptis, & ludis. At si libet commendare exigua munuscula tui amici, puer ferat nostros versus: non qualis satiatus lacte juvencæ Geticæ ludit trocho Sarmatico in fluvio gelato: at roseus adoles-

Sed

Sed Mitylenæi roseus mangonis ephebus,
Vel non cæsus adhuc matre jubente Lacon:
At tibi captivo famulus mittetur ab Istro,
Qui Tiburtinas pascere possit oves.

...cens mangonis Mitylenæi, aut Lacedæmonius nondum verberatus, matre imperante. At remittet tibi servum a Danubio victo, qui possit pascere oves Tiburtinas.

Odrysios.] Vel *Othrysios*, ut scribunt alii: hoc est hyperboreos, Geticos, vide epig. 7. supra. *Triones*, id est ursam, epig. 58. lib. 6.

Hunc Marcellino.] Ad quem est epig. 25. lib. 6. victis autem Dacis, & Getis pax concessa fuerat.

Satiatur lacte.] Getarum enim & Sarmatarum pueri lacte vescebantur.

Sarmatica gelido.] Inculti quippe erant illi pueri, qui trocho luderent super glaciem fluminis frigore concreti. De trocho epig. 168. lib. 14.

Sed Mitylenæi.] Mitylene urbs est Lesbi insulæ, unde formosi pueri accersebantur.

Vel non cæsus.] Ad aram Dianæ pueros verberibus cædere solebant Lacedæmonii, ut ferendis laboribus illos assuefacerent. Plutarchus in Lycurgo.

Captivo Istro.] hoc est a Dacia devicta.

Qui Tiburtinas.] Tibure villam habebat Faustinus, lib. 4. epig. 57.

Ad Lausum de bono libro. LXXX.

TRIGINTA toto mala sunt Epigrammata libro:
Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.

Triginta sunt epigrammata mala toto libro: O Lause, si totidem sunt bona, libellus est bonus.

Triginta.] Carpit Lausum: qui forte in uno libro triginta epigrammata mala esse judicaret, & illum docet bonum nihilominus judicandum esse librum, modo totidem bona reperiantur, epig. 17. lib. 1.

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura
Quæ legis, hic aliter non fit, Avite, liber.

LXXXI.

De Eutrapelo tonsore lento. LXXXII.

EUTRAPELUS tonsor dum circuit ora Luperci,
Expingitque genas: altera barba subit.

Dum Eutrapelus tonsor circumit ora Luperci, atque expingit genas, altera barba succrescit.

Expingitque.] Scite radit, & pingit. Alii *expungit*, hoc est, pilos evellit: sed male, inquit Gruterus. Vide epig. 52. lib. 8.

Ad librum
quem mittit Cæcilio Secundo. LXXXIII.

DUM mea Cæcilio formatur imago Secundo,
Spirat & arguta picta tabella manu;
I liber ad Geticam Peucen, Istrumque tacentem:

Dum mea imago effingitur Cæcilio Secundo, & tabella spirat expressa manu perita: O liber, pete Geticam Peucen; & silentem Danubium: ille

Hæc

Hæc loca perdomitis gentibus ille tenet.
Parva dabis caro, sed dulcia dona sodali,
Certior in nostro carmine vultus erit,
Casibus hic nullis, nullis delebilis annis,
Vivet, Apelleum cum morietur opus.

Cæcilius regit hæc loca devictis populis. Donabis dilecto socio exigua munera, at grata: vultus erit certior in nostro versu. Hic vivet nullis casibus, nec ullis annis delebilis, cum peribit opus Apellis.

Dum mea] Raderus & Farnabius putant hunc Cæcilium esse Plinium Secundum qui Pontum & Bithyniam provincias obtinuit, ut patet ex ejus vita: quisquis tandem ille fuerit, imaginem nostri Poëtæ ad se mitti optaverat.

Ad Geticam Peucen.] Insulam nempe ad Danubii ostia, de qua epig. 6. supra. Getæ autem Danubii ostia incolebant.

Istrumque tacentem.] Vel quod undas placide volvat, vel quod frigore concrescat. Vide epig. supra. Legunt alii *Istrumque jacentem.*

Certior in nostro.] hoc est, versibus meis melius quam ullo penicillo exprimetur mea imago.

Hic.] In meis carminibus nullis casibus obnoxia erit imago.

Apelleum.] Vivent mei versus, cum opera Apellis pictoris nobilissimi peribunt. De quo Plinius lib. 35. cap. 10.

Ad Sabellum vanum Poëtam. LXXXIV.

QUOD non insulse scribis tetrasticha quædam,
Disticha quod belle pauca, Sabelle, facis,
Laudo, nec admiror. facile est epigrammata belle
Scribere: sed librum scribere, difficile est.

O Sabelle, laudo, nec admiror, quod non inepte componis quædam tetrasticha, quod bene condis pauca disticha. Nihil negotii est bene componere epigrammata; at operosum est componere libellum.

Sed librum.] In quo nempe conficiendo magna rerum varietate, & largo ingenii fonte opus est.

In Sextum avarum. LXXXV.

AD natalitias dapes vocabar,
Essem cum tibi, Sexte, non amicus.
Quid factum est, rogo, quid repente factum
Post tot pignora nostra, post tot annos,
Quod sum præteritus vetus sodalis?
Sed caussam scio, nulla venit a me
Argenti tibi libra postulati,
Nec levis toga, nec rudes lacernæ;
Non est sportula, quæ negotiatur;
Poscis munera, Sexte, non amicos;
Jam dices mihi, Vapulet vocator.

O Sexte, cum non uterer te familiariter, invitabar ad convivium natalitium. Post tot pignora amicitia, post tot annos, quid accidit, quasi, quid subito accidit, quod vetus sodalis sum præteritus? at teneo caussam, nullam misi ad te libram argenti postulati, nec tenuem togam, nec rudes lacernas. Non est sportula, quæ facit mercaturam: O Sexte, quæris dona, non amicos. Jam dices mihi, Vocator det pœnas.

Ad natalitias.] Natalem diem solenni convivio celebrabant antiqui, ad quod iste Sextus invitabat ignotos, a quibus scilicet munera acciperet.

Libra postulati.] Postulatum, vel pusulatum interpretatur Turnebus lib. 24. cap. 2. argentum purum, quodque pustulas & tumores habet. Argenti pustulati mentionem facit Suetonius in Nerone cap. 44. Legunt alii,

Argenti tibi libra postulanti.

Argenti pusulati fit mentio in lege 31. ff. Locati,

Locati, ad quam vide notas Gothofredi in verbo *pusulatum*. Cujacius lib. 7. observ. cap. 39. existimat, postulatum vel pustulatum, idem valere quod pusulatum, Gallice *argent de coupelle*.

Rudes lacerna.] Novæ, inquit Raderus, quæ togis injiciebantur.

Non est sportula.] Sed potius mercatura, cum sportulam gratis non des, sed ex ea majora te accepturum munera speres.

Vapulet vocator.] hoc est, Jam te mihi excusabis culpam rejiciens in eum servum, qui curam habet invitandi tuos amicos, quasi me oblivione præterierit. Legunt alii *Vah pudet, vocetur.*

De se, & aliorum deliciis. LXXXVI.

Si meus aurita gaudet lagopode Flaccus:
Si fruitur tristi Canius Æthiope:
Publius exiguæ si flagrat amore catellæ,
Si Cronus similem cercopithecon amat:
Delectat Marium si perniciosus ichneumon:
Pica salutatrix si tibi, Lause, placet:
Si gelidum collo nectit Glacilla draconem:
Luſciniæ tumulum si Thelesina dedit:
Blanda cupidinei cur non amet ora Labycæ,
Qui videt hæc dominis monstra placere suis?

Si Flaccus delectatur aurita lagopode, si Canius potitur Æthiope deformi, si Publius ardet amore parvæ Catellæ, si Cronus amat similem cercopithecon: si exitiosus ichneumon placet Mario: si tu, ô Lause, amas picam salutatricem: si Glacilla involvit collum frigido dracone: si Thelesina erexit tumulum philomelæ: qui cernit hæc monstra grata esse suis dominis, cur non amet os tenerum formosi Labycæ?

Gaudet lagopode.] Sensus totius epigrammatis est, si alii aves aut alii animalia amant, cur ego, inquit Poëta, non amabo formosum puerum. Lagopodem vero avem esse docet Plinius lib. 10. cap. 48. sic dictam a pedibus leporinis Horatius sat. 2. lib. 2. primam hic productam corripuit:

> *Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagois.*

Itaque Raderi & Farnabii judicio melius legit Scaliger *Glaucopide*, & interpretantur ululam, seu bubonem. Sic vero loquitur Scaliger lib. 4. Elegia 3. Proper tii. Primum lagopodem non esse auritam. Est lagopus quam perdicem albam Insubres vocant: deinde prima syllaba corripitur. Postremo avis illa est pulcherrima, ideoque non videtur inter monstra & portenta numeranda: cum tamen hoc agat Martialis, ut ostendat monstra placuisse illis viris, quos ordine recenset, at contra Glaucopis, seu bubo, & aurita est, & sane non inter venusta animalia enumeranda.

Tristi Canius.] De Canio Poëta Gaditano lib. 3. epig. 20. *tristi*, hoc est, atro, vel quia infausti ominis erat, si mane quis occurrisset Æthiopi. Juv. sat. 6. vers. 602.

Publius.] De Catella Publii. Vide epig. 110. lib. 1.

Cercopithecon.] Cercopithecus est caudatus, cætera simio similis, epig. 202. lib. 14.

> *Callidus emissas eludere simius hastas*
> *Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.*

Similem dixit an Æthiopi, an catellæ, an ipsi Crono similem dicat? Judicet lector.

Ichneumon.] Quem describit Plinius lib. 8. cap. 24. perniciosum dicit aspidi præsertim, & crocodilo, quibus est hostis infensissimus.

Pica salutatrix.] epig. 76. lib. 14.

Gelidum.] Æstivis enim mensibus dracones sinu gerebant, quibus & collum involvebant mulieres Romanæ, ut se refrigerarent.

Blanda cupidinei.] Cur mihi non liceat amare Labycam forma parem Cupidini.

De

De suis libris qui Viennæ legerentur. LXXXVII.

FERTUR habere meos, si vera est fama, libellos,
Inter delicias pulchra Vienna suas.
Me legit omnis ibi senior, juvenisque, puerque,
Et coram tetrico casta puella viro.
Hoc ego maluerim, quam si mea carmina cantent,
Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt.
Quam meus Hispano si me Tagus impleat auro,
Pascat & Hybla meas, pascat Hymettos apes:
Non nihil ergo sumus, nec blandæ murmure linguæ
Decipimur: credam jam puto, Lause, tibi.

Si fama est vera, pulchra Vienna dicitur habere meos libellos inter voluptates suas. Illic omnis senior, & juvenis, & puer, & puella pudica legit me coram marito moroso. Hoc mihi gratius est, quam si canant meos versus, qui potant aquas Nili *primo deprensi: quam si meus Tagus impleat me auro Hispano, & Hybla, & Hymettos pascant meas oves: Ergo sumus aliquid, nec fallimur sermone linguæ adulatoriæ: ô Lause, opinor, jam tibi adhibebo fidem.*

Pulchra Vienna.] Urbs est Galliæ ad Rhodanum, hodie *Vienne.*

Qui Nilum.] hoc est, remotissimi Æthiopes. De fontibus Nili dictum epig. 3. lib. Spect.

Et qui prima bibit deprensi flumina Nili.

Hybla.] Mons est Siciliæ apibus & melle abundans, ut & Hymettos mons Atticæ.

Blandæ murmure.] Alii *blanda munere.* Sensus est: Cum Viennæ legantur mei libri, credam tot in illis bona esse epigrammata, quot mala, atque adeo bonos esse, licet, ô Lause, aliter sentias. Vide epig. 80. supra.

Ad Rosam quam mittit Apollinari. LXXXVIII.

I Felix rosa, mollibusque sertis
Nostri cinge comas Apollinaris:
Quas tu nectere candidas sed olim,
Sic te semper amet Venus, memento.

Ito, ô Rosa fortunata, & delicatis sertis circumda capillos nostri Apollinaris: quos tu memento nectere canos at olim, sic semper placeas Veneri.

Apollinaris.] De quo epig. 87. lib. 4. Felicem rosam dixit, quod Apollinaris comas circumdatura esset.

Candidas sed olim.] hoc est, canas sed multis ab hinc annis. Sic optet Poëta diu vivere Apollinarem.

Amet Venus.] Cui dicata est.

Ad Criticum librum inæqualem bonum esse. LXXXIX.

JACTAT inæqualem, Matho, me fecisse libellum:

Matho prædicat me scripsisse librum inæqualem: si

Si

Si verum eſt, laudat carmina noſtra Matho.
Æquales ſcribit libros Calvinus, & Umber.
Æqualis liber eſt, Critice, qui malus eſt.

verum eſt, Matho commendat meos verſus. Calvinus & Umber componunt libellos æquales. O Cretice, æqualis eſt liber qui malus eſt.

Matho.] De quo jam dictum epig. 80. lib. 4.
Æqualis liber.] Malus eſt, quia, ut dixit Poëta epig. 17. lib. 1. in uno libro quædam ſunt bona, & quædam mediocria, plura vero mala: liber ergo æqualis malus eſt, quia Martialis judicio nunquam liber totus bonus eſt.
Critice.] Legunt alii *Cretice*, ut ſit nomen proprium.

X C.

In Baccharam non ſtantem ſuis promiſſis. XCI.

SI quid opus fuerit, ſcis me non eſſe rogandum,
Bis nobis dicis, Bacchara, terque die.
Appellat rigida triſtis me voce Secundus:
Audis, ſed neſcis, Bacchara, quid ſit opus.
Penſio te coram petitur clareque, palamque,
Audis, ſed neſcis, Bacchara, quid ſit opus.
Eſſe queror gelidaſque mihi, tritaſque lacernas:
Audis, ſed neſcis, Bacchara, quid ſit opus.
Hoc opus eſt, ſubito fias ut ſidere mutus,
Dicere ne poſſis, Bacchara, quid ſit opus.

O Bacchara, bis & ter die dicis nobis, Scis me non eſſe orandum, ſi quid opus fuerit. Secundus creditor *moroſus me vocat aſpera voce: Audis, ſed ignoras, ô Bacchara, quid ſit opus. Te præſente penſio petitur aperte & manifeſte. Auſcultas, at ignoras, ô Bacchara, quid ſit opus. Expoſtulo me habere lacernas leves, & laceras: auſcultas, at ignoras, ô Bacchara, quid ſit opus. Hoc opus eſt, ô Bacchara, repente elinguis evadas,* percuſſus *ſidere, ne proferre queas quid ſit opus.*

Appellat.] Creditor ſcilicet a me exigit fœnus.
Penſio.] Ædium nempe conductarum.
Fias ut ſidere.] Sideratio morbus eſt, quo læſæ arbores areſcunt: hinc ſiderationis nomen tranſlatum eſt ad hominem cujus corpus areſcit. Senſus eſt: Sidere percuſſa tua lingua areſcat. Idem dixit epig. 86. lib. 11.

Sidere percuſſa eſt ſubito tibi, Zoile, lingua.

Quid ſit opus.] Ne proferas hæc verba quibus circumvenis amicos, qui credunt te tuis promiſſis ſtaturum.

Ad Narniam urbem ne diutius detineat Quinctum. XCII.

NARNIA ſulphureo quam gurgite candidus amnis
Circuit, ancipiti vix adeunda jugo.
Quid tam ſæpe meum nobis abducere Quinctum
Te juvat, & lenta detinuiſſe mora?
Quid Nomentani cauſſam mihi perdis agelli,
Propter vicinum qui pretioſus erat?

O Narnia vix adeunda jugo ancipiti, quam cingit amnis albus ſulphureo gurgite: cur placet tam frequenter auferre nobis meum Quinctum, & detinere mora lenta? Cur facis damnum Nomentano meo agello, qui carus erat propter vicinum Quinctum*? At*

Sed

Sed jam parce mihi, nec abutere Narnia Quincto,
Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

jam ignosce mihi, ô Narnia; nec abutere Quincto. Sic fas sit tibi habere pontem perpetuum.

Narnia.] Umbriæ urbs, hodie *Narni*, quam cingit amnis *Nar* hodie *Negra*.
Ancipiti jugo.] hoc est gemino nempe jugo montis Apennini.
Abducere Quinctum.] Ovidium scilicet de quo epig. 44. lib. 10.
Caussam.] Hoc loco caussa sumitur, ut opinor, pro emolumento. Et sensus est: O Narnia, cur me privas emolumento agri mei Nomentani, in quo scilicet jam habitare nequeo propter absentiam Quincti. Domitius sic interpretatur: O Narnia, cur aufers caussam amandi illum recessum, & voluptatem quam ego percipiebam propter Quinctum vicinum. Judicet lector.
Perpetuo liceat] O Narnia, sic incolumis sis cum eximio tuo ponte, qui duos abruptos montes (quos anceps jugum vocat) subterlabente flumine jungebat.

De Papilo male olente. XCIII.

UNGUENTUM fuerat, quod onyx modo parva gerebat:
Olfecit postquam Papilus, ecce garum est.

Unguentum fuerat, quod paulo ante continebat exigua onyx: postquam Papilus odoratus est, ecce garum est.

Onyx.] hoc est vas unguentarium ex onyce factum.
Olfecit.] Papilus adeo male olebat, ut afflatu suo unguenta etiam nobilissima corrumperet.
Garum est.] Liquamen nempe piscium, de quo dictum epig. 93. lib. 6.

In Linum importunum basiatorem. XCIV.

BRUMA est, & riget horridus December,
Audes tu tamen osculo nivali
Omnes obvios hinc & hinc tenere,
Et totam, Line, basiare Romam.
Quid possis graviusque sæviusque
Percussus facere atque verberatus?
Hoc me frigore basiet nec uxor,
Blandis filia nec rudis labellis.
Sed tu dulcior, elegantiorque,
Cujus livida naribus caninis
Dependet glacies, rigetque barba,
Qualem forcipibus metit supinis,
Tonsor Cinyphio Cilix marito.
Centum occurrere malo cunnilingis:
Et Gallum timeo minus recentem.
Quare si tibi sensus est, pudorque:
Hibernat, Line, basiationes,
In mensem rogo differas Aprilem.

O Line, hyems est, & horridus December riget: nihilominus tu audes frigido basio hinc & hinc morari omnes occurrentes, atque osculari totam Romam. Quid læsus aut verberatus possis facere gravius aut acerbius? Hoc frigore nec conjux me osculetur, nec rudis filia teneris labris. At tu suavior atque ornatior tibi videris, ex cujus caninis naribus suspensa est glacies livida, & barba riget, qualem secat tonsor Cilix supinis forcipibus Cinyphio marito. . . . . & minus metuo gallum recentem. Quapropter si habes mentem & verecundiam; ô Line, oro rejicias oscula hyemalia in mensem Aprilem.

Dependet glacies.] hoc est stiria, gallice *roupie*.
Qualem forcipibus.] hoc est, qualem barbam habent hirci Cinyphii a Cilice Caprario tonsi.

tonsi. *Forcipibus supinis.*] hoc est acie erecta, & manubrio deorsum tendente. Cinyps, inquit Ortelius, fluvius est Africæ. Strabo lib. 17. scribit *Cinyphus*, ad quem magna est hircorum copia. Tamen videtur esse Ciliciæ fluvius, cum dicat Cinyphium maritum seu hircum a Cilice tonderi.

Gallum timeo.] Turnebus lib. 25. cap. 24. sic explicat hunc versum: Puto, inquit, significari malum odorem, quem corpore suo emittebant Galli Romam venientes, recentesque, cum intemperantius viverent, & labore itineris virus intemperantiæ augerent. An forte gallum sacerdotem Cybeles intelligit, cui recens castrato gravissima erat anima? An intelligit gallum Bæticum, de quo vid. epig. 80. lib. 3.

Epitaphium Urbici pueri. XCV.

CONDITUS hîc ego sum, Bassi dolor, Urbicus infans:
Cui genus, & nomen maxima Roma dedit.
Sex mihi de prima deerant trieteride menses;
Ruperunt tetricæ cum mala pensa deæ.
Quid species, quid lingua mihi, quid profuit ætas?
Da lacrymas tumulo, qui legis ista, meo.
Sic ad Lethæas, nisi Nestore serior, undas
Non eat, optabis quem superesse tibi.

Ego Urbicus infans, mæror Bassi, sepultus sum hîc, qui accepi ortum & nomen a maxima Roma. Sex menses mihi deerant de primo triennio, cum deæ severæ fregerunt mala pensa. Quid lingua, quid ætas profecit mihi? Tu qui legis ista, sparge lacrymas meo sepulchro. Sic quem cupies superesse tibi, non petat undas Lethæas nisi senior Nestore.

Cui genus.] hoc est, qui natus sum in urbe, atque ab ea nomen sumpsi: Urbicus enim dictus est hic puer.

Cum mala.] cum vitæ filum absciderunt Parcæ.

Quid lingua.] balbutiens adhuc.

Quid profuit ætas.] Tam tenera: etenim duos tantum annos & sex menses natus erat Urbicus cum mortuus est.

Non eat.] Non moriatur. Lethe inferorum fluvius est satis notus, Nestor vero diu vixit, de quo epig. 64. lib. 2.

Ad librum suum quem mittit Cæsio Sabino. XCVI.

NOSTI si bene Cæsium libelle,
Montanæ decus Umbriæ Sabinum,
Auli municipem mei Pudentis:
Illi tu dabis hæc vel occupato.
Instent mille licet, premantque curæ;
Nostris carminibus tamen vacabit.
Nam me diligit ille, proximumque
Turni nobilibus leget libellis.
O quantum mihi nominis paratur!
O quæ gloria, quam frequens amator!
Te convivia, te forum sonabit,
Ædes, compita, porticus, tabernæ.
Uni mitteris, omnibus legêris.

O Liber, si bene compertus est tibi Cæsius Sabinus, gloria montanæ Umbriæ, municeps mei Auli Pudentis: tu donabis hæc illi vel impedito. Quamvis urgeatur & prematur mille curis, nihilominus incumbet ad meos versus. Ille enim amat me, & leget secundum ab egregiis libellis Turni. O quanta fama manet me! quod decus! quam frequens amator! celebraberis in conviviis, in foro, in ædibus, in compitis, in porticibus, in tabernis. Mitteris uni, legeris ab omnibus.

Sabinum.] De quo Plinius junior lib. 4. epist. 10. & Martialis iterum epig. 59. lib. 9. De Aulo Pudente dictum epig. 32. lib. 1.

Turni.]

Turni.] Poëtæ cujusdam de quo lib. 11. epig. 11.
O quantum mihi.] Alii *tibi.*
Quam frequens.] hoc est, quam multi me amabunt.
Omnibus legeris.] Sabinus enim te omnibus commendabit, & legendum dabit.

Ad Castorem ementem quidlibet. XCVII.

OMNIA, Castor, emis: sic fiet ut omnia vendas.

O Castor, mercaris cuncta: sic continget ut vendas cuncta.

Ut omnia.] hoc est, cum præter facultates multa emas lauta & nitida, tandem urgente inopia cogeris omnia vendere. Turnebus lib. 25. cap. 24. ait se huic carmini appensum reperisse pentametrum in quodam codice:

Nil uxore tamen vendius esse potest.

Ad Crispinum quem rogat ut suum librum commendet Domitiano. XCVIII.

SIc placidum videas semper, Crispine, tonantem:
Nec te Roma minus, quam tua Memphis amet;
Carmina Parrhasia si nostra legentur in aula:
Namque solent sacra Cæsaris aure frui:
Dicere de nobis, ut lector candidus, aude,
Temporibus præstat non nihil iste tuis.
Nec Marso nimium minor est, doctoque Catullo.
Hoc satis est; ipsi cætera mando Deo.

O Crispine, sic semper spectes Jovem serenum; nec Roma diligat te minus quam tua Memphis: si versus nostri legentur in aula Palatina: namque solent pervenire ad sacras aures Cæsaris: aude, ut lector sincerus, affirmare de nobis, iste affert aliquod ornamentum tuo ævo. Nec nimis inferior est Marso, atque erudito Catullo. Hoc sufficit: commendo reliqua ipsi Deo.

Crispine.] De quo Juvenalis sat. 1. Is autem Ægyptius fuit, & multum gratia valuit apud Domitianum.
Tua Memphis.] Urbs Ægypti nobilissima, de qua epig 1. lib. Spect.
Parrhasia.] In Palatio Domitiani. Vide epig. 55. supra.
Aude.] hoc scilicet elogium mihi impertire. Legunt alii *audet.*
Nec Marso.] De his duobus Poëtis, qui epigrammata scripserunt, vide epig. 71. & 72. lib. 2.
Mando Deo.] Domitiano, cui curæ erit, laboris præmium mihi persolvere.

Ad Ponticum scurram. XCIX.

PONTICE, per reges discurris, & omnia lustras:
Magna quidem sequeris, Pontice, magnus homo es.
Pontice, si qua facis, sine teste facis, sine turba:
Non adhibes multos, Pontice, cautus homo es.
Pontice, te celebrem forma natura creavit:

O Pontice, discurris per ædes patronorum, & peragras cuncta: sane sequeris magna, ô Pontice, magnus homo es. Pontice, si agis aliquid, agis sine teste, sine multitudine: non adhibes multos, Pontice, homo es callidus. Pontice, natura produxit te spectabilem pulchritudine: dignus

Dignus

Dignus eras Helena, Pontice, pulcher homo es.
Pontice, voce tua posses adamanta movere:
Vox tua dulce sonat, Pontice, dulcis homo es,
Pontice, sic alios, sic te quoque decipit error:
Vis dicam verum, Pontice, nullus homo es.

eras Helena, Pontice, formosus es homo. Pontice, tua voce posses movere adamanta: vox tua suave sonat, Pontice, homo es suavis. Pontice, sic error fallit alios, sic te etiam: placet proferam veritatem? Pontice, nullus homo es.

Pontice.] Hoc epigramma pro legitimo non agnoscit Raderus, nec Farnabius, ut & duo sequentia. E veteri exemplari Anglicano transcripta sunt, quæ Martialis acumen parum sapiunt, ut ait idem Farnabius. Judicet lector.

Per reges.] per domos patronorum, quos salutes.

Sine teste facis.] Infandi sceleris Ponticum accusare videtur.

Nullus homo es.] hoc est nullius omnino pretii.

Ibidem de vetula deformi. C.

Tacta places, audita places. si non videare,
Tota places: neutro, si videare, places.

Grata es tactui & auditui: si non videaris, tota grata es: si videaris, neutro grata es.

Neutro.] hoc est, neque ex hac parte, neque ex illa: hoc est, nec tactum nec auditum delectas. Forte melius legeretur *nulli.*

Ibidem de Milone quo absente uxor mœchabatur. CI.

Milo domi non est: peregre Milone profecto
Arva vacant: uxor non minus inde parit.
Cur sit ager sterilis, cur uxor lactitet, edam:
Quo fodiatur ager non habet, uxor habet.

Milo non est domi: agri otiosi sunt Milone longe profecto: ideirco non minus uxor gignit. Dicam qua de caussa arva sint sterilia, qua vero de caussa uxor lactitet: ager non habet quo fodiatur, uxor habet.

Uxor lactitet.] hoc est, cur habeat ubera plena lactis, quo lactet infantem.

Quo fodiatur.] hoc est, ager non habet colonum, mœchum habet uxor.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER VIII.

Imperatori Domitiano Cæſari Auguſto, Germanico, Dacio, Valerius Martialis ſalutem dicit.


OMNES quidem libelli mei, Domine, quibus tu famam, id eſt, vitam dediſti, tibi ſupplicant: & puto propter hoc leguntur. Hic tamen, qui operis noſtri octavus inſcribitur, occaſione pietatis frequentius fruitur. Minus itaque ingenio laborandum fuit, in cujus locum materia ſucceſſerat, quam quidem ſubinde aliqua jocorum miſtura variare tentavimus; ne cœleſti verecundiæ tuæ laudes ſuas, quæ facilius te fatigare poſſunt, quam nos ſatiare, omnis verſus ingereret. Quamvis autem epigrammata ſeveriſſimis quoque, & ſupremæ fortunæ viris ita ſcripta ſint, ut nimiam verborum licentiam affectaſſe videantur: ego tamen illis non permiſi tam laſcive loqui, quam ſolent, cum pars libri & major & melior ad majeſtatem ſacri nominis tui allegata ſit. Meminerit non niſi religionis purificatione luſtratus accedere ad templa debere. Quod ut cuſtoditurum me lecturi ſciant, in ipſo libelli hujus limine profiteri breviſſimo placuit epigrammate.

Omnes quidem libelli mei, Domine, quibus tu paraſti nomen, hoc eſt vitam, proſternunt ſe tibi: & credo evolvuntur propter hanc cauſſam. Nihilominus hic qui inſcribitur octavus noſtri operis, ſæpius celebrat tuam pietatem. Quapropter minus laborandum fuit ingenio, in cujus locum ſuffecta erat materia. Quam quidem identidem diſtinguere aliquibus admixtis ſalibus conati ſumus, ne omnia carmina renovarent divino tuo pudori memoriam ſuorum præconiorum, quæ poſſunt facilius afferre tibi tædium, quam nobis ſatietatem. Licet autem viri etiam graviſſimi, & ſupremæ fortunæ ita fecerint epigrammata, ut videantur affectaſſe nimiam licentiam verborum: nihilominus ego non conceſſi illis loqui tam libere, quam ſolent, cum pars libri & major & melior dirigatur ad majeſtatem ſacri tui nominis. Recordetur non debere adire templa niſi purgatus luſtratione religionis. Quod me obſervaturum ut teneant lectores, placuit id polliceri breviſſimo epigrammate in ipſo principio hujus libri.

Dacio.]



VII *Lib.* 31 *epigr.* 3 *verſ.*
Cecropia Minerva] Atticæ; quam frequentem vides in Athenienſium *Num.* apud *Goltzium*, *Græc.* 14 *Tab.*



VIII *Lib.* 65 *epigr.* 8 *verſ.*
Arcus] Cui impoſita Domitiani ſtatua, in curru triumphali ab elephantis tracto. Hic & in ejus *Nummo*, apud Oudanum.



VII *Lib.* 72 *epigr.* 1 *verſ*
Diana] Quæ in *Num.* venatrix, tædifera mammarumve fere informis.



VIII *Lib.* 66 *epigr.* 3 *verſ.*
Faſces] Faſcigeri lictores ſæpius in marmore, rarius, in *Nummo*. Inſpice *Denarium* Iuniæ gentis, apud *Patini Fulv. Urſinum.*



VIII *Lib.* 65 *epigr.* 1 *verſ.*
For... Reducis] Quæ in Auguſtorum; b expeditione bellica redeuntium, *Nummis* equeas.



VIII *Lib.* 6 *epigr.* 13 *verſ.*
Dido] Quæ ſæpenumero in Tyriorum Sidoniorumque *Numis.*

Dacio.] Alii *Dacico*: sæpius supra de his nominibus actum. Hunc vero librum in quo nullam fore verborum licentiam promittetur, Domitiano dedicat: omnes autem libros suos victuros sperat, quod illius nomen celebrent.
Occasione pietatis.] Argumentum hic liber petit a tua pietate, atque a tuis victoriis, &c.
In cujus locum.] Amplæ quippe materiæ verba non desunt.
Et suprema fortuna.] Alii *summa*, Quos viros enumerat Plinius junior lib. 5. epist. 3. dum ostendit epigrammata quidem lasciva, sed gravissimorum virorum exemplo scripsisse se.
Nimiam verborum.] Alii legunt *mimicam*, alii *mimam*.
Tamen illis.] Epigrammatibus nempe, quibus conveniunt lasciviæ.
Non nisi.] Deus enim est Domitianus, epig. 8. lib. 5. Deos vero adire non licet nisi purgato. Legunt alii, *Non nisi religiosa purificatione.*

Ad librum suum,
ut verborum simul & rerum verecundiam discat. I.

LAURIGEROS domini liber intrature Penates,
Disce verecundo sanctius ore loqui.
Nuda recede Venus: non est tuus iste libellus.
Tu mihi, tu Pallas Cæsariana veni.

O Liber ingressure Laureatam domum domini, disce loqui castius ore pudico. Nuda Venus remove te, iste liber non tibi dicatur. Tu, ô Pallas Cæsariana, tu accede ad me.

Laurigeros.] hoc est, victricem Domitiani domum, ille enim lauream Jovi Capitolino de Sarmatis retulit. Suetonius in Domit.
Nuda recede Venus.] hoc est, nimia verborum licentia & lascivia.
Tu Pallas.] Quam scilicet mira superstitione coluit Domitianus. Suetonius in ejus vita cap. 15. Ab hoc autem libro removet Venerem lasciviæ deam, Minervam pudicitiæ patronam invocat, quod Domitiano dicatus sit hic liber.

Ad Janum
obstupescentem viso Domitiano Sarmatarum victore. II.

FASTORUM genitor, parensque Janus,
Victorem modo cum videret Istri,
Tot vultus sibi non satis putavit,
Optavitque oculos habere plures,
Et lingua pariter locutus omni,
Terrarum domino, deoque rerum,
Promisit Pyliam quater senectam;
Addas Jane tuam pater rogamus.

Cum paulo ante Janus fastorum parens & pater spectaret victorem Danubii, non credidit sufficere sibi tot vultus, atque expetiit habere plures oculos, & simul omni lingua locutus; pollicitus est domino orbis, & deo rerum quater senectutem Nestoris; O Jane pater, obsecramus adjungas tuam.

Fastorum genitor.] Fasti sunt libri qui singulorum annorum gesta continent, quorum patrem Janum dicit, quia ille, ut dicit infra epig. 8. principium dat velocibus annis. Fuit autem Janus rex Italiæ antiquissimus, cui mortuo atque inter deos relato primus anni mensis dicatus est.
Victorem Istri.] id est, Sarmatarum incolentium ripas Danubii seu Istri.
Tot vultus.] Janum bifrontem, alii quod annum elapsum respiciat, incipientem vero prospiciat; alii quadrifrontem dixere, propter quatuor anni tempestates, aut quatuor elementa. Lege Ovidium primo fastorum.
Optavitque oculos.] His verbis vehemens videndi Cæsaris desiderium exprimit Poëta.
Pyliam senectam.] De ætate Nestoris egimus

egimus supra. Ovidius in epistola I.

Nos Pylon, antiqui Neleia Nestoris arva

Misimus. ———

Addas tuam.] immortalem nempe: Janus enim utpote Deus immortalis est.

Ad Musam, a qua incitatum se fingit ad scribenda adhuc epigrammata. III.

QUINQUE satis fuerant, vel sex, septemque libelli,
Et nimium: quid adhuc ludere Musa juvat?
Sit pudor, & finis, jam plus nihil addere nobis
Fama potest: teritur noster ubique liber.
Et cum rupta situ Messalæ saxa jacebunt,
Altaque cum Licini marmora pulvis erunt:
Me tamen ora legent, & secum plurimus hospes
Ad patrias sedes carmina nostra feret.
Finieram, cum sic respondit nona sororum,
Cui coma, & unguento sordida vestis erat.
Tune potes dulces, ingrate, relinquere nugas?
Dic mihi, quid melius desidiosus ages?
An juvat ad tragicos soccum transferre cothurnos,
Aspera vel paribus bella tonare modis,
Prælegat ut tumidus rauca te voce magister,
Oderit & grandis virgo bonusque puer?
Scribant ista graves nimium, nimiumque severi,
Quos media miseros nocte lucerna videt.
At tu Romano lepidos sale tinge libellos:
Agnoscat mores vita, legatque suos.
Angusta cantare licet videaris avena,
Dum tua multorum vincat avena tubas.

Quinque libri, vel sex, & septem satis superque erant, & quidem nimis: O Musa, quid placet jocari adhuc? Sit verecundia & terminus? fama jam nihil amplius potest adjungere nobis: noster liber attrectatur ubique. Et cum saxa Messalæ fracta situ eversa erunt, & marmora excelsa Licini redigentur in pulverem: nihilominus legar ab hominibus, & multi peregrini secum portabunt nostros versus in patriam. Dixeram, cum sic reposuit nona sororum, quæ habebat cæsariem & vestem sordidatam unguento: O immemor, potesne tu missas facere suaves ineptias? Dic mihi quid tu otiosus facies melius? An placet transferre soccum ad cothurnos tragicos, aut paribus metris tonare acerba bella, ut turgidus magister prælegat te rauca voce, & adulta puella oderit, & bonus puer? Nimis graves, & nimis austeri componant ista, quos media nocte infelices spectat lucerna. Sed tu imbue festivos libros sale Romano: vita intelligat & legat suos mores. Quamvis videaris canere tenui avena, modo tua avena superet tubas multorum.

Ad Musam.] Inscribunt alii, *De suo epigrammatum scribendorum studio.*

Vel sex.] Alii,

——*nam sex, septemve libelli*

Est nimium ———

Messala saxa.] hoc est, tumuli lapidei & marmorei citius peribunt quam mei versus. epig. 2. lib. 10.

Marmora Messalæ findit caprificus.

Quintilianus lib. 10. *Messala nitidus, & candidus, & quodammodo præ se ferens in dicendo nobilitatem suam*, quem & disertum vocat Horatius de Arte poëtica.

Cum Licini.] hoc est, cum jacebunt marmoreæ ædes, aut potius marmorea sepulchra Licini, de quo lib. 2. epig. 32. & Senec. epist. 120. Fuit autem Licinus libertus Augusti ditissimus, de quo illud distichum:

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompeius nullo: quis putet esse deos?

Nona sororum.] Thaliam intelligunt interpretes, cum illam unguento sordidam dicat Poëta: etenim ante cœnam ungebantur antiqui; Thalia vero, inquiunt Raderus & Farnabius, apta erat conviviis.

Ad tragicos.] Soccus comœdorum erat proprius, cothurnus tragœdorum, epig. 20. lib. 3. Hoc est, An placet missos

tacere

facere versus leviores, graves scribere.
Tonare modis.] heroicis versibus arma canere.
Prælegat.] ut hodie in scholis Virgilius, Homerus, & alii præleguntur. Alii *perlegat.*
Oderit & grandis.] Hinc liquet & ipsas puellas olim legendis, & memoriter discendis auctoribus operam dedisse, quæ cum aliquando vapularent, quod versus memoriter non tenerent, ipsis libris irascebantur, quos etiam lacerabant.
Lucerna videt.] Noctu ad lucernam opera sua componebant graves auctores. Juvenalis sat. r.

Hæc ego non credam Venusina digna lucerna?

Notum est hoc verbum, τὴν λύχνον ὄζει, Latine, lucernam olet de sermone multo studio elucubrato.
Agnoscat.] hoc est, homines meis in libris agnoscant sua vitia & suas virtutes.
Angusta avena.] Licet tenues & leviores videantur tui versus.
Dum tua.] hoc est, modo plus laudis consequaris quam Poëtæ heroici, epig. 49. lib. 4.

Ad Cæsarem Domitianum cui deos & homines gratulari de reditu dicit. IV.

QUANTUS io Latias mundi conventus ad aras
Suscipit, & solvit pro duce vota suo!
Nam non hæc hominum, Germanice, gaudia tantum,
Sed faciunt ipsi nunc puto sacra dei.

Quantus io concursus ex orbe toto nuncupat, & solvit vota ad altaria Romana pro suo Imperatore! Soli enim homines, ô Germanice, non lætantur; at, opinor, ipsa & Numina dant operam rebus divinis.

Suscipit.] In venturum annum, & solvit suscepta anno elapso pro incolumitate Domitiani reversi ex Sarmatia. Idem argumentum est lib. 10. epistolæ 44. Plinii junioris ad Trajanum. Vide Suetonium in Caligula cap. 14.
Nam non.] Alii *non sunt.*
Sed faciunt ipsi.] hoc est, ipsi dii quibus tot templa erexisti, & quos tam assidue colis, lætantur de tuo adventu. Vide epig. 4. lib. 9.

Ad Macrum luxuriosum. V.

DUM donas, Macer, annulos puellis,
Desisti, Macer, annulos habere.

O Macer, dum das annulos puellis: ô Macer, desiisti habere annulos.

Puellis.] Alii *amicis*, hoc est meretricibus.
Desisti.] hoc est, desiisti esse eques. Annulus enim equitum erat insigne; equites vero qui patrimonium dilapidaverant, annulos equestres deponere cogebantur.

In Euctum poculorum suorum ostentatorem. VI.

ARCHETYPIS vetuli nihil est odiosius Eucti.
Ficta Saguntino cymbia malo luto.
Argenti fumosa sui cum stemmata narrat
Garrulus, & verbis mucida vina facit.
Laomedonteæ fuerant hæc pocula mensæ,

Nihil est molestius archetypis senioris Eucti. Cymbia plus mihi placent formata ex luto Saguntino. Cum loquax refert fumosa stemmata sui argenti, & vina contrahunt mucorem ex verbis ejus. Hæc pocula, inquit, apposita fuerant mensæ Laomedontis, ut hæc conse-

Fer-

Ferret ut hæc, muros ſtruxit Apollo lyra.
Hoc cratere ferox commiſit prælia Rhætus
Cum Lapithis: pugna debile cernis opus.
Hi duo longævo cenſentur Neſtore fundi:
Pollice de Pylio trita columba nitet.
Hic ſcyphus eſt, in quo miſceri juſſit amicis
Largius Æacides, & bibit ipſe merum.
Hac propinavit Bytiæ pulcherrima Dido,
In patera Phrygio cum data cœna viro eſt.
Miratus fueris cum priſca toreumata multum,
In Priami cyathis Aſtyanacta bibes.

quereretur, Apollo lyra ædificavit mœnia: vehemens Rhætus hoc cratere pugnavit cum Lapithis: vides opus comminutum illo *certamine. Hi duo fundi æſtimantur ſenis Neſtoris cauſsâ: columba fulget attrectata manu Pylia. Hic eſt ſcyphus, in quo Achilles imperavit plenius infundi amicis, & ipſe potavit merum. Formoſiſſima Dido in hac patera propinavit Bytiæ, cum cœna data eſt Phrygio marito. Cum multum miratus fueris antiqua toreumata, potabis Aſtyanacta in cyathis Priami.*

Archetypis.] Archetypa pocula intellige vetuſtiſſima & primi exemplaris.

Saguntino.] Fictiles cyathos interpretare ex argilla Saguntina, vide epig. 46. lib. 4. *Cymbia* vero, inquit Macrobius Saturn. lib. 5. cap. 21. ſunt *pocula a cymba dicta: quod & apud Græcos, & apud nos ab illis trahentes, navigii genus eſt*, &c.

Fumoſa ſui.] Alii legunt *furioſa*. Sed placet prior lectio: ſic enim Cicero & Seneca *fumoſas imagines* dixere, obductas nempe caligine, & Juvenalis ſat. 8.

Fumoſos equitum cum dictatore magiſtros.

Senſus eſt ergo: Dum nobilitatem & antiquitatem ſuorum poculorum verboſius narrat Euctus, vinum interim effuſum muceſcit, & vappa fit. Poëta oſtendit nimia loquacitate corrumpi cibos etiam optimos, hoc eſt convivis ingratos fieri.

Laomedontea.] Laomedon fuit rex Troiæ, qui Neptuno & Apollini certum auri pretium promiſerat, ut Troiam muris cingerent. Poëta poſuit pocula aurea pro auro. Ovidius 11. Metam.

——— Phrygiæque tyranno
Ædificant muros pacto pro mœnibus auro.

Prælia Rhætus.] Lapitharum & Centaurorum pugnam lege apud Ovidium lib. 12. Metam. Sed Rhœtus, inquit Ovidius, torre pugnavit, Theſeus vero cratere.

Pugna debile.] hoc eſt, craterem illa pugna imminutum.

Hi duo.] Senſus eſt: Hoc poculum, quod habet duos fundos pluris æſtimatur, propter ſenem Neſtorem ad quem pertinuit. Ab Homero Iliad. λ deſcribitur, atque ab Euſtathio fuſe explicatur. Variæ ſunt Grammaticorum opiniones, opuſne fuerit unum, an gemini crateres, alterque alteri impoſitus. ἀμφικύπελλα vocant Græci. Turnebus lib. 23. cap. 23. Heſychius ἀμφικύπελλον dicit ἀμφίκυρτον ποτήριον, hoc eſt rotundum poculum. Athenæus lib. 11. ait, poculum illud habuiſſe duos fundos. Vide animadverſiones Caſauboni cap. 12. lib. citato.

Trita columba.] hoc eſt ſæpius attrectata columba, quæ prominebat inſculpta in illo poculo: quo enim magis aurum teritur, tanto magis niteſcit. De Pylio Neſtore ſæpius dictum.

Juſſit amicis.] Ulyſſi, Ajaci, Phœnici, qui ab Agamemnone ad placandum ipſum Achillem miſſi fuerant.

Et bibit ipſe merum.] Alii *uſque merum*. Alii *vividumque merum*.

Bytiæ.] Virgilius 1. Æneid. convivium deſcribit, quo Æneam Phrygium excepit Dido:

Tum Bytiæ dedit increpitans, &c.

Priſca toreumata] quæ ſunt opera torno facta. Epig. 39. lib. 4.

Bibes Aſtyanacta.] id eſt, ut aiunt interpretes: Novum vinum bibendum porriget Euctus in poculis vetuſtiſſimis. Notus eſt ſenex Priamus, cujus nepos fuit Aſtyanax Hectoris filius. Hunc verſum non intelligo. Aſtyanactis enim pro vino novo ſumi, mente aſſequi nequeo. Videat lector.

In Cinnam caussidicum lingua hæsitantem. VII.

HOc agere est caussas, hoc dicere, Cinna, diserte,
Horis, Cinna, decem, dicere verba novem?
Sed modo clepsydras ingenti voce petisti
Quatuor, o quantum, Cinna, tacere potes!

O Cinna, proferre novem verba decem horis, an hoc est orare caussas, & ornate dicere? at paulo ante summa voce postulasti quatuor clepsydras, ô Cinna, quantum potes silere!

Sed modo clepsydras.] Quæ erant horologia aquaria, de quibus, & de temporis spatio, quod metirentur singulæ clepsydræ, diximus lib. 6. epig. 35. Sensus est: O Cinna, cum nondum orationem absolvisses decem horis, quatuor adhuc clepsydras a judicibus petiisti ad dicendum.

Quantum Cinna tacere potes.] hoc est, adeo lente verba profers, ut potius silere quam loqui videaris.

Ad Janum de reditu Cæsaris. VIII.

PRINCIPIUM des, Jane, licet velocibus annis,
Et revoces vultu secula longa tuo;
Te primum pia thura rogent, te vota salutent:
Purpura te felix, te colat omnis honos:
Tu tamen hoc mavis, Latiæ quod contigit urbi,
Mense tuo reducem, Jane, videre deum.

O Jane, quamvis des initium annis fugacibus, & tuo vultu reducas longa secula: pia thura primum supplicent tibi, & vota fiant tibi: & beata purpura, & omnis dignitas veneretur te: nihilominus magis hoc tibi placet, quod accidit urbi Latia, spectare deum reversum mense tuo.

Principium des.] Vide epig. 2. supra.

Et revoces.] Alii *renoves vultu tuo*, hoc est, tuis calendis, a quibus annus ducit initium.

Te primum.] Ut Janus qui limina servat, ad alios deos supplicibus aditum patefaciat, hac de caussa, inquit Ovidius 1. Fastorum primum Jano supplicabant antiqui.

Purpura.] hoc est, purpurati consules, qui mense Januario fasces sumebant. Ovid. 1. Fast.

Jamque novi præeunt fasces; nova purpura fulget, &c.

Omnis honos.] hoc est, quilibet magistratus.

Hoc mavit.] Domitianum nempe reducem videre, quam coli ab omnibus magistratibus mense Januario tibi dedicato.

Ad Quinctum ut mediam creditæ pecuniæ partem accipiat, ne totam summam perdat. IX.

SOLVERE dodrantem nuper tibi, Quincte, volebat
Lippus Hylas: luscus vult dare dimidium.
Accipe quamprimum: brevis est occasio lucri.
Si fuerit cæcus, nil tibi solvet Hylas.

O Quincte, nuper Hylas lippiens volebat tibi solvere novem uncias: captus uno oculo vult dare sex; accipe statim: occasio quæstus faciendi *brevis est. Si Hylas excæcatus fuerit, nihil tibi solvet.*

Solvere dodrantem.] hoc est, novem uncias; plerumque summa credita, sicut hereditas dividitur in duodecim uncias, quæ assem efficiunt: hic vero Hylas debitor cum

cum lippiret, novem tantum uncias propter hunc morbum Quincto suo creditori solvere volebat, mox amisso uno oculo, sex tantum reddere voluit, quas breviter accipiendas festive monet Poëta, ne Hyla cæco facto solidum assem perderet Quinctus.

De Basso qui vestes emerat, nec solverat. X.

EMIT lacernas millibus decem Bassum,
Tyrias coloris optimi; lucrifecit.
Adeo bene emit? inquis. immo non solvit.

Bassus mercatus est decem millibus lacernas Tyrias optimi coloris: lucratus est. Adeone vili pretio *mercatus est? ais imo non solvit.*

Decem millibus.] Sestertium scilicet; de lacernis quæ togis superinduerentur ad arcenda frigora, sæpius dictum supra.

Imo non solvit.] Vel quod solvendo non esset, vel quod illas lacernas forte suffuratus esset Bassus.

Ad Cæsarem Domitianum ex Septentrione Romam reversum. XI.

PERVENISSE tuam jam te scit Rhenus in urbem:
Nam populi voces audit, & ille tui.
Sarmaticas etiam gentes, Istrumque, Getasque,
Lætitiæ clamor terruit ipse novæ.
Dum te longa sacro venerantur gaudia circo,
Nemo quater missos currere sensit equos.
Nullum Roma ducem, nec te sic, Cæsar, amavit,
Te quoque jam non plus, ut velit ipsa, potest.

Rhenus jam novit te rediisse in tuam urbem: nam & ille audit acclamationes tui populi. Clamor ipse novi gaudii terrefecit gentes Sarmaticas, & Danubium, & Getas. Dum applausus diuturni colunt te sacro circo, nullus sensit currere equos quater emissos. O Cæsar, Roma nullum Imperatorem sic dilexit, nec te ipsum antea. *Jam etiam nequit amare te magis, licet ipsa cupiat.*

Rhenus.] hoc est, Rheni accolæ.

Tuam urbem.] Quia magnificis operibus fuerat a Domitiano exornata, & quasi denuo extructa Roma.

Sarmaticas.] De quibus supra.

Longa gaudia.] Interpretor applausus diuturnos, qui nempe, inquit Raderus, ad duas aliquando horas durarent.

Nemo quater.] Adeo omnes ad te unum intenti sunt, ut e carceribus emitti currus non animadvertant.

Nec te sic.] hoc est, nec te ipsum tantum olim, quantum nunc amavit; nec plus amare potest. Argute quidem concludit, sed parum vere. Occisum enim Domitianum populus indifferenter tulit, Senatus vero valde lætatus est. Suetonius in Domit. cap. 23. Legunt alii,

Nullum Roma ducem nisi te, sic, Cæsar, amavit.

Ad Priscum de uxore locuplete. XII.

UXOREM quare locupletem ducere nolim
Quæritis? uxori nubere nolo meæ.

Rogatis cur nolim ducere uxorem locupletem? nolo nubere uxori meæ.

Infe-

Inferior matrona suo sit, Prisce, marito,
Non aliter fuerint fœmina virque pares.

O Prisce, matrona sit inferior suo viro, vir & uxor aliter non fuerint æquales.

Nubere.] Quod proprium est fœminarum, hoc est, nolo servire meæ uxori. Juvenalis *sat. 6.*
Intolerabilius nihil est quam fœmina dives, &c.

Non fuerint] Alii *non fiunt*, concordes nempe; ubi enim uxor par est marito, jam impar est conjugium, uxoris quippe est parere, mariti vero imperare.

Ad Gargilianum, falsum venditorem. XIII.

MORIO dictus erat, viginti millibus emi.
Redde mihi nummos, Gargiliane: sapit.

Stolidus habitus erat: mercatus sum illum viginti millibus. O Gargiliane, restitue mihi nummos; sapiens est.

Morio.] Illi dicebantur moriones, qui naturali stoliditate risum excitabant. Vide epig. 210. lib. 14.

In crudelem amicum. XIV.

PALLIDA ne Cilicum timeant pomaria brumam,
Mordeat & tenerum fortior aura nemus:
Hibernis objecta notis specularia puros
Admittunt soles, & sine fæce diem.
At mihi cella datur, non tota clausa fenestra,
In qua nec Boreas ipse manere velit.
Sic habitare jubes veterem crudelis amicum?
Arboris ergo tuæ tutior hospes ero.

Ne pallida pomaria Cilicum metuant hyemem, & ventus vehementior urat nemus tenerum. Specularia opposita notis hyemalibus excipiunt soles nitidos, & lucem serenam. Sed cella mihi conceditur fenestra non clausa ex omni parte, in qua nec Aquilo velit habitare. O inhumane, an imperas sic habitare antiquum amicum? igitur securius diversabor apud tuam arborem.

Pallida.] Ob hyemem qua pallescunt folia, imo & decidunt. *Pomaria Cilicum* intellige arbores e Cilicia translatas, quas summa cura colebat ille amicus.

Tenerum nemus.] Succrescentes surculos interpretare.

Specularia.] Quibus tegebantur arbores adversus ventos: specularia autem intellige lapides pellucidos, quibus, ut hodie nos vitro, sic vitri instar utebantur Romani.

Et sine fæce.] hoc est, sine nive, pluvia, & pulvere.

In qua nec Boreas.] Tam frigidum, inquit, mihi cubiculum dedisti, ut nec Boreas ventorum frigidissimus in eo habitare sustineat.

Arboris ergo.] Undequaque enim tectæ & munitæ erant arbores adversus frigus.

Ad Domitianum de laurea quam Jovi Capitolino ex bello Sarmatico retulit. XV.

DUM nova Pannonici narratur gloria belli,
Omnis & ad reducem dum litat ara Jovem,

Dum novum decus belli Pannonici celebratur, & dum fiunt sacrificia in omnibus templis pro Jove reverso;

Dat

Dat populus, dat gratus eques, dat thura senatus,
Et ditant Latias tertia dona tribus;
Hos quoque secretos memorabit Roma triumphos,
Nec minor ista tuæ laurea pacis erit.
Quid tibi de sancta credis pietate tuorum?
Principis est virtus maxima, nosse suos.

Populus, eques minor, & senatus incendunt thura, & munera tertia locupletant tribus Latias; Roma celebrabit etiam hos secretos triumphos, nec ista laurea pacis a te concessæ minor erit. Quid tu censes de sancta pietate tuorum civium? maxima est virtus Imperatoris cognoscere suos.

Pannonici] hoc est, Sarmatici, licet Pannonia sit regio alia a Sarmatia, de quibus vide Cluverium: tamen, ut arbitror, Pannoniam sumit Poëta pro Sarmatia. Suet. in Domit. cap. 6. *De Cattis, Dacisque post varia prælia duplicem triumphum egit: de Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit.* De qua laurea hic loquitur Poëta

Narratur] Alii *numeratur*.

Et ditant Latias.] Bis jam de Cattia & Dacia triumphaverat Domitianus, atque ita jam bis populo dona distribuerat; jam vero victoria de Sarmatis reportata, tertio munere populum donavit, illum quippe convivio excepit. Vide epig. 50. infra. Georgius Merula legit:

Et libant Latia tertia dona tribus. hoc est, inquit, urbes, & oppida quæ habent jus Latii jam tertio sacrificant pro tertia victoria de Sarmatia relata. Videat lector.

Hos quoque.] Justum de Sarmatis triumphum agere noluit Domitianum, sed lauream tantum retulit, quam vocat Poëta triumphum secretum; porro celebrem fore dicit concessa nempe perdomitis gentibus pace.

Pietate tuorum.] hoc est, quid sentis de populi pietate erga te?

Nosse suos.] hoc est, suorum civium animos perspectos habere: etenim odioso principi intimos animi sensus nemo aperit.

In Ciperum

qui ex pistore factus erat caussidicus. XVI.

Pistor qui fueras diu, Cipere,
Nunc caussas agis, & ducenta quæris:
Sed consumis, & usque mutuaris,
A pistore, Cipere, non recedis,
Et panem facis, & facis farinam.

O Cipere, qui fueras pistor diu, nunc dicis caussas, & quæris ducenta: at dissipas, & semper accipis mutuo. O Cipere, non mutas mores pistoris, & facis panem, & facis farinam.

Et ducenta.] Alii *ducena* sestertia scilicet, seu ducenta millia sestertium, hoc est, vis locupletari in caussis agendis.

Et panem facis.] Sic nunc locum explicat Domitius. Facere panem, inquit, & facere farinam dicitur pistor, qui pinsit tar, & coquit panem & farinam. Facere item panem & farinam dicitur, qui liberalitate aut prodigalitate sua aliis panem & farinam subministrat: cum igitur Ciperus nunc multos pascat prodigalitate sua, æque pistor videtur, ac olim erat, cum panem & farinam faceret. Farnabius vero sic explicat: In pistrino, farinam pinsebas, deinde panem conficiebas, e cujus pretio rursus farinam comparasti, atque adeo in circulum laborans, vivebas in diem: ita hic quæris, deinde consumis, rursus mutuaris, &c. *Et panem facis*, id est, decoquis, inquit Heraldus.

Ad Sextum quod sibi plus debeatur ex caussa amissa, quam si vicisset. XVII.

EGI, Sexte, tuam pactus duo millia caussam.
Misisti nummos quot mihi? mille, quid est?
Narrasti nihil, inquis, & a te prodita caussa est:
Tanto plus debes, Sexte, quod erubui.

O Sexte, constituta mercede duorum millium dixi tuam caussam; quot nummos misisti mihi? mille, quid est? nihil dixisti, ais, & prodidisti caussam: O Sexte, tanto plus debes, quod pudeat me.

Narrasti nihil.] hoc est, male caussam egisti.

A te prodita.] Alii *perdita*: placet prior lectio, nec enim prævaricatores tantum caussam perdunt, sed & ii qui caussam agendam suscipiunt, quam non intelligunt.

Tanto plus.] Nam si vicissem, laus mihi præmii loco fuisset, at in solatium famæ amissæ majorem mercedem præstare debes: faceta prorsus est hæc ratio.

Ad Cirinium, rarum esse amicum qui ingenio cedere velit. XVIII.

SIc tua, Cirini, promas epigrammata vulgo,
Ut mecum possis vel prior ipse legi:
Sed tibi tantus inest veteris respectus amici,
Carior ut mea sit, quam tua fama tibi.
Sic Maro nec Calabri tentavit carmina Flacci,
Pindaricos posset cum superare modos;
Et Vario cessit Romani laude cothurni,
Cum posset tragico fortius ore loqui.
Aurum, & opes, & rura frequens donabit amicus:
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

O Cirini, sic edas in lucem tua epigrammata, ut possis legi mecum, aut prior: at habes tantam rationem antiqui amici, ut plus ames meam existimationem quam tuam. Sic nec Virgilius aggressus est versus Horatii Calabri, cum posset vincere modos Pindaricos: & cessit Vario laudem cothurni Romani, cum posset ore tragico loqui vehementius. Multi amici dabunt aurum & divitias, & agros: pauci erunt qui velint inferiores esse ingenio.

Ut mecum.] hoc est, ut mea epigrammata aut cum meis legantur, aut illis anteponantur.

Sed tibi tantus.] Sincere loqui videtur Poëta, cum Cirinium Virgilio comparet, qui volens quidem potuisset versus lyricos scribere: Attamen Raderus & Domitius censent per ironiam illum loqui, cum concludat vix inveniri posse eum qui ingenio cedat.

Calabri Flacci.] Venusia enim Horatii patria urbs est in finibus Calabriæ.

Pindaricos.] Pindarus Poëta Græcus lyricorum princeps satis notus. *Posset*, alii *nosset*.

Et Vario.] quem epicum fuisse colligere est ex Horatio ode 6. lib. 1. cum tamen in tragœdia excelluisse illum intelligat Martialis.

De

De Cinna vere paupere. XIX.

PAUPER videri Cinna vult, & est pauper.

Cinna cupit videri egenus, & est egenus.

Pauper.] Hic Cinna suam inopiam ostentans volebat videri divitias dissimulare: at vero ostendit Poëta nihil opus esse simulatione, cum te vera pauper sit.

Ad Varum de versibus extemporalibus. XX.

CUM facias versus nulla non luce ducentos,
Vare, nihil recitas: non sapis, atque sapis.

O Vare, cum quotidie condat ducenta carmina, nihil recitas; insipiens es, & sapiens.

Non sapis.] Inepti enim est tot versus effundere & frustra laborare: attamen sapiebat Varus, qui versus tam celeriter factos non recitaret. Vide Horatium de Arte Poëtica.

Ad Luciferum de adventu Cæsaris. XXI.

PHOSPHORE redde diem: quid gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo, Phosphore, redde diem.
Roma rogat: placidi numquid te pigra Bootæ
Plaustra vehunt, lento quod nimis igne venis?
Ledæo poteras abducere Cyllaron astro:
Ipse suo cedet nunc tibi Castor equo.
Quid cupidum Titana tenes? jam Xanthus, & Æthon
Fræna volunt: vigilat Memnonis alma parens.
Tarda tamen nitidæ non cedunt sidera luci,
Et cupit Ausonium Luna videre ducem.
Jam, Cæsar, vel nocte veni: sint astra licebit,
Non deerit populo te veniente dies.

O Lucifer, restitue lucem: quid affers moram nostræ lætitiæ? Cæsare venturo, ô Lucifer, restitue lucem, Roma obsecrat. An tardi currus segnis Bootæ vehunt te, quod accedis flamma nimis lenta? Poteras abripere Cyllaron astro Ledæo: ipse Castor nunc commodabit tibi suum equum. Quid retardas properantem solem? Jam Xanthus & Æthon appetunt habenas: alma mater Memnonis excubat. Nihilominus lenta sidera non dant locum luci splendidæ, & Luna vult spectare Imperatorem Romanum. O Cæsar, jam veni vel media nocte: esto astra remaneant, lux non deerit populo te accedente.

Phosphore.] Pridie quam in urbem ex Septentrione rediret Cæsar, ad sidera orationem convertit Poëta, ut noctem præcipitent: tantum enim esse videndi Domitiani desiderium, ut nox longissima videatur. *Phosphorus* est Veneris stella, quæ ante solis ortum lucifer, post solis vero occasum vesper dicitur.

Gaudia nostra.] Cæsarem Domitianum.

Roma rogat.] ut diem subito reducas.

Pigra Bootæ.] Boores Latine bubulcus tarde movetur, quia Polo vicinus, de quo epig. 3. lib. 4.

Abducere Cyllaron.] In cœlum translatus est Cyllarus equus Castoris: Ledæum astrum intellige Castorem & Pollucem.

Xanthus & Æthon.] scilicet equi solis, Ovidius 2. Metam. quatuor solis equos numerat,

merat, nec Xanthum nominat, quem forte sic Martialis vocat, quod sol flavus sit.

Memnonis alma parens.] Aurora cujus historia nota.

Sint astra.] Alii *stent*, quæ nolunt diei iocum cedere, ut & ipsa ingredientem in urbem Domitianum videant.

Non deerit.] Ubicunque enim es, ô Domitiane, dies est; tu enim sol es Romanorum: licet astra stent adhuc, media tamen nocte perinde ac die videberis.

In Gallicum a quo circumveniri se negat. XXII.

INVITAS ad aprum, ponis mihi, Gallice, porcum.
Hybrida sum, si das, Gallice, verba mihi.

Vocas ad aprum, ô Gallice, apponis mihi porcum. O Gallice, sum hybrida, si circumvenis me.

Hybrida.] Quodcunque animal est ex fero & mansueto natum: transfertur etiam ad eos homines qui ex diversa conditione procreati sunt, ut si quis ex matre libera & patre servo, vel ex patre Romano & matre peregrina natus sit. Vide epig. 39. lib. 6. Sensus est: Re vera ego essem hybrida, nisi intelligerem loco apri mihi appositum fuisse porcum. etenim hybrida participans naturam utriusque animalis diversi vix unum ab altero distinguat.

Ad Rusticum, artificem quemque esse castigandum, cum peccat in suam artem. XXIII.

ESSE tibi videor sævus, nimiumque gulosus,
Qui propter cœnam, Rustice, cædo cocum:
Si levis ista tibi flagrorum caussa videtur,
Ex qua vis caussa vapulet ergo cocus?

O Rustice, an nimium crudelis atque helluo videor tibi, qui verbero cocum propter cœnam? Si censes istam caussam flagrorum esse levem; qua igitur de caussa placet ut cocus verberetur?

Ex qua vis.] Nisi det pœnas illius, quod deliquit in sua arte.

Ad Cæsarem Domitianum a quo blandissime petit pecuniam. XXIV.

SI quid forte petam timido gracilique libello,
Improba non fuerit si mea charta, dato.
Et si non dederis, Cæsar, permitte rogari:
Offendunt nunquam thura, precesque Jovem.
Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille deos: qui rogat, ille facit.

Si forte rogem aliquid pavido & tenui libro, concede illud, si nimia non fuerit mea petitio. Si vero non concesseris, ô Cæsar, sine rogari te: sacrificia & vota nunquam injuriam faciunt Jovi. Qui format sacros vultus auro vel marmore, ille non constituit numina: ille autem constituit, qui rogat.

Improba charta.] qua scilicet a te peto aliquid: improba autem hoc loco est insaturabilis, inquit Domitius.

Qui rogat.] Qui aureas deorum statuas format, ille non facit deos, sed qui illos adorat. Sic ego, inquit Poëta, dum te rogo, ô Domitiane, te Deum esse demonstro.

In Oppianum ſemper ægrotum. XXV.

VIDISTI ſemel, Oppiane tantum
Ægrum me male: ſæpe te videbo.

Oppiane, ſemel tantum ſpectaſti me valde ægrotantem; crebro videbo te ægrum.

Oppiane.] cujus meminit epig. 3. lib. 7. & epig. 42. lib. 6. qui ſemper mali erat coloris. Senſus eſt: ſi lætaris quod me ſemel gravi morbo laborantem videris; quanto magis ego lætabor, qui te ſemper ægrum videbo.

Ad Cæſarem Domitianum de tigribus quas in arena exhibuerat. XXVI.

NON tot in Eois timuit Gangeticus arvis
Raptor, in Hyrcano qui fugit albus equo:
Quot tua Roma novas vidit, Germanice, tigres:
Delicias potuit nec numerare ſuas.
Vicit Erythræos tua, Cæſar, arena triumphos,
Et victoris opes, divitiaſque Dei:
Nam cum captivos ageret ſub curribus Indos,
Contentus gemina tigride Bacchus erat.

Indus raptor, qui pallidus fugit in equo Hyrcano non metuit tot tigres in agris orientis, quot inſolitas ſpectavit tua Roma: nec potuit numerare ſua delectamenta. O Cæſar, tua arena ſuperavit Erythræos triumphos, atque opes & Divitias Dei victoris. Bacchus enim contentus erat gemina tigride, cum ſub curribus duceret Indos devictos.

Gangeticus raptor.] Venator nempe in India ubi fluvius Ganges, præ timore pallidus raptis tigridis catulis fugit. Vide Plinium lib. 8. cap. 18. & Valerium Flaccum lib. 1. *In Hyrcano equo.*] hoc eſt, celeri: ſic enim Hyrcanum equum intelligere videtur Poëta: Hyrcania vero Aſiæ regio, ubi etiam tigres ferociſſimæ.

Nec numerare.] His verbis ſignificat multas in arena tigres fuiſſe exhibitas.

Vicit Erythræos.] Quos egit Bacchus de litoribus rubri ſeu Erythræi maris, atque ex Indis ſubactis: ille enim gemina tantum tigride invectus triumphavit: tu vero, ô Domitiane, plures populo ſpectandas exhibuiſti.

Ageret ſub curribus.] captivi nobiles curribus vehebantur, cæteri catenis vincti catervatim præibant.

Ad Gaurum de muneribus captatoris. XXVII.

MUNERA qui tibi dat locupleti, Gaure, ſenique,
Si ſapis, & ſentis, hic tibi ait, morere.

O Gaure, qui largitur dona tibi diviti, & ſeni: ſi ſapiens & ſagax es, hic dicit tibi, morere.

Morere.] hi enim teſtamentorum captatores cum munera divitibus ſenibus & orbis mitterent, ſignificabant nihil aliud cupere quam ut ſenes illi morerentur, ut in eorum bona ſuccederent. Vide epig. 63. lib. 6.

De Partheniana toga qua donatus a Parthenio petit adhuc lacernam. XXVIII.

DIc toga facundi gratum mihi munus amici,
Esse velis cujus fama, decusque gregis?
Apula Ledæi tibi floruit herba Phalanti,
Qua saturat Calabris culta Galesus aquis?
An Tartessiacus stabuli nutritor Iberi
Bætis in Hesperia te quoque lavit aqua?
An tua multifidum numeravit lana Timavum,
Quem prius astrifero Cyllarus ore bibit?
Te nec Amyclæo decuit livere veneno:
Nec Miletus erat vellere digna tuo.
Lilia tu vincis, nec adhuc delapsa ligustra,
Et Tiburtino monte quod albet ebur.
Spartanus tibi cedet olor, Paphiæque columbæ:
Cedet Erythræis eruta gemma vadis.
Sed licet hæc primis nivibus sint æmula dona,
Non sunt Parthenio candidiora suo.
Non ego prætulerim Babylonica picta superbe
Texta, Semiramia quæ variantur acu.
Non Athamanteo potius me mirer in auro,
Æolium dones si mihi, Phryxe, pecus.
O quantos risus pariter spectata movebit,
Trita palatina nostra lacerna toga.

O Toga, jucundum donum amici diserti, loquere, cujus gregis fama & gloria esse velis? An herba Apula Phalanti Lacedæmonii floruit tibi, quæ Galesus irrigat cultos agros undis Calabris? An Tartessiacus Bætis nutritor ovium Hispania lavit te etiam in unda Hispana? An tua lana numeravit multa ostia Timavi, in quo prius bibit Cyllarus ore astrifero? Nec convenit inficite veneno Amyclæo: nec Miletus digna erat tuo vellere. Tu candore *superas lilia, & ligustra nondum jacentia, & ebur quod tandet monte Tiburtino. Olor Spartanus, & Paphiæ columbæ dabunt tibi primas: gemma extracta rubro mari dabit* tibi *primas. At quamvis hæc munera æmulentur intactas nives, non sunt candidiora suo Parthenio. Ego non anteposuerim texta Babylonica magnifice picta, quæ distinguuntur acu Semiramia. Non mihi plus placeam in Auro Athamanteo, si mihi des, ô Phryxe, vellus Æolium. O quantos risus excitabit nostra lacerna simul visa trita toga Palatina.*

Dic toga.] Togam interrogat, quo nempe lanarum genere sit contexta.

Apula Ledæi.] Enumerat varia lanarum genera: in Apulia est Tarentum conditum a Phalanto Ledæo seu Lacedæmonio, sic dicto a Leda Lacedæmonia: lana vero Tarentina summo fuit in pretio. Vide epig. 38. lib. 5. Galesus fluvius Tarentum irrigat.

An Tartessiacus.] Bætis Hispaniæ fluvius, hodie *Guadalquivir*, qui & Tartessus a Strabone appellatur.

Stabuli Iberi.] hoc est ovium Hispanarum quæ nempe pascuntur ad Iberum.

Multifidum.] Timavus fons multis ostiis illabitur in mare. Vide epig. 25. lib. 4. ubi & de Cyllaro Castoris equo diximus, & epig. 21. supra.

Amyclæo veneno.] Amyclæum venenum alii existimant esse colorem viridem, alii vero purpureum. Amyclæ civitas est Laconiæ, Miletus autem Ioniæ in Asia minore, ubi lana summo fuit in pretio.

Ligustra.] Flores eximii candoris. Virgilius eclog. 2.

Alba ligustra cadunt.

Et Tiburtino.] Vide epig. 62. lib. 4. Cœlum enim Tiburtinum utpote frigidum ebori candefaciendo inserviebat.

Spartanus olor.] Cycnum intellige candidissimum, cujus formam induit Jupiter cum Ledam Spartanam compressit.

Paphiæque.] Veneri scilicet dicatæ, sic dictæ ab insula Papho, ubi colebatur.

Erythræis.] Vide Plinium juniorem lib. 9. epist. 33. in mari rubro nobilissimæ nascun-

tur margaritæ, epig. 38. lib. 5.

Parthenio.] De quo lib. 4. epig. 45. *Candidiora* refer ad animum Parthenii sincerum.

Babylonica.] Alii *Babylonis*. Plinius refert lib. 8. cap. 48. varios picturæ colores quos vestibus intexebant Babylonii.

Acu Semiramia.] hoc est Babylonica; Semiramis enim Babylone regnavit.

Non Athamanteo.] Vestis Phryxi ex aureo vellere confecta non mihi gratior foret: Athamas autem Phryxi pater fuit, Ovidius lib. 4. Met.

Æolium.] Æolus Thebarum rex pater fuit Athamantis, & avus Phryxi. *Æolium pecus* interpretare arietem, quo vectus Phryxus Æoli nepos trajecit mare. De his legendæ historiæ. Alii *Æolium decus*.

Trita.] Quanto ludibrio aro omnibus, qui me toga nobili ornatum, & trita lacerna superinjecta indutum viderint. His verbis lacernam quoque petit a Parthenio, ut munus sit perfectum. Legunt alii,

Trita Palatina vestra lacerna toga.

Alii,

Cum Pallatina nostra lacerna toga.

De Distichis. XXIX.

DISTICHA qui scribit, puto, vult brevitate placere.
Quid prodest brevitas, dic mihi, si liber est?

Qui componit disticha, opinor, cupit placere brevitate: quid proficit brevitas, age, si liber componitur?

Disticha qui.] Superius epigramma paulo longius excusare videtur, cum enim justum volumen scribere velit, perinde esse ait, si illud aut duorum aut plurium versuum epigrammatibus conficiat. Epig. 65. lib. 6.

De spectaculo Scævolæ qui dextram accenso ad sacrificium igne combussit. XXX.

QUI nunc Cæsareæ lusus spectantur arenæ:
Temporibus Bruti gloria summa fuit.
Adspicis, ut teneat flammas, pœnaque fruatur
Fortis, & attonito regnet in igne manus!
Ipse sui spectator adest, & nobile dextræ
Funus amat: totis pascitur illa sacris.
Quod nisi rapta foret nolenti pœna, parabat
Sævior in laxos ire sinistra focos.
Scire piget post tale decus quid fecerit ante:
Quam vidi, satis est hanc mihi nosse manum.

Ludi Amphitheatri Cæsarei qui nunc videntur, fuere summum decus avo Bruti. Vides ut manus strenua cohibeat flammas, & triumphet de supplicio, & dominetur in igne stupente! Ipse adest spectator sui, & diligit illustre funus dextræ: illa pascitur toto igne. Quod nisi supplicium ereptum fuisset invito, sinistra ferocior prompta erat immittere se in flammas ingentes. Post tale decus nolim inquirere, quid fecerit antea: mihi sufficit cognoscere hanc manum quam spectavi.

Qui nunc.] Temporibus Domitiani fortiores viros existere quam Bruti seculo docet Poëta: nam quod olim fortissimus Scævola in re seria, id ipsum nunc per jocum fit: epig. 7. lib. Spect. Rei quippe damnati personas agebant Dædali, Orphei & Laureoli; ita hic fictus Scævola ad exemplum Mutii Scævolæ manum in flammas immissam combussit. Epig. 22. lib. 1.

Dum peteret regem decepta satellite dextra
Injecit sacris se peritura focis.

Temporibus Bruti.] Quibus vixit Scævola. Vide Livium 1. Decad. lib. 2.

Summa fuit.] Id fuit tunc summa gloria, quod tunc lusus est.

Pœnaque fruatur.] hoc est, pœnam in suam laudem vertat: sic loquitur Juno apud

Senecam

Senecam in Hercule furente:

——superat & crescit malis,

Itaque nostra fruitur, &c.

Ipse sui.] Ipse fictus Scævola ad exemplum veri Scævolæ manum igne comburi spectavit, & delectatus est illo spectaculo.

Totis pascitur.] hoc est, comburitur toto igne ad sacra facienda accenso. Forte melius explices; delectatur toto igne. Quo sensu, ni fallor, verbum pasci usurpatur a Cicerone lib. 4. epistolarum ad Atticum epistola 9. *Ego*, inquit, *hic pascor bibliotheca Fausti.*

Quod nisi.] Fictum hunc Scævolam flammis eripi jussisset Domitianus, ut olim verum Scævolam ab igne amoveri imperavit Porsena epig. 22. lib. 1.

Et raptum flammis jussit abire virum.

Sinistram sane pariter combussisset.

In laxos focos.] Alii *lassos*, hoc est, in flammas victas, & cedentes tantæ virtuti.

Post tale decus.] Post tam egregium facinus: etenim si ob scelus damnatus manum combusserit, summam laudem consecutus est: at vero si libens ejusmodi virtutis suæ specimen spectante Domitiano ediderit, licet colligere, illum antea egregia quoque præstitisse facinora.

In Dentonem

jus trium liberorum petentem a Domitiano. XXXI.

NEscio quid de te non belle, Dento, fateris,
Conjuge qui ducta jura paterna petis.
Sed jam supplicibus dominum lassare libellis
Desine, & in patriam serus ab urbe redi.
Nam dum tu longe deserta uxore, diuque,
Tres quæris natos, quatuor invenies.

O Dento, non decore fateris de te nescio quid, qui ducta uxore, petis jura paterna. At jam cessa defatigare Imperatorem supplicibus libellis, & tarde revertere ab urbe in patriam. Dum enim tu quæris tres liberos longe & diu conjuge derelicta, reperies quatuor.

Nescio quid de te.] Te nempe parum esse virum, vel delectari te turpi libidinis genere. De jure trium liberorum egimus epig. 92. lib. 2.

Serus.] Externus nempe erat Dento, quem monet Poëta, ut in patriam reditum differat, atque ita liberos ex adulterio uxoris susceptos illum domi repertuum affirmat.

Diuque.] Alii *domoque.*

De columba Aretullæ. XXXII.

AEra per tacitum delapsa sedentis in ipsos,
Fluxit Aretullæ blanda columba sinus.
Luserat hoc casus, nisi inobservata maneret,
Permissaque sibi nollet abire fuga.
Si meliora piæ fas est sperare sorori,
Et dominum mundi flectere vota valent:
Hæc a Sardois tibi forsitan exsulis oris,
Fratre reversuro, nuntia venit avis.

Suavis columba delapsa per aerem placidum decidit in ipsum gremium sedentis Aretullæ. Id factum erat casu, nisi remaneret incustodita, & nollet evolare fuga sibi concessa. Si licet piæ sorori exspectare meliora, & preces possunt exorare dominum orbis: fratre redituro, hæc avis nunciæ forte accedit ad te ex Sardinia ubi exulat.

Luserat.] Id casu factum videbatur, nisi ultro mansisset in gremio Aretullæ.

Si meliora.] Hujus Aretullæ frater in Sardinia exulabat, cujus reditum a Domitiano impetraturam se sperabat Aretulla: Poëta autem dicit hanc columbam omen esse fratris ab exilio revocandi: sæpius enim aves ominis caussa ultro ad homines advolasse scribit Valerius Maximus lib. 1. cap. 4.

Exulis oris.] Ex regionibus fratris tui exulis, hoc est ex regionibus ubi exulat frater tuus.

Ad Paullum de phiala tenuissima, & rebus tenuissimis comparata. XXXIII.

De prætoricia folium mihi, Paulle, corona
Mittis, & hoc phialæ nomen habere jubes.
Hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum,
Pallida quam rubri diluit unda croci.
An magis astuti derasa est ungue ministri
Bractea, de fulcro quod reor esse tuo?
Illa potest culicem longe sentire volantem,
Et minimi penna papilionis agi.
Exiguæ volitat suspensa vapore lucernæ,
Et leviter fuso rumpitur icta mero.
Hoc linitur sputo Jani caryota Kalendis,
Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.
Lenta minus gracili crescunt colocasia filo:
Plena magis nimio lilia Sole cadunt:
Nec vaga tam tenui discursat aranea tela:
Tam leve nec bombyx pendulus urget opus.
Crassior in facie vetulæ stat creta Fabullæ:
Crassior offensæ bulla tumescit aquæ.
Fortior intortos servat vesica capillos;
Et mutat Latias spuma Batava comas.
Hac cute Ledæo vestitur pullus in ovo:
Talia lunata splenia fronte sedent.
Quid tibi cum phiala, ligulam cum mittere possis?
Mittere cum possis vel cochleare mihi?
Magna nimis loquimur, cochleam cum mittere possis.
Denique cum possis mittere, Paulle, nihil.

O Paulle, mittis ad me folium ex corona prætoris, & vis illud vocari phialam. Nuper pegma fuerat a te perfusum hac nebula, quæ dissoluta est aqua pallida croci rubri. An potius ungue vafri famuli lamina derasa est de tuo fulcro, quod puto contigisse? Illa potest sentire volantem culicem procul, & moveri penna minimi papilionis. Suspensa agitatur vapore parvæ lucernæ, & tacta leviter vino infuso frangitur. Caryota Calendis Jani involvitur hoc sputo, quæ portatur a sordido cliente cum exiguo asse. Colocasia flexibilia distenduntur filo minus tenui: lilia magis spissa decidunt nimio sole: errans aranea non vagatur tela tam subtili: nec pendulus bombyx incumbit in opus tam tenue. Creta densior hæret vultui vetulæ Fabullæ: bulla aqua percussa turgescit crassior. Fascia fortior retinet intortos crines, & spuma Batava mutat Cæsariem Romanam. Pullus in ovo Ledæo induitur hac pelle: splenia hujusmodi hærent lunatæ fronti. Quid tibi cum phiala, cum possis mittere ligulam, aut cum possis mittere ad me cochleare? Prædicamus nimis grandia, cum possis mittere cochleam; tandem, ô Paulle, cum liceat mittere nihil.

De prætoricia.] Poëta avaritiam Paulli deridet, a quo phialam dono acceperat tam tenuem, ut nullius vel parvi esset pretii. In ludis prætores solebant victoribus dare coronas aureis vel argenteis bracteis insignes; quæ flores & folia exprimerent. Sensus est: Folium seu laminam tenuissimam potius quam phialam misisti mihi.

Hac fuerat.] Sic intelligunt interpretes. Pegma de quo lib. Spect. epig. 2. nuper fuerat hac lamina inauratum, quam nebulam vocat, hoc est tenuem instar nebulæ, & quæ diluta seu ablata est croci aspersione, de qua epig. 3. lib. Spect. *Pallida unda* dicitur hîc, quod crocus vino dulci mixtus flavum colorem referret.

De fulcro.] Lecti, & eorum fulcra bracteis argenteis erant ornata. Suetonius in Caligula cap. 2. *Romæ publico epulo servum, ob detractam lectis argenteam laminam carnifici confestim tradidit.*

Hoc linitur sputo.] Tenui corio, crusta, vel

vel tectorio exponit Scaliger ad librum 1. Tibulli, an forte in deaurando, sputo utebantur vice gummi? inquit Farnabius. *Caryota* vero palmarum fructua est, quæ ad patronos Calendis Januarius mittebatur a clientibus, epig. 27. lib. 13.

Colocasia.] Fabæ sunt Ægyptiæ, quæ cocta instar filorum tenduntur, epig. 57. lib. 13. & Plinius lib. 21. cap. 15.

Stat creta.] qua ad poliendam cutem utebatur Fabulla.

Servat vesica.] Reticulum tenue instar veficæ, quo retinebantur capilli.

Et mutat Latias.] hoc est, nec phiala crassior est lixivio, quo Romani ad exemplum Batavorum capillos illinebant, ut flavescerent.

Hæc cute.] hoc est, ova cycni habent cutem æque crassam.

Splenia.] Fasciæ sunt, epig. 29. lib. 2. quæ ita in fronte componebantur, ut Lunæ cornua exprimerent.

Ligulam.] De qua epig. 20. lib. 5. & epig. 120. lib. 14. erat gladiolus, vel spathula, vel mensura.

Cochleare.] Erat quoque liquidorum mensura, sed minor ligula, epig. 121. lib. 14. Cochlea limacis testa est sane minoris etiam pretii, quam cochlear. Melius vero cum Poeta egisset Paullus nihil mittendo, quam phialam tam tenuem.

In jactatorem. XXXIV.

ARCHETYPUM Myos argentum te dicis habere,
Quod sine te factum est, hoc magis archetypum est.

Prædicas te habere argentum archetypum Myos: quod factum est sine te, hoc magis archetypum est.

Archetypum.] Hoc distichum sic explicat Turnebus lib. 21. cap. 24. Ego, inquit, argutiam jocumque epigrammatis latere puto in vocabulo, *factum est*, hoc sensu: Dicis te habere toreumata argentea operis antiqui, quæ quidem magni ab omnibus olim æstimabantur. Jocans Martialis ait: Tu ista verbosa ostentatione argenti tui, & jactatione ventosa multum detrahis pretio, & efficis ut vasa tua convivis molestiæ & tædio sint, adeo ut argentum factum, id est vasa, argenti enim facti nomine vasa censentur argentea, si sine te sit, & si absis, magis fit archetypum: id est pluris censeatur, antiquiusque videatur. Vide epig. 6. supra.

Myos.] Cælatoris egregii.

Quod sine te.] hoc est, inquit Raderus, vasa quæ tu non attigisti nec adulterasti, magis archetypa sunt. Eligat lector.

In pessimos conjuges. XXXV.

CUM sitis similes, paresque vita,
Uxor pessima, pessimus maritus,
Miror, non bene convenire vobis.

Cum sitis similes & pares vita, uxor improbissima, vir improbissimus, mirum mihi videtur, vos non concordare.

Miror non.] Similes enim similibus gaudent.

Ad Cæsarem Domitianum, cujus superbum palatium laudat. XXXVI.

REGIA pyramidum, Cæsar, miracula ride:
Jam tacet Eoum barbara Memphis opus.
Pars quota Parrhasiæ labor est Mareoticus aulæ?
Clarius in toto nil videt orbe dies.

O Cæsar, deride regia miracula pyramidum: Memphis barbara jam silet ædificia extructa ad Orientem. Opus Ægyptium quota est pars aulæ Palatinæ? Sol nihil splendidius in toto mundo.

Septenos pariter credas aſſurgere montes,
Theſſalicum brevior Pelion Oſſa tulit.
Æthera ſic intrat, nitidis ut conditus aſtris
Inferiore tonet nube ſerenus apex.
Et prius arcano ſatietur lumine Phœbi,
Naſcentis Circe quam videt ora patris.
Hæc, Auguſte, tamen, quæ vertice ſidera pulſat,
Par domus eſt cœlo: ſed minor eſt domino.

Putes ſimiliter attolli ſeptem montes. Theſſalicus Pelios impoſitus eſt Oſſæ minori. Faſtigium conditum ſplendidis aſtris ſic ſubit æthera, ut ſerenum tonet nube ſubjecta. Et prius ſatietur arcano lumine Phœbi, quam Circe intueatur ora genitoris orientis. Nihilominus, ô Auguſte, hæ ædes quæ culmine tangunt aſtra, pares ſunt cœlo; ſed ſunt anguſtiores domino.

Regia pyramidum.] De quibus diximus epig. 1. lib. Spect.

Jam tacet.] Tuum enim palatium longe ſuperat has pyramides.

Parrhaſia aula.] hoc eſt, aulæ Palatinæ ſeu Palatii, epig. 55. lib. 7. *Labor Mareoticus*, hoc eſt Ægyptius, à Mareotide celeberrima Ægypti palude.

Septenos.] Septem palatii turres tam miræ molis & altitudinis affirmat, ut ſuperent Oſſam & Pelion Theſſaliæ montes, quos congeſtos in cœlum ſtruxiſſe feruntur gigantes, Ovidius 1. Met.

Æthera ſic intrat.] id eſt, tam altum eſt hoc palatium, ut nubes altitudine ſuperet, atque ita infra tonet Jupiter.

Et prius arcano.] hoc eſt palatii apex prius offunditur lumine ſolis, quam cacumen montis Circes, quæ ſolis filia dicta eſt, Ovidius Metam. 14. *Arcano*, quia ſcilicet prius quam alibi appareat lumen, jam ſol illuſtravit tuum palatium.

Par domus.] Licet tua domus, ô Domitiane, altitudine atque amplitudine cœlum æquet, tamen non eſt ſatis ampla, quæ te Deum capere poſſit.

Ad Polycarmum, qui liberalis haberi volebat. XXXVII.

QUOD Cajetano reddis, Polycarme, tabellas,
Millia te centum num tribuiſſe putas?
Debuit hæc, inquis. tibi habe, Polycarme, tabellas,
Et Cajetano millia crede tuo.

O Polycarme, an credis te dediſſe centum millia Cajetano, quod reddis tabulas? Debuit hæc, ais: O Polycarme, ſerva tibi tabulas, & mutuo da millia tuo Cajetano.

Te centum.] Alii *tercentum* millia nempe ſeſtertiûm.

Num tribuiſſe.] Alii *non*, minus bene. Senſus eſt: ô Polycarme, creditor liberalis haberi nequis, quod nomen, creditæ pecuniæ argumentum, reddideris Cajetano, qui nempe ſolvendo non eſt, atque ita licet non reddidiſſes, pecuniam tamen mutuo datam nunquam recuperaſſes.

Millia crede.] Rurſus pecuniam da mutuo, ſic vere munificus videberis.

Ad Meliorem, eum vere eſſe liberalem qui mortuis aliquid dat. XXXVIII.

QUI præſtat pietate pertinaci
Senſuro bona liberalitatis,
Captet forſitan, aut vicem repoſcat.
At ſi quis dare nomini relicto

Qui conſtanti pietate donat alicui experturo bona munificentiæ, forte aucupetur, aut repetat parem gratiam. Sed ſi quis poſt manes & ſepul-

Poſt

Post manes, tumulumque perseveret,
Quærit quid nisi parcius dolere?
Refert sis bonus, an velis videri.
Præstas hoc, Melior, sciente fama:
Qui solennibus anxius sepulti
Nomen non finis interire Blæsi,
Et de munifica profusus arca
Ad natalicium diem colendum
Scribarum memori, piæque turbæ
Quod donas, facis ipse Blæsianum.
Hoc longum tibi vita dum manebit,
Hoc & post cineres erit tributum.

chrum persistat donare nomini superstitis, quid sperat nisi lenire mœrorem? Interest an sis probus, an cupias videri. O Melior, hoc facis, fama renunciante: qui solicitus non permittis ut diebus solennibus pereat memoria Blæsi sepulti, & quod ex arca liberali munificus largiris grata & pia turba scribarum ad celebrandum diem natalicium, ipse tribuis hoc Blæso. Hoc diuturnum reponetur tibi, quandiu vives, hoc & reponetur post mortem.

Captet forsan.] Melior duos pueros habuit, Glauciam & Blæsum, & utrumque mortuum luxit, epig. 28. & 29. lib. 6. At vero, inquit Poëta, qui munera confert in vivos, aut ab iis majora sperat, aut eorum hereditatem captat.

Nomini relicto.] hoc est, mortuo amico si quis officia pietatis præstat, nihil aliud nisi suo dolori lenimen quærit. Vide epistolam 17. Plinii junioris lib. 1. De his qui defunctorum amicorum memoriam colunt.

Præstas hoc.] id est, te probe geris, non ut probus videaris, sed quia sic faciendum existimas.

Qui solennibus.] hoc est qui natalicium diem Blæsi celebras.

Scribarum memori.] quia & Blæsus fuerat scriba.

Facis ipse Blæsianum.] hoc est, nullam gratiam expectas; sed quod donas, id omne Blæso tribuis.

Hoc longum.] Quandiu vives, imo & mortuus ex tanta pietate gloriam & famam consequeris.

Ad Domitianum in laudem sui palatii. XXXIX.

QUI Pallatinæ caperet convivia mensæ,
Ambrosiasque dapes, non erat ante locus.
Hîc haurire decet sacrum, Germanice, nectar,
Et Ganymedea pocula mixta manu,
Esse velis, oro, serus conviva tonantis.
At tu si properas, Jupiter, ipse veni.

Antea non erat locus qui contineret convivia, atque ambrosias epulas mensæ Palatinæ. O Germanice, fas est hic bibere sacrum nectar, & pocula porrecta manu Ganymedea. Lubeat, quæso, tarde convivari cum Tonante: sed si tu festinas, ô Jupiter, ipse veni.

Hic haurire licet.] nempe in tuo palatio: epig. 36. supra.

Et Ganymedea.] hoc est haurire pocula quæ a tuis pueris formoso Ganymedi similibus porriguntur.

Esse velis.] Tarde adeas cœlum, seu diu vivas.

At tu si.] O Jupiter, si tanto Domitiani desiderio tenearis, descende in terras, ut cum illo conviveris.

Ad Priapum cui minatur flammas nisi custodiat sylvam. XL.

NON horti, neque palmitis beati,
Sed rari nemoris, Priape, custos,
Ex quo natus es, & potes renasci,

O Priape, qui custodis nec hortum nec vineam fertilem, sed nemus non densum, ex quo formatus es & potes formari

Fura-

F[illegible]races moneo manus repellas,
Et sylvam domini focis reserves.
Si defecerit hoc, & ipse lignum es.

denuo; moneo removeas manus furum, & conserves sylvam camino heri. Si hoc defuerit, & ipse es lignum.

Ex quo natus es.] Vide sat. 8. Horatii lib. 1. *Olim truncus eram ficulnus inutile lignum*, &c.

Si defecerit.] Lignum nemoris, cum & ipse lignum sis te comburam. Alii, *si defecerit hac*, nempe silva.

Ad Faustinum de Athenagora qui Saturnalibus nihil ad Poëtam miserat. XLI.

TRISTIS Athenagoras non misit munera nobis,
Quæ medio brumæ mittere mense solet.
An sit Athenagoras tristis, Faustine, videbo:
Me certe tristem fecit Athenagoras.

Mœstus Athenagoras non misit dona ad me, quæ consuevit mittere medio mense brumæ. O Faustine, examinabo an Athenagoras doleat: Athenagoras me sane affecit mœstitia.

Tristis Athenagoras.] De quo epig. 97. lib. 9. Sensus est: Mœstus mihi videtur Athenagoras, quod nihil ad me miserit Saturnalium tempore: Ego, inquit Poëta, nescio an vere doleat, at ego vere doleo quod nihil acceperim, epig. 40. lib. 4.

Medio brumæ.] hoc est mense Decembri: bruma vero significat dies hyemis brevissimos. Cicero 2. de natura deorum: *Solis accessum discessumque brumis solstitiisque fieri.*

Ad Mathonem sectantem divitum mensas. XLII.

SI te sportula major ad beatos
Non corruperit, ut solet: licebit
De nostro, Matho, centies laveris.

Si sportula major non te transtulerit ad divites, ut fit; ô Matho, poteris lavare centies de nostro.

Sportula.] De Mathone egimus epig. 80. lib. 4. De sportula diximus epig. 7. lib. 3.

De nostro.] hoc est, de nostra sportula centum quadrantum poteris & lavare, atque a balneis cœnare, nisi nidore majoris culinæ illectus & corruptus divites adieris.

In Fabium, & Christillam, quorum ille multas uxores, hæc multos maritos extulerat. XLIII.

EFFERT uxores Fabius, Christilla maritos,
Funereamque toris quassat uterque facem.
Victores committe Venus, quos iste manebit
Exitus, una duos ut Libitina ferat.

Fabius effert uxores; Christilla maritos, atque uterque concutit funeream facem thalamis. O Venus, committe victores quibus continget iste eventus, ut Libitina simul rapiat utrumque.

Effert.] Verbum est funeris proprium: conjuges veneno forte necabant Fabius & Christilla.

Funereamque.] Cum deberent adhibere tædas nuptiales.

Victores.] Fac ut matrimonio juncti simul congrediantur, Fabius quidem uxorum victor, Christilla vero victrix maritorum.

Una duos.] Ut Libitina mortis dea utrumque mutuis artificiis occisum simul rapiat.

Ad Titullum, ut genio indulgeat, nec ampla bona ingratis heredibus relinquat. XLIV.

Titulle, moneo, vive ſemper: hoc ſerum eſt:
Sub pædagogo cœperis licet, ſerum eſt.
At tu, miſer Titulle, nec ſenex vivis:
Sed omne limen conteris ſalutator,
Et mane ſudas urbis oſculis udus,
Foroque triplici ſparſus ante equos omneis,
Ædemque Martis, & coloſſon Auguſti
Curris per omnes tertiaſque, quinctaſque.
Rape, congere, aufer, poſſide: relinquendum eſt.
Superba denſis arca palleat nummis,
Centum explicentur paginæ Kalendarum:
Jurabit heres, te nihil reliquiſſe,
Supraque pluteum te jacente, vel ſaxum,
Fartus papyro dum tibi torus creſcit,
Flentes ſuperbus baſiabit eunuchos,
Tuoque triſtis filius, velis nolis,
Cum concubino nocte dormiet prima.

O Titulle, moneo, ſemper vive genialiter: hoc tardum eſt, quamvis cœperis ſub præceptore, tardum eſt. Sed tu, ô infelix Titulle, nec vivis vetulus: ſed ſalutator adis omnia limina, & mane ſudas madidus baſiis civitatis, & foro triplici vagus ante omnes equos, & templum Martis, & coloſſum Auguſti, curris per omnes tertias, & quinctas. Rape, accumula, aufer, poſſide, relinquendum eſt. Superba arca palleat ſpiſſis nummis, aperiantur centum pagina Calendarum: heres jurabit te nihil reliquiſſe, & te exporrecto ſuper pluteum aut lapidem; dum torus circumdatus papyro extruitur tibi, arrogans oſculabitur plorantes eunuchos. . . . .

Sub pædagogo.] hoc eſt, quamvis à prima juventute genialiter vivere cœperis, tamen tardius eſt: epig. 16. lib. 1.

Sed omne limen.] De matutinis his ſalutationibus diximus epig. 79. lib. 4.

Urbis oſculis.] Quos enim ſalutabant, eos oſculabantur veteres.

Foroque triplici.] Lege epig. 38. lib. 3.

Ante equos omnes.] hoc eſt, inquiunt Domitius & Raderus, ante equites: judices enim erant equeſtris ordinis. Forte intelligit ſtatuas equeſtres in foro poſitas.

Coloſſon Auguſti.] Quem deſcribit Marlianus lib. 3. cap. 6.

Per omnes tertias.] Decurias judicum intelligunt alii, quæ primo tres, quibus Auguſtus quartam, Caligula quintam addidit: Alii vero horas interpretantur, epig. 67. infra.

Palleat.] Argento nempe, cujus color pallidus eſt. Alii legunt *pullulet*. Videat lector.

Centum explicentur.] Centum creditorum tabulæ aperiantur, negabit heres quicquam a defuncto relictum, quo ipſis debita pecunia ſolvatur: ſingulis vero Calendis uſuræ a debitoribus exigebantur.

Fartus papyro.] Qua utebantur ad rogum ſtruendum: epig. 97. lib. 10.

Ad Flaccum de reditu Priſci Terentii. XLV.

Priscus ab Ætnæis mihi, Flacce, Terentius oris
Redditur: hanc lucem lactea gemma notet.
Defluat, & lento ſplendeſcat turbida limo,
Amphora centeno conſule facta minor.
Continget nox quando meis tam candida menſis?

O Flacce, Priſcus Terentius redit ad me a regionibus Siciliæ: calculus albus ſignet hanc diem. Et lagena imminuta centum annis defluat, & turbida ſplendeſcat lento limo. Quando mea menſa nanciſcentur noctem tam felicem?

Tam

, am justo dabitur quando calere mero?
Cum te, Flacce, mihi reddet Cythereïa Cypros,
Luxuriæ fiet tam bona caussa meæ.

Quando licebit calefieri vino tam justo? Cum tu, ô Flacce, redibis ad me ex Cypro Cytheria, habebo tam bonam caussam meæ intemperantiæ.

Prisco.] ad quem Poëta mittit librum duodecimum Hujus Prisci Terentii reditum ex Sicilia, ubi est mons Ætna, celebrat Martialis.

Lactea gemma.] Albo calculo prosperos, nigro dies infaustos notabant antiqui: quem morem alii a Scythis, a Thracibus alii ortum putant: ep g. 53. lib. 9. lib. 11. epig. 37.

Et lento splendescat.] Vinum enim centum annorum ex amphora effusum, si commoveretur, turbidum fiebat. De amphora annosa vide epig. 106. lib. 1.

Facta minor.] quia subinde longo senio aliquid deperit.

Contingat.] hoc est, quando erit caussa tam justa laute cœnandi?

Cythereia.] Cyprus quippe insula Veneri sacra est.

XLVI.

In varie se tondentem. XLVII.

PARS maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est,
Pars vulsa est, unum quis putet esse caput?

Pars genarum tonsa est tibi, pars rasa est tibi, pars vulsa est: quis credat esse unum caput?

Pars maxillarum.] Forcipibus nimirum, qui us utebantur juvenes jam adulti: *rasa* novacula scilicet, quam adhibebant viri: *vulsa*, volsellis nempe, quibus fœminæ & juniores utebantur. Cum ergo triplicem istam ætatem capite suo referret hic quisquis fuerit, non unum imo triplex caput habere videbatur.

De abolla Crispini subducta ab aliquo fure. XLVIII.

NESCIT cui dederit Tyriam Crispinus abollam,
Dum mutat cultus, induiturque togam.
Quisquis habes, humeris sua munera redde precamur,
Non hoc Crispinus te, sed abolla rogat:
Non quicumque capit saturatas murice vestes,
Nec nisi deliciis convenit iste color.
Si te præda juvat fœdique insania lucri,
Quo possis melius fallere, sume togam.

Crispinus ignorat, cui dederit purpuream abollam custodiendam, dum mutat suos ornatus, atque induit togam. Quisquis habes, oramus, restitue humeris sua ornamenta: Crispinus non petit hoc a te, sed abolla ipsa: vestes imbutæ murice non conveniunt cuicumque, nec iste color aptus est nisi lautioribus. Si præda placet tibi, & furor turpis lucri, furare togam, ut possis melius latere.

Crispinus.] De quo egimus epig. 98. lib. 7. cui ut ablatam abollam restituat, furem hortatur Poëta, & Crispinum ipsum deridet, qui nesciret cui dedisset servandam abollam, de qua epig. 53. lib. 4.

Non quicumque.] hoc est, non cujusvis est gestare purpuram.

Fœdi lucri.] furti.

Sume togam.] magno enim in togatorum numero tu togatus delitesces.

De

De Aspro amatore puellæ nunquam visæ. XLIX.

FORMOSAM plane, sed cæcus diligit Asper.
Plus ergo, ut res est, quam videt Asper, amat.

Asper, sed cæcus amat pulchram sane puellam. *Igitur, ut res est, Asper amat plus quam videt.*

Formosam.] Poëta deridet istum cæcum, qui puellæ nunquam visæ amore flagraret. Juvenalis sat. 4. v. 119.

Qui nunquam visa flagrabat amore puella.

Ad Cæsarem Domitianum, de ejus convivio. L.

QUANTA gigantei memoratur mensa triumphi,
Quantaque nox superis omnibus illa fuit,
Qua bonus accubuit genitor cum plebe deorum,
Et licuit Faunis poscere vina Jovem,
Tanta tuas celebrant, Cæsar, convivia laurus,
Exhilarant ipsos gaudia nostra deos.
Vescitur omnis eques tecum, populusque patresque,
Et capit ambrosias cum duce Roma dapes.
Grandia pollicitus quanto majora dedisti!
Promissa est nobis sportula, recta data est.

Quantum convivium celebratur post victoriam de gigantibus relatam, *& quanta illa nox fuit omnibus diis, qua bonus pater accubuit cum plebe deorum, & fas fuit Faunis petere merum a Jove: tanto epulo, ô Cæsar, celebratur tua victoria: dii ipsi afficiuntur nostra lætitia. Omnes equites, populus, & patres epulantur tecum, & Roma accipit ambrosias epulas cum Imperatore. Pollicitus grandia, quanto majora præstitisti! Sportula nobis promissa est, recta data est.*

Accubuit genitor.] Jupiter nempe cum diis minoribus.
Plebe.] vetus codex habet *Phœbe.*
Exhilarant ipsos.] Tanta est nostra lætitia, ut deos ipsos afficiat, qui nobiscum accumbere vellent.
Ambrosias.] hoc est divinas. Deus enim haberi volebat Domitianus.
Grandia pollicitus.] Epiphonema est, quo Domitiani liberalitatem extollit Poëta. Alii *pollicitis.*
Sportula.] quam sustulit Domitianus, revocata cœna recta. Suetonius in Domitiano cap. 7. Vide etiam epig. 7. lib. 3.

De phiala Rufi, qua miro artificio elaborata donatus fuerat. LI.

QUIS labor in phiala? docti Myos, anne Myronis?
Mentoris hæc manus est, an Polyclete tua?
Livescit nulla caligine fusca, nec odit
Exploratores nubila massa focos.
Vera minus flavo radiant electra metallo,
Et niveum felix pustula vincit ebur.

Quis labor in phiala? An periti *Myos, an vero Myronis?* An *hæc manus est Mentoris, an tua, ô Polyclete? Nulla caligine fusca massa livescit, nec obscura odit ignem exploratorem: vera electra splendent metallo minus flavo, atque elaborata pustula superat candidum ebur. Opus*

Ma-

Materiæ non cedit opus: sic alligat orbem,
Plurima cum tota lampade Luna nitet.
Stat caper Æolio Thebani vellere Phryxi
Cultus, ab hoc mallet vecta fuisse soror.
Hunc nec Cinyphius tonsor violaverit, & tu
Ipse tua pasci vite Lyæe velis.
Terga premit pecoris geminis Amor aureus alis,
Palladius tenero lotos ab ore sonat.
Sic Methymnæo gavisus Arione delphin
Languida non tacitum per freta vexit onus.
Imbuat egregium digno mihi nectare munus,
Non grege de domini, sed tua, Ceste, manus.
Ceste decus mensæ, misce Setina: videtur
Ipse puer nobis, ipse sitire caper.
Det numerum cyathis Instantis litera Rufi:
Auctor enim tanti muneris ille mihi.
Si Telethusa venit, promissaque gaudia portat:
Servabor dominæ, Rufe, triente tuo.
Si dubia est, septunce trahar: si fallit amantem,
Ut jugulem curas, nomen utrumque bibam.

non superatur a materia: sic Luna claudit orbem, cum plena splendet tota lampade. Caper prominet ornatus Æolio vellere Phryxi Thebani, cujus *soror mallet vecta fuisse ab hoc. Nec tonsor Cinyphius violaverit hunc, & tu, ô Bacche, ipse sinas* illum *vesci tua vite. Amor aureus geminis alis urget dorsum pecoris, lotos Palladius sonat ab ore delicato. Sic delphin lætatus Arione Methymnæo portavit onus sonorum per placida maria. Non* servus *ex grege domini, sed tua manus, ô Ceste, tingat mihi præstans donum pretioso nectare. O Ceste, ornamentum mensæ, ministra Setina: ipse puer videtur nobis sitire, & ipse caper. Litera Instantis Rufi assignet numerum cyathis; nam ille me affecit tanto dono. Si Telethusa accedit, atque affert promissam lætitiam; servabor dominæ*, hausto *tuo triente, ô Rufe. Si incerta est, hauriam septuncem: si decipit amantem, potabo utrumque nomen, ut conficiam sollicitudines.*

Docti Myos.] An opus est Myos cœlatoris egregii, epig. 24. supra. Myronis, Mentoris, & Polycleti mentionem facit Plinius lib. 33. cap. 12.

Livescit nulla caligine.] hoc est, phiala sincera est, & pura ab omni macula.

Nec odit.] Sicut aurum adulterinum quod igne exploratum evanescit.

Vera minus.] Sensus est, inquit Raderus: Vera electra, seu succinum, minus radiant quam hujus phialæ flavum metallum, id est aurum. *Vera electra* dixit ad differentiam electri factitii, quod fiebat ex quinta argenti portione auro admixta. Vel sic intellige hunc versum: Hæc phiala ex electro factitio composita magis fulget quam verum electrum. Eligat lector.

Et niveum.] Alii *& nimium*: minus bene. De argento pustulato diximus epig. 85. lib. 7. *Felix pustula* dicitur, vel quod feliciter & ingeniose esset elaborata, vel quod nostrum poëtam bearet.

Sic alligat orbem.] hoc est phiala splendore & figura similis est Lunæ plenæ.

Stat caper.] Sic Juvenalis sat. 1. v. 76.

Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.

Æolio.] Nempe iste caper ornatus erat aureo vellere, quale habebat aries, quo vectus cum sorore Helle trajecit mare Phryxus filius Athamantis regis Thebanorum, cujus Æolus pater fuit, epig. 28. supra.

Nec Cinyphius.] Epig. 94. lib. 7.

Ipse tua.] Grata est Baccho victima hircus, epig. 24. lib. 3. Attamen iste tam affabre erat formatus, ut sua vite libens illum pasceret Bacchus.

Terga premit.] Capro insidebat Cupido.

Palladius lotos.] hoc est tibia. *Lotos ad tibiarum cantus expetitur*, inquit Plinius lib. 13. cap. 17. *Palladius* dici videtur, quod frequens in Africa nascatur non procul a Tritone lacu sacro Minervæ.

Sic Methymnæo.] Methymna Lesbi insulæ urbs fuit patria nempe Arionis, cujus historiam lege apud Herodotum lib. 1.

Non tacitum onus.] hoc est, ipsum Ariona lyra canentem.

Imbuat egregium.] In phialam vinum primo infundat non quivis ex servis, sed Cestus puer formosissimus.

Misce Setina.] Vina nata Setiæ in urbe Campaniæ.

Ipse

Ipse puer.] Cupido cœlatus in phiala.

Det numerum.] De more bibendi pro numero literarum nominis vide epig. 72. lib. 1.

Instantis litera Rufi.] Legunt alii *Instanti* pro *Instantii*, de quo epig 67. lib. 7. & 97. lib. 12. Attamen prior lectio placet Radero propter sequentem versum:

Si dubia est, septunce trahar.

Cum enim dominæ essent venturæ parcius bibebant antiqui, epig 107. lib. 1. Idcirco dicit Poëta: Si venit Telethusa, trientem tantum hauriam pro numero quatuor literarum, quas habet *Rufi* nomen in vocativo; at vero si incertum sit, num ad me ventura sit, hauriam septuncem pro numero septem literarum quas habet nomen *Instantis* in recto. Si legeretur *Instantis*, in recto esset *Instantius*: dextantem ergo haurire deberet. Videat lector. Difficilis mihi videtur iste locus. Forte Instans, aut Instantius Rufus promiscue dicebantur: vel alter erat.

Nomen utrumque.] hoc est undecim cyathos, seu deuncem.

Ad Ceditianum de puero tonsore. LII.

TONSOREM puerum, sed arte talem,
Qualis nec Thalamus fuit Neronis,
Drusorum cui contigere barbæ,
Æquandas semel in genas rogatus
Rufo, Ceditiane, commodavi.
Dum jussus repetit pilos eosdem;
Censura speculi manum regente,
Expingitque cutem, facitque longam
Detonsis epaphæresim capillis:
Barbatus mihi tonsor est reversus.

O Ceditiane, ego rogatus commodavi Rufo ad radendas semel genas puerum tonsorem, sed talem arte, qualis nec fuit Thalamus tonsor Neronis, cui contigere barbæ Drusorum radendæ. Dum imperatus repetit pilos eosdem Rufi *censura speculi regente manum, atque expingit cutem, & facit diuturnam detractionem detonsis capillis: tonsor barbatus redit ad me.*

Nec Thalamus.] nomen tonsoris Neronis. Lipsius lib. 1. epist. quæst. 5.

Drusorum.] hoc est Neronum.

Pilos eosdem.] hoc est, dum iterum atque iterum radit barbam Rufi. Legit Farnabius, *Dum jussus repetit*: hoc est, dum nimio studio ad speculi censuram pilos iterum atque iterum castigat.

Expingit.] Alii *expungit*: epig. 82. lib. 7.

Barbatus.] hoc verbo diutius a Rufo detentum fuisse Rufum significat Poëta.

In Catullam, raram esse concordiam formæ atque pudicitiæ. LIII.

FORMOSISSIMA quæ fuere, vel sunt,
Sed vilissima quæ fuere, vel sunt.
O quam te fieri, Catulla, vellem,
Formosam minus, aut magis pudicam!

Quæ pulcherrima fuere vel sunt, sed vilissima quæ fuere vel sunt: ô Catulla, quam optarem te fieri minus pulchram, aut magis castam.

Formosissima.] hoc est, Fœminæ quæ fuerunt formosissimæ, fuerunt quoque vilissimæ, quia omnibus prostitutæ.

Ad Cæsarem Domitianum: non illum propter munera, sed munera propter ipsum amari. LIV.

MAGNA licet toties tribuas, majora daturus
Dona, ducum victor, victor & ipse tui:

O Ducum victor, atque ipse victor tui, quamvis toties largiaris magna munera, largiturus adhuc majora;

Dili-

Diligeris populo non propter præmia, Cæsar;
Propter te populus præmia, Cæsar, amat.

ô Cæsar, amaris a populo non propter munera; ô Cæsar, populus diligit munera propter te.

Magna licet.] Congiarium enim populo ter dederat Domitianus. Suetonius in Domitiano.

Victor &c.] hoc est, qui nihil agis præter rationem, quæ victoria omnium difficillima videtur.

Propter te.] Domitiano blanditur Poëta, quem populo esse cariorem, quam munera, affirmat.

Ad eundem de leone exhibito in arena. LV.

AUDITUR quantum Massyla per avia murmur,
Innumero quoties sylva leone furit,
Pallidus attonitos ad plena mapalia pastor
Cum revocat tauros, & sine mente pecus:
Tantus in Ausonia fremuit modo terror arena.
Quis non esse gregem crederet? unus erat.
Sed cujus tremerent ipsi quoque jura leones,
Cui diadema daret marmore picta Nomas.
O quantum per colla decus, quem spargit honorem,
Aurea lunatæ cum stetit unda jubæ!
Grandia quam decuit latum venabula pectus,
Quantaque de magna gaudia morte tulit!
Unde tuis, Libye, tam felix gloria sylvis?
A Cybeles numquid venerat ille jugis?
An magis Herculeo, Germanice, misit ab astro
Hanc tibi vel frater, vel pater ipse feram?

Quantum murmur auditur in solitudinibus *aviis Massyliæ, quoties sylva fremit innumeris leonibus, cum pastor pallidus reducit tauros stupefactos, atque attonitum armentum ad casas plenas: paulo ante tantus terror fremuit in arena Romana. Quis non putaret adesse gregem? Unus erat. At cujus leges reformidarent ipsi etiam leones, quem regem constitueret Numidia picta marmore. O quantum ornamentum per colla, quod decus explicuit, cum unda aurea jubæ lunatæ arrecta est! quam par fuit amplum pectus magnis venabulis, & quantam lætitiam percepit* leo *ex præclara morte! O Africa, unde decus tam felix tuis sylvis? Nunquid ille venerat ex montibus Cybeles? An potius, ô Germanice, frater aut genitor misit tibi hanc feram ab astro Herculis.*

Massyla.] Libyæ pars est Massylia, in qua sunt multi leones.

Pallidus.] Leonum rugitu exanimatus.

Ad plena mapalia.] Alii ad *Pœna mapalia*, hoc est Punica.

Ipsi quoque.] hoc est, Tantus erat leo ille exhibitus in arena, ut inter alios leones rex videri posset.

Picta Nomas.] Variato enim marmore abundat Numidia.

O quantum.] hoc est, quam præstans erat juba arrecta instar mediæ Lunæ.

Grandia quam decuit.] Ingenti Domitiani venabulo convenit tam amplum leonis pectus.

Gaudia morte tulit.] Quod nempe Domitiani manu ceciderit.

A Cybeles.] hoc est ab Ida monte Phrygiæ, cui præest Cybele, quam a quatuor leonibus vehi fabulantur Poëtæ.

An magis Herculeo.] Astrum Herculeum intellige leonem ab Hercule interfectum, atque inter Zodiaci signa relatum: epig. 57. l.b.4. Germanicum vocat Domitianum a devictis Germanis.

Hanc tibi.] Vespasianus pater, vel Titus frater inter deos relati.

Ad Flaccum, nullos esse suis temporibus egregios Poëtas, quod a nemine vigiliarum suarum mercedem accipiant. LVI.

TEMPORIBUS nostris ætas cum cedat avorum,
Creverit & major cum duce Roma suo;
Ingenium sacri miraris abesse Maronis,
Nec quemquam tanta bella sonare tuba.
Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.
Jugera perdiderat miseræ vicina Cremonæ,
Flebat & abductas Tityrus æger oves.
Risit Tuscus eques, paupertatemque malignam
Reppulit, & celeri jussit abire fuga.
Accipe divitias, & vatum maximus esto:
Tu licet & nostrum, dixit, Alexin ames.
Adstabat domini mensis pulcherrimus ille,
Marmorea fundens nigra Falerna manu,
Et libata dabat roseis carchesia labris,
Quæ poterant ipsum solicitare Jovem.
Excidit attonito pinguis Galatea Poëtæ,
Thestylis, & rubras messibus usta genas.
Protinus Italiam concepit, & arma, virumque,
Qui modo vix culicem fleverat ore rudi.
Quid Varos, Marsosque loquar, ditataque vatum
Nomina, magnus erit quos numerare labor?
Ergo ero Virgilius, si munera Mæcenatis
Des mihi? Virgilius non ero, Marsus ero.

Cum ætas avorum det primas nostro seculo, & Roma magis aucta fuerit cum suo Imperatore; tibi mirum videtur desiderari ingenium sacri Maronis, nec quenquam canere bella tam magna buccina. O Flacce, adsint Mæcenates, non desiderabuntur Marones, & vel tua villa suppeditabit tibi Virgilium. Tityrus amiserat jugera finitima infelici Cremonæ, atque ægrotus lamentabatur oves abductas. Tuscus eques risit, & propulsavit malignam inopiam, & coëgit discedere celeri fuga. Accipe divitias, inquit, atque esto maximus poëtarum: & licet, tu ardeas nostrum Alexin. Ille formosissimus astabat mensis heri fundens fusca Falerna manu marmorea, & porrigebat carchesia degustata labris roseis, quæ poterant commovere ipsum Jovem. Poëta attonitus oblitus est rudem Galateam, & Thestylem ustam rubras genas messibus. Repente concepit Italiam, & arma virumque, qui paulo ante ore rudi vix fleverat culicem. Quid commemorabo Varos, & Marsos, & locupletata nomina poëtarum, quos enumerare magnus erit labor? An ergo fiam Virgilius, si largiaris mihi dona Mæcenatis? Non fiam Virgilius, Marsus fiam.

Cum duce.] Domitiano scilicet, epig. 19. lib. 5.

Pulchrior & major quo sub duce Martia Roma.

Tanta tuba.] stylo tam heroïco & sublimi.

Sint Mæcenates.] qui muneribus poëtas afficiant.

Jugera.] Vide Virgilii eclogam 1. & 9. Cremona Bruti & Cassii partes secuta veteranis Augusti militibus præmii loco attributa fuerat, quibus cum non sufficeret, vicinum agrum Mantuanum Virgilii patriam assignari jussit Augustus. Itaque suo fundo spoliatus Virgilius Romam petiit, ubi propter ingenium carus Mæcenati, non tantum possessionem suam impetravit, sed & munera amplissima consecutus est.

Tuscus eques.] Mæcenas nempe ordinis equestris a regibus Etruscis ortus, Horatius lib. 1. od. 1. & epig. 4. lib. 12.

Et nostrum Alexin.] Quem tamen non Mæcenatis, sed Pollionis puerum fuisse affirmant quidam. Vide Turnebum lib. 29. cap. 14.

Domini

Domini mensis.] Mæcenatis.

Marmorea.] hoc est candidissima & politissima.

Carchesia.] pocula certi generis, de quibus Athenæus lib. 11. cap. 13.

Pinguis Galatea.] Sensus est: Non amplius humilia scripsit carmina de agresti Galatea, & Thestyli, cujus genæ æstivo calore adustæ erant.

Usta genas.] hoc est secundum genas: hellenismus est: sed Æneidem aggressus est cujus initium, *Arma virumque cano*, &c.

Vix culicem.] breve poëma de culice.

Quid Varos.] Vari mentionem facit Virgilius ecloga 6.

Marsus ero.] Epicus quidem non ero Poëta, sed scribam epigrammata, qualis Marsus de quo epig. 71. lib. 2. Heraldus scribit *Marcus ero*, hoc est, inquit, Marcus ero Martialis, & huic nomini non minus celebritatis conciliabo, quam Virgilius olim conciliavit suo.

De Picente edentulo. LVII.

TREIS habuit dentes, pariter quos exspuit omnes,
Ad tumulum Picens dum sedet ipse suum.
Collegitque sinu fragmenta novissima fracti
Oris, & aggesta contumulavit humo.
Ossa licet quondam defuncti non legat heres;
Hoc sibi jam Picens præstitit officium.

Tres fuerunt dentes Picenti, quos omnes simul exspuit, dum ipse sedet ad suum sepulchrum, & sinu collegit ultima frusta oris rupti, & sepelivit terra aggesta. Quamvis heres aliquando non legat ossa mortui; Picens jam sibi præstitit hoc officium.

Collegitque.] Defunctorum ossa & cineres colligere atque inhumare solebant veteres: Picens vero iste, ut jocatur Poëta, non erit inhumatus; jam enim sui partem, dentes scilicet, terræ mandavit.

In Artemidorum indutum crassis lacernis. LVIII.

CUM tibi tam crassæ sint, Artemidore, lacernæ,
Possim te Sagarum jure vocare meo.

O Artemidore, cum habeat lacernas tam crassas, liceat jure meo appellare te Sagarum.

Artemidore.] Artemidorus tam crassam gestabat lacernam, ut sagum videri posset. Vocat ergo illum sagarum, quasi sagatum. Hæc Raderus, qui plura alia subjungit, ut explicet hoc epigramma.

Meo.] Alii *meum*. Porro Lipsius lib. 1. epist. 5. ait: Sagari dicti qui munus aliquod theatrale fungerentur.

In luscum furem. LIX.

ADSPICIS hunc uno contentum lumine, cujus
Lippa sub attrita fronte lacuna patet:
Ne contemne caput, nihil est furacius illo.
Non fuit Autolyci tam piceata manus.
Hunc tu convivam cautus vitare memento:
Tunc furit, atque oculo luscus utroque videt.
Pocula soliciti perdunt, ligulasque ministri,
Et latet in tepido plurima mappa sinu.
Lapsa nec a cubito subducere pallia nescit;

Vides hunc contentum uno oculo, sub cujus attrita fronte conspicitur stillans lacuna: Ne spernas caput, nihil est furacius illo. Autolyci manus non fuit tam piceata. Tu cautus recordare evitare hunc convivam: tunc insanit, & luscus aspicit utroque oculo. Famuli anxii amittunt pocula, & ligulas, & multa mappa delitescunt in tepido ejus sinu; & novit subtrahere pallia lapsa a cubito, & crebro discedit



VI *Lib.* 32 *epigr.* 2 *verf.*
Mollis Otho] Cujus æreus Latinâ epigraphe *Num.* Palæophilorum maximi valoris delicium.



VII *Lib.* 73 *epigr.* 2 *verf.*
Virga] Caduceo, quo fæpius armatus hic Deorum nuncius, in Latinis Græcifque *Numifmatibus.*



VI *Lib.* 13 *epigr.* 6 *verf.*
Parve Cupido] Quem præferunt *Numi* Græci Romanique felectiores.



VII *Lib.* 23 *epigr.* 5 *verf.*
Siculos fratres] Catanæos, in utrumque parentem pios. Unde ii in *Denario* Pompeiæ gentis apud *Patinh. Fulv. Urfinum.*



VII *Lib.* 1 *epigr.* 9 *verf.*
Cæfar] Domitiane; qui in *Num.* capite nudo, laureato ac radiato.



VII *Lib.* 1 *epigr.* 11 *verf.*
Triumphos] Triumphali currui infiftentem Domitianum fæpius vides in ejus Latinis Græcifque *Num.*

Et tectus lænis ſæpe duabus abit:
Nec dormitantem vernam fraudare lucerna
Erubuit fallax, ardeat illa licet.
Si nihil invaſit, puerum tunc arte doloſa
Circuit, & ſoleas ſurripit ipſe ſuas.

coopertus duabus lænis: nec fraudulentum pudait eripere vernæ dormitanti lucernam, quamvis illa ardeat. Si nihil occupavit, arte fallaci circuit ſervum ſuum, atque ipſe furatur ſuas ſoleas.

Uno contentum.] quod unus illi oculus ſufficiat ad furandum.
Lippa lacuna.] oculi ſcilicet amiſſi.
Ne contemne caput.] hoc eſt hominem, pars pro toto ſumitur. Senſus eſt: Ne deſinas obſervare hunc hominem, licet luſcum.
Autolyci.] Cujus meminit Homerus Iliad. κ. Fuit ille Mercurii filius, furtis ſimillimus patri. *Tam piceata manus.*] cui ſcilicet adhærent omnia quæ tangit. Legunt alii *tam piperata manus*, hoc eſt callida, quod piceare Latine non dicatur, ſed picare.
Cautus vitare.] Alii *ſervare*.
Ligulaſque.] epig. 33. ſupra. Ligula cochlear eſt, & ſpathula, &c.
Et latet.] & furatur mappas, quas in ſinu condit. Læna vero, ut ait Bayfius de re veſtiaria, genus eſt veſtis militaris, qua etiam in cœna utebantur antiqui, ut conſtat ex hoc loco.
Verna.] eſt ſervus domi natus.
Et ſoleas.] Pueri ad pedes convivarum ſoleas cuſtodiebant: convivæ enim ſine calceis menſæ accumbebant: iſte vero luſcus ſuas ipſe ſoleas furripiebat, ne furandi artem dediſceret.

In Claudiam, cujus proceram ſtaturam ridet. LX.

SUMMA palatini poteras æquare Coloſſi,
Si fieres brevior, Claudia, ſeſquipede.

O Claudia, ſi fieres brevior uno pede & dimidio, poteras æquare verticem Coloſſi palatini.

Coloſſi.] De quo diximus epig. 2. lib. Spect.

In Carinum invidum. LXI.

LIVET Carinus, rumpitur, furit, plorat,
Et quærit altos, unde pendeat, ramos:
Non jam quod orbe cantor, & legor toto:
Nec umbilicis quod decorus, & cedro
Spargor per omnes Roma quas tenet gentes:
Sed quod ſub urbe rus habemus æſtivum:
Vehimurque mulis non ut ante conductis.
Quid imprecabor, ô Severe, liventi?
Hoc opto, mulas habeat, & ſuburbanum.

Pallet Carinus, rumpitur, inſanit, flet, & quærit altos ramos ex quibus ſuſpendatur: Non jam quod totus orbis celebrat atque evolvit meos verſus, nec quod ornatus umbilicis, & cedro ſpargor per omnes nationes quibus imperat Roma: at quod mihi eſt rus æſtivum ſub urbe, & vehor mulis non conductis ut antea. O Severe, quid imprecabor invido? Hoc opto, ut habeat mulas, & rus ſuburbanum.

Umbilicis decorus.] Epig. 67. lib. 1. & epig. 2. lib. 3. librorum ornamenta explicuimus.
Rus æſtivum.] hoc eſt rus ad æſtivandum.
Mulas habeat.] quas oleribus ex horto ſuburbano decerptis onuſtas agat per urbem, & vendat illa olera, unde victum ſibi quæritet. Domitius vero ſic intelligit: Habeat mulas meis ſimiles, & ſuburbanum meo ſimile: hoc eſt, ſuas amplas divitias amittat, atque ad meam conditionem redigatur, ſeu pauper fiat.

De Picente inepto Poëta. LXII.

SCRIBIT in aversa Picens epigrammata charta,
Et dolet averso quod facit illa deo.

Picens scribit epigrammata in tergo chartæ, & moret quod componit illa invito Apolline.

Scribit in aversa.] In una tantum parte chartæ solebant scribere veteres; qui vero ad nauseam usque, in tergo etiam scribebant. Juvenalis sat. 1.
Scriptus & in tergo necdum finitus Orestes.

Et dolet averso.] Epig. 89. lib. 2.
Carmina quod scribis Musis, & Apolline nullo, &c.
Horatius:
Tu nihil invita facies, dicesve, Minerva.

LXIII.

In Clytum,

qui sæpius in anno natalicium diem celebrabat, ut ab amicis acciperet munera. LXIV.

UT poscas, Clyte, munus, exigasque,
Uno nasceris octies in anno,
Et solas puto, tresve, quatuorve
Non natalicias habes Kalendas.
Sit vultus tibi levior, licebit
Tritis litoris aridi lapillis,
Sit moro coma nigrior caduco,
Vincas mollitie tremente plumas,
Aut massam modo lactis alligati,
Et talis tumor excitet papillas,
Quales cruda viro puella servat:
Tu nobis, Clyte, jam senex videris.
Tam multos quis enim fuisse credat
Natales Priamive, Nestorisve?
Sit tandem pudor, & modus rapinis.
Quod si ludis adhuc, semelque nasci,
Uno jam tibi non sat est in anno,
Natum te, Clyte, nec semel putabo.

O Clyte, ut petas donum, atque extorqueas, octies nasceris in uno anno, & celebras omnes calendas natalicias, exceptis, opinor, solis tribus aut quatuor. Quamvis habeas vultum politiorem tritis lapillis litoris sicci, capilli nigredine superent cadentia mora, mollitie tremente superes plumas, vel metam lactis recens coagulati, & tali tumore turgescant papillæ tuæ, quales marito servat virgo intacta. O Clyte, jam vetulus videris nobis. Quis enim putet tam multos fuisse dies natalicios Priami, aut Nestoris? Tandem sit verecundia, & finis rapinis. Quod si ludificas iterum, & jam tibi non sufficit semel nasci in uno anno, ô Clyte, nec credam te semel natum.

Nasceris octies.] hoc est natalicium diem octies celebras, ut toties munera accipias.
Nigrior caduco.] hoc est maturo, epig. 75. lib. 1.
Sit vultus.] Toties natalem diem celebrasti, ut licet juvenis, tamen senior Priamo & Nestore videaris, de quibus jam dictum.
Sit pudor.] Pudeat te, & finis imponatur tuis rapinis.
Nec semel putabo.] hoc est, te negligam perinde ac si nunquam natus esses, nec unquam munera ad te mittam.

Ad

Ad Domitianum, de templo Fortunæ, atque arcu triumphali, quem sibi erigi jussit. LXV.

Hic ubi fortunæ reducis fulgentia late
Templa nitent, felix area nuper erat:
Hîc stetit Arctoi formosus pulvere belli
Purpureum fundens Cæsar ab ore jubar.
Hîc lauro redimita comas, & candida cultu
Roma salutavit voce, manuque ducem.
Grande loci meritum testantur & altera dona:
Stat sacer edomitis gentibus arcus ovans.
Hîc gemini currus numerant elephanta frequenter.
Sufficit immensis aureus ipse jugis.
Hæc est digna tuis, Germanice, porta triumphis:
Hos aditus urbem Martis habere decet.

Nuper felix area erat hic, ubi splendidæ ædes fortunæ reducis late fulgent. Hoc loco Cæsar emittens ab ore purpureum splendorem stetit decorus pulvere belli Sarmatici. Hic Romani capillis ornatis lauro, atque albis vestibus induti *salutaverunt Imperatorem voce & manu. Atque altera dona demonstrant ingens meritum* illius *loci: arcus triumphalis erectus est de nationibus subactis. Hic duæ quadrigæ numerant multos elephantos. Aureus ipse par est ingentibus jugis. O Germanice, hæc porta convenit tuis triumphis: par est urbem Martis habere hos introitus.*

Fortunæ reducis.] cui propter Domitiani reditum ædificatum est templum.

Felix area.] vel quod in ea templum fortunæ destinatum sit, vel potius quod illic reversum Imperatorem primo salutaverit populus.

Arctoi.] Sarmatici, epig. 5. lib. 7.

Purpureum jubar.] hoc est ruborem. Suetonius cap. 18. in Domitiano: *Statura fuit procera, vultu modesto, ruborisque pleno.*

Et candida cultu.] Albis vestibus induti triumphum comitabantur Romani. Juvenalis sat. 10.

—— *& niveos ad fræna Quirites.*

Antiquus codex habet *candida vultu.*

Manuque.] Refet ad plausum quo exceptus est Imperator.

Et altera dona.] Arcum triumphalem, & templum Fortunæ intellige, prӕterquam quod ibi populus benigne a Domitiano exceptus fuit.

Hic gemini currus.] Supra arcum collocatæ erant duæ quadrigæ, propter duplicem ex Dacis victoriam, quibus elephanti juncti erant, quos aurea Domitiani statua regebat.

Elephanta frequenter.] Quid si legas *frequentem?*

De consulatu Silii. LXVI.

Augusto pia thura, victimasque,
Pro nostro date Silio Camenæ,
Bis senos jubet en redire fasces
Nato consule, nobilique virga,
Vatis Castaliam domum sonare.
Rerum prima salus, & una, Cæsar,
Gaudenti superest adhuc quod optet
Felix purpura, tertiusque consul,
Pompeïo dederit licet senatus,
Et Cæsar genero sacros honores,
Quorum pacificus ter ampliavit,
Janus nomina, Silius frequentes
Mavult sic numerare consulatus.

O Musæ, offerte Domitiano pia thura, & victimas pro nostro Silio: ecce imperat redire duodecim fasces filio facto consule, & nobili virga pulsari Castaliam domum Poetæ. O Domitiane, primum & unicum præsidium rerum, superest adhuc exultanti aliquid *quod cupiat,* nempe *felix purpura, & tertius Consulatus. Quamvis Senatus concesserit Pompeio sacros honores, atque Augustus genero* Agrippæ, *quorum nomina ter illustravit Janus pacificus, magis placet Silio sic numerare crebros Consulatus.*

Date Silio.] cujus filius a Domitiano factus est Consul: Silius enim pater semel tantum Consul fuit eo anno quo periit Nero, ut constat ex epistola 7. Plinii junioris lib. 3 qui vitam simul & mortem Silii Italici breviter narrat. Vide etiam epig. 62. lib. 7.

Redire.] nempe in familiam Silii Italici, quam Castaliam dicit, hoc est Musis dedi-tam: nam egregium poëma de secundo bello Punico scripsit Silius.

Nato consule.] Filio Silii consulatum adepto.

Castaliam.] Alii *Castalii.*

Domum sonare.] quoties domum suam aut alienam adibat Consul, ad significandum ejus adventum lictor præcedens virga sua fores pulsabat

Quod optet.] ut nempe minor ejus filius Consul quoque fiat, cujus mortem refert Plinius junior epistola 7. lib. 3.

Et Cæsar genero.] Agrippæ Juliam filiam in matrimonium collocavit Augustus, eumque ter Consulem evexit.

Quorum pacificus.] hoc est; quorum nomina relata sunt in fastos, qui erant in tutela Jani pacifici quidem sub Augusto, quo regnante clausum est templum Jani tertio.

Mavult sic.] duos filios gerere Consulatum, quam ipse ter esse Consul, ut Pompeius & Agrippa.

In Cæcilianum, qui præmature ad cœnam venerat. LXVII.

HORAS quinque puer nondum tibi nunciat, & tu
Jam conviva mihi, Cæciliane, venis.
Cum modo distulerint raucæ vadimonia chartæ,
Et Floralicias lasset arena feras;
Curre, age, & illotos revoca, Calliste, ministros:
Sternantur lecti, Cæciliane, sede.
Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit:
Alget adhuc nudo clausa culina foco.
Mane veni potius, nam cur te quincta moretur?
Aut cur non sero, Cæciliane, venis?

O Cæciliane, nondum servus tibi nunciat horam quintam, & tu conviva jam venis ad me. Cum modo raucæ chartæ prorogarent vadimonia, atque arena defatiget feras Floralicias; ô Calliste, propera, age, & revoca illotos servos: lecti adornentur, Cæciliane, sede. Petis aquam calidam, at nondum frigida allata est: culina clausa friget adhuc nudo foco. Veni potius mane; cur enim quincta retardet te? aut cur non venis sero, ô Cæciliane?

Horas quinque.] Cœnare vero hora tantum nona solebant Romani, epig. 8. lib. 4.

Imperat extructos frangere nona toros.

Cum modo.] Cum modo in alterum diem dimissa sint vadimonia, & caussæ forenses quæ hora tertia agebantur, epig 8. lib. 4.

Exercet raucos tertia caussidicos.

Vadimonium vero sponsio est sistendi in judicio. Legunt alii,

———— *raucæ vadimonia ceræ.*

id est libelli forenses, inquit Domitius. Raucæ chartæ dicuntur, meo judicio, pro ipsis raucis caussidicis. Alii legunt,

———— *vadimonia quarta.*

Hora enim quarta differebantur lites, ut aiunt.

Et Floralicias.] De ludis in honorem Floræ celebratis dictum epig. 3. lib. 1. In his lepores, capreæ, atque alia animalia exhibebantur ab Ædilibus.

Illotos.] hora octava lavabant veteres.

Sternantur lecti.] In triclinio nempe.

Caldam poscis.] qua vinum temperabatur, epig. 12. lib. 1.

Nudo clausa.] hoc est nondum adsunt ligna quibus excitetur ignis.

Aut cur non sero.] Post cœnam nimirum. Alii,

Ut jentes, sero, Cæciliane, venis.

Et sic explicat Salmasius: Hora jentaculi tertia aut quarta erat: unde Martialis eum, qui ad quintam venerat pransurus, sero venire dixit, ut jentaret: nimia tempori ut pranderet.

Ad Entellum, cujus rus amœnissimis Alcinoi hortis præfert. LXVIII.

QUI Corcyræi vidit pomaria regis,
Rus, Entelle, tuæ præferat ille domus.
Invida purpureos urat ne bruma racemos,
Et gelidum Bacchi munera frigus edat;
Condita perspicua vivit vindemia gemma,
Et tegitur felix, nec tamen uva latet.
Femineum lucet sic per bombycina corpus:
Calculus in nitida sic numeratur aqua.
Quid non ingenio voluit natura licere?
Autumnum sterilis ferre jubetur hyems.

Qui spectavit pomaria regis Corcyræi, ô Entelle, ille anteponat rus tua domus. Ne hyems invida urat purpureos racemos, & ne frigus gelidum noceat muneribus Bacchi, racemi conditi gemma pellucida angescunt, atque uva felix tegitur, nec tamen delitescit. Sic muliebre corpus splendet per bombycina: sic calculus numeratur in pura unda. Quid non voluit natura licere ingenio? Hyems sterilis cogitur producere fructus autumnales.

Qui Corcyræi.] Alcinoi, de cujus hortis in insula Corcyra, hodie *Corfou*, epig. 64. lib. 4. & epig. 41. lib. 7.

Urat ne bruma.] Inter alias arbores vitis præ cæteris uritur frigore, cum ab eo circumobsessus calor naturalis interius contrahitur.

Bacchi munera.] Vites quibus valde inimicum est frigus.

Perspicua gemma.] Lapidibus specularibus epig. 14. supra.

Per bombycina.] hoc est per vestes sericas, quas recte vitreas dixeris, & Juvenalis sat. 2. vocat multitia.

Quid non.] Sensus est; Quid non efficere potest solertia ingenii?

In Vacerram, qui solos Poëtas mortuos laudabat. LXIX.

MIRARIS veteres, Vacerra, solos,
Nec laudas nisi mortuos Poëtas.
Ignoscas petimus, Vacerra; tanti
Non est ut placeam tibi, perire.

O Vacerra, soli antiqui movent tibi admirationem, nec commendas nisi defunctos Poetas. O Vacerra, rogamus, parcas: non tanti facio mortem, ut tibi gratus sim.

Nec laudas.] Lib 5. epig. 10.
Hi sunt invidiæ nimirum, Regule, mores
Præferat antiquos semper ut illa novis.

Tanti non est.] Sensus est: Non tanti facio tuas laudes, ut mori velim, quo a te laudari possim. Forte non male legeris,
——— *tanti*
Non est, ut peream, tibi placere.

De Nerva, Poëta quidem nobili, sed qui talem profiteri se præ pudore nollet. LXX.

QUANTA quies placidi, tanta est facundia Nervæ:
Sed cohibet vires, ingeniumque pudor.
Cum siccare sacrum largo Parmessida posset
Ore, verecundam maluit esse sitim:
Pieriam tenui frontem redimire corona

Quanta quies, tanta est eloquentia mitis Nervæ: at vires & ingenium coërcentur modestia. Cum largo ore posset exhaurire sacrum Parmessida, maluit sitire modeste, contentus adornare frontem poeticam exigua corona, nec

Contentus, famæ nec dare vela suæ.
Sed tamen hunc nostri scit temporis esse Tibullum,
Carmina qui docti nota Neronis habet.

obscurandæ suæ gloriæ. At nihilominus qui novit versus periti Neronis, novit hunc esse Tibullum nostri ævi.

Quanta quies.] Nervam Imperatorem fuisse Poëtam testatur Plinius junior epist. 3. Vide epig. 27. lib. 9. Animo præterea placidissimo fuit Nerva.

Cum siccare sacram.] Permessis fons labitur ex Parnasso: hoc est, modice bibit ex fonte Musarum, seu pauca scribit carmina, cum alioqui plura, & quidem egregia scribere posset. Scribunt alii, *sacram Permessida.*

Tenui corona.] Ex hedera nempe qua leviores Poëtæ, epici vero querna corona cingebantur; epig. 54. lib. 4. Juvenalis sat. 6. vers. 386. De corona querna fuse Scaliger Ausonian. lect. lib. 1. cap. 10. Carminibus heroicis quernam coronam consequi poterat Nerva, sed elegis & epigrammatibus hederaceam mereri contentus fuit.

Carmina qui docti.] A dulcedine carminis Nervam suum Tibullum dixerat Nero in suis versibus.

In Postumianum,

priora beneficia posterioribus esse cumulanda. LXXI.

QUATUOR argenti libras mihi tempore brumæ,
Misisti ante annos, Postumiane, decem.
Speranti plures (nam stare, aut crescere debent
Munera) venerunt plusve, minusve duæ.
Tertius, & quartus multo inferiora tulerunt.
Libra fuit quincto Septiciana quidem:
Bessalem ad scutulam sexto pervenimus anno,
Post hunc in cotula rasa selibra data est.
Octavus ligulam misit sextante minorem,
Nonus acu levius vix cochleare tulit.
Quod mittat nobis, decimus jam non habet annus:
Quatuor ad libras, Postumiane, redi.

O Postumiane, ante decem annos misisti ad me tempore brumæ quatuor libras argenti. Duæ plusve minusve allatæ sunt expectanti plures: nam dona debent stare, vel augescere. Tertius & quartus tulerunt longe inferiora. Quincto libra quidem Septiciana missa est: sexto anno redacti sumus ad scutulam bessalem, post hunc rasa selibra donata est in cotula. Octavus misit ligulam minorem sextante: nonus vix tulit cochleare levius acu. Jam decimus annus non habet quod mittat nobis: O Postumiane, revertere ad quatuor libras.

Tempore brumæ.] Mense Decembri, quo celebrabantur Saturnalia, & munera amicis mittere solebant Romani.

Nam stare aut.] Plinius junior epist. 3. lib. 4. *Est enim ita natura comparatum, ut antiquiora beneficia subvertas, nisi illa posterioribus cumules,* &c.

Septiciana quidem.] Duodecim unciis constabat libra Romana, quæ tamen secundo bello Punico urgente ad novem uncias cum semuncia redacta est, & libra Septiciana, ut existimat Raderus, a *Septis* ubi Romani negotiabantur atque ad pondus vendebant, sic dicta, ut conjicit Farnabius.

Bessalem ad scutulam.] Bes significat octo uncias; scutula vero vas capit octo uncias.

In cotula.] vel *cotyla*, mensuræ est genus, quod sex uncias capiebat. *Rasa selibra.*] Forte intelligit simul cum cotyla datam fuisse selibram argenti. Alii *rasa* referunt ad cotylam, sed quantitas repugnat.

Octavus ligulam.] Genus mensuræ. Plures alias significationes habet ligula, epig. 33. supra. Sextans duæ sunt unciæ.

Nonus acu levius.] Legunt alii.

Nonus aculeolos in cochleare tulit.

Sensus prioris lectionis patet. De cochleari dictum epig. 33. supra. Alii,

Nonus permodicum vix cochleare tulit.

Quatuor, ad.] Sic lepide mendicat Poëta.

Ad librum suum, quem dono dat Artano amico redeunti Narbonem in Galliam. LXXII.

NONDUM murice cultus, asperoque,
Morsu pumicis aridi politus,
Artanum properas sequi, libelle:
Quem pulcherrima jam redire Narbo,
Docti patria Narbo Votieni
Ad leges jubet annuosque fasces,
Votis quod paribus tibi petendum est,
Continget locus ille, & hic amicus.
Quam vellem fieri meus libellus!

O Liber, tu nondum ornatus purpura, nec politus aspero morsu sicci pumicis, festinas comitari Artanum; quem amœnissima Narbo patria eruditi Votieni cogit reverti ad leges, atque annuos fasces: quod tibi optandum est pari desiderio, frueris illo loco, & hoc amico. Quam cuperem fieri meus liber!

Murice cultus.] De ornamentis librorum vide epig. 67. lib. 1. & epig. 2. lib. 3.

Narbo.] Galliæ civitas, hodie *Narbonne*; quæ erat colonia Romana ad Reipublicæ Romanæ imaginem administrata. Romæ erat Senatus, sic in coloniis erant decuriones. Ex decurionibus juridicundo duumviri creabantur singulis annis, qui Romanos Consules repræsentabant. Hinc Poëta Artanum revocari dicit ad leges, hoc est ad jus dicendum, & ad fasces, id est ad Magistratum gerendum.

Votis quod.] Nempe frui illo loco, atque Artano amico.

Quam vellem.] hoc est, quam optarem ipse vice libelli comitari Artanum.

Ad Instantium, amore incitari ingenium. LXXIII.

INSTANTI, quo nec sincerior alter habetur
Pectore, nec nivea simplicitate prior:
Si dare vis nostræ vires, animosque Thaliæ,
Et victura petis carmina, da, quod amem.
Cynthia te vatem fecit, lascive Properti:
Ingenium Galli pulchra Lycoris erat.
Fama est arguti Nemesis formosa Tibulli:
Lesbia dictavit, docte Catulle, tibi.
Non me Pelignus, nec spernet Mantua vatem,
Si qua Corinna mihi, si quis Alexis erit.

O Instanti, quo nec alter æstimatur sincerior corde, nec prior candida simplicitate; si cupis corroborare atque excitare nostram Thaliam, & poscis versus non perituros; da, quod amem. O lascive Properti, Cynthia fecit te poëtam: formosa Lycoris erat ingenium Galli. Venusta Nemesis parit existimationem acuto Tibullo: O erudite Catulle, Lesbia dictavit tibi. Nec Pelignus, nec Mantua contemnet me poëtam, si quandam Corinnam, si quendam Alexim habuero.

Animosque Thaliæ.] Amor quippe felicem ingenio materiam suppeditat: noti sunt Poëtæ, atque eorum amicæ, quos recenset noster Poëta.

Pelignus.] Alii *Peligni* populi Italiæ Marsis finitimi, quorum caput Corfinium: in Pelignis autem natus Ovidius Corinnam amicam versibus celebravit: Mantua autem patria Virgilii, qui ardebat Alexim. Sensus est: Mea etiam carmina legentur a Pelignis & Mantuanis, licet Ovidio illi, hi Virgilio multum faveant.

In malum medicum. LXXIV.

HOPLOMACHUS nunc es, fueras ophtalmicus ante:
Fecisti medicus, quod facis hoplomachus.

Nunc es hoplomachus, prius fueras ophthalmicus: medicus egisti, quod agis hoplomachus.

Hoplo-

Hoplomachus.] Is est qui armis pugnat, hoc est gladiator: ophthalmicus vero medicus est qui curat oculos, sic dictus ab ophthalmia, quæ mala est oculi affectio.

Fecisti medicus.] Imperitia homines necasti, cum esses medicus, quos & nunc occidis gladiator.

De Gallo Lingono, qui percusso ad lapidem pede jacens in sandapila a vespillonibus domum reportatus est. LXXV.

DUM repetit sera conductos nocte Penates
Lingonus a recta Flaminiaque recens:
Expulit offenso vitiatum pollice talum,
Et jacuit toto corpore fusus humi.
Quid faceret Gallus, qua se ratione moveret?
Ingenti domino servulus unus erat,
Tam macer, ut minimam posset vix ferre lacernam:
Succurrit misero casus, opemque tulit.
Quatuor inscripti portabant vile cadaver,
Accipit infelix qualia mille rogus.
Hos comes invalidus submissa voce precatur,
Ut quocumque velint, corpus inane ferant.
Permutatur onus, stipataque tollitur alte
Grandis in angusta sarcina sandapila.
Hic mihi de multis unus, Lucane, videtur,
Cui merito dici, mortue Galle, potest.

Dum Lingonus a recta via & Flaminia novus redit domum conductam nocte sera, elisit corruptum talum pollice læso, & stratus humi procubuit toto corpore. Quid ageret Gallus, quomodo moveret se? Ingens dominus habebat unum servulum tam tenuem, ut vix posset portare minimam lacernam: fortuna subvenit infelici, & fuit subsidio. Quatuor stigmatici ferebant vile cadaver, qualia mille capit miser rogus. Infirmus comes rogat hos voce submissa, ut portent corpus inane, quocumque libeat. Onus permutatur, ingens sarcina alte tollitur intrusa in arctam sandapilam. O Lucane, ex pluribus hunc existimo unum, cui jure dici potest, O Galle mortue.

Lingonus.] sic dictus, ut aiunt interpretes, a civitate Lingonum in Gallia, hodie *Langres*

A recta.] via recta Flaminiæ erat proxima, Marlianus lib. 6. cap. ult.

Ingenti Domino.] hoc est corpore valde obeso.

Quatuor inscripti.] sic dicti a notis & literis, quæ impruborum frontibus inurebantur.

Infelix rogus.] hoc est, pauperum rogus, in quem scilicet multi si simul conjicerentur.

Precatur.] hos nempe vespillones.

Corpus inane.] hoc est mortuum deponant, quocumque in loco voluerint: jacentem vero suum dominum collant. Alii putant Poëtam alludere ad Gallos Cybeles sacerdotes, qui castrati inanes seu impotentes erant ad generandum. Videat lector.

Stipata.] hoc est, Gallus obesus valde coarctatus ponitur in sandapila, quæ erat pauperum feretrum. Vel *stipata* dicitur a quatuor nempe inscriptis servis libitinariis, qui mortuos efferrent.

Mortue Galle.] Dicterium est in Gallos Cybeles sacerdotes, qui impotentes ad generandum, & effœminati, merito mortui nuncupabantur. Hic autem Lingonus a vespillonibus elatus poterat jure mortuus vocari.

In Gallicum, quem male agere caussas festive ostendit Poëta. LXXVI.

DIc verum mihi, Marce, dic amabo;
Nil est, quod magis audiam libenter:

O Marce, dic mihi veritatem, dic quæso: nihil est quod lubentius audiam, sic

Sic

Sic & cum recitas tuos libellos,
Et caussam quoties agis clientis,
Oras, Gallice, me rogasque semper.
Durum est me tibi, quod petis, negare.
Vero verius ergo quid sit audi.
Verum, Gallice, non libenter audis.

ô Gallice, me oras semper & rogas, cum recitas tuos libros, & quoties dicis caussam clientis. Difficile est me recusare tibi quod postulas. Igitur audi verius vero quid sit: O Gallice, non libenter audis veritatem.

Dic verum.] Idem est argumentum epig. 64. lib. 5. & epig. 27. lib. 7.
Non libenter.] Etenim si verum dixero, non te laudabo, imo dicam te male agere caussas.

Ad Liberum amicum, ut genio indulgeat. LXXVII.

Liber amicorum dulcissima cura tuorum,
Liber in æterna vivere digne rosa:
Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
Splendeat, & cingant florea serta caput.
Candida nigrescant vetulo crystalla Falerno,
Et caleat blando mollis amore torus.
Qui sic vel medio finitus vixit in ævo,
Longior huic facta est, quam data vita fuit.

O Liber suavissimum studium tuorum amicorum, Liber digne vivere in æternis rosis: si sapis, capilli semper tibi niteant Assyrio amomo, & coronæ florea circumdent caput. Crystalla alba nigrescant vetulo Falerno, & blandus lectus caleat tenero amore. Qui sic vixit mortuus vel media ætate, hic habuit longiorem vitam, quam concessa fuit.

In æterna rosa.] hoc est in perpetuis voluptatibus.
Assyrio.] hoc est unguento ex Assyrio amomo.
Candida nigrescant.] Poculum enim ex crystallo vini infusi colorem trahit: Falernum vero nigrum est.
Vel medio.] Qui voluptatibus sic se immiscuit, etiam si vel media ætate occidat, diutius tamen vixit, quam dii concesserint: Poëta enim non numero dierum, sed voluptatibus vitam longiorem æstimat. Epig. 16. lib. 1.

De ludis Stellæ, quibus Domitiani triumphum celebravit. LXXVIII.

Quos cuperet Phlegræa suos victoria ludos,
Indica quos cuperet pompa Lyæe tuos,
Fecit Hyperborei celebrator Stella triumphi:
O pudor! ô pietas! & putat esse parum.
Non illi satis est turbato sordidus auro
Hermus, & Hesperio qui sonat orbe Tagus.
Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
Cessat, & in populum multa rapina cadit.
Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis:
Nunc dat spectatas tessera larga feras.
Nunc implere sinus securos gaudet, & absens
Sortitur dominos, ne laceretur avis.

Stella celebrator triumphi Hyperborei exhibuit ludos, quos suos optaret victoria Phlegræa, quos tuos optaret pompa Indica, ô Bacche: O pudor! O pietas! & credit esse parum. Illi non sufficit Hermus turbidus auro mixto, nec Tagus qui strepit orbe Hesperio. Omnis dies habet sua munera, nec dives linea cessat, & multa diripienda mittuntur in populum. Nunc lascivi nummi sparguntur repentinis nimbis; nunc munifica tessera donat spectatas feras. Volucres non exhibitæ lætantur tuto fovere sinu, & sortito capiunt heros, ne discerpantur.

Quid

Quid numerem currus, terdenaque præmia palmæ,
Quæ dare non semper consul uterque solet?
Omnia sed Cæsar tanto superantur honore,
Quod spectatorem te tua laurus habet.

Quid numerem currus, & triginta præmia victoriæ, quæ largiri non semper solent ambo Consules? At, ô Cæsar, omnia inferiora sunt tanto honore, quod tu spectas tuam lauream Sarmaticam.

Phlegræa fuit.] Victoriam Phlegræam intellige, quam de gigantibus retulit Hercules in planitie Cumæa, quæ olim Phlegræa dicebatur propter flammas illic erumpentes. Natalis Comes lib. 7. cap. 2. Videndus & Strabo lib. 5.

Indica pompa.] Quos etiam ludos cuperet Bacchus editos in triumpho quem de India egit, hos Stella exhibuit, ut Domitiani victoriam de Sarmatis celebraret. Triumphum Bacchi cum illa Herculis victoria conjunxit etiam Silius lib. 1.

Qualis odoratis descendens Liber ab Indis
Egit pampineos frænata tigride currus?
Aut cum Phlegræos confecta mole gigantes
Incessit campo tangens Tyrinthius astra.

Non illi.] Tagus fluvius Hispaniæ, Hermus vero Lydiæ arenas aureas vehunt, quæ Stellæ liberalitati non sufficerent.

Omnis habet.] Ludi celebrabantur per plures dies, quibus singulis in populum munera spargebantur. Suetonius cap. 11. in Nerone: *Sparsa & populo missilia omnium rerum per omnes dies singula quotidie millia avium cujusque generis multiplex genus: tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetæ feræ, novissime naves, insulæ, agri.* Hoc loco utitur Turnebus lib. 29. cap. 9. ut sequentes versus explicet, *Nec linea dives.* Ego, inquit, interpretor gemmas & margaritas, resque pretiosas in linea, quod ego gallice explico *filet de perles.* Sic etiam explicat Salmasius. Alii lineam divitem sumunt pro ordine subselliorum, & pro orchestra in qua spectabat Senatus. Lipsius in notis ad Raderum missis sic explicat, ut refert ipse Raderus: *Mihi*, inquit, *videbatur linea pro ordine subselliorum capienda, & interpretabar non solum populum habere quod caperet in missilibus, sed & Senatum. Dives igitur linea orchestra.* Hæc sententia placet Radero; Poëta enim, inquit, videtur consilio distinxisse popularia ab orchestra, cum subjecit:

—— & in populum multa rapina cadit.

Sic Ovidius in Amoribus lineam accipit pro ordine sedentium:

Quid frustra refugis? cogit nos linea jungi.

Lineam divitem libenter explicarem schedulam, in quas scriptum esset quid pretiosum, quod referenti schedulam donaretur: in tesseris vero seu globulis ligneis scripta erant ferarum nomina, quæ distribuebantur rapientibus tesseras. De linea margaritarum agitur lege 26. ff. *ad legem Falcidiam*, & lege ultima ff. *de auro, argento, mundo, &c.*

Nunc veniunt.] E loco nempe superiore sparguntur nummi sestertii, quos lascivos vocat, quod forte populum ad se alliciant vel recreent.

Nunc dat.] Turnebus loco citato sic explicat hunc versum: tesseræ globuli erant certæ speciei notis inscripti, quæ ei qui jactam tesseram rapuerat, dabatur. Vide Xiphilinum in Nerone.

Nunc implere.] hoc est, ut mihi videtur: Aves absentes, seu in arena non exhibitæ tesseris inscriptæ dantur iis, quibus forte contigit tessera: at vero si aves emissæ fuissent, a diripientibus laceratæ fuissent.

Ne laceretur.] Alii *nec laceratur.*

Qua dare.] Sensus est: Plura victoribus præmia dedit Stella, quam ambo Consules, cum simul edunt ludos.

Tanto superantur.] Stellæ ludi per se quidem celebres, tua præsentia, ô Domitiane, celeberrimi facti sunt.

In Fabullam, affectantem pulchritudinem. LXXIX.

OMNES aut vetulas habes amicas,
Aut turpes, vetulisque fœdiores:
Has ducis comites, trahisque tecum
Per convivia, porticus, theatra.
Sic formosa, Fabulla, sic puella es.

Omnes tuæ amicæ aut sunt vetulæ, aut turpes, & deformiores vetulis: tibi adjungis has comites, & trahis tecum per convivia, porticus, theatra. O Fabulla, sic pulchra, sic puella es.

formosa.] hoc est collata cum illis vetulis tibi videris formosa.

In Domitianum, qui pugilatione revocata antiquorum ſimplicitatem repræſentaverat. LXXX.

SANCTORUM nobis miracula reddis avorum,
Nec pateris, Cæſar, ſecula caná mori:
Cum veteres Latiæ ritus renoventur arenæ,
Et pugnet virtus ſimpliciore manu.
Sic priſcis ſervatur honos te præſide templis,
Et caſa tam culto ſub Jove numen habet.
Sic nova dum condis, revocas, Auguſte, priora:
Debentur quæ ſunt, quæque fuere tibi.

O Domitiane, reſtituis nobis miracula ſanctorum avorum, nec finis priſca ſecula perire. Cum antiquæ conſuetudines Romanæ arenæ revocentur, & virtus certet manu ſimpliciore. Sic, te Imperatore, decus ſervatur antiquis templis, & caſa eſt in veneratione ſub Jove tam culto. Sic, Auguſte, dum conſtruis nova, renovas antiqua: quæ ſunt & quæ fuerunt, debentur tibi.

Sanctorum nobis.] hoc eſt, pugiles in arena exhibuiſti, quos mirabatur antiquitas.

Nec pateris.] priſca ſecula excidere ex noſtra memoria.

Simpliciore manu.] pugnis tantum, & cæſtibus, non ferro, tridente, &c. Raderus.

Sic priſcis ſervatur.] Quemadmodum ludos veteres renovas, ſic & templa antiqua veneraris.

Et caſa.] hoc eſt, antiquum Jovis templum humile quidem & vile a te reſtauratum in veneratione eſt. *Sub Jove tam culto.*] quem nimirum tam aſſidue colis, & cui tot & tanta donaria offers.

Sic nova dum.] Domitianus plura templa condidit, atque antiqua plura reſtauravit. Suetonius in Domitiano. Atque ita, ait Poëta, omnia Reipublicæ tempora ſub illo recurrere.

In Gelliam, cui gemmæ vita cariores erant. LXXXI.

NON per myſtica ſacra Dindymenes,
Nec per Niliacæ bovem juvencæ
Nullos denique per deos, deaſque,
Jurat Gellia: ſed per uniones.
Hos amplectitur, hos deoſculatur:
Hos fratres vocat, & vocat ſorores:
Hos natis amat acrius duobus.
His ſi quo careat miſella caſu,
Victuram negat eſſe ſe nec horam.
Eheu quam bene nunc, Papiriane,
Annæi faceret manus Sereni.

Gellia non jurat per ſacra myſtica Dindymenes, nec per bovem juvencæ Niliacæ, tandem per nullos deos, nec deas: at per uniones. Fovet hos ſinu, hos ſuaviatur. Hos appellat fratres, atque appellat ſorores, hos diligit vehementius duobus liberis. Si quo caſu infortunata privetur his, affirmat ſe non eſſe victuram, nec horam. Eheu, ô Papiriane, quam bene nunc faceret manus Annæi Sereni.

Sacra Dindymenes.] id eſt Cybeles ſic dictæ a Dindymo Phrygiæ monte ubi colebatur. Dicitur etiam Berecynthia mater, per cujus ſacra jurare ſolebant antiqui, epig. 43. lib. 4.

Juro per Berecynthios furores.

Niliaca bovem.] hoc eſt, nec per Apim bovem, ſub cujus ſpecie Ægyptii colebant Oſirim, cui nupſit Iſis Ægyptiorum dea ex Io vacca. Sic Farnabius.

Annæi.] Annæum furem fuiſſe conjiciunt interpretes, qui utinam, inquit Poëta, Gelliæ uniones ſubduxiſſet, illa præ dolore moreretur digna quidem morte, quippe quæ uniones vehementius liberis, imo & diis ipſis amet.

Ad

Ad Domitianum, quem laudat, quod levioribus etiam Poëtis faveat. LXXXII.

DANTE tibi turba querulos, Auguste, libellos,
Nos quoque qui domino carmina parva damus:
Posse deum rebus pariter, Musisque vacare,
Scimus, & hæc etiam serta placere tibi.
Fer vates, Auguste, tuos: nos gloria dulcis,
Nos tua cura prior, deliciæque sumus.
Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi:
Fiat & ex edera civica nostra tibi.

O Auguste, turba tibi offerente supplices libellos, nos etiam qui porrigimus domino leves versus, novimus Deum posse simul dare operam negotiis & Musis, atque has quoque coronas tibi gratas esse. O Auguste, fave tuis Poëtis: nos suave decus, nos tua prior cura, & deliciæ sumus. Non quercus sola tibi convenit, nec laurea Apollinis: & nostra civica corona *fiat tibi ex edera.*

Dante tibi.] Per libellos supplices principem adibat populus: queruli vero dicuntur libelli, per quos nempe conquerimur de infortunio vel injuria, atque auxilium petimus.


Posse deum.] Domitianum scil. posse & Musis vacare, & terrarum orbem administrare.

Nos gloria dulcis.] hoc est, Poësim amas.

Non quercus.] hoc est, non solæ coronæ ex quercu vel ex lauro te decent, ob servatos cives, & devictos hostes, sed & coronæ ex edera quæ nobis Poëtis & civibus tuis conveniunt. Virgilius Augustum alloquens eclog. 8 sic canit:

——— *atque hanc sine tempora circum*
Inter victrices ederam tibi serpere lauros.

M. VAL.



VIII *Lib.* 21 *epigr.* 7 *verſ.*

Titana] Solem ; cujus feſtinantem quadrigam præfert *Num.* Corinthiorum , in Aurelii aug. honorem percuſſus.



IX *Lib.* 18 *epigr.* 1 *verſ.*

Veneranda] Æſculapium , vel ſolum , vel juxta Hygiam & Teleſphorum , *Numi* habent plurimi.



VIII *Lib.* 66 *epigr.* 11 *verſ.*

Pacificus] Quippe Iani templum clauſum pacis , ut apertum , belli index. Cernitur in *Num.* Auguſti Neroniſque.



IX *Lib.* 106 *epigr.* 8 *verſ.*

Paris] Cujus judicium , inter Poëtas adeo decantatum , occurrit in Ant. Pii *Num.* apud *Sponium & Morellium.*



IX *Lib.* 43 *epigr.* 2 *verſ.*

Cycnis] Scilicet in morte canentibus ; ſic ...llini ſacratis. Hic etenim cycno inſi- ...in *Num.* Græcis.



IX *Lib.* 2 *epigr.* *verſ.*

Flaviæ decus gentis] Templum Veſpaſianorum , opus Domitiani , vides in *Num.* Titi.



IX *Lib.* 103 *epigr.* 4 *verf.*
· *Poma tulit* [Hesperidum ; quem laborem Herculis præferunt Albini & Getæ *Num.* apud *Triftanum.*



IX *Lib.* 103 *epigr.* 17 *verf.*
Sarmatici] Sarmaticæ victoriæ teftis eft Domitiani *Num.* apud *Oyzelium* , 23 *Tab.* 11 *Num.* Quales funt & Commodi , M. Aurelii & Conftantini Magni.



IX *Lib.* 103 *epigr.* 5 *verf.*
Amazona] Menalippen reginam; cui vim infert Hercules , in Macrini *Num.* apud *Triftanum* , *Petitumque.*



IX *Lib.* 103 *epigr.* 22 *verf.*
Aftra fuis] Patri ac fratri; priorem confecratum ac divum cerne in hoc *Num.*



IX *Lib.* 103 *epigr.* 8 *verf.*
Cane] Hunc abducit vinctum Hercules ; in Gordiani *Num.* apud *Triftanum* ; & in *Num.* Pii , apud *Errizzam* & *Spanhemium.*



IX *Lib.* 44 *epigr.* 7 *verf.*
Pellæi Tyranni] Alexandri Magni ; cujus caput vel nudum vel diadematum vel fpolio leonino veftitum plurima præferunt *Numifmata.*



IX *Lib.* 44 *epigr.* 1 *verſ.*
Sedens] Eodem prorſus modo, ſedens & cantbarum tenens, cernitur Hercules in Crotoniat. *Num.* apud *Goltzium* in *Sicil.*



IX *Lib.* 103 *epigr.* 7 *verſ.*
Cervum] Quem conficit Hercules in Macrini & Maximiani *Numm.* apud *Triſtanum.*



IX *Lib.* 23 *epigr.* 14 *verſ.*
Equum] Maſſyli, Numidæ & Mauri optimi equites, unde Mauretania juxta equum, in Hadriani *Num.*



IX *Lib.* 103 *epigr.* 7 *verſ.*
Stymphalidas] Volucres haſce pellit Hercules in *Num.* Græc. apud *Patinum*, in *Theſaur.*



IX *Lib.* 7 *epigr.* 9 *verſ.*
Tiberis] Qui ſæpius in Auguſtorum *Nummis* occurrit, recumbens, ut fluviorum fere omnes.



IX *Lib.* 103 *epigr.* 4 *verſ.*
Libyn] Antæum, Terræ filium; quem luctando domat Hercules, in *Num.* Poſtumi, apud *Morellium.*

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM

LIBER IX.

Martialis Torannio suo salutem.

AVE, mi Toranni, frater cariſſime. Epigramma quod extra ordinem paginarum eſt, ad Stertinium clariſſimum virum ſcripſimus, qui imaginem meam ponere in bibliotheca ſua voluit. De quo ſcribendum tibi putavi, ne ignorares, Avitus iſte quis vocaretur. Vale, & para hoſpitium.

INTERPRETATIO.

Ave, mi Toranni, frater dilectiſſime. Scripſimus ad Stertinium virum clariſſimum epigramma quod eſt extra ordinem paginarum, qui voluit collocare imaginem meam in ſua bibliotheca. De quo ſcribendum ad te exiſtimavi: ne ignorares, quis iſte Avitus nominaretur. Vale, atque adorna hoſpitium.

NOTÆ.

Epigramma.] ſequens nempe ſeparatum a reliquis, ita ut primum hujus libri ſit *de templo Flaviæ gentis*: Stertinium vero Avitum etiam nominat.

Imaginem meam.] Moris erat antiqui, doctorum virorum imagines in bibliothecis ponere. Cicero lib. 4. epiſt. ad Atticum epiſt. 9. Juvenalis ſat. 7.

Qui facis in parva ſublimia carmina cella
Ut dignus venias hederis, & imagine macra.

Alii hanc epiſtolam ſcribunt poſt ſequens epigramma, quod in MS. exemplari abeſt, quo uſus eſt Junius.

Ad Avitum cujus ingenium laudat, ſuum vero deprimit. I.

NON te celabis ſublimi pectore vates,
Cui referet ſerus præmia digna cinis.
Hoc tibi ſub noſtra breve carmen imagine vivat,
Quam non obſcuris jungis, Avite, viris.

Non te occultabis Poëta ſublimis pectore, quem merita mercede donabit mors tarda. O Avite, breve hoc carmen tibi vivat ſub noſtra imagine, quam jungis præſtantibus viris.

Ille

V.

In Paullam infamem. VI.

NUBERE vis Prisco, non miror, Paulla: sapisti.
Ducere te non vult Priscus: & ille sapit.

O Paulla, cupis nubere Prisco; sapis. Priscus non vult ducere te: & ille sapit.

Paulla.] De qua epig. 75. lib. 1. nubere volebat Prisco nobili sane & diviti.

Ad Domitianum, quod mares castrari edicto prohibuisset, atque adulteria sustulisset. VII.

TIBI summe Rheni domitor, & parens orbis,
Pudice princeps, gratias agunt urbes:
Populos habebunt: parere jam scelus non est.
Non puer avari sectus arte mangonis
Virilitatis damna mœret ereptæ:
Nec quam superbus computet stipem leno,
Dat prostituto misera mater infanti,
Qui nec cubili fuerat ante te quondam
Pudor, esse per te cœpit & lupanari.

O summe victor Rheni, & pater orbis, caste princeps, urbes tibi agunt gratias: frequentabuntur: jam non est crimen gignere. Puer castratus arte mangonis avari non luget amplius jacturam ereptæ virilitatis: nec infortunata genitrix dat infanti prostituto stipem, quam numeret leno arrogans. Tua opera cœpit esse verecundia in lupanari, quæ olim ante te nec fuerat in toro nuptiali.

Pudice.] Quod adulteria prohibuisset.
Populos habebunt.] Infanda enim libido tuo edicto sublata est.
Parere jam.] Quia non sunt amplius adulteria. Vide epig. 67. lib. 6.
Non puer.] Vide epig. 2. & 4. lib. 6.
Dat prostituto.] Prostituendos quippe infantes a matribus conducebant lenones.
Qui nec cubili.] hoc est, sublatis adulteriis non solum pudica sunt matrimonia, sed & pudor est in lupanari, ubi jam non licet prostituere pueros.

In Afrum superbum. VIII.

DICERE de Libycis reduci tibi gentibus Afer
Continuis volui quinque diebus ave.
Non vacat, aut dormit, dictum bis, terque reverso.
Jam satis est: non vis, Afer, avere: vale.

O Afer, quinque diebus consecutis volui dicere salutem tibi reverso ex Africa. Responsum est mihi reverso bis & ter; non vacat, vel dormit. Jam sufficit: O Afer, non vis avere; vale.

Non vis avere.] hoc est, si non vis ut tibi salutem dicam, vale, hoc est, morere, epig. 67. lib. 5.

Ad Domitianum quod infantes prostitui vetuerit. IX.

TANQUAM parva foret sexus injuria nostri,
Fœdandos populo prostituisse mares:
Jam cunæ lenonis erant, ut ab ubere raptus,
Sordida vagitu posceret æra puer.
Immatura dabant infandas corpora pœnas.
Non tulit Ausonius talia monstra pater:
Idem qui teneris nuper succurrit ephebis,
Ne faceret steriles sæva libido viros.
Dilexere prius pueri, juvenesque senesque:
At nunc infantes te quoque, Cæsar, amant.

Quasi esset parva injuria sexus nostri, prosti aere populo mares contaminandos: jam cunabula pertinebant ad lenonem, ut puer ereptus ab ubere peteret turpem pecuniam suo vagitu. Corpora immatura luebant pœnas infandas. Pater Italiæ non passus est talia portenta: idem qui nuper subvenit delicatis pueris, ne crudelis libido faceret steriles viros. Pueri, juvenes amaverunt te antea; sed nunc, ô Cæsar, infantes etiam diligunt te.

Tanquam parva.] hujus epigrammatis idem est argumentum ac epig. 6. supra.

Jam cunæ.] Alii *curæ.*

Ausonius pater.] Domitianus.

Succurrit ephebis.] Ne castrarentur: supra epig. 6. & epig. 2. lib. 6.

Ad Bithynicum captatorem. X.

NIL tibi legavit Fabius, Bithynice, cui tu
Annua, si memini, millia sena dabas.
Plus nulli dedit ille: queri, Bithynice, noli:
Annua legavit millia sena tibi.

O Bithynice, Fabius nihil tibi legavit, cui tu donabas sex millia annua, si memini. Ille nulli donavit plus: O Bithynice, noli conqueri: tibi legavit sex millia annua.

Annua legavit.] Quæ tu quotannis solebas illi donare, ut tibi eum conciliares: nam deinceps nihil donabis.

In Cantharum parasitum. XI.

COENES, Canthare, cum foris libenter;
Clamas; & maledicis; & minaris.
Deponas animos truces, monemus:
Liber non potes, & gulosus esse.

O Canthare, cum libenter cœnes foris: vociferaris, & obtrectas, & minaris. Suademus exuas mentem ferocem: nequis esse liber, atque helluo.

Liber non potes.] Etenim parasitus debet iis, a quibus invitatur, blandiri. Lib. 2. epig. 53.

Liber eris, cœnare foris, si, Maxime, nolis.



VIII *Lib.* 21 *epigr.* 7 *verſ.*

Titans] Solem ; cujus feſtinantem quadrigam præfert *Num.* Corinthiorum , in Aurelii aug. honorem percuſſus.



IX *Lib.* 18 *epigr.* 1 *verſ.*

Venerande] Æſculapium , vel ſolum , vel juxta Hygiam & Teleſphorum , *Numi* habent plurimi.



VIII *Lib.* 66 *epigr.* 11 *verſ.*

Pacificus] Quippe Iani templum clauſum pacis , ut apertum , belli index. Cernitur in *Num.* Auguſti Neroniſque.



IX *Lib.* 106 *epigr.* 8 *verſ.*

Paris] Cujus judicium , inter Poëtas adeo decantatum , occurrit in Ant. Pii *Num.* apud *Sponium & Morellium.*



IX *Lib.* 43 *epigr.* 2 *verſ.*

Cycnis] Scilicet in morte canentibus ; ſic Apollini ſacratis. Hic etenim cycno inſidet , in *Num.* Græcis.



IX *Lib.* 2 *epigr.* verſ.

Flaviæ decus gentis] Templum Veſpaſianorum , opus Domitiani , vides in *Num.* Titi.



IX *Lib.* 103 *epigr.* 4 *verſ.*
· *Poma tulit* [Heſperidum ; quem laborem Herculis præferunt Albini & Getæ *Num.* apud *Triſtanum*.



IX *Lib.* 103 *epigr.* 17 *verſ.*
Sarmatici] Sarmaticæ victoriæ teſtis eſt Domitiani *Num.* apud *Oyzelium* , 23 *Tab.* 11 *Num.* Quales ſunt & Commodi , M. Aurelii & Conſtantini Magni.



IX *Lib.* 103 *epigr.* 5 *verſ.*
Amazona] Menalippen reginam; cui vim infert Hercules , in Macrini *Num.* apud *Triſtanum* , *Petitumque*.



IX *Lib.* 103 *epigr.* 22 *verſ.*
Aſtra ſuis] Patri ac fratri; priorem conſecratum ac divum cerne in hoc *Num.*



IX *Lib.* 103 *epigr.* 8 *verſ.*
Cane] Hunc abducit vinctum Hercules ; in Gordiani *Num.* apud *Triſtanum* ; & in *Num.* P.i , apud *Errizzum* & *Spanhemium*.



IX *Lib.* 44 *epigr.* 7 *verſ.*
Pellæi Tyranni] Alexandri Magni ; cujus caput vel nudum vel diadematum vel ſpolio leonino veſtitum plurima præferunt *Numiſmata*.



IX *Lib.* 44 *epigr.* 1 *verf.*
Sedens] Eodem prorfus modo, fedens & cantbarum tenens, cernitur Hercules in Crotoniat, *Num.* apud *Goltzium* in *Sicil.*



IX *Lib.* 103 *epigr.* 7 *verf.*
Cervum] Quem conficit Hercules in Macrini & Maximiani *Numm.* apud *Triftanum.*



IX *Lib.* 23 *epigr.* 14 *verf.*
Equum] Maflyli, Numidæ & Mauri optimi equites, unde Mauretania juxta equum, in Hadriani *Num.*



IX *Lib.* 103 *epigr.* 7 *verf.*
Stymphalidas] Volucres hafce pellit Hercules in *Num.* Græc. apud *Patinum*, in *Thefaur.*



IX *Lib.* 7 *epigr.* 9 *verf.*
Tiberis] Qui fæpius in Auguftorum *Nummis* occurrit, recumbens, ut fluviorum fere omnes.



IX *Lib.* 103 *epigr.* 4 *verf.*
Libyn] Antæum, Terræ filium; quem luctando domat Hercules, in *Num.* Poftumi, apud *Morellium.*

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER IX.

Martialis Torannio suo salutem.

AVE, mi Toranni, frater carissime. Epigramma quod extra ordinem paginarum est, ad Stertinium clarissimum virum scripsimus, qui imaginem meam ponere in bibliotheca sua voluit. De quo scribendum tibi putavi, ne ignorares, Avitus iste quis vocaretur. Vale, & para hospitium.

INTERPRETATIO.

Ave, mi Toranni, frater dilectissime. Scripsimus ad Stertinium virum clarissimum epigramma quod est extra ordinem paginarum, qui voluit collocare imaginem meam in sua bibliotheca. De quo scribendum ad te existimavi: ne ignorares, quis iste Avitus nominaretur. Vale, atque adorna hospitium.

NOTÆ.

Epigramma.] sequens nempe separatum a reliquis, ita ut primum hujus libri sit *de templo Flaviæ gentis*: Stertinium vero Avitum etiam nominat.

Imaginem meam.] Moris erat antiqui, doctorum virorum imagines in bibliothecis ponere. Cicero lib. 4. epist. ad Atticum epist. 9. Juvenalis sat. 7.

Qui facis in parva sublimia carmina cella
Ut dignus venias hederis, & imagine macra.

Alii hanc epistolam scribunt post sequens epigramma, quod in Ms. exemplari abest, quo usus est Junius.

Ad Avitum
cujus ingenium laudat, suum vero deprimit. I.

NON te celabis sublimi pectore vates,
Cui referet serus præmia digna cinis.
Hoc tibi sub nostra breve carmen imagine vivat,
Quam non obscuris jungis, Avite, viris.

Non te occultabis Poëta sublimi pectore, quem merita mercede donabit mors tarda. O Avite, breve hoc carmen tibi vivat sub nostra imagine, quam jungis præstantibus viris.

Ille

Ille ego ſum nulli nugarum laude ſecundus:
Quem non miraris, ſed puto lector amas.
Majores majora ſonent: mihi parva locuto
Sufficit in veſtras ſæpe redire manus.

Ille ego ſum nulli ſecundus laude nugarum, quem non miraris, at, opinor, diligis, ô lector. Majores canant majora, ſatis eſt mihi canenti parva, attrectari manibus veſtris.

Non te celabis.] Jam de Avito diximus lib. 1. epig. 17. Neſcio an hic idem fuerit. Utut eſt. Martialis imaginem in ſua bibliotheca collocaverat. Legunt alii,

Note, licet nolis ſublimi pectore vates.

Alii *late lucebis*, &c.

Cui referet.] Horatius lib. 2. epig 1.

Urit enim fulgore ſuo qui prægravat artes
Infra ſe poſitas: extinctus amabitur idem.

Ille ego.] Avitum rogat ut hæc quatuor carmina ſubſcribat imagini ejus, quam inter viros præclaros poſuerat in ſua bibliotheca.

De templo Flaviæ gentis. II.

DUM Janus hyemes, Domitianus autumnos,
Auguſtus annis commodabit æſtates:
Dum grande famuli nomen aſſeret Rheni,
Germanicarum magna lux Kalendarum:
Tarpeia ſummi ſaxa dum patris ſtabunt:
Dum voce ſupplex, dumque thure placabit
Matrona divæ dulce Juliæ numen:
Manebit altum Flaviæ decus gentis,
Cum Sole, & aſtris, cumque luce Romana.
Invicta quidquid condidit manus, cœlum eſt.

Dum Janus commodabit hyemes, Domitianus autumnos, Auguſtus æſtates; dum magnus dies Calendarum Germanicarum ſibi vendicabit ingens nomen Rheni ſubacti: dum ſaxa Tarpeïa ſummi Jovis manebunt: dum matrona voce ſupplex, & dum thure placabit ſuave Numen divæ Juliæ: ſummus honos Flaviæ familiæ durabit cum ſole & ſideribus, & cum gloria Romana. Quicquid ædificavit manus invicta, cœlum eſt.

Dum Janus hyemes.] Janus nomen impoſuit menſi Januario, qui pro hyeme; Domitianus Octobri, qui pro autumno; Auguſtus Auguſto, antea Sextili, qui pro æſtate ſumitur: hoc eſt, quandiu erunt illæ anni tempeſtates, tandiu gentis Flaviæ templum durabit. De quo Suetonius in Domitiano cap. 17.

Germanicarum.] hoc eſt primus dies Septembris, quem, & Octobrem ex appellationibus ſuis Germanicum, Domitianumque tranſnominavit Domitianus. Suetonius cap. 13. in Domitiano.

Tarpeia.] hoc eſt, dum durabit Capitolium.

Matrona divæ.] Juliam Titi nempe filiam perdite amavit Domitianus; teſte Suetonio in Domitiano cap. 22. quam mortuam ut deam coli juſſit. *Dulce numen.*] id eſt carum Domitiano, aut Romanis ipſis gratum atque optabile. Legunt alii,

Matrona dives dulce Julium Numen.

Prior lectio anteponenda videtur.

Altum decus.] hoc eſt, ſuperbum illud templum.

Cœlum eſt.] hoc eſt immortale, atque æternum ut cœlum.

III.

Ad Domitianum, de ejus ædificiis in honorem deorum. IV.

QUANTUM jam superis, Cæsar, cœloque dedisti,
Si repetas, & si creditor esse velis;
Grandis in ætherio licet auctio fiat Olympo,
Coganturque dei vendere quidquid habent:
Conturbabit Atlas, & non erit uncia tota,
Decidat tecum qua pater ipse deûm.
Pro Capitolinis quid enim tibi solvere templis,
Quid pro Tarpeiæ frondis honore potest?
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada prætereo: res agit illa tuas.
Quid loquar Alciden, Phœbumque, piosque Laconas?
Addita quid Latio Flavia templa polo?
Expectes, & sustineas, Auguste, necesse est:
Nam tibi quod solvat, non habet arca Jovis.

O Cæsar, si reposcas quantum jam donasti diis & cœlo, & velis esse creditor: quamvis magna auctio fiat in Olympo æthereo, & superi cogantur vendere omnia sua bona: Atlas conturbabit, nec erit integra uncia, qua genitor deorum transigat tecum. Quid enim potest tibi reddere pro templis Capitolinis, quid pro gloria Tarpeiæ frondis? Quid uxor Jovis pro geminis delubris? Omitto Minervam: illa procurat tua negotia. Quid commemorem Herculem atque Apollinem, & pios Laconas: quid templa Flavia addita Latio polo? O Auguste, oportet te exspectare & supersedere: nam arca Jovis non habet unde solvat tibi.

Auctio.] Quæ publica est venditio, in qua pretium ab emptoribus certatim augetur: hoc est, licet hastæ subjiciantur bona deorum & dearum, & sic publice vendantur, pecunia tamen inde collecta non sufficit ut te creditorem dimittant.

Conturbabit Atlas.] Atlas, qui cœlum humeris gestat, proscribet cœlum, nec unciam seu duodecimam debitorum partem colliget: uncia pars est duodecima assis, qui pro integro debito accipitur. Conturbare significat dissipare. Farnabius interpretatur τὸ *conturbabit*, cedet foro. Bud. cœlum totum tibi decoquet.

Pro Capitolinis.] Capitolium incensum restituit Domitianus.

Quid pro Tarpeiæ.] Vide epig. 54. lib. 4. in honorem Jovis Capitolini ludos instituit Domitianus, in quibus laureæ & coronæ quernæ dabantur. Suetonius in Domitiano cap. 5.

Quid pro culminibus.] Ex his verbis colligere est Junoni duo templa consecrasse Domitianum.

Pallada prætereo.] quam superstitiose coluit, in cujus honorem quinquatria instituit. Suetonius in Domitiano.

Res agit.] hoc est, Numen est tibi familiare: cum tibi serviat Minerva, ab ea debitum exigere non oportet.

Quid loquar Alciden.] Herculi templum erexit: & Phœbi forte, sic Castoris & Pollucis templum incendio absumptum restituit. Suetonius in Domitiano cap. 5. *Plurima & amplissima incendio absumpta restituit*, templa nempe. Laconas pios dixit, quod Castor & Pollux. Lacænæ Ledæ filii alternatim vivant. De his supra.

Templa polo.] Quæ culmine cœlum tangere viderentur, epig. 35. infra, & epig. 51. lib. 10. Alii legunt *Latio foro*? quod juxta forum, ut aiunt, extructum esset Flaviæ gentis templum, de quo epig. 2. supra.

V.

V.

In Paullam infamem. VI.

NUBERE vis Prisco, non miror, Paulla: sapisti.
Ducere te non vult Priscus: & ille sapit.

O Paulla, cupis nubere Prisco; sapis. Priscus non vult ducere te: & ille sapit.

Paulla.] De qua epig. 75. lib. 1. nubere volebat Prisco nobili sane & diviti.

Ad Domitianum, quod mares castrari edicto prohibuisset, atque adulteria sustulisset. VII.

TIBI summe Rheni domitor, & parens orbis,
Pudice princeps, gratias agunt urbes:
Populos habebunt: parere jam scelus non est.
Non puer avari sectus arte mangonis
Virilitatis damna mœret ereptæ:
Nec quam superbus computet stipem leno,
Dat prostituto misera mater infanti,
Qui nec cubili fuerat ante te quondam
Pudor, esse per te cœpit & lupanari.

O summe victor Rheni, & pater orbis, caste princeps, urbes tibi agunt gratias: frequentabuntur: jam non est crimen gignere. Puer castratus arte mangonis avari non luget amplius jacturam erepta virilitatis: nec infortunata genitrix dat infanti prostituto stipem, quam numeret leno arrogans. Tua opera cœpit esse verecundia in lupanari, quæ olim ante te nec fuerat in toro nuptiali.

Pudice.] Quod adulteria prohibuisset.
Populos habebunt.] Infanda enim libido tuo edicto sublata est.
Parere jam.] Quia non sunt amplius adulteria. Vide epig. 67. lib. 6.
Non puer.] Vide epig. 2. & 4. lib. 6.
Dat prostituto.] Prostituendos quippe infantes a matribus conducebant lenones.
Qui nec cubili.] hoc est, sublatis adulteriis non solum pudica sunt matrimonia, sed & pudor est in lupanari, ubi jam non licet prostituere pueros.

In Afrum superbum. VIII.

DICERE de Libycis reduci tibi gentibus Afer
Continuis volui quinque diebus ave.
Non vacat, aut dormit, dictum bis, terque reverso.
Jam satis est: non vis, Afer, avere: vale.

O Afer, quinque diebus consecutis volui dicere salutem tibi reverso ex Africa. Responsum est mihi reverso bis & ter; non vacat, vel dormit. Jam sufficit: O Afer, non vis avere: vale.

Non vis avere.] hoc est, si non vis ut tibi salutem dicam, vale, hoc est, morere, epig. 67. lib. 5.

Ad Domitianum quod infantes proſtitui vetuerit. IX.

TANQUAM parva foret ſexus injuria noſtri,
Fœdandos populo proſtituiſſe mares:
Jam cunæ lenonis erant, ut ab ubere raptus,
Sordida vagitu poſceret æra puer.
Immatura dabant infandas corpora pœnas.
Non tulit Auſonius talia monſtra pater:
Idem qui teneris nuper ſuccurrit ephebis,
Ne faceret ſteriles ſæva libido viros.
Dilexere prius pueri, juveneſque ſeneſque:
At nunc infantes te quoque, Cæſar, amant.

Quaſi eſſet parva injuria ſexus noſtri, proſti nere populo mares contaminandos: jam cunabula pertinebant ad lenonem, ut puer ereptus ab ubere peteret turpem pecuniam ſuo vagitu. Corpora immatura luebant pœnas infandas. Pater Italiæ non paſſus eſt talia portenta: idem qui nuper ſubvenit delicatis pueris, ne crudelis libido faceret ſteriles viros. Pueri, juvenes amaverunt te anteà; ſed nunc, ô Cæſar, infantes etiam diligunt te.

Tanquam parva.] hujus epigrammatis idem eſt argumentum ac epig. 6. ſupra.
Jam cunæ.] Alii *curæ*.
Auſonius pater.] Domitianus.
Succurrit ephebis.] Ne caſtrarentur: ſupra epig. 6. & epig. 2. lib. 6.

Ad Bithynicum captatorem. X.

NIL tibi legavit Fabius, Bithynice, cui tu
Annua, ſi memini, millia ſena dabas.
Plus nulli dedit ille: queri, Bithynice, noli:
Annua legavit millia ſena tibi.

O Bithynice, Fabius nihil tibi legavit, cui tu donabas ſex millia annua, ſi memini. Ille nulli donavit plus: O Bithynice, noli conqueri: tibi legavit ſex millia annua.

Annua legavit.] Quæ tu quotannis ſolebas illi donare, ut tibi eum conciliares: nam deinceps nihil donabis.

In Cantharum paraſitum. XI.

CŒNES, Canthare, cum foris libenter;
Clamas, & maledicis, & minaris.
Deponas animos truces, monemus:
Liber non potes, & guloſus eſſe.

O Canthare, cum libenter cœnes foris: vociferaris, & obtrectas, & minaris. Suademus exuas mentem ferocem: nequis eſſe liber, atque helluo.

Liber non potes.] Etenim paraſitus debet iis, a quibus invitatur, blandiri. Lib. 2. epig. 53.
Liber eris, cœnare foris, ſi, Maxime, nolis.

De Earino Domitiani puero, cujus nomen delicatum molliori verſu celebraret, niſi contumaces ſyllabæ repugnarent. XII.

NOMEN cum violis, roſiſque natum,
Quo pars optima nuncupatur anni,
Hyblam quod ſapit, Atticoſque flores,
Quod nidos olet alitis ſuperbæ:
Nomen nectare dulcius beato:
Quo mallet Cybeles puer vocari,
Et qui pocula temperat tonanti:
Quod ſi Parrhaſia ſones in aula,
Reſpondent Veneres, Cupidineſque.
Nomen nobile, molle, delicatum
Verſu dicere non rudi volebam:
Sed tu ſyllaba contumax repugnas.
Dicunt Earinon tamen Poëtæ,
Sed Græci, quibus eſt nihil negatum,
Et quos ἄρες ἄρες decet ſonare:
Nobis non licet eſſe tam diſertis,
Qui Muſas colimus ſeveriores.

O Nomen natum cum violis & roſis, quo denominatur optima pars anni, quod redolet Hyblam & flores Atticos, quod olet nidos avis ſuperbæ: O nomen ſuavius felici nectare, quo appellari mallet puer Cybeles, & qui miſcet pocula Jovi: quod ſi loquaris in aula Palatina, Gratiæ, & Cupidines reſpondent: volebam celebrare tenero carmine nomen clarum, tenerum, delicatum: at tu, ô ſyllaba contumax, adverſaris. Nihilominus Poëtæ dicunt Earinon, at Græci, quibus conceſſum eſt quidlibet, & quibus convenit dicere ἄρες ἄρες: non eſt conceſſum nobis eſſe tam eloquentibus, qui veneramur Muſas ſeveriores.

De Earino.] ἔαρ Latine ver; Earinus ergo vernus eſt, cujus tres primæ ſyllabæ breves non poſſunt ingredi tenerum verſum.

Pars optima.] Ver enim pulcherrima eſt anni tempeſtas, qua nempe violæ & roſæ, atque omne florum genus naſcitur.

Hyblam.] Montem Siciliæ, ubi multi flores, unde melle abundat.

Atticoſque flores.] Quos delibant apes in Hymeto Atticæ monte.

Alitis ſuperbæ.] hoc eſt, Phœnicis. Vide epig. 55. lib. 6. & epig. 86.

Cybeles puer.] Atys nempe, de quo lib. 2. epig. 86.

Et qui pocula.] Ganymedes ſcilicet.

Reſpondent.] hoc eſt, cum tu loqueris, omnis ſuavitas atque elegantia fluit ab ore tuo.

Earinon tamen.] Cujus primam brevem producunt Græci Poëtæ.

ἄρες ἄρες.] hoc eſt, ô Mars, ô Mars, Homer. Iliad. ε in primo pede producit primam, in ſecundo corripit.

Nobis non licet.] Eadem licentia uti nobis Poëtis Latinis non licet.

De eodem. XIII.

SI daret autumnus mihi nomen, ὀπωρινὸς eſſem:
Horrida ſi brumæ ſidera, χειμερινός.
Dictus ab æſtivo θέρινος tibi menſe vocarer.
Tempora cui nomen verna dedere, quis eſt?

Si ducerem nomen ab autumno, autumnalis eſſem; ſi ab horridis aſtris hyemis, hibernus. Denominatus ab æſtivo menſe appellarer a te æſtivus. Quis eſt, qui nomen duxit a verno tempore?

Tibi menſe.] Alii legunt *mihi*, minus bene: idem eſt argumentum ac præcedentis epigrammatis.

Quis eſt.] ἐαρινός nimirum, hoc eſt, vernus.

De

De eodem. XIV.

NOMEN habes, teneri quod tempora nuncupat anni,
Cum breve Cecropiæ ver populantur apes.
Nomen, Acidalia meruit quod arundine pingi,
Quod Cytherea sua scribere gaudet acu.
Nomen, Erythræis quod litera facta lapillis,
Gemma quod Heliadum pollice trita notet.
Quod penna scribente grues ad sidera tollant,
Quod decet in sola Cæsaris esse domo.

Tibi nomen est, quod denominat tempora anni teneri, cum apes Atticæ depascunt caducos flores veris. Nomen quod meruit pingi calamo Veneris, quod scribere sua acu lætatur Venus. Nomen quod signet litera composita gemmis, & succinum attrectatum manibus Heliadum. Quod penna scribente attollant grues ad astra, quod dignum est existere in solis ædibus Cæsaris.

Nomen habes.] Vide duo præcedentia epigrammata: Earini nomen a vere deductum est.

Cum breve.] hoc est, flores veris, qui breviter marcescunt, epig. 46. lib. 2. idem dixit.

Acidalia meruit.] Venus Acidalia dicta est epig. 13. lib. 6. quæ cum veri præsideat flores variis coloribus pingere fertur.

Nomen Erythræis.] Uniones, & margaritas intellige, quæ in Erythræo seu rubro mari reperiuntur, epig. 38. lib. 5.

Gemma quod Heliadum.] Succinum intellige, quod tritum manibus suaviter olet, epig. 59. lib. 4. egimus de sororibus Phaëtontis, seu Heliadibus.

Flentibus Heliadum ramis dum vipera serpit,
Fluxit in obstantem succina gemma feram.

Quod penna scribente.] Grues, inquiunt interpretes, gregatim volando literam Y efficiunt, quæ affinitatem habet cum latina litera V veris scil. prima litera. Vide epig. 75. lib. 13. Alii forte melius legunt, *penna stridente*, suo enim adventu veris quoque adventum nunciant, & celebrant grues, atque ita Earini nomen a vere deductum videntur pariter celebrare. Judicet lector.

In fictos amicos. XV.

HUNC, quem cœna tibi, quem mensa paravit amicum,
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Aprum amat, & mulos, & sumen, & ostrea; non te.
Tam bene si cœnem, noster amicus erit.

An *credis esse pectus fidæ amicitiæ hunc, quem amicum cœna, quem tibi conciliavit mensa? diligit aprum, & mulos, & sumen, atque ostrea; non te. Si tam laute cœnem, noster erit amicus.*

Hunc quem.] Imo gulosus non amicus est. *Erit*, alii *eris*.

De Chloë quæ septem maritos extulerat. XVI.

INSCRIPSIT tumulo septem celebrata virorum,
Se fecisse Chloë: quid pote simplicius?

Famosa Chloë inscripsit sepulchro septem maritorum, se fecisse: quid potest apertius?

Cele-

Celebrata.] Solennia busta intelligit Domitius, sed sane epithetum est quod refertur ad Chloën: hoc est famosa Chloë, unde alii legunt *scelerata*: hæc nempe erat inscriptio tumuli. *Chloë fecit.* epitaphium nempe, vel tumulum septem maritis, quos ab ea sublatos veneno intelligit Poëta.

De coma Earini oblata Æsculapio. XVII.

CONSILIUM formæ speculum, dulcesque capillos
 Pergameo posuit dona sacrata Deo,
Ille puer tanto domino gratissimus aula,
 Nomine qui signat tempora verna suo.
Felix, quæ tali censetur munere tellus,
 Nec Ganymedeas mallet habere comas.

Ille puer in palatio jucundissimus tanto domino, qui notat verna tempora suo nomine, obtulit Deo Pergameo munera sacra, speculum consilium pulchritudinis, & suavem cæsariem. O beatum solum quod decoratur tali dono, nec mallet habere capillos Ganymedis.

Consilium formæ.] Earinus Domitiani puer, de quo supra, detonsam suam comam pro antiquorum more misit Æsculapio Deo patrio; nam Pergameus erat Earinus. Lege Papinium lib. 3. Sylvarum in Sylva quæ inscribitur *Coma Earini*: Pergamus vero urbs fuit Phrygiæ, ubi colebatur Æsculapius. Speculum autem consilium formæ dicitur, quod consulatur ad ornandam formam.

Domino gratissimus.] hoc est, quem Domitianus amabat præ cæteris omnibus pueris sui palatii. Legunt alii *ille puer tota*. Alii,

Ille puer tanta domino gratissimus aula. quæ lectio non contemnenda videtur.

Nomine qui.] Earinus enim a vere nomen duxit.

Ad Æsculapium de eadem Earini coma. XVIII.

LATONÆ venerande nepos, qui mitibus herbis
 Parcarum exoras pensa, brevesque colos:
Hos tibi laudatos dominorum voce capillos
 Ille tuus Latia misit ab urbe puer.
Addidit & nitidum sacratis crinibus orbem,
 Quo felix facies judice tota fuit.
Tu juvenile decus serva, ne pulchrior ille
 In longa fuerit, quam breviore coma.

O colende nepos Latonæ, qui lenibus herbis moraris stamina Parcarum, & breves colos: tuus ille puer ab urbe Roma misit ad te comam commendatam voce dominorum. Adjunxit quoque sacris capillis splendidum orbem, quo arbitro totus vultus fuit venustus. Tu conserva ipsi venustatem juventutis, ne ille formosior fuerit in longa cæsarie, quam in breviore.

Latonæ venerande.] Latona peperit Apollinem, ex quo & Coronide Nympha natus est Æsculapius medicinæ inventor.

Parcarum exoras.] Ab Æsculapio enim Hippolytum vitæ restitutum fabulantur Poetæ: de Parcis quæ hominum fata moderantur jam sæpius dictum.

Ille tuus.] Earinus quippe Pergameus erat, epig. præcedenti.

Addidit & nitidum.] Speculum, quod consilium formæ vocavit superiori epig. judicem appellat & quidem incorruptum; nam acceptam formæ speciem sincere reddit.

Tu juvenile.] hoc est, ô Æsculapi fac ut Earinus tam formosus sit tonsus, quam fuerit antea intonsus.

Ad

Ad Cæsarem Domitianum a quo aquæ Martiæ venam petit ad irrigandam domum. XIX.

EST mihi, sitque precor longum te præside, Cæsar,
Rus minimum: parvi sunt & in urbe Lares.
Sed de valle brevi, quas det sitientibus hortis,
Curva laboratas antlia tollit aquas.
Sicca domus queritur nullo se rore foveri,
Cum mihi vicino Martia fonte sonet.
Quam dederis nostris, Auguste, Penatibus undam,
Castalis hæc nobis, aut Jovis imber erit.

O Cæsar, est mihi villa minima, & opto ut sit, te diu imperante; sunt etiam in urbe exiguæ ædes. At curva antlia effert ex valle brevi aquas magno labore, quibus irriget hortos aridos. Ædes aridæ expostulant nullo se rore irrigari, cum aqua *Martia mihi obstrepat vicino fonte. O Auguste, quam aquam concesseris nostris ædibus, existimabo hanc Castaliam, aut pluviam Jovis.*

Est mihi.] De suburbano Martialis prædio jam dictum est, epig. 61. lib. 8.

Curva laboratas.] Antlia erat machina, qua magno labore aquæ hauriebantur; a verbo *ἀντλέω* haurio, alii *cura.*

Martia.] De qua egimus lib. 6. epig. 42.

Castalis hæc nobis.] hoc est, illa aqua æque mihi grata erit, ac si e fonte Musarum aut ab ipso Jove daretur; imbrem aureum, in quem conversus fuit Jupiter cum adiit Danaën, forte intelligit. De aqua Castalia epig. 21. lib. 7.

In Sabellum parasitum. XX.

LAUDAS balnea versibus trecentis
Cœnantis bene Pontici, Sabelle.
Vis cœnare, Sabelle, non lavari.

O Sabelle, trecentis carminibus celebras balnea Pontici cœnantis laute. O Sabelle, cupis cœnare, non lavari.

Laudas balnea.] Non quod illa probabat, sed quod cœnam captabat, epig. 14. lib. 2.

Ad Domitianum de templo Flaviæ gentis condito eo in loco ubi natus est. XXI.

HÆc quæ tota patet, tegiturque & marmore, & auro,
Infantis domini conscia terra fuit.
Felix quæ tantis sonuit vagitibus, & quæ
Vidit reptantes, sustinuitque manus.
Hîc steterat veneranda domus, quæ præstitit orbi,
Quod Rhodos, astrifero quod pia Creta polo.
Cretenses texere Jovem crepitantibus armis,
Semiviri poterant qualia ferre Phryges.

Hæc tellus quæ facilis aditu tota tegitur & marmore, & auro, fuit conscia domini infantis. Beata quæ sonuit tantis vagitibus, & quæ spectavit & fulsit manus reptantes. Hîc venerabiles ædes steterant, quæ dederunt mundo, quod Rhodos, & quod pia Creta cœlo stellifero. Cretenses texerunt Jovem armis crepitantibus, qualia portare valebant semiviri Phryges.

At

At te protexit superûm pater, & tibi, Cæsar,
Pro jaculo & parma, fulmen & Ægis erat.

Sed, ô Cæsar, genitor deorum defendit te, atque habebat fulmen, & Ægida pro telo & scuto.

Hac quæ tota patet.] Illic enim conditum est templum Flaviæ gentis marmoreum atque inauratum, quod possunt omnes adire.

Infantis domini.] hic locus nascentem Domitianum excepit.

Quæ præstitit.] Domitianum Deum, ut Rhodus Neptunum, & Creta Jovem quem aluit, quamobrem pia dicitur epig. 1. lib. 4.

Cretenses.] Alii *Curetes.* Jovem clam subductum Saturno aluerunt in Creta insula. Hanc fabulam lege apud Natalem Comitem lib. 9. cap. 7. & Lucretium lib. 2. ubi de Curetibus sic loquitur:

——— qui Jovis illum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,
Cum pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum pulsarunt æribus æra.

Semiviri.] Corybantes seu Curetes Cybeles comites castrati ex Phrygia orti, epig. 71. lib. 1. & epig. 90. lib. 3.

At te protexit.] Vitelliano bello delitescentem in Capitolio. Suetonius in Domitiano. De Ægide dictum epig. 1. lib. 7.

Ad Auctum de puero quem dato agro emerat Artemidorus. XXII.

ARTEMIDORUS habet puerum. sed vendidit agrum:
Agrum pro puero Calliodorus habet.
Dic, uter ex istis melius rem gesserit, Aucte?
Artemidorus amat, Calliodorus arat.

Artemidoro puer est: at vendidit agrum: Calliodoro ager est pro puero. Dic, Aucte, uter ex istis melius consuluerit suis rebus? Artemidorus amat, Calliodorus arat.

Ad Pastorem, se divitias expetere ut donare, atque ædificare possit. XXIII.

CREDIS ob hoc me, Pastor, opes, fortasse rogare,
Propter quod vulgus, crassaque turba rogat:
Ut Setina meos consumat gleba ligones,
Et sonet innumera compede Tuscus ager:
Ut Mauri Libycis centum stent dentibus orbes,
Et crepet in nostris aurea lamna toris:
Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
Et faciant nigras nostra Falerna nives:
Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet,
Et mea sit culto sella cliente frequens:
Æstuet ut nostro madidus conviva ministro,
Quem permutatum nec Ganymede velim:

O Pastor, putas forte me petere divitias ea de caussa propter quam vulgus & crassa turba petit: ut vites Setinæ consumant ligones meos, & Tusci agri strepant multis compedibus: ut mensæ ex Mauritania fulciantur centum dentibus eburneis, & aurea lamina sonet in nostris lectis: nec terantur meis labris nisi ingentia crystalla, & nostra Falerna infuscent nives: ut Syrus Canusinatus sudet sub nostra lectica; & mea sella stipetur multis clientibus ornatis: ut ebrius conviva ardeat nostrum famulum, quem nec permutatum velim Ganymede:

Ut

Ut lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas,
Et Maſſyleum virga gubernet equum.
Eſt nihil ex iſtis: ſuperos, ac ſidera teſtor.
Ergo quid? ut donem, Paſtor, & ædificem.

ut mula luto aſperſa mihi inquinet purpureas lacernas, & virga regat equum Maſſyleum. Nihil opto ex his: teſtes adhibeo deos & aſtra: quid igitur? O Paſtor, ut donem & ædificem.

Paſtor.] Forte is eſt cujus mentiooem facit Plinius junior epiſt. 18. lib. 1.

Propter quod.] Ad luxum nempe & voluptates, plerique optaot divitias.

Ut Setina.] Setia civitas Latii, ubi optimum vinum, epig. 64. lib. 4.

Innumera compede.] hoc eſt ut innumeri ſervi compedibus vincti opus faciant in meis Etruriæ agris.

Ut Mauri Libycis] hoc eſt menſæ allatæ ex Mauritania impoſitæ dentibus Libycis, id eſt dentibus eburneis elephaotorum, quibus abundat Libya, epig. 43. lib. 2.

Tu Libycos Indis ſuſpendis dentibus orbes.

τὸ *centum* forte refertur ad *orbes*.

Et crepet in.] Aurea oempe bractea lecti quibus accumbebant, ornabantur, epig. 33. lib. 8.

Cryſtalla.] Quæ apud Romanos ſummo eraot in pretio.

Et faciant nigras.] Quia Falernum eſt nigrum, epig. 65. lib. 5.

Ut Canuſinatus.] hoc eſt, ut ſervi ex Syria miſſi veſtibus induti ex lana Canuſina confectis, de qua epig. 127. & 129. lib. 14.

Sudent ſub aſſere.] id eſt, ſub lecticæ ligno prominenti, cui ſervi humeros ſubjiciuot: Caouſium vero Apulorum Dauoiorum oppidum.

Tyrias mihi.] Ut mihi mula vecto veſtes purpureæ inquinentur.

Et Maſſyleum.] Maſſyli ſeu Numidæ virga non frænis regunt equos. Virgilius lib. 4. Æneid. Lucanus lib. 4.

Et gens quæ nudo reſident Maſſylia tergo
Ora levi flectit frænorum neſcia virga,
&c.

Ad Carum victorem in ludis celebratis in honorem Minervæ. XXIV.

O Cui virgineo flaveſcere contigit auro,
Dic ubi Palladium ſit tibi, Care, decus?
Adſpicis en domini fulgentes marmore vultus,
Venit ad has ultro noſtra corona comas.
Albanæ livere poteſt pia quercus olivæ,
Cinxerit invictum quod prior illa caput.

O Care, cui contigit flaveſcere auro virgineo, dic ubi poſueris ornamentum Palladis? Vides en faciem Domini ſplendentem marmore, noſtra corona ſponte acceſſit ad hos capillos. Pia quercus poteſt invidere Albanæ olivæ, quod illa prior circumdederit invictum caput.

O cui.] Quærit a Caro ſuo amico, ubinam poſuerit auream coronam, qua donatus fuerat in ludis celebratis in honorem Minervæ, epig. 54. lib 4. unde aurum virgineum dicitur, quaſi ab ipſa virgine Minerva donatum.

Adſpicis en.] Reſpondet Carus marmoreæ Domitiani ſtatuæ ſe impoſuiſſe ſuam coronam.

Albanæ livere.] Subjungit Martialis: querna corona quam ſolet ferre Imperator, epig. 82. lib. 8. poterit iovidere huic olivæ Albanæ, hoc eſt coronæ aureæ factæ in ſimilitudinem foliorum olivæ, quam tu, ô Care, in Albano monte, ubi celebrabaotur Quinquatria, reportaſti, & qua coronaſti ſtatuam Cæſaris: pia autem quercus dicitur, quod Jovi dicata ſit.

 Ad

Ad eundem de ſtatua marmorea Domitiani. XXV.

QUIS Pallatinos imitatus imagine vultus
Phidiacum Latio marmore vicit ebur?
Hæc mundi facies, hæc ſunt Jovis ora ſereni:
Sic tonat ille Deus, cum ſine nube tonat.
Non ſolam tribuit Pallas tibi, Care, coronam,
Effigiem domini, quam colis, illa dedit.

Quis Romano marmore ſuperavit ebur Phidiacum imitatus ſimulachro vultus Palatinos: hæc eſt facies mundi, hæc ſunt ora Jovis placidi: ſic ille Deus tonat, cum tonat ſerenus. O Care, non tantum Minerva tibi conceſſit coronam, illa donavit quoque *imaginem domini, quam venerari*s.

Pallatinos vultus] hoc eſt, quis ſtatuarius Domitiani formam tam bene expreſſit, ut ipſum Phidiam cœlando ebore præſtantem, de quo epig. 13. lib. 6. ſuperaverit.

Hæc mundi] hoc eſt illa imago marmore expreſſa nitet ut facies mundi, ſeu Sol meo judicio.

Cum ſine nube tonat.] hoc eſt, ſine ira, quæ frontis ſerenitatem turbet.

Non ſolam.] Minerva dedit coronam, de qua epig. præced. ſed & hanc Domitiani ſtatuam, cujus mirum artificium nulli poteſt niſi ipſi tribui.

In Afrum qui puerum ſuum a convivis adſpici ægre ferebat. XXVI.

DANTEM vina tuum quoties adſpeximus Hylum,
Lumine nos, Afer, turbidiore notas.
Quid rogo? quod ſcelus eſt mollem ſpectare miniſtrum?
Adſpicimus Solem, ſidera, templa, deos:
Avertam vultus, tanquam mihi pocula Gorgon
Porrigat, atque oculos, oraque noſtra tegam?
Trux erat Alcides: ſed Hylam ſpectare licebat.
Ludere Mercurio cum Ganymede licet.
Si non vis teneros ſpectet conviva miniſtros:
Phineas invites, Afer, & Oedipodas.

O Afer, quoties intuiti ſumus Hylum tuum miniſtrantem vina, conjicis in nos torvos oculos. Quid quæſo? Quod crimen eſt intueri tenerum famulum? intuemur Solem, aſtra, templa, numina: an avertam faciem, quaſi Meduſa mihi miniſtret pocula, & velabo oculos, atque os? Hercules erat atrox: at fas erat aſpicere Hylam. Conceſſum eſt Mercurio jocari cum Ganymede. Si non vis, ut conviva intueatur molles famulos, ô Afer, invites Phineas, atque Oedipodas.

Avertam vultus.] hoc per ironism dicit Poeta. Vide epig. 98 lib. 10.

Gorgon] hoc eſt Meduſa, quæ aſpectu ſuo homines in lapides convertebat, cujus hiſtoria ſatis nota.

Sed Hylam.] Herculis puerum de quo egimus epig. 49. lib. 5.

Cum Ganymede.] Jovis puero.

Phineas.] Accuſativus eſt Græcus: Phineus duas uxores duxit, ſecundæ ſuaſu ſuſceptos ex priore liberos excœcavit, quam ob cauſſam & ipſe a diis excœcatus eſt. OEdipi vero hiſtoria nota eſt ex Euripide in Phœniſſis, qui cognitis ſuis ſceleribus ſibi ipſe oculos effodit. Senſus eſt, O Afer, invites cœcos.

De Nerva egregio Poëta. XXVII.

AUDET facundo qui carmina mittere Nervæ,
Pallia donavit Glaucina, Cosme, tibi.
Pæstano violas, & cana ligustra colono,
Hyblæis apibus Corsica mella dabit.
Sed tamen & parvæ nonnulla est gratia Musæ:
Appetitur posito vilis oliva lupo.
Nec tibi sit mirum, modici quod conscia vatis
Judicium metuat nostra Thalia tuum.
Ipse tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
Lascivum juvenis cum tibi lusit opus.

Qui audet mittere versus diserto Nervæ, ô Cosme, tibi dedit pallia Glaucina. Donabit violas, atque alba ligustra colono Pæstano. & mella Corsica Hyblæis apibus. Sed nihilominus tenues versus placent aliquo modo: vilis oliva appetitur lupo apposito. Nec mireris quod nostra Thalia conscia Poetæ mediocris timeat judicium tuum. Ipse quoque Nero fertur veritus tuas aures, cum juvenis tibi recitavit opus lascivum.

Nerva.] Cujus versus jam laudavit epig. 70. lib. 8. & Plinius junior epist. 3. lib. 5.
Pallia Glaucina.] Glauci coloris vestes, quæ viles habebantur, mittit Cosmo purpureas habenti. Nescio an hic sit Cosmus de quo lib. 1. epig. 88. & lib. 4. epig. 53.
Pæstano.] Ager Pæstanus omni florum genere abundavit, epig. 38 lib. 5.
Corsica mella.] Amari nempe saporis, de Hybla. Epig. 87. lib. 7.
Posito lupo.] Pisce delicato. *Vilis*, alii *jugis*.
Nec tibi.] Nervam alloquitur, cujus autem censuram timebat ipse Nero, epig. 70. lib. 8.

XXVIII.

Epitaphium Latini excellentis mimi. XXIX.

DULCE decus scenæ, ludorum fama, Latinus
Ille ego sum, plausus, deliciæque tuæ:
Qui spectatorem potui fecisse Catonem,
Solvere qui Curios, Fabriciosque graves,
Sed nihil a nostro sumsit mea vita theatro:
Et sola tantum scenicus arte feror:
Nec poteram gratus domino sine moribus esse:
Interius mentes suspicit ille deus.
Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi,
Roma sui famulum dum sciat esse Jovis.

Ille ego sum Latinus, suave ornamentum scenæ, fama ludorum, plausus. & tua voluptas: qui potuissem allicere Catonem ad spectacula, & recreare Curios atque austeros Fabricios. At mores mei nihil acceperunt a theatro; & mimus dicor sola tantum arte: nec poteram placere domino sine moribus castis: ille deus penitius intuetur mentes. Vos vocate me parasitum laurigeri Phœbi, dum Roma teneat me esse servum sui Jovis.

Latinus.] Temporibus Domitiani mimus celebris, epig. 5. lib. 1.
Fecisse Catonem.] Virum nempe omnium gravissimum lib. 1. epig. 3.
Solvere qui.] hoc est, risum excitare Curiis & Fabriciis viris gravissimis, de quibus Livius, & passim alii.
Sed nihil.] hoc est, gestu quidem lascivus fui, at moribus probus, sic Martialis de se ipso, epig. 5. lib. 1.
Lasciva est nobis pagina, vita proba est.

Et

Et sola arte.] Moribus enim proba sum.
Ille deus.] Domitianus.
Parasitum dicite Phœbi.] Turnebus lib. 21. cap. 24. mimi & histriones dicti sunt parasiti Apollinis: aliquando parasitos Apollinis interpretatur Varrius mimos secundarum partium, quod ludia Apollinaribus in mimis fere essent parasiti illarum partium actores, &c.
Roma sui.] hoc est, dum sciat Roma me exercuisse artem scenicam propter Domitianum deum, non autem propter alios.

Epitaphium Philænis vetulæ. XXX.

SECULA Nestoreæ permensa, Philæni, senectæ,
Rapta es ad infernas tam cito Ditis aquas?
Euboicæ nondum numerabas longa Sibyllæ
Tempora: major erat mensibus illa tribus.
Heu quæ lingua silet! non illam mille catastæ
Vincebant, nec quæ turba Serapin amat:
Nec matutini cirrata caterva magistri,
Nec quæ Strymonio de grege ripa sonat.
Quæ nunc Thessalico Lunam deducere rhombo,
Quæ sciet hos illos vendere lena toros?
Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

O Philæni, permensa secula senectutis Nestoreæ tam velociter rapta es ad undas Stygias Plutonis? Nondum numerabas longos annos Sibyllæ Euboicæ: illa major erat tribus mensibus. Heu qua lingua tacet! mille catastæ non superabant illam, nec turba quæ diligit Serapin: nec caterva crispa matutini magistri, nec ripa quæ reboat clangoribus gregis Strymonii. Quæ saga nunc sciet rhombo Thessalico decipere Lunam, quæ lena vendere hos & illos toros? Experiaris terram levem, & tegaris molli arena, ut canes valeant effodere tua ossa.

Nestoreæ permensa.] hoc est quæ attigisti annos Nestoris, qui nonaginta annos vixit, ut diximus alibi: da Philæni vero, epig. 66. lib. 7.
Tam cito.] hoc est, tam mature: per ironiam hoc dicit Poëta.
Euboicæ Sibyllæ.] hoc est Cumanæ, de qua Virgilius ecloga 4. quæ a Phœbo impetrarat, ut tot annos viveret, quot arenarum corpuscula manu capere posset. Ovidius 14. Met.
Major erat.] Fingit Poëta tribus tantum mensibus minus Sibylla vixisse hanc vetulam.
Lingua silet.] loquacissimam fuisse ostendit. Alii *siles*.
Mille catastæ.] De catasta lignea machina, epig. 29. lib. 6. ubi servi natura sua loquacissimi venales exponebantur.
Turba Serapin.] Deum Ægyptiorum, cujus solemnia festa celebrabant Ægyptii magnis clamoribus. Strabo lib. 17.
Nec matutini.] hoc est nec pueri, qui summo mane magistrum adibant. Juvenalis sat. 7. alloquens magistrum:

Dummodo non pereat mediæ quod noctis ab hora
Sedisti, qua nemo faber, qua nemo sedebat,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro, &c.

Strymonio de grege.] Strymon fluvius est Thraciæ, ad quem multæ sunt grues, Virgilius 1. Georg

Strymoniæque grues:

quæ gregatim vivere solent.
Thessalico.] Thessalia olim veneficiis atque incantationibus fuit famosa. *Rhombus* turbo erat, quem in orbem agebant veneficæ. Theocritus in Pharmaceutria, Horatius epod. ode 17.

Canidia parce vocibus tandem sacris,
Citumque retro solve, solve turbinem.

& noster Poëta lib. 12. epig. 57.
Lena.] Amorum est conciliatrix.
Sit tibi.] De hac bene precandi mortuis formula dictum epig. 89. lib. 1. quam in diram imprecationem vertit.

De

De Antiſtio Ruſtico, cujus mortem & lacrymas uxoris ejus deſcribit. XXXI.

CAPPADOCUM ſævis Antiſtius occidit oris
Ruſticus: ô triſti crimine terra nocens!
Rettulit oſſa ſinu cari Nigrina mariti,
Et queſta eſt longas non ſatis eſſe vias:
Cumque daret ſanctam tumulis, quibus invidet, urnam,
Viſa ſibi eſt rapto bis viduata viro.

Antiſtius Ruſticus interiit crudelibus regionibus Cappadocum: O tellus rea diri ſceleris! Nigrina ſinu reportavit oſſa dilecti conjugis, & doluit iter non eſſe ſatis longum: & cum conderet ſanctam urnam ſepulchris, quibus invidet, ſibi viſa eſt bis orbata rapto conjuge.

Cappadocum.] Impiam Cappadocum terram dixit, epig. 85. lib. 6.

Et queſta eſt.] Quamvis ex Cappadocia longum eſſet iter Romam, tamen quia illic mariti reliquias tumulo condere debebat Nigrina, cupiebat etiam longius eſſe, ne tam cito reliquias, quas ſinu fovebat, deponeret.

Quibus invidet.] Utpote qui condunt ſuos amores.

Bis viduata.] Primo cum occidit maritus, & rurſus cum ejus oſſa condere coacta eſt.

De Vibii voto. XXXII.

DUM comes Arctois hæreret Cæſaris armis
Vibius, hanc Marti pro duce vovit avem.
Luna quater binos non tota peregerat orbes,
Debita poſcebat jam ſibi vota deus.
Ipſe ſuas anſer lætus properavit ad aras,
Et cecidit ſanctis hoſtia parva focis.
Octo vides patulo pendere numiſmata roſtro
Alitis? hæc extis condita nuper erant.
Quæ litat argento pro te, non ſanguine, cæſa
Victima, jam ferro non opus eſſe docet.

Dum Vibius comitaretur arma Sarmatica Cæſaris, pro Imperatore vovit Marti hanc avem. Luna nondum abſolverat octo orbes, jam deus Mars petebat vota ſibi debita. Ipſe anſer hilaris feſtinavit ad ſua altaria, atque exigua victima cecidit ſanctis focis. An cernis octo nummos pendere ex patenti roſtro alitis? hi nuper erant conditi præcordiis. Immolata victima, quæ pro te litat argento, non ſanguine, demonſtrat jam non eſſe opus ferro.

Dum comes Arctois.] De expeditione Sarmatiæ, quæ eſt ad Septentrionem, jam ſæpius dictum. Vide epig. 5. lib. 7. Vibii mentionem facit Suetonius in Domitiano cap. 3. Alii *Vebius*.

Vovit avem.] Anſerem nempe Romani Imperii cuſtodem, epig. 47. lib. 13.

Luna quater.] hoc eſt, nondum elapſi erant octo menſes, quibus Sarmaticum bellum eſt confectum.

Ipſe ſuas anſer.] Cum autem renitens ibat ad aras, quibus immolanda erat victima, omen infauſtum erat.

Octo vides.] Ad Martis ſane ſtatuam poſita fuit argentea anſeris effigies, ex cujus roſtro pendebant octo nummi, qui octo menſes in peragendo bello Sarmatico inſumpti ſignificarent.

Hæc extis.] Nempe anſeris præcordiis condita erant numiſmata, dum bellum fieret.

Quæ litat argento.] Intelligere videtur Poeta, temporibus Domitiani argenteam ætatem rediiſſe, cum dicat, jam non opus eſſe ferro. Forte intelligit, non ſanguine, nec pugna, ſed argento a barbaria redemptam fuiſſe pacem, ut patet ex Dionis fragmento, inquit Raderus, quod ſignificare videbatur victima: at hic ſenſus carminis intellectus Vibio ſane & Martiali graviſſimum damnum attuliſſet. Judicet lector.

XXXIII.

XXXIII.

XXXIV.

In laudem Domitiani de templo Flaviæ gentis. XXXV.

JUPPITER Idæi risit mendacia busti,
Dum videt Augusti Flavia templa poli.
Atque inter mensas largo jam nectare fusus,
Pocula cum Marti traderet ipse suo:
Respiciens Phœbum pariter, Phœbique sororem,
Cum quibus Alcides, & pius Arcas erat,
Cnossia vos, inquit, nobis monumenta dedistis:
Cernite quam plus sit Cæsaris esse patrem.

Jupiter irrisit mendacia monumenti Cretensis, dum aspicit Flavia templa poli Augusti; atque inter mensas multo jam hausto nectare dum ipse porrigeret pocula suo Marti: intuitus Apollinem, simul & sororem Apollinis, cum quibus erat Hercules, & pius Mercurius: Vos, ait, mihi extruxistis tumulum Cnossium, aspicite, quam plus sit genuisse Domitianum.

Idæi busti.] Mendaces enim Cretes finxerunt Jovem interiisse cui condiderunt tumulum, quem vocat Poëta bustum Idæum, quod saoe esser prope Idam Cretæ montem. Vide Callimachum io hymno Jovis. Illum vero tumulum irridet Jupiter superbum intuitus templum, quod Domitianus in hoorem suæ gentis extruxerat, epig. 2. supra.

Templa poli.] hoc est, templa altissima, epig. 4. supra. Legunt alii *thali*.

Nectare fusus.] hoc est, madidus.

Et pius Arcas.] hoc est, Mercurius in urbe Cylleno vel Cyllene Arcadiæ monte natus, qui pius dicitur, quod deorum sacra iostituit. Horat. ode 10. lib. 1.

Cernite quam plus.] Mihi nempe a vobis conditum monumentum Vespasiani tumulo multo inferius est, atque ita videtur optare Jupiter potius esse Domitiani, quam cæterorum deorum pater.

In Philomusum narrantem semper aliquid novi, ut cœnam aucuparetur. XXXVI.

ARTIBUS his semper cœnam, Philomuse, mereris,
Plurima dum fingis, sed quasi vera refers.
Scis quid in Arsacia Pacorus deliberet aula,
Rhenanam numeras, Sarmaticamque manum.
Verba ducis Daci Cattis mandata resignas:
Victricem laurum, quam venit, ante vides.
Scis quoties Phario madeat Jove fusca Syene:
Scis quota de Libyco litore puppis eat.
Cujus Iuleæ capiti nascantur olivæ,
Destinet ætherius cui sua serta pater.

O Philomuse, semper mereris cœnam his artibus, dum excogitas multa, & narras tanquam vera. Tenet quid consultet Pacorus in aula Arsacia, recenses copias Germanicas & Sarmaticas. Aperis verba ducis Daci commissa Cattis: vides victricem laurum priusquam veniat. Novisti quoties nigra Syene perfundatur Ægyptia pluvia: novisti quot naves solvant ex litore Libyco. Cujus capiti nascantur oliva Iulea, cui pater ætherius destinet suas coronas.

Tolle

Tolle tuas artes, hodie cœnabis apud me,
Hac lege, ut narres nil, Philomuse, novi.

Omitte tua artificia, hodie cœnabis apud me, ea conditione, ô Philomuse, ut nihil novi referas.

Pacorus.] Parthorum rex: *Aula* vero *Arsacia* sic dicta est ab Arsace Parthorum rege.

Verba ducis Daci.] Cujus arcana perinde tibi comperta esse garris, ac si illius literas Cattis scriptas resignavisses: Catti autem populi Germaniæ Visurgim, Daci vero Danubium incolebant. De his epig. 2. lib. 2.

Victricem laurum.] hoc est victoriam futuram.

Phario Jove.] Jupiter sumitur pro media aëris regione, ex qua imbres emittuntur. *Fusca Syene*, a colore incolarum. De hac urbe epig. 87. lib. 1. Illic perraro pluit.

Iulea oliva.] hoc est, Scis nomina eorum qui in Quinquatribus victorea coronandi sunt a Domitiano. *Iulea corona*, hoc est Cæsareæ, ab Ascanio cognomine Iulo Æneæ filio, a quo ortum se prædicabat Julius Cæsar.

Ætherius pater.] Jupiter Capitolinus, cui & ludos instituit Domitianus. Suetonius in Domitiano cap. 4.

Tolle tuas artes.] Nam hodie te invito ea lege, ut sileas.

De Ganymede & Jove colloquentibus de Earino & aliis Domitiani pueris. XXXVII.

VIDERAT Ausonium posito modo crine ministrum
Phryx puer, alterius gaudia nota Jovis.
Quod tuus ecce suo Cæsar permisit Ephebo,
Tu permitte tuo, maxime rector, ait.
Jam mihi prima latet longis lanugo capillis:
Jam tua me ridet Juno, vocatque virum.
Cui pater ætherius, puer ô dulcissime, dixit,
Non ego quod poscis, res negat ipsa tibi.
Cæsar habet noster similes tibi mille ministros,
Tantaque sidereos vix capit aula mares.
At tibi si dederit vultus coma tonsa viriles,
Quis mihi, qui nectar misceat, alter erit?

Phryx puer aspexerat famulum Ausonium modo deposita coma, delicias notas alterius Jovis. O supreme moderator, inquit, tu permitte tuo ephebo, quod ecce permisit tuus Cæsar suo. Jam prima mea lanugo tegitur longis comis: jam ludibrio sum tuæ Junoni, & appellat me virum. Cui reposuit pater æthereus: ô suavissime minister, res ipsa recusat tibi quod petis, non ego recuso. Cæsari nostro sunt mille famuli similes tibi, & tam ampla ejus aula vix capit formosos mares. Sed si tonsis capillis indueris faciem virilem, quem habebo alterum qui ministres nectar?

Ausonium puerum.] Intellige Earinum de quo epig. 17. & 18. supra. Ausonius dicitur, quod duci Ausonio seu Domitiano epig. 21. lib. 8. serviret.

Phryx puer.] Ganymedes vidit Earinum tonsum, & petiit a Jove ut sibi pariter liceret deponere capillos.

Alterius gaudia.] Per appositionem vocat Earinum delicias Domitiani, quem jam appellavit Jovem, epig. 29. supra. Vel refert ad ipsum Ganymedem delicias alterius Jovis, cui Domitianum præferre videretur.

Suo ephebo.] hoc est puberi Earino.

Res negat.] hoc est ipsa necessitas: Domitiano enim non desunt alii pueri, & quidem siderei seu formosissimi, & digni qui in cœlum evehantur: At vero ego, inquit Jupiter, alterum pincernam non inveniam, si tonsis capillis vir factus fueris.

XXXVIII.

Ad

Ad Agathinum, quem laudat ab agilitate. XXXIX.

SUMMA licet velox, Agathine, pericula ludas,
Non tamen efficies ut tibi parma cadat.
Nolentem sequitur, tenuesque reversa per auras
Vel pede vel tergo, clune vel ungue sedet.
Lubrica Corycio quamvis sint pulpita nimbo,
Et rapiant celeres vela negata Noti:
Securos pueri neglecta perambulat artus,
Et nocet artifici ventus, & unda nihil.
Ut peccare velis, cum feceris omnia, falli
Non potes: arte opus est ut tibi parma cadat.

O Agathine, quamvis agilis contemnas summa pericula, nihilominus non efficies ut tuus clypeus decidat. Sequitur te invitum; & rediens per tenues auras, haret vel pedi vel tergo, cluni vel ungui. Licet theatra sint lubrica aspersionibus croceis, & vehementes venti auferant vela inconcessa; neglectus clypeus *pervadit membra tuta pueri* Agathini, *& ventus, & aqua nihil obsunt artifici. Licet cupias errare, cum absolveris omnia, nequis falli: opus est arte ut tibi clypeus decidat.*

Summa licet.] De pilariis & ventilatoribus Quinctilianus lib. 10. cap. 7. *quo constant miracula illa in scenis pilariorum ac ventilatorum, ut ea quæ miserint ultro venire in manus credas, & qua jubent decurrere.* Ex eorum numero erat Agathinus, qui parmam seu parvum clypeum in altum jaciebat, recipiebatque sic, ut nunquam caderet. *Clune*, alii *crine*.

Lubrica.] Pulpita hîc significant theatra in quibus ludebant pilarii: lubrica autem fiebant aspersionibus e croco, & vino dulci, epig. 3. lib. Spect.

Et rapiant celeres.] Velis tegebatur theatrum, quæ ventis negari dicebantur, cum summa cura ligata tamen vehementioribus ventis abripiebantur: data vero ventis, quando negligenter illis permittebantur, epig. 22. lib. 11. Sensus est: Ventus vehemens, nec aqua in theatro sparsa impediunt Agathinum, quominus missam in altum parmam excipiat. *Celeres.*] alii *madidi*.

Neglecta.] Parma scilicet, quam nec cogitans excipit.

Arte opus est.] hoc est: Alii ne errent, artem adhibent; Agathini autem tanta est industria ut arte indigeat, si errare velit.

De natali Cæsoniæ. XL.

PRIMA Palatino lux est hæc orta tonanti,
Optasset Cybele qua peperisse Jovem.
Hac & sancta mei genita est Cæsonia Rufi:
Plus debet matri nulla puella suæ.
Lætatur gemina votorum sorte maritus:
Contigit hunc illi quod bis amare diem.

Hic dies primus illuxit Palatino tonanti, quo Cybele cupisset genuisse Jovem. Hac & casta Cæsonia mei Rufi nata est: nulla genitrix plus merita est de sua puella. Maritus gaudet duplici sorte votorum: quod contigit illi bis amare hanc lucem.

Prima Palatino.] Nono Kalendas Novembris natus est Domitianus, teste Suetonio in Domitiano, quem noster Poëta Palatinum tonantem dicit, & Jovem appellavit supra.

Cybele.] Deorum mater.

Hac & sancta mei.] Alii *sancta meo*. Alii *hac & Sanctonici*: Sanctones vero populi sunt Galliæ, hodie *Saintonge*.

Plus debet matri.] quod nata sit hoc die.

Bis amare diem.] quod eo die uxor Cæsonia & Domitianus natus sit, quorum communem natalem celebrat.

XLI.

XLII.

Ad Apollinem ut Stellæ impetret consulatum a Domitiano. XLIII.

Campis dives Apollo sic Myrinis,
Sic semper senibus fruare cycnis,
Doctæ sic tibi serviant sorores,
Nec Delphis tua mentiatur ulli,
Sic Pallatia te colant, amentque:
Bis senos cito me rogante fasces
Det Stellæ bonus annuatque Cæsar.
Felix tunc ego, debitorque voti
Casurum tibi rusticas ad aras
Ducam cornibus aureis juvencum.
Nata est hostia, Phœbe, quid moraris?

O Apollo, sic locuples possideas campos Myrinos, sic semper cycnos senes, sic erudita sorores tibi famulentur, nec tua Delphis ulli dicat mendacia, sic palatia venerentur te & diligant: me orante bonus Cæsar deferat, atque annuat Stellæ consulatum. Tunc ego beatus & debitor voti ducam juvencum cornibus aureis immolandum tibi ad aras rusticas. O Phœbe, victima nata est, quid cunctaris?

Campis dives.] hoc est, sic semper colaris in campis Myrinis, & semper tibi canant cycni. Strabo lib. 13. εἶτα πολίχνιον Μυριναῖον, Γρύνιον, καὶ ἱερὸν Ἀπόλλωνος, καὶ μαντεῖον ἀρχαῖον, καὶ νεὼς πολυτελὴς λίθου λευκοῦ. Oppidulum deinde Myrinæorum, Grynium, & fanum Apollinis, vetusque oraculum, & templum sumptuosum ex albo lapide. Hæ nempe urbes sunt in Æolide Asiæ minoris regione: hoc Strabonis loco fretus hanc lectionem aliis pluribus anteposui. Turnebus vero lib. 21. cap. 24. aliter legit.

Senibus fruare cycnis.] Qui non sine caussa Apollini dicati sunt, quod ab eo divinationem habere videantur: providentes enim quid in morte boni sit, cum cantu, & voluptate moriuntur. Lib. 13. epig. 77.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cycnus funeris ipse sui.

Sorores.] Novem Musas intellige.

Nec Delphis tua.] Pythia sacerdos Apollinis.

Sic palatia.] hoc est, Cæsares te venerentur.

Me rogante.] Alii *te rogante.*

Det Stella.] De quo dictum lib. 1. epig. 8. duodecim fasces erant consulatus insignia, & sumuntur a Poëta pro ipso consulatu.

Rusticas ad aras.] hoc est, in meo prædio suburbano.

Cornibus aureis.] Ad majorem pompam victimarum cornua inaurabantur. Juvenalis sat. 6.

Auratam Junoni cæde juvencam.

Et Virgilius lib. 9.

Et statuam ante aras aurata fronte juvencum.

Quid moraris.] A Domitiano impetrare consulatum meo Stellæ.

De statua Herculis, cujus varios dominos recenset. XLIV.

Hic, qui dura sedens porrecto saxa leone
Mitigat exiguo magnus in ære deus,
Quæque tulit, spectat resupino sidera vultu,
Cujus læva calet robore, dextra mero:

Hic magnus deus in ære parvo, qui sedens mitigat duritiem saxorum substrata pelle *leonis, & resupino vultu aspicit astra quæ portavit, cujus sinistra gestat clavam, dextra poculum:*

Non

Non est fama recens, nec nostri gloria cœli:
 Nobile Lysippi munus, opusque vides.
Hoc habuit numen Pellæi mensa tyranni,
 Qui cito perdomito victor in orbe jacet.
Hunc puer ad Libycas juraverat Hannibal aras:
 Jusserat hic Syllam ponere regna trucem:
Offensus variæ tumidis terroribus aulæ,
 Privatos gaudet nunc habitare Lares.
Utque fuit quondam placidi conviva Molorchi,
 Sic voluit docti Vindicis esse deus.

non est fama recens, nec decus nostri cœli: cernis eximium donum, atque opus Lysippi. Pellæus tyrannus adhibuit hunc deum suæ mensæ, qui victor jacet in orbe celeriter subacto. Puer Hannibal juraverat per hunc ad altaria Africa: ab hoc jussus est atrox Sylla deponere dictaturam: offensus fastosis timoribus multorum principum nunc lætatur coli in privatis ædibus. Atque ut olim deus convivatus est apud mitem Molorchum, sic optavit convivari apud eruditum Vindicem.

De statua Herculis.] Inscribunt alii *de Herculis sigillo apud Vindicem.*

Hic qui dura.] Solebant antiqui deorum simulachra mensæ adhibere. Papinius lib. 4. Sylvarum in Sylva, quæ inscribitur VINDICIS HERCULES EPITRAPEZIOS.

Exiguo magnus.] Ærea quidem illa statua erat pedalis. Papinius loco citato.

———parvusque videri
Sentirique ingens, & cum mirabilis intra,
Stet mensura pedem.

Quaque tulit.] hoc est, cœlum suspicit, quod olim cum Atlante humeris sustinuit.

Calet robore.] hoc est, clava facta ex robore, quod est quercus species durissima.

Non est fama.] Jam diu celebris est hæc statua. Legunt alii, *Non est forma recens*, hoc est, opus est antiquum.

Nec nostri gloria.] Cœlum cælatorum & statuariorum instrumentum est Sensus est, nostris temporibus non fuit formata illa statua.

Nobile Lysippi.] Alexandri magni temporibus vixit Lysippus statuarius nobilissimus, qui hanc Herculis statuam effinxit, qua donavit Alexandrum.

Pellæi mensa.] hoc est, Alexandri regis qui natus erat Pellæ in urbe Macedoniæ. Vox *tyrannus* olim sumebatur in bonam partem.

Qui cito perdomito.] Nempe intra duodecim annos Asiam fere totam subegit, & Babylone juvenis adhuc veneno sublatus est. Vide Q. Curtium.

Hunc puer.] Aliter sentit Silius lib. 1.

———juro nostri per Numina Martis,
Per manes, regina, tuos, &c.

Sed noster Poëta, ut opinor, vult tantum significare hanc Herculis statuam fuisse in potestate Hannibalis, ut canit Papinius loco citato.

Jusserat hic Syllam.] Quem trucem vocat ob crudelitatem, quam in victos cives exercuit. Vide Sallustium, Appianum, & Velleium. Sylla ergo hunc etiam Herculem possedit, a quo, ut fingit Poëta, dictaturæ imperium deponere jussus est.

Offensus variæ.] Cœpit nempe fastum, & tyrannidem aversari: atque in privata Vindicis mensa coli maluit. Sic & Papinius loco citato:

Hic igitur tibi læta quies, fortissime divum
Alcide: nec bella vides pugnasque feroces.

Conviva Molorchi.] Pastoris de quo lib. 4. epig. 64.

De eadem statua. XLV.

ALCIDEN modo Vindicis rogabam,
Esset cujus opus, laborque felix.
Risit: nam solet hoc: levique nutu,
Græce numquid ait, Poëta, nescis?
Inscripta est basis, indicatque nomen.
Λυσίππου lego, Phidiæ putavi,

Paulo ante quærebam ab Hercule Vindicis, a quo effictus, & feliciter formatus fuisset. Risit: nam solet hoc: & levi nutu respondit, ô Poeta, an ignoras linguam Græcam? basis inscripta est, atque ostendit nomen. Lysippi lego, credidi opus Phidiæ.

Alciden

Alciden modo Vindicis.] Alii,
Alcides, modo Vindicem rogabam.
Vindicem enim rogare videtur Poëta, cujus sit opus Hercules, quem domi colebat. Sed priorem lectionem probat Raderus his verbis: interrogabam ego Alciden, a quo esset artifice factus? Risit, inquit, deus. & ut id de deo credibile videretur, ait Herculem hoc solere, nam facies statuæ non erat torva, sed hilaris, & epulis apta. Papinius lib. 4. Sylvarum.

Non torva effigies, epulisque aliena remissis.
Et paulo infra.
Sic mitis vultu, veluti de pectore gaudens
Hortetur mentes.

Λυσίππου.] Lysippi egregii statuarii opus intellige.

Phidia.] Qui statuarius ipso Lysippo nobilior fuit, & Jovem effinxit inter orbis miracula numeratum.

Ad Marcellinum euntem in Sarmatiam & Scythiam. XLVI.

MILES Hyperboreos modo, Marcelline, Triones,
Et Getici tuleris sidera pigra poli.
Ecce Promethea rupes, & fabula montis
Quam prope sunt oculis nunc adeunda tuis.
Videris immensis cum conclamata querelis
Saxa senis, dices, durior ille fuit.
Et licet hoc addas, potuit qui talia ferre,
Humanum merito finxerat ille genus.

O Marcelline, brevi tolerabis Triones Hyperboreos, atque astra lenta cœli Getici. En fabulosus mons, & saxa Promethei quam prope sunt lustranda nunc tuis oculis. Cum aspexeris saxa conclamata immensis lamentationibus senis, inquies, Ille fuit durior. Et poteris adjungere illud, Qui fuit par tolerandis his malis, ille jure formaverat genus humanum.

Hyperboreos Triones.] Describit Septentrionem, ubi Marcellinus multa toleraturus erat incommoda. De Trionibus Stellis nempe dictum. epig. 58. lib. 6. & 79. lib. 7. De Marcellino epig. 6. lib. 3. & epig. 25. lib. 6.

Sidera pigra.] hoc est Ursas & Booten lente se moventes. Vide epig. 58. lib. 6. De Getis egimus lib. 7. epig. 1.

Ecce Promethea rupes.] Caucasum montem interpretare, cujus vertici affixum fuisse Prometheum fabulantur Ovidius, Hesiodus, Æschylus.

Conclamata.] hoc est contusa clamoribus Promethei, inquit Domitius. Malim interpretari saxa quæ summis clamoribus vocabat Prometheus, & quæ testabatur se nempe indigne pati a Jove.

Durior ille fuit.] qui tot & tantos cruciatus ferre potuerit.

Humanum.] nempe ab auctore tam duro, hominum genus durum est.

In Gellium fingentem se semper aliquid ædificare ut nihil amicis donaret. XLVII.

GELLIUS ædificat semper, modo limina ponit,
Nunc foribus claves aptat, emitque seras:
Nunc has, nunc illas mutat, reficitque fenestras.
Dum tamen ædificet, quidlibet ille facit:
Oranti nummos ut dicere possit amico
Unum illud verbum Gellius, Ædifico.

Gellius semper ædificat, nunc ponit limina, nunc accommodat claves foribus, & mercatur seras. nunc mutat has fenestras, nunc illas, & refarcit. Dummodo ædificet, facit ille quidlibet: ut Gellius possit reponere amico roganti nummos unicum illud verbum, Ædifico.

Dum tamen.] Alii *dum tantum.*
Quidlibet.] Sibi quidlibet facere videtur.

Ædifico.] Atque hoc prætextu nihil amicis donat, quippe qui sua pecunia egeat ad ædificandum.

In Pannicum mollissimum hominem sed gravia loquentem. XLVIII.

DEMOCRITOS, Zenonas, inexplicitosque Platonas,
Quidquid & hirsutis squalet imaginibus,
Sic quasi Pythagoræ loqueris successor, & heres:
Præpendet mento nec tibi barba minor.
Sed quid & hircosis serum est, & turpe pilosis,
In molli rigidum clune libenter habes?
Tu qui sectarum caussas, & pondera nosti,
Dic mihi, præcidi, Pannice, dogma quod est.

Sic quasi successor, & heres Pythagoræ prædicas Democritos, Zenonas, atque intricatos Platonas, & quicquid squalet hispidis imaginibus: nec barba minus promissa pendet ex tuo mento . . . .

Democritos.] Sensus est: O Pannice, semper prædicas graviores philosophos, atque ut illorum barba, sic & tua promissa est, at molliter vivis, epig. 25. lib. 1. & Juvenalis sat. 2.

In Gallicum, a quo in spem hereditatis vocatus circumventus fuerat. XLIX.

HEREDEM cum me partis tibi, Gallice, quartæ
Per tua jurares sacra, caputque tuum,
Credidimus, (quis enim damnet sua vota libenter?)
Et spem muneribus fovimus usque datis:
Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum,
Misimus, Ætola de Calydone putes.
At tu continuo populumque, patresque vocasti,
Ructat adhuc aprum callida Roma meum.
Ipse ego (quis credat?) conviva nec ultimus hæsi:
Sed nec costa data est, caudave missa mihi.
De quadrante tuo quid sperem, Gallice? nulla
De nostro nobis uncia venit apro.

O Gallice, cum per tua sacra & caput tuum jurares me tibi fore heredem ex quadrante, adhibuimus fidem: (quis enim libenti animo improbet sua vota?) & hactenus aluimus spem donis collatis: inter quæ misimus Laurentem aprum ponderis ingentis, credas de Calydone Ætola. At tu subito invitasti populum & patres, ut ructa Roma exhalat adhuc meum aprum. Ego ipse (quis credat) nec infimus conviva accubui: sed nec costa mihi data est, aut cauda missa. O Gallice, quid expectem ex tuo quadrante? Nulla uncia nobis allata est de nostro apro.

Partis quartæ.] hoc est quadrantis: tota vero hereditas in duodecim uncias ut plurimum dividitur.
Per tua sacra.] hoc est per deos Penates

nates quos domi colis.

Damnet sua vota.] libenti quippe animo credimus quod optamus.

Laurentem aprum.] captum in Laurente saltu.

Ætola de Calydone.] Calydon urbs Ætoliæ, ubi erat ingens aper quem interfecit Meleager epig. 26. lib. 7. & epig. 17. lib. Spect.

Callida Roma.] hoc est callidi Romani; qui lautiores cœnas sectabantur.

Nec ultimus hasi.] hoc est nec fui vocatus, ut saltem sederem ultimo loco.

Quid sperem.] Legunt alii *qui sperem?* hoc est, quomodo.

De nostro.] Sensus est: Si mihi nihil dedisti de meo, nihil daturus es de tuo.

De toga a Parthenio sibi data. L.

HÆc est illa meis multum cantata libellis,
Quam meus edidicit lector, amatque togam.
Partheniana fuit, quondam memorabile vatis
Munus: in hac ibam conspiciendus eques:
Dum nova, dum nitida fulgebat splendida lana,
Dumque erat auctoris nomine digna sui:
Nunc anus, & tremulo vix accipienda tribuli,
Quam possis niveam dicere jure tuo.
Quid non longa dies, quid non consumitis anni?
Hæc toga jam non est Partheniana: mea est.

Hæc est illa toga multum celebrata meis scriptis, quam novit meus lector & diligit. Partheniana fuit, olim nobile donum Poetæ Parthenii: hac indutus ambulabam eques spectabilis: dum recens, dum micans splendebat lana fulgenti, & dum erat digna nomine sui auctoris: nunc vetus, & vix accipienda trementi tribuli, quam possis merito appellare niveam. O longa dies, o anni, quid non conteritis? Hæc toga jam non est Partheniana: mea est.

Multum cantata.] Vide epig. 28. lib 8.

Vatis.] Parthenii de quo epig. 6. lib. 5.
Musa Parthenium rogate vestrum, &c.
& lib. 12. epig. 11.
Parthenio dic Musa tuo salutem;
Nam quis ab Aonio largius amne bibit?

Conspiciendus eques.] Non quidem censu, sed munere principis. Lib. 5. epig. 13. lib. 12. epig. 26.

Auctoris.] Parthenii.

Tribuli.] Ex tribu civem Romanum significat tribulis, qui sumitur hic pro paupere plebeio, qui totus frigore horreat.

Niveam.] Adeo tritam, ut fila alba appareant.

Non Partheniana.] hoc est, non amplius Parthenio auctore, sed me paupere digna est. Tacite novam togam a Parthenio petere videtur.

In Gaurum Poëtam ineptum. LI.

INGENIUM mihi, Gaure, probas sic esse pusillum,
Carmina quod faciam, quæ brevitate placent.
Confiteor: sed tu bis denis grandia libris
Qui scribis Priami prælia, magnus homo es.

O Gaure, hoc modo probas me habere parum ingenii, quod condam versus, qui placent brevitate: fateor: at tu qui viginti libris narras magna certamina Priami, magnus es homo.

 Nos

Nos facimus Bruti puerum, nos Lagona vivum:
Tu magnus luteum, Gaure, Giganta facis.

Nos exprimimus vivum puerum Bruti, & Lagona: tu, ô Gaure, magnum exprimis luteum giganta.

Magnus homo.] Nempe tibi videris: epig. 32. lib. 2. & epig. 99. lib. 7.

Bruti puerum.] de quo lib. 14. epig. 171.

Gloria tam parvi non est obscura sigilli:
Istius pueri Brutus amator erat.

Nos Lagona.] Puerum formosum de quo sic Plinius lib. 34. *Lyciscus Lagonem puerum subdolæ ac fucatæ vernilitatis fecit.* Sensus est: Ego facio carmina brevia quidem, at similia formosis his pueris: tu vero, ô Gaure, magnos libros componis similes gigantibus luteis, qui cito pereunt: magnus enim liber magnum malum. Vide epigramma ultimum lib. 1. Horatius sat. 10. lib. 1.

——————— *dumque*
Diffingit Rheni luteum caput, &c.

Ex quo loco epigramma hoc desumptum existimat Heinsius in Horatium.

De Lucano & Tullo fratribus sibi invicem carissimis. LII.

QUOD semper superos, invito fratre, rogasti,
Hoc, Lucane, tibi contigit, ante mori.
Invidet ille tibi: Stygias nam Tullus ad undas
Optabat, quamvis sit minor, ire prior.
Tu colis Elysios, nemorisque habitator amœni
Esse tuo primum nunc sine fratre cupis.
Et si jam nitidis alternus venit ab astris,
Pro Polluce mones Castora ne redeat.

O Lucane, quod semper a diis petiisti, nolente fratre, hoc impetrasti, interire prius. Ille invidet tibi: Tullus enim, licet sit junior, cupiebat prior petere undas Stygias. Tu habitas Elysios, & nunc primum gaudes esse incola voluptarii nemoris sine tuo fratre. Et si jam vice sua venit ab astris splendidis, mones Castora ne revertatur pro Polluce.

Lucane.] De his duobus fratribus dictum est epig. 37. lib. 1. ubi Poëta jam illos Castori & Polluci alternatim viventibus comparavit.

Mones Castora.] Ut scilicet inter vivos maneat: jam enim Pollux exemplo tuo motus ad superos reverti non vult, sicut & tu optas, ut Tullus perpetua luce fruatur.

Ad Quinctum Ovidium, cujus diem natalicium celebrat, suoque anteponit. LIII.

SI credis mihi, Quincte, quod mereris,
Natales, Ovidi, tuos Apriles,
Ut nostras amo Martias Kalendas.
Felix utraque lux, diesque nobis
Signandi melioribus lapillis.
Hic vitam tribuit, sed hic amicum:
Plus dant, Quincte, mihi tuæ Kalendæ.

O Quincte Ovidi, si mihi adhibes fidem, diligo natalicias tuas Calendas Apriles (quod mereris) tanquam meas Martias. Utraque lux beata, & dies nobis notandi melioribus lapillis. Hæc impertiit vitam, sed hic amicum: O Quincte, tuæ Calendæ plus largiuntur mihi.

Tuos Apriles.] De Quincto actum, epig. 92. lib. 7.

Signandi.] De hac formula diximus, lib. 8. epig. 45.

Plus dant.] Etenim amicitia vitæ anteponenda est.

Ad eundem a quo petit natalicia munera. LIV.

NATALI tibi, Quincte, tuo dare parva volebam
Munera. tu prohibes: imperiosus homo es.
Parendum est monitis, fiat quod uterque jubemus;
Et quod utrumque juvat, tu mihi, Quincte, dato.

O Quincte, tuo natali volebam tibi donare exigua dona. Tu vetas: es homo imperiosus. Obtemperandum est jussis tuis, fiat quod jubemus uterque: & tu, ô Quincte, dona mihi quod placet utrique.

Natali.] Quo nempe moris erat munera mittere. Vide epig. 64. lib. 8.
Uterque jubemus.] Alii *volemus.*
Et quod utrumque.] Nimirum in amicos libenter confers munera, quæ & ego libenter accipio. Sic festive mendicat Poeta.

Ad cognatum cui excusat munera agrestia. LV.

SI mihi Picena turdus palleret oliva,
Tenderet aut nostras sylva Sabina plagas,
Aut crescente vadis traheretur arundine præda,
Pinguis & implicitas virga teneret aves:
Cara daret solenne tibi cognatio munus,
Nec frater nobis, nec prior esset avus.
Nunc sturnos inopes, fringuillarumque querelas
Audit, & arguto passere vernat ager,
Inde salutatus picæ respondit arator:
Hinc prope summa rapax milvus in astra volat.
Mittimus ergo tibi parvæ munuscula cortis,
Qualia si recipis, sæpe propinquus eris.

Si haberem turdum saginatum oliva Picena, aut nostra retia tenderentur in sylva Sabina, aut præda educeretur arundine crescente in aquis, & viscata virga teneret volucres irretitas: cara cognatio daret tibi celebre donum, nec frater, nec avus mihi potior esset. Nunc querimonia inopum sturnorum, & fringuillarum audiuntur in agro, & canorus passer renovat ver. Inde agricola salutatus respondit picæ: hinc milvus rapax volat fere ad summa usque sidera. Igitur mittimus ad te munuscula parvæ cortis, qualia si recipis, sæpe eris propinquus.

Picena oliva.] Vide epig. 44. lib. 1.
Tenderet.] hoc est, aut si liceret venari in sylvis Sabinorum.
Aut crescente.] Alii interpretantur virgam recens abscissam & flexibilem, qualia sunt arbuscula, at vero mihi videtur intelligenda esse virga, quæ crescat in locis palustribus. Legunt alii *aut crescente levis.*
Cara daret.] *Convivium etiam solenne majores instituerant, idque charistia appellarunt, cui præter cognatos, & affines nemo interponebatur: ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensa, & inter hilaritatem animorum fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur.* Valerius Maximus. De ejusmodi convivio loquitur Poëta. Alii legunt *clara*: sed melior prior lectio, illa enim festa dicebantur *cara cognatorum.*
Sturnos inopes.] Gallice *étourneaux*: inopes vocat, quod pauperibus conveniant. *Fringuillarum*, avium scilicet. Legunt alii *fringillarum*, & *frigillarum*, quæ sic appellantur quod frigore cantent, ut ait Festus.
Vernat ager.] Poëta notat tempus quo celebrabantur hæc charistia, vere nempe.
Pica respondit.] Picam salutatricem dixit, epig. 86. lib. 7.
Munuscula cortis.] hoc est, aves domesticas, epig. 30. lib. 7.
——— *rauca cortis aves.*
Sæpe propinquus eris.] hoc est, tibi tanquam propinquo ejusmodi munera mittam.

Ad Flaccum cui se excusat, quod in charistiis nec ipsi nec Stellæ munera mittat. LVI.

LUCE propinquorum, qua plurima mittitur ales,
Dum Stellæ turdos, dum tibi, Flacce, paro:
Succurrit nobis ingens, onerosaque turba,
In qua se primum quisque meumque putat.
Demeruisse duos, votum est: offendere plures,
Vix tutum: multis mittere dona, grave est.
Qua possum sola veniam ratione merebor:
Nec Stellæ turdos, nec tibi, Flacce, dabo.

O Flacce, dum tibi, dum Stellæ praparo turdos die propinquorum, quo mittuntur multæ aves: turba ingens, & molesta se offert nobis, in qua quisque existimat se primum, & meum cognatum. *Opto bene mereri de duobus: vix tutum* est *lædere multos: molestum* vero *mittere munera pluribus. Merebor veniam sola ratione, qua possum: O Flacce, nec tibi, nec Stellæ donabo turdos.*

Luce propinquorum.] Vide præcedens epigramma. De charistiis Ovidius lib. 1. Fastorum.

Proxima cognati dixere charistia cari,
Et venit ad socios turba propinqua deos.

Dum Stella.] Poëtæ de quo epig. 8. lib. 1. Flaccus vero Poëta scripsit Argonautica, epig. 77. lib. 1.

Nec Stella.] Ut nullus conqueratur. Sic festive se excusat Poëta.

De Splendophoro formoso Domitiani armigero eunte in Africam. LVII.

SPLENDOPHORUS Libycas domini petit armiger urbes:
Quæ puero dones, tela Cupido para:
Illa quibus juvenes figis mollesque puellas.
Sit tamen in tenera levis & hasta manu.
Loricam, clypeumque tibi, galeamque remitto:
Tutus ut invadat prælia, nudus eat.
Non jaculo, non ense fuit, læsusve sagitta,
Casside dum liber Parthenopæus erat.
Quisquis ab hoc fuerit fixus, morietur amore.
O felix, si quem tam bona fata manent!
Dum puer es, redeas, dum vultus lubricus, & te
Non Libye faciat, sed tua Roma virum.

Splendophorus armiger domini proficiscitur in urbes Africæ: O Cupido, adorna tela quæ des puero: illa quibus lædis juvenes, & virgines teneras. Nihilominus habeat etiam teneram hastam in blanda manu. Ad te remitto thoraca, scutum, & cassidem: nudus eat, ut securus irruat in certamina. Parthenopæus non fuit vulneratus jaculo, nec gladio, aut sagitta, dum non erat munitus galea. Quisquis fuerit fixus ab hoc, peribit amore. O Felix, si cui destinatur sors tam bona! reverteris, dum puer es, dum facies lubrica, nec Africa faciat te virum, sed tua Roma.

Splendophorus.] Alii *Sphendophorus.*

Domini.] Domitiani, ut interpretantur omnes interpretes.

Nudus eat.] Forma eximia a vulneribus illum tuebitur.

Parthenopæus.] Formosissimus Meleagri, atque Atalantæ filius fuit, quem ad bellum Thebanum profectum a vulnere defendit

dit pulchritudo. Vide epig. 77. lib. 6. Papinium lib. 4. Sylvarum. Euripides sic ait in Phœnissis:

Οἱ' ἐν Παρθενοπαῖος, Ἀμαλάρτης γένος.

Vultus lubricus.] Horat. ode 19. lib. 1.

Et vultus nimium lubricus aspici.

Lubricus vero dicitur metaphora ducta a via lubrica, in qua difficile est sine prolapsione insistere. Sic difficile est formosum vultum aspicere, quin amore labefactetur animus.

In Hedylum hominem impurum. LVIII.

NIL est tritius Hedyli lacernis,
Non ansæ veterum Corinthiorum,
Nec crus compede lubricum decenni,
Non ruptæ recutita colla mulæ,
Nec quæ Flaminiam secant salebræ,
Nec qui litoribus nitent lapilli,
Nec Tusca ligo vinea politus,
Nec pallens toga mortui tribulis,
Nec pigri rota quassa mulionis,
Nec rasum cavea latus bisontis,
Nec dens jam senior ferocis apri.
Res una est tamen, ipse non negabit,
Culus tritior Hedyli lacernis.

Nihil est tritius lacernis Hedyli, non ansa antiquorum Corinthiorum, nec crus attritum vinculis decem annorum, & recutita colla rupta mulæ: nec salebræ quæ secant Flaminiam, nec lapilli qui splendent in litoribus, nec ligo nitens vite Tusca, nec pallida toga tribulis defuncti, nec fracta toga inertis mulionis, nec latus bisontis rasum cavea, nec dens jam senior sævi apri. Nihilominus una res est, ipse non inficiabitur. . . .

Nil est tritius.] Cinædi nempe quem acute carpit.

Veterum Corinthiorum.] Vasa intellige facta ex veteri ære Corinthio.

Nec crus.] servorum nempe, epig. 23. supra.

Recutita colla.] cute nempe, quæ labore & verberibus detracta fuerat, renovata.

Salebræ.] Sunt loca inæqualia & aspera, saxis tritis & levigatis, quæ quasi sine saltu præteriri non possunt. De via Flaminia epig. 64. lib. 4.

Nec Tusca.] Ligonem interpretare levigatum in fodiendis Hetruriæ vineis, epig. 23. supra.

Nec pallens toga.] qua amicti efferebantur mortui. Juvenalis sat. 3.

Pars magna Italiæ est (si verum admittimus) in qua
Nemo togam sumit nisi mortuus.

De tribuli dictum epig. 50. supra.

Nec rasum.] Nec latus bovis sylvestris attritum cavea ubi includitur, epig. 105. lib. 1.

Ad Nympham Sabini cui libros mittit. LIX.

NYMPHA sacri regina lacus, cui grata Sabinus,
Et mansura pio munere templa dedit:
Sic montana tuos semper colat Umbria fontes,
Nec tua Baianas Sarsina malit aquas:
Excipe solicitos placide, mea dona, libellos:
Tu fueris Musis Pegasis unda meis.
Nympharum templis quisquis sua carmina donat,
Quid fieri libris debeat, ipse monet.

O Nympha regina sacri lacus, cui Sabinus pio dono extruxit ædes acceptas & duraturas: sic montana Umbria semper veneretur tuos fontes, nec tua Sarsina magis optet aquas Baianas: leniter accipe anxios libros mea munera: tu fueris unda Pegasis meis Musis. Quisquis dat suos versus templis Nympharum, ipse monet quid sit agendum de libris.

Nympha sacri.] Vide epig. 96. lib. 7. Librum autem ad Nympham fontis Sabini ideirco mittit, ut si displiceat ipsi Sabino, in aquas immergatur.

Templa dedit.] Numina quippe fontibus inesse credebant Veteres, atque illa colebant. De his jam dictum.

Sic montana] epig. 96. lib. 7.

Nec tua.] hoc est nec Baianas aquas tuis anteponatur Sarsinates. *Sarsina* Umbriæ urbs.

Solicitos.] de judicio Sabini.

Pegasis unda.] hoc est, te existimabo Hippocrenen fontem Musis sacrum, quem Pegasus ungula sua aperuit : unde & Musæ dictæ sunt Pegasides. Ovidius 4. Met.

Fama novi fontis nostras pervenit ad aures,
Dura Medusæi quem præpetis ungula rupit.

Quid fiers.] nimirum in undas mergendos esse, si displicuerint.

In Mamurram paupertatis dissimulatorem. LX.

IN septis Mamurra diu, multumque vagatus,
Hic ubi Roma suas aurea vexat opes,
Inspexit molles pueros, oculisque comedit:
Non hos, quos primæ prostituere casæ,
Sed quos arcanæ servant tabulata catastæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.
Inde satur mensas, & opertos exuit orbes,
Expositumque alte pingue poposcit ebur,
Et testitudineum mensus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non satis esse suo.
Consuluit nares, an olerent æra Corinthon:
Culpavit statuas & Polyclete tuas.
Et turbata brevi questus crystallina vitro,
Myrrhina signavit, seposuitque decem.
Expendit veteres calathos, & si qua fuerunt
Pocula Mentorea nobilitata manu.
Et virides picto gemmas numeravit in auro,
Quidquid & in nivea grandius aure sonat.
Sardonychas veros mensa quæsivit in omni,
Et pretium magnis fecit iaspidibus.
Undecima lassus cum jam discederet hora,
Asse duos calices emit, & ipse tulit.

Mamurra diu & multum vagatus in septis, hic ubi Roma aurea vexat suas opes, intuitus est teneros pueros, & pavit oculos: non ex his quos exposuere primæ tabernæ, sed quos custodiunt tabulata secreta catastæ, & quos non spectat populus, nec mea turba. Deinde satiatus retexit mensas, atque orbes opertos, & petiit densum ebur sublime expositum, & quater emensus testudineum hexaclinon, ingemuit non sufficere mensæ sua citrea. Consuluit nares, an æra olerent Corinthum: atque improbavit tuas statuas, ô Polyclete, conquestus crystallina vitiata modico vitro, signavit decem myrrhina, & semovit. Examinavit antiquos calices, & si qua pocula fuerunt ornata manu Mentoris. Et numeravit virides gemmas in picto auro, & quicquid sonat in aure candida. Quæsivit in omni mensa veros sardonychas, & detulit pretium magnis jaspidibus. Cum defatigatus abiret hora undecima, asse mercatus est duos calices, atque ipse portavit.

In septis.] In campo nempe Martio erant septa, de quibus epig. 14. lib. 2.

Vexat opes.] dum nempe manibus attrectantur, ostentantur, atque illis pretium defertur. Vide epig. 80. lib. 10.

Inspexit molles.] quasi empturus. Juvenalis sat. 7. v. 132.

Perque forum juvenis longo premit assere Medos.
Empturus pueros, argentum, Murrhina, villas.

Sed quos] Catasta machina erat lignea in qua servi exponebantur venales. Supra epig. 30. & epig. 29. lib. 6.

Nec mea turba.] hoc est, nec turba pauperum mihi similium.

Poposcit.] Dentes nempe eburneos quibus mensæ fulcirentur, epig. 43. lib. 2.

Et testudineum hexaclinon.] hoc est lectum discubitorium sex hominibus capiendis aptum, & testudinis putaminibus ornatum. Juvenalis sat. 11. v. 95.

Nemo inter curas & seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Trojugenis factura, ac nobile fulcrum.

Non

Non satis esse.] hoc est, non satis amplum esse, ut par esset citreæ suæ mensæ.

An olerent.] An statuæ essent ex ære Corinthio: Polycleti meminit epig. 51. lib. 8.

Myrrhina] Vasa scilicet, epig. 26. lib. 3.

Calathos.] Vasa vinaria hoc loco intelligere videtur Poëta, epig. 107. lib. 14. Virgilius eclog. 5.

Vina novum fundam calathis Arvisia nectar.

Et virides gemmas.] smaragdos interpretare, epig. 09. lib. 14.

In aure sinat.] Margaritæ nempe atque uniones pendebant ex auribus mulierum.

Sardonychas veros.] Sunt enim & adulterini, epig. 61. lib. 4.

Undecima.] hoc est, una hora ante noctem, epig. 8. lib. 4.

Et ipse tulit.] quia tam pauper erat, ut nec servum haberet.

De corona rosea. LXI.

SEu tu Pæstanis genita es, seu Tiburis arvis,
Seu rubuit tellus Tuscula flore tuo:
Seu Prænestino te villica legit in horto,
Seu modo Campani gloria ruris eras:
Pulchrior ut nostro videare corona Sabino,
De Nomentano te putet esse meo.

Seu tu nata es in agris Pæstanis, seu Tiburis, seu terra Tuscula rubuit tuo flore; seu villica te carpsit in horto Prænestino, seu paulo antea eras decus ruris Campani: ut formosior corona compareat nostro Sabino, existimet te natam esse in meo Nomentano.

Seu tu.] Recenset varia loca quæ rosis abundarent, de quibus sæpius dictum. Sabinus autem gratiorem fore missam coronam speraret, si crediderit tactam fuisse ex rosis natis in agro suo Nomentano, de quo epig. 38. lib. 2.

De platano Cordubensi sata a Julio Cæsare. LXII.

IN Tartessiacis domus est notissima terris,
Qua dives placidum Corduba Bætin amat:
Vellera nativo pallent ubi flava metallo,
Et linit Hesperium bractea viva pecus:
Ædibus in mediis totos amplexa Penates
Stat platanus densis Cæsariana comis:
Hospitis invicti posuit, quam dextera felix,
Cœpit & ex illa crescere virga manu.
Auctorem, dominumque nemus sentire videtur:
Sic viret, & ramis sidera celsa petit.
Sæpe sub hac madidi luserunt arbore Fauni:
Terruit & tacitam fistula sera domum:
Dumque fugit solos nocturnum Pana per agros,
Sæpe sub hac latuit rustica fronde Dryas.
Atque oluere lares comissatore Lyæo,
Crevit & effuso lætior umbra mero:
Hesternisque rubens delecta est herba coronis,
Atque suas potuit dicere nemo rosas.

Domus est in terra Bætica, ubi locuples Corduba amat tranquillum Bætin: ubi flava vellera pallent naturali metallo, & viva lamina inaurat Hispanas oves: in mediis ædibus stat platanus Cæsariana densis ramis complexa totam domum: quam sevit victrix dextra invicti hospitis, & virga cœpit crescere ex illa manu. Nemus videtur sentire auctorem, & dominum: sic viret, & ramis fertur in alta astra. Sæpe Fauni ebrii luserunt sub hac arbore, & fistula sera incussit terrorem quietis ædibus; & dum agrestis Dryas fugit nocturnum Pana per arva deserta, sæpe delituit sub hac fronde. Atque ædes oluerunt comissatore Baccho, atque amœnior umbra crevit vino effuso: & herba rubra decerpta est ad hesternas coronas, nec ullus potuit appellare suas rosas.

O di-

O dilecta deis, ô magni Cæsaris arbor,
Ne metuas ferrum, sacrilegosque focos.
Perpetuos sperare licet tibi frondis honores:
Non Pompeïanæ te posuere manus.

O chara Numinibus, ô arbor magni Cæsaris, ne timeas ferrum, & sacrilegos focos: fas est tibi sperare perpetuum decus ramorum: manus Pompeii non severunt te.

In Tartessiacis.] Idem est Tartessus ac Bætis Hispaniæ fluvius, epig. 28. lib. 8.
Corduba.] Urbs Hispaniæ nota ad Bætin.
Vellera.] Ubi nempe aureum vellus habent oves: epig. 100. lib. 12.

Bætis olivifera crinem redimite corona
Aurea qua nitidis vellera tingit aquis.

& Juvenalis sat. 12. v. 42.

Atque alias, quarum generosi graminis ipsum
Infecit natura pecus, sed & egregius fons
Viribus occultis, & Bæticus adjuvat aer.

Dominumque nemus.] Alii *dominumque suum*. Placet prior lectio; nam platanum nemus appellat propter ejus magnitudinem.
Fauni.] numina agrestia.
Fistula fera.] Syrinx Pana fugiens in arundinem conversa fuit, ex qua facta est fistula qua utebatur Pan.
Terruit &c.] hoc pentametron mutatum & sequentis pentametri loco positum invenitur: sed minus bene, ut Grutero videtur.
Dryas.] sylvarum nympha.
Comissator.] Is est qui intempestivis conviviis indulget. Vide epig. 5. lib. 4.
Crevit & effuso.] Platanos vino irrigare solebant veteres, ut melius crescerent. Macrobius Saturn. lib. 3. cap. 13. Vide & lib. 1. Anthol. εἰς οἶνον.
Atque suas.] quia sponte natæ erant.
Ne metuas.] Cum sis dictatori Cæsari sacra.
Perpetuos frondis.] hoc est, perpetuam viriditatem.
Non Pompeiana.] Victæ scilicet, atque infausti ominis manus.

De Philæni male olente. LXIII.

Tinctis murice vestibus quod omni
Et nocte utitur, & die Philænis,
Non est ambitiosa, nec superba:
Delectatur odore, non colore.

Quod Philænis omni die ac nocte utitur vestibus tinctis murice, non est ambitiosa, nec arrogans: capitur odore, non colore.

De Philæni.] Alii *De Philænide*, de qua epig. 66. lib. 7. Hæc mulier purpureis utebatur vestibus, ut vehementi odore impuri sui oris fœtorem obrueret.

LXIV.

De statua Domitiani referentis Herculem. LXV.

Herculis in magni vultus descendere Cæsar
Dignatus Latiæ dat nova templa viæ:
Qua Triviæ nemorosa petit dum regna viator,
Octavum domina marmor ab urbe legit.

Cæsar dignatus referre imaginem magni Herculis extruit nova templa in via Latia, qua viator legit octavum lapidem ab urbe domina, dum adit nemorosa regna Dianæ.

Dignatus.] Quasi Hercules Domitiano inferior esset.
Latia via.] Videtur Poëta intelligere viam Appiam, quam templo decoravit Domitianus, in quo sub Herculis imagine coli volebat. Vide epig. 104. infra.
Qua Triviæ.] hoc est Dianæ, epig. 1. lib. Spect.

Nemorosa regna.] Templum intellige, cui lucus Dianæ Aricinæ sacer adjacebat. Ovidius 3. Fastorum describit locum & lucum.

Viator.] Pedes scil. equiti enim nemus illud adire non licebat. Ovidius loco citato:

Unde nemus nullis illud aditur equis.

Octavum marmor.] hoc est, octavum ab urbe milliarium. Sic dominam Romam dixit, epig. 4. lib. 1,

De eadem statua. LXVI.

ANTE colebatis votis, & sanguine largo
 Majorem Alciden, nunc minor iste colit.
Hunc magnas rogat alter opes, rogat alter honores;
 Illi securus vota minora facit.

Precibus, & largo sanguine antea venerabamini majorem Herculem Domitianum, *nunc minor ipse veneratur* illum. *Alter petit ab hoc majori divitias, alter petit dignitates; tuto nuncupat vota minora illi* minori.

Majorem Alciden.] Alii hos quatuo versus conjungunt cum superiori epigrammate. Domitianum intellige, quem precibus & victimis colebant Romani: eum rursus anteponit Herculi, epig. 104. infra.

Hunc.] Domitianum nempe.

Illi securus.] Quia Hercules non ægre feret a se minori deo peti minora, quam a Domitiano deo majori.

Ad Herculem de eadem statua. LXVII.

ALCIDE Latio nunc agnoscende tonanti,
 Postquam pulchra dei Cæsaris ora geris,
Si tibi tunc isti cultus habitusque fuissent,
 Cesserunt manibus cum fera monstra tuis,
Argolico famulum non te servire tyranno
 Vidissent gentes, sævaque regna pati.
Sed tu jussisses Eurysthea, nec tibi fallax
 Portasset Nessi perfida dona Lichas.
OEtæi sine lege rogi securus adisses
 Astra patris summi, quæ tibi pœna dedit.
Lydia nec dominæ traxisses pensa superbæ:
 Nec Styga vidisses, Tartareumque canem.
Nunc tibi Juno favet, nunc te tua diligit Hebe:
 Nunc te, si videat nympha, remittet Hylan.

O Hercules nunc agnoscende a Jove Capitolino, postquam induisti formam suam vultum Domitiani dei, si tunc habuisses hoc ornamentum, & hanc speciem, cum fera monstra domita sunt tuis manibus; nationes non spectassent te servum obtemperare tyranno Argolico, & ferre acerbum imperium. At tu imperasses Eurystheo, nec fraudulentus Lichas tulisset ad te perfidiosa munera Nessi. Immunis lege Oetai rogi tutus petiisses sidera summi genitoris, quæ confecitus es supplicio. Nec deduxisses Lydia pensa dominæ arrogantis, nec spectasses Styga, nec canem inferorum. Nunc Juno tibi propitia est, nunc amaris a tua Hebe: si Nympha nunc aspiciat te, remittet Hylan.

Agnoscende.] hoc est, digne qui agnoscaris a Jove tuo patre.

Argolico tyranno] Eurystheo regi Argolico qui ope Junonis prior Hercule natus erat: quamobrem jus habuit in Herculem, ipsique imperavit, ut atrocissima subiret pericula. Hæc historia satis nota.

Fallax Lichas.] Servus nempe Dejaniræ nomine vestem Nessi centauri Herculi portavit, quam vocat perfidum munus, quia veneno imbutam muneris loco illam Dejanitæ reliquerat Centaurus, qua indutus Hercules furore correptus in flammas se immisit. Vide Ovidium in Dejanira, & Senecam in Hercule furente.

Oetai sine lege.] hoc est, non combustus in

in rogo extructo in Oeta monte cœlum adiisses, sed a morte immunis inter deos relatus fuisses.

Lydia nec Domina.] Omphalen reginam Lydiæ intellige, quæ Herculem amore perditum ad fila deducenda compulit.

Nec Styga vidisses.] hoc est, nec ab Omphale jussus, ut videtur Martialis intelligere, aut potius ab Eurystheo, ut aliis placet, descendisses ad inferos.

Hebe.] Junonis filia sine patre dea juventutis, quæ uxor data est Herculi in cœlum relato.

Nunc ii.] Referentem Domitiani effigiem videat Nympha, quæ sibi Hylan rapuit, illum reddet, epig. 49. lib. 5.

Ad Fabullum debilem. LXVIII.

Uxor cum tibi sit formosa, pudica, puella,
Quid tibi natorum jura, Fabulle, trium?
Quod petis a nostro supplex dominoque, deoque,
Tu dabis ipse tibi, si potes arrigere.

O Fabulle, cum habeas pulchram conjugem, castam, juvenem, quid tibi proderunt *jura trium liberorum? quod supplex rogas nostrum dominum, & deum, tu ipse a te ipso impetrabis.* . . . . . .

Quid tibi.] Alii *Quo*, hoc est, quorsum tibi opus est jure trium liberorum, de quo epig. 91. lib. 2. & epig. 31. lib. 8. cujus argumentum fere idem est.

A nostro.] sic Domitianum appellavit dominum, epig. 8. lib. 5.

LXIX.

In magistrum ludi, cui irascitur ob matutinas vociferationes. LXX.

Quid tibi nobiscum est ludi scelerate magister,
Invisum pueris, virginibusque caput?
Nondum cristati rupere silentia galli:
Murmure jam sævo verberibusque tonas.
Tam grave percussis incudibus æra resultant,
Caussidicum medio cum faber aptat equo.
Mitior in magno clamor furit amphitheatro,
Vincenti parmæ cum sua turba favet.
Vicini somnum non tota nocte rogamus:
Nam vigilare leve est, pervigilare grave.
Discipulos dimitte tuos. vis garrule quantum
Accipis, ut clames, accipere ut taceas?

O Ludimagister improbe, caput odiosum pueris & virginibus, quid tibi rei est nobiscum? nondum galli cristati rupere silentia: jam tonas acerbo clamore & verberibus. Tam graviter percrepant æra percussis incudibus, cum faber collocat caussidicum in medio equo. Clamor lenier sævit in magno amphitheatro, cum sua turba applaudit parmæ superanti. Nos vicini non petimus somnum integra nocte: nam facile est vigilare, molestum vero *pervigilare. Dimitte tuos discipulos, ô loquax, placetne accipere tantum ut sileas, quantum accipis ut vocifereris.*

Virginibusque.] Verbera timentibus. Vide epig. 62. lib. 10.

Nondum cristati.] hoc est, nondum galli cecinere.

Caussidicum medio.] hoc est, cum caussidico statua equestris fabricatur. Juvenalis sat. 7.

Æmilio dabitur quantum petit, &c.
Quod nempe suis in vestibulis statuam equestrem haberet, quæ tunc temporis multos clientes conciliabat caussidico.

Vincenti parmæ.] Numen proprium putat Domitius; alii sic interpretantur, cum nempe turba gladiatorum parmæ pugnanti,

&

& victori ex ſua factione gladiatori applaudit. Videat lector.

Pervigilare.] hoc eſt, tota nocte vigilare graviſſimum eſt.

LXXI.

In Cæcilianum improbum. LXXII.

DIXERAT, ô mores! ô tempora! Tullius olim,
Sacrilegum ſtrueret cum Catilina nefas:
Cum gener atque ſocer diris concurreret armis,
Mœſtaque civili cæde maderet humus.
Cur nunc ô mores! cur nunc ô tempora! dicis?
Quod tibi non placeat, Cæciliane, quid eſt?
Nulla ducum feritas, nulla eſt inſania ferri:
Pace frui certa, lætitiaque licet.
Non noſtri faciunt, tua quod tibi tempora ſordent,
Sed faciunt mores, Cæciliane, tui.

Olim Cicero dixerat, O mores, ô tempora, cum Catilina moliretur ſcelus ſacrilegum, cum gener & ſocer confligerent armis infeſtis, & ſordidata terra maderet ſanguine civium. O Cæciliane, quare dicis nunc, O mores! O tempora! Quid eſt quod non arrideat tibi? Nulla ſævitia eſt ducum, nullus furor armorum: fas eſt frui pace certa, & lætitia. O Cæciliane, non mores noſtri, ſed tui ſunt in cauſſa, cur faſtidias tua tempora.

Dixerat, ô mores.] Cum in patriam arma civilia moverentur. Nota eſt Catilinæ conjuratio ex Salluſtio, & aliis.

Cum gener atque ſocer.] Cæſar nempe, & Pompeius qui Juliam Cæſaris filiam uxorem duxerat: quorum hiſtoria paſſim obvia.

Tui mores.] Perditi ſcilicet. Sic aſtute blanditur Domitiano, cujus tempora laudat vituperata ab improbo Cæciliano.

De leone & ariete, quorum concordiam miratur. LXXIII.

MASSYLI leo fama jugi, pecoriſque maritus
Lanigeri, mirum, qua poſuere fide.
Ipſe licet videas, cavea ſtabulantur in una,
Et pariter ſocias carpit uterque dapes.
Nec fœtu nemorum gaudent, nec mitibus herbis:
Concordem ſatiat ſed rudis agna feram.
Quid meruit terror Nemees, quid portitor Helles,
Ut niteant celſi lucida ſigna poli?
Sidera ſi poſſent, pecudeſque, feræque mereri,
Hic aries aſtris, hic leo dignus erat.

Leo decus montium Maſſyliæ, & vir pecoris lanigeri, mirum, qua fide conſenſerunt. Ipſe potes ſpectare, ſtabulantur in una cavea, & ſimul uterque veſcitur communi cibo. Nec lætantur fœtu ſylvarum, nec mitibus herbis: at rudis agna ſaturat feram concordem. Quid meruit terror Nemees, quid portitor Helles, ut lucida ſigna alti cæli ſplendeant? Si pecudes & feræ poſſent mereri aſtra, hic aries atque hic leo digni erant ſideribus.

Maſſ

Maſſyli.] Libyæ pars eſt Maſſylia, in qua ſunt leones ingentis magnitudinis: epig. 55. lib. 8.
Pecoriſque maritus.] Aries nempe. Sic Virgilius ecloga 7.
Vir gregis ipſe caper, &c.
Poſuere.] Sine addito ſignificat *ſedati ſunt*, hoc eſt conſenſerunt. Virgilius 7. Æneid. *Cum venti poſuere*, &c. nempe iram. Alii legunt *coiere*.

Nec fata.] hoc eſt, nec leo deſiderat feras, nec aries herbas quibus veſci ſolet.
Sed rudis agna.] Quod mirum videtur, arietem ſcilicet agna veſci. *Feram*, alii *famem*.
Terror Nemees.] Leo ab Hercule interfectus, de quo epig. 66. lib. 5.
Quid portitor.] Phryxi aries, de quo epig. 51. lib. 8.

Ad Liberum amicum a quo cibos ſine vino acceperat. LXXIV.

LIBER Amyclæa frontem redimite corona',
Qui quatis Auſonia verbera Graia manu:
Clauſa mihi texto cum prandia vimine mittas,
Cur comitata dapes nulla lagena venit?
Atqui digna tuo ſi nomine munera ferres,
Scis puto debuerint quæ mihi dona dari.

O Liber, redimite caput corona Amyclea, qui manu Itala infligis verbera inſtar Græcorum. Cum ad me mittas prandia clauſa caniſtro vimineo, quare nulla amphora comitata eſt cibos? Atqui ſi mitteres dona digna tuo nomine, noviſti, opinor, quæ munera mihi donanda fuerint.

Liber.] Ad quem ſcripſit, epig. 77. lib. 8. *Amyclæ* civitas eſt Laconiæ, in qua maxime exercebatur pugilatus, unde corona Amyclæa dicitur ea qua donantur pugiles victores. *Frontem redimite*, helleniſmus eſt, de quo ſæpius dictum.
Qui quatis.] hoc eſt, qui Italus exerces Græcorum certamen, ſcilicet pugilatum.
Clauſa.] hoc eſt, cur ſimul cum ſportula non miſiſti lagenam?
Digna tuo.] Liber enim Bacchus dicitur, atque ita Bacchi munera mittere debuit.

In ſutorem factum divitem. LXXV.

DENTIBUS antiquas ſolitus producere pelles,
Et mordere luto putre vetuſque ſolum:
Præneſtina tenes defuncti rura patroni,
In quibus indignor ſi tibi cella fuit.
Rumpis & ardenti madidus cryſtalla Falerno,
Et pruris domini cum Ganymede tui.
At me literulas ſtulti docuere parentes:
Quid cum grammaticis, rhetoribuſque mihi?
Frange leves calamos, & ſcinde Thalia libellos,
Si dare ſutori calceus iſta poteſt.

Solitus dentibus extendere antiquas pelles, & mordere ſoleam veterem & putridam luto: poſſides rura Præneſtina patroni mortui, in quibus ægre fero ſi habuiſti cellam. Atque ebrius ardenti Falerno frangis cryſtalla . . . . . .
Sed parentes dementes me docuerunt literulas: quid mihi rei eſt cum grammaticis & rhetoribus? O Thalia, frange leves calamos, & ſcinde libros, ſi calceus poteſt donare iſta ſutori.

Antiquas pelles.] hoc eſt vetera coria.
Solum.] ſumitur hic pro ſolea calcei rupti, quem reficit ſutor.
Præneſtina.] Legata tibi a patrono, quem ſane

ſane malis artibus ceperat ſutor. De Præneſtino rure epig. 64. lib. 4.

Si tibi cella fuit.] hoc eſt, nec cella, nec minima domus parte dignus eras.

At me litterulas.] Per contemptum utitur hoc verbo, atque inſanos vocat parentes, quod illum artes nobiliores neglectis pecunioſis docuerint, quæ nullum ipſi fructum afferrent.

Frange leves.] Sic etiam Juvenalis ſat. 7. verſu 28.

Frange miſer calamos, vigilataque prælia dele.

hoc eſt, O Muſa, abjice ſtudia, ſiquidem plus prodeſt ars ſutoria.

De effigie Camoni infantis. LXXVI.

EFFIGIEM tantum pueri pictura Camoni
Servat, & infantis prima figura manet.
Florentes nulla ſignavit imagine vultus,
Dum timet ora pius muta videre pater.

Pictura ſervat tantum effigiem pueri Camoni, & manet, forma prima ætatis. Pius genitor nulla tabella expreſſit florentem faciem, dum metuit ſpectare muta ora.

Pueri Camoni.] Qui natus viginti annos epig. 78. infra mortuus erat, cujus effigiem more veterum, non quidem adulti, ſed infantis exprimi curavit pater; ne ſi adultus pingeretur, majore dolore conficeretur, dum illum videret mutum.

Florentes.] ætate ſcilicet.

De balneo Tuccæ. LXXVII.

NON ſilice duro, ſtructilive cæmento,
Nec latere cocto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit, Tucca balneum fecit:
Sed ſtrage nemorum, pineaque compage,
Ut navigare Tucca balneo poſſit.
Idem beatas lautus exſtruit thermas
De marmore omni, quod Caryſtos invenit,
Quod Phrygia Synnas, Afra quod Nomas mittit,
Et quod virenti fonte lavit Eurotas:
Sed ligna deſunt: ſubjice balneum thermis.

Tucca non exſtruxit balneum ſilice duro, aut ſtructili cæmento, non latere cocto, quo Semiramis cinxit longam Babylona; ſed magna ſtrue lignorum, & pinceis tabulis conjunctis, ut Tucca queat navigare balneo. Idem ſplendidus ædificat thermas ſumtuoſas ex omni marmore, quod reperit Caryſtos, quod Phrygia Synnas, quod Afra Nomas fert, & quod lavit Eurotas fonte virenti: ſed ligna deſunt: admove balneum thermis.

Babylona.] epig. 1. lib. Spect.

Tucca.] de quo ſæpius ſupra, quem irridet Poëta, quod balneum ex ligno, thermas vero ex marmore extruxiſſet. Balneum autem ſumitur hic pro cella frigidaria, quæ potius ex marmore extruenda erat, utpote quod aquæ frigidæ melius conveniat: thermæ autem in quibus aqua calida lavabantur, ex ligno erant ædificandæ, quod aquæ calefaciendæ non nihil contuliſſet.

De marmore omni.] Varia quippe præſtantiſſimi marmoris genera enumerat. Vide epig. 42. lib. 6.

Caryſtos.] Oppidum Eubœæ inſulæ, hodie *Nigroponte*. Strabo lib. 10. Κάρυστος δ' ἐστὶν ὑπὸ τῷ ὄρει τῇ Ὄχῃ. πλησίον δὲ τὰ Στύρα, καὶ τὸ Μαρμάριον, ἐν ᾧ τὸ λατόμιον τῶν Καρυστίων κιόνων, ἱερὸν ἔχον Ἀπόλλωνος Μαρμαρίνου, &c. Caryſtus ſub monte Ocha ſitus eſt, in propinquo Styra, & Marmarium, ubi Caryſtiæ exſcinduntur columnæ, & templum ibi marmorei Apollinis.

Quod Phrygia Synnas.] Hæc ultima vox deeſt in multis codicibus, in quibus claudicat verſus. Strabo lib. 12. Συννάδα δ' ἐστὶν οὐ μεγάλη πόλις, Synnada urbs eſt non magna. Deinde addit δ' ἐστὶ Δοκιμία κώμη, καὶ τὸ λατόμιον τοῦ Συνναδικοῦ λίθου: Ab altera parte eſt Docimia pagus, & lapidicinæ Synnadici lapidis. Hoc loco Phrygiam

giam describit Strabo. Alii,
Quod Phrygia, sive Afra quod Nomas mittit.
Afra Nomas.] Numidia Africæ provincia, epig. 55. lib. 8.
Eurotas.] fluvius Laconiæ ad quem est marmor viride, quod Lacedæmonium & Laconicum dicitur.
Subjice balneum.] ut nempe calefiant thermæ.

De effigie Camoni. LXXVIII.

HÆc sunt illa mei, quæ cernitis, ora Camoni:
Hæc pueri facies, primaque forma fuit.
Creverat hic vultus bis denis fortior annis,
Gaudebatque suas pingere barba genas,
Et libata semel summos modo purpura cultus
Sparserat: invidit de tribus una soror.
Et festinatis incidit stamina pensis,
Absentemque patri rettulit urna rogum.
Sed ne sola tamen puerum pictura loquatur,
Hæc erit in chartis major imago meis.

Hæc sunt illa ora mei Camoni, quæ videtis: hic vultus infantis, & prima species fuit. Hæc facies fortior creverat viginti annis, & barba gaudebat pingere suas genas, & modo lanugo semel resecta sparserat summum decus: una trium sororum invidit, & resecuit stamina festinatis pensis, atque urna reportavit genitori absentem rogum. Sed nihilominus ne sola pictura celebret puerum, hæc erit major imago in meis libris.

Hæc sunt.] Vide epig. 76. supra.
Bis denis annis.] hoc est, viginti annos natus interiit.
Et libata.] Sensus est, inquit Raderus, & semel illi barba resecta erat. *Purpura* barba forte subrufa, aut prima lanugo, quæ flavescit potius. Videtur tamen rufam insinuare.
Summos cultus.] Alii *cultros*, hoc est novaculas.
De tribus una.] Sic epig. 54. lib. 4.
——*& semper de tribus una necat.*
Absentemque.] Longe enim a patre mortuus & crematus fuerat Camonus.
Hæc erit in chartis.] Non perituris scilicet. Sic epig. 83. lib. 7.
Certior in nostro carmine vultus erit.

De convivio Prisci. LXXIX.

QUod optimum sit disputat convivium,
Facunda Prisci pagina:
Et multa dulci, multa sublimi refert,
Sed cuncta docto pectore.
Quod optimum sit quæritis convivium?
In quod choraules non venit.

Disertus liber Prisci disputat, quod convivium optimum sit: & narrat multa suaviter, multa excellenter, sed omnia peritè. An rogatis quod convivium sit optimum? Cui non adest choraules.

Quod optimum sit.] Sensus est, Quid opus est multo sermone? Uno scilicet verbo definiri potest optimum nempe convivium illud esse a quo abest musicorum strepitus, & in quo quieta est mensa.
Choraules.] is est qui tibia canit, epig. 57. lib. 6.

Ad

Ad Picentinum veneficum. LXXX.

FUNERA post septem nupsit tibi Galla virorum,
Picentine: sequi vult puto Galla viros.

O Picentine, Galla tibi nupsit post mortem septem maritorum: Galla, opinor, placet sequi maritos.

Funera post septem.] Maritos forte septem veneno sustulerat ista Galla, ut Chloe, de qua epig. 16. supra. Vide epig. 43. lib. 8.

Sequi vult.] hoc est, a te venefico necari.

Ad Domitianum cujus, & familiæ ejus benignitatem laudat. LXXXI.

ODERAT ante ducum famulos, turbamque minorem,
Et Pallatinum Roma supercilium:
At nunc tantus amor cunctis, Auguste, tuorum,
Ut sit cuique suæ cura secunda domus.
Tam placidæ mentes, tanta est reverentia nostri,
Tam pacata quies, tantus in ore pudor.
Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæsarianus habet.

Antea Roma oderat servos Imperatorum, & minorem turbam, atque arrogantiam Palatii: sed, ô Auguste, nunc omnes adeo amant tuam familiam, ut quilibet minus amet suam domum. Tam benignè, tam reverenter, tam quiete, tam verecunde se gerunt erga me. Nullus Cæsarianus (hæc est natura aulæ potentis.) habet suos mores, sed domini.

Turbamque minorem.] Legunt alii, *turbamque priorem*, recte, inquit Gruterus, nam *turba prior* sunt liberti, qui præ servis odiosissimi, tanquam qui procuratores provinciarum, exactores tributorum, vectigalium, &c. Legunt alii *turbamque priorum*, Imperatorum nempe, aut Aulicorum qui comitarentur Imperatorem. Videat lector.

Pallatinum supercilium] Vel ipsorum Imperatorum, vel Aulicorum fastum intellige.

Tanta est reverentia nostri.] Alii *vestri*.

Cæsarianus.] hoc est Aulici, & servi Cæsaris constituti sunt juxta mores illius.

LXXXII.

Ad Aulum de judicio inepti Poëtæ. LXXXIII.

LECTOR & auditor nostros probat, Aule, libellos:
Sed quidam exactos esse Poëta negat.
Non nimium curo: nam cœnæ fercula nostræ
Malim convivis, quam placuisse cocis.

O Aule, nostri libri placent lectori atque auditori: sed quidam Poeta negat esse limatos. Hoc parum movet me; nam malim cibos nostræ cœnæ gratos esse convivis, quam cocis.

Exactos.] Alii *excoctos*. Videat lector, quasi petita esset metaphora ab arte coci.

Fercula.] hoc est *cibos*. Alias sunt vasa, & deorum simulachra, atque id genus alia quæ in pompa vel triumpho ferebant Romani.

Malim convivis.] Sensus est: Malim mea carmina placere lectoribus atque auditoribus, quam Poëtis æmulis. Sic cibi non cocis, sed convivis parantur.

In Cinnam decoctorem. LXXXIV.

DIXERAT astrologus periturum te cito, Cinna:
Nec puto mentitus dixerat ille tibi:
Nam tu dum metuis, ne quid post fata relinquas,
Hausisti patrias luxuriosus opes.
Bisque tuum decies, non toto tabuit anno:
Dic mihi, non hoc est, Cinna, perire cito?

O Cinna, Astrologus dixerat te periturum brevi, nec, opinor, mentitus ille dixerat tibi; tu enim dum times, ne quid relinquas post mortem, absumsisti paternas divitias. Et tuum vicies consumptum est anno non integro: dic mihi, ô Cinna, nunquid hoc est perire brevi?

In Cinnam.] Alii *in Munnam*. lib. 10. epig. 36.
Dixerat astrologus.] Ludit in ambigua voce petire, quam astrologus ad vitam referebat, Poeta vero ad opes.
Luxuriosus.] hoc est intemperans, & luxui deditus.
Bisque tuum decies.] scil. patrimonium constans vicies centenis millibus sestertiûm. Alii legunt, *bis quartum decies*.

Ad Cæsarem Domitianum, quod interdixisset histrionibus scenam. LXXXV.

INTER tanta tuæ miracula, Cæsar, arenæ;
Quæ vincit veterum munera clara ducum,
Multum oculi, sed plus aures debere fatentur
Se tibi, quod spectant, qui recitare solent.

O Cæsar, inter tanta miracula tua arena, quæ superavit magnifica spectacula antiquorum Imperatorum, multum quidem *oculi, sed aures fatentur plus se debere tibi, quod spectant, qui solent recitare.*

Sed plus aures.] Propter edictum quo histrionibus interdixerat scenam, intra domum quidem exercendi artem jure concesso. Suet. in Domit. cap. 7. Nec enim jam spectatorum aures obscœnis carminibus obtundent histriones.
Quod spectant.] Histriones nimirum.

Ad Norbanum, cui libros collectos mittit. LXXXVI.

CUM tua sacrilegos contra, Norbane, furores,
Staret pro domino Cæsare sancta fides:
Hæc ego Pieria ludebam tutus in umbra,
Ille tuæ cultor notus amicitiæ.
Me tibi Vindelicis raptum narrabat in oris,
Nescia nec nostri nominis Arctos erat.
O quoties veterem non inficiatus amicum
Dixisti, Meus est iste Poëta, meus!

O Norbane, cum sancta tua fides esset a partibus domini Cæsaris adversus impios furores: ego notus ille cultor tua amicitia securus ludebam hæc in umbra Pieria. Fama in regionibus Vindelicis narrabat me tibi abreptum, nec nostrum nomen ignotum erat in Septentrione. O quoties dixisti fassus me veterem amicum, Meus est iste Poëta, meus!

Omne

Omne tibi noſtrum, quod bis trieteride junćta
Ante dabat lećtor, nunc dabit aućtor opus.

Nunc aućtor donabit tibi omne noſtrum opus, quod donabat lećtor ſexennio ante.

Sacrilegos.] hoc eſt, contra Antonium Saturninum Germaniæ ſuperioris præſidem, qui bellum civile moverat, epig. 11. lib. 4.

Hac ego Pieria.] Umbra enim, & quiete delećtantur Poëtæ, epig. 77. lib. 1.

Me tibi Vindelicis raptum.] hoc eſt, fama narrabat me fato funćtum: febri enim laboraverat Martialia epig. 47. lib. 6. Cluverius lib. 3. cap. 4. ſuæ introdućtionia, *Rhæti Alpes tantum incoluere, & earum valles, a Septentrione ad lacum uſque Brigantinum, ſub Alpibus ad Danubium uſque fuere inter dićtum lacum & Ænum flumen Vindelici.* Legunt alii,

Me tibi Vindelicis Rhætus narrabat in oris.

Addićtum nempe: nam carminum ſuorum famam, non mortis eo perveniſſe dicit Poëta, ut aiunt. Judicet lećtor.

Arćtos.] hoc eſt, populi Septentrionis noverunt me.

Bis trieteride.] Trieteris triennium eſt.

De Paullo
fingente morbum, ne invitaret convivas. LXXXVII.

LANGUIDIOR noſter ſi quando eſt Paullus Atili,
Non ſe, convivas abſtinet ille ſuos.
Tu langore quidem ſubito, fićtoque laboras:
Sed mea porrexit ſportula, Paulle, pedes.

O Atili, ſi aliquando Paullus noſter eſt infirmior, ille non ſe defrandat, ſed convivas ſuos. Tu ſane laboras infirmitate repentina, & fićta: at, ô Paulle, mea ſportula extendit pedes.

Non ſe.] Ipſe non ſe abſtinet a conviviis, ſed convivas non vocat. Legunt alii,

Non ſe convivis abſtinet ille ſuis.

male: Paullum enim ipſum diſſimulationia accuſare videtur.

Sed mea porrexit.] hoe eſt, morbus tuus non tibi, ſed mihi, ſeu ſportulæ lethalia eſt. Metapbora dućta a modo componendi mortuos, qui depoſiti ad januam verſus viam extendebant pedes. Perſius ſat. 3.

Hinc tuba, candela, tandemque beatulus alto
Compoſitus lećto, craſſiſque litatus amomis,
In portam rigidos calces extendit, &c.

De filio Silii
lugentis immaturam ejus mortem. LXXXVIII.

FESTINATA ſui gemeret cum fata Severi
Silius, Auſonio non ſemel ore potens:
Cum grege Pierio mœſtus, Phœboque querebar,
Ipſe meum flevi, dixit Apollo, Linon.
Reſpexitque ſuam, quæ ſtabat proxima fratri
Calliopen, & ait, Tu quoque vulnus habes.
Adſpice Tarpeïum, Pallatinumque Tonantem:

Cum Silius non ſemel vehement eloquentia Romana, lugeret immaturam mortem Severi ſui filii: cum choro Muſarum, & Phœbo mœrens conquerebar, ſed ipſe, inquit Apollo, luxi meum Linum. Atque intuitus eſt ſuam Calliopen, quæ illi proxima ſedebat, & dixit, tu etiam afficeris mœrore. Vide Tonantem Tarpeium, & Palatinum,

Aufa nefas Lachefis læfit utrumque Jovem.
Numina cum videas duris obnoxia fatis,
Invidia poffis exonerare deos.

Lachefis aufa nefas offendit utrumque Jovem. Cum fpectes deos fubditos fatis, poffis liberare illos odio.

Silius.] Italicus, de quo epig. 62. lib. 7. & 66. lib. 8. quem folatur Poëta exemplo deorum, quorum & filii acerbo fato rapti funt.

Aufonio non femel.] hoc eft, non eloquens uno tantum orationis genere, egregius quippe orator fuit, & Poëta, epig. 62. lib. 7.

Cum grege.] Ego, inquit Martialis, querebar cum Phœbo, & Mufis quæ Pierides dictæ funt, epig. 77. lib. 1.

Linon.] Apollinis, & Terpfichores filium, quem ab Hercule occifum ferunt Poëtæ: Paufanias in Corinthiacis refert Linum Apollinis & Pfamathes filium; in Bœoticis vero Linum alium Uraniæ & Amphimari filium Poëtam egregium fuiffe affirmat.

Tu quoque vulnus habes.] Occifo fcilicet Orpheo ejus filio, cujus hiftoria fatis nota.

Afpice Tarpeium.] Cujus filius Sarpedon ad Troïam periit. Virgilius lib. 10.

——— *Troïa fub mœnibus altis,*
Tot nati cecidere deûm; quin occidit una
Sarpedon mea progenies.

Pallatinumque.] Domitianum, cujus filius infans adhuc mortuus eft; de quo jam diximus lib. 6. epig. 3.

Lachefis.] Una Parcarum.

Invidia poffis.] Senfus eft, non debes diis irafci, qui & ipfi natorum acerbum fatum lugent.

Ad Lupercum verfipellem. LXXXIX.

SEPTEM poft calices Opimiani
Denfo cum jaceam triente blæfus,
Affers nefcio quas mihi tabellas,
Et dicis, Modo liberum effe juffi:
Zenas fervulus eft mihi paternus:
Signa: cras melius, Luperce, fiet.
Nunc fignat meus annulus lagenam.

Poft feptem calices Opimiani cum jaceam balbutiens crebris trientibus, affers mihi nefcio quas tabellas, & dicis, Modo dedi libertatem: habeo Zenam paternum fervulum; figna. O Luperce, cras fiet melius, nunc meus annulus fignat lagenam.

Opimiani.] De hoc vino dictum epig. 27. lib. 1.

Triente.] Qui capit quatuor cyathos.

Nefcio quas.] Suppofititias nempe, quas manumiffionis effe dicebat Lupercus: cum tamen effent teftamentariæ falfæ nempe, aut aliunde aftringentes.

Zenas fervulus.] Legunt alii,

——— *modo liberum effe juffi*
Zenam: ———

Signa.] Inquit Lupercus, ut conftet de manumiffione.

Cras melius fiet.] Cum fobrii erimus, tunc enim diftinguere poterimus, an revera de libertate tantum agatur.

Nunc fignat.] Ne fervi vinum hauriant. Horat. epift. 2. lib. 2.

——— *poffet qui ignofcere fervis,*
Et figno læfo non infanire lagenæ.

Ad Rufum, amicos donis conciliatos. donis quoque effe alendos. XC.

DUM me captares, mittebas munera nobis:
Poftquam cepifti, das mihi, Rufe, nihil.
Ut captum teneas, capto quoque munera mitte,
De cavea fugiat ne male paftus aper.

Dum me illiceres, ad me mittebas dona; poftquam captafti, ô Rufe, nihil donas mihi. Ut teneas illectum, mitte etiam dona illecto, ne aper male paftus fugiat ex cavea.

De

De cavea.] Hoc a simili dicit Poëta; ut enim fera esuriens fugit, sic ego renunciabo tuæ amicitiæ. Est autem cavea septum in quo feræ includuntur: est etiam locus ubi populus sedens ludos spectabat.

Ad Stellam, versus extemporales esse malos. XCI.

LEGE nimis dura convivam scribere versus
Cogis, Stella: licet scribere nempe malos.

O Stella, nimis dura conditione, imperas carmina condi a conviva: licet condere nimirum mala.

Lege nimis.] Nempe ipse Martialis a Stella jussus ex tempore versus scribere, composuit hoc distichum.

Ad Flaccum, quem in Cypro insula degentem monet, ut caveat a nimio solis calore. XCII.

SIc in gramine floreo reclivis,
Quà gemmantibus hinc, & inde rivis
Curva calculus excitatur unda,
Exclusis procul omnibus molestis,
Perfundas glaciem triente nigro
Frontem sutilibus ruber coronis:
Sic uni tibi sit puer cinædus,
Et castissima pruriat puella.
Infamem nimio calore Cypron
Observes, moneo, precorque, Flacce,
Messes area cum teret crepantes,
Et fulvi juba sæviet leonis.
At tu diva Paphi remitte nostris
Illæsum juvenem, remitte votis.
Sic Martis tibi serviant Kalendæ,
Et cum thure, meroque, victimaque
Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima quadra de placenta.

Sic recumbens in florida herba, qua rivis hinc & inde gemmeus lapilli commoventur curva aqua, longe remotus omnibus curis, temperes glacie nigrum trientem habens tempora rubra sutilibus coronis: . . . . .

O Flacce, moneo & rogo, caveas Cyprum noxiam nimio calore, cùm messes crepantes terentur in area, & juba fulvi leonis sæviet. Sed tu, ò regina Paphi, nostris votis remitte juvenem salvum. Sic calendæ Martiæ celebrentur in tuum honorem, atque ad altaria candida multa quadra placentæ divisæ tibi consecrentur, cum thure, & mero, & victima.

Perfundas glaciem.] Vide epig 65. lib. 5.
Tu super æstivas, Alcime, funde nives.
Triente nigro.] continens poculum sumitur pro vino contento.
Frontem ruber.] hellenismus est epig. citato,
Lassenturque rosis tempora sutilibus.
Cypron.] epig. 45. lib 8.
Cum te, Flacce, mihi reddet Cythereïa Cypros.
Messes crepantes.] quia aridæ & siccæ.
Et fulvi juba.] Mense scilicet Augusto, quo Sol in Leone summos excitat calores, epig. 57. lib. 4.
Diva Paphi.] Venus nempe: Paphus vero urbs est Cypri, ubi colebatur Venus.
Sic Martis tibi.] Kalendæ Martiæ a fœminis celebrabantur in honorem Veneris, epig. ultimo lib. 5.
Candidas ad aras.] Diis manibus nigras, superis vero candidas aras erigebant antiqui.
Secta.] Vide epig. 76. lib. 3. & epig. 75. lib. 6.

Adulatur Domitiano, cujus cœnam Jovis epulis præfert. XCIII.

AD cœnam si me diversa vocaret in astra
Hinc invitator Cæsaris, inde Jovis:
Astra licet propius, Pallatia longius essent,
Responsa ad superos hæc referenda darem:
Quærite qui malit fieri conviva Tonantis:
Me meus in terris Juppiter ecce tenet.

Si hinc invitator Cæsaris, illinc Jovis, ad cœnam me invitaret in diversum cœlum; quamvis sidera essent propius, palatia vero longius, redderem hæc responsa referenda ad Superos: Quærite alium *qui malit convivari cum Tonante, en meus Jupiter in terris possidet me.*

Diversa in astra.] hoc est, si me Jupiter vocaret ad sua astra, & Domitianus ad sua, seu ad suum palatium, (cum enim Deus sit epig. 8. lib. 5 palatium ejus cœlum vocat;) tamen adirem Domitianum.

Ad Condylum, servi conditionem meliorem esse quam domini. XCIV.

QUÆ mala sunt domini, quæ servi commoda nescis,
Condyle, qui servum te gemis esse diu.
Dat tibi securos vilis lecticula somnos:
Pervigil in pluma Caïus ecce jacet.
Caïus a prima tremebundus luce salutat
Tot dominos: at tu, Condyle, nec dominum.
Quod debes, Cai, redde, inquit Phœbus, & illinc
Cinnamus: hoc dicit, Condyle, nemo tibi.
Tortorem metuis? podagra, cheragraque secatur
Caïus, & mallet verbera mille pati.
Quod nec mane vomis, nec cunnum, Condyle, lingis,
Non mavis, quam ter Caïus esse tuus?

O Condyle, ignoras quæ sunt mala heri, & quæ commoda servi, qui doles te diu esse in servitute. Vilis lecticula commodat tibi tutos somnos: en Caius pervigil jacet in pluma. Summo mane Caius tremebundus salutat tot dominos: sed tu, ô Condyle, nec dominum salutas. O Cai, solve debitum, ait Phœbus, atque illinc Cinnamus: O Condyle, nullus tibi dicit hoc. An *times tortorem? Caius ardet podagra & cheragra, & mallet pati mille flagella.*

. . . .

Lecticula.] significat parvum lectum, Legunt al. *tegeticula*

Caius.] Dominus tuus.

Tot dominos.] quot nempe habet patronos.

Nec dominum.] Caium scilicet.

Phœbus & Cinnamus.] fœneratores.

Tortorem.] a quo aliquando vapulas.

Podagra cheragraque.] quæ sunt vehementes in pedum & manuum articulis dolores, Gallice *les gouttes.*

Ad

Ad Calatissum pocillatorem. XCV.

ADDERE quid cessas puer immortale Falernum?
Quadrantem duplica de seniore cado.
Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calatisse, deorum
Sex jubeo cyathos fundere? Cæsar erit.
Sutilis aptetur decies rosa crinibus, ut sit,
Qui posuit sacræ nobile gentis opus.
Nunc bis quina mihi da basia, fiat ut illud
Nomen, ab Othrysio quod Deus orbe tulit.

O Puer, quid moraris fundere immortale Falernum? Gemina quadrantem de amphora seniore. Nunc dic mihi in gratiam cujus deorum volo te porrigere sex cyathos? Cæsar erit. Capilli decies coronentur sutili rosa, ut efficiatur ejus nomen, qui condidit nobile templum gentis sacræ. Nunc decies osculare me, ut fiat illud nomen quod Deus consecutus est ab Othrysio orbe.

Immortale Falernum.] vel quod difficile corrumpatur, vel quod dignum sit ut a diis ipsis bibatur.

Quadrantem duplica.] hoc est, infunde sex cyathos vini vetusti.

Cæsar erit.] habet enim sex literas, soluta nimirum diphthongo: tot vero cyathos haurire solebant veteres quot essent literæ in nomine illius in cujus gratiam bibebant, epig. 72. lib. 1.

Sutilis aptetur.] epig. 65. lib. 5. *Decies*, quia in suo nomine decem literas habet *Domitianus*. qui Flaviæ genti templum dicavit, epig. 2. supra.

Fiat ut illud.] *Germanicus* vel *Sarmaticus*: quod nomen a Germania & Sarmatia subacta sumpsit Domitianus. De Othrysio vel Odrysio orbe, seu Septentrione dictum, lib. 7.

De Hippocrate petente mulsum pro absinthio. XCVI.

SANCTONICA medicata dedit mihi pocula virga:
Os hominis! mulsum me rogat Hippocrates.
Tam stupidus nunquam nec tu puto, Glauce fuisti,
Chalcea donanti Chrysea qui dederas.
Dulce aliquis munus pro munere poscit amaro?
Accipiat, sed si potat in elleboro.

Hippocrates mihi donavit pocula imbuta virga Sanctonica. O impudentiam hominis, a me petit mulsum. O Glauce, nunquam tam bardus nec tu, opinor, fuisti. qui dederas aurea arma donanti area. An aliquis petit donum dulce pro amaro? accipiat, sed si hauriat in elleboro.

Sanctonica.] hoc est, imbuta absinthio, de quo sic Plinius lib. 17. cap. 7. *Absinthii genera sunt plura. Sanctonicum appellatur a Galliæ civitate, Ponticum a Ponto ubi pecora pinguescunt illo.* Legunt alii *Sardoa*: in Sardinia nempe multæ sunt herbæ venenatæ.

Mulsum.] Potio est ex vino & melle confecta.

Glauce.] Qui aurea sua arma ferreis permutavit cum Diomede, Homer. Iliad. 5.

Sed si potat.] hoc est, ea lege mulsum dabo, ut illud potet simul cum elleboro, quod insaniam purgat, hoc est, si fateatur se insanire.

XCVII.

De Herode medico fure. XCVIII.

CLINICUS Herodes trullam subduxerat ægro:
Deprensus dixit, stulte, quid ergo bibis?

Herodes clinicus surripuerat trullam ægroto: deprehensus dixit, ô demens, quid igitur potas?

Clinicus.] De medico clinico egimus, lib. 1. epig. 31.
Trullam.] Vas nempe ad bibendum.
Deprensus dixit.] Sic nimirum furtum excusat Herodes, quasi trullam removisset, ne æger biberet, quod illi lethale esset.

Ad Julium de quodam invido. XCIX.

RUMPITUR invidia quidam, carissime Juli,
Quod me Roma legit, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod turba semper in omni
Monstramur digito, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, tribuit quod Cæsar uterque
Jus mihi natorum, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod rus mihi dulce sub urbe est,
Parvaque in urbe domus, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod sum jucundus amicis,
Quod conviva frequens, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod amamur, quodque probamur.
Rumpatur, quisquis rumpitur invidia.

O Dilectissime Juli, quidam laceratur invidia, quod Roma legit meos libros, *laceratur invidia. Laceratur invidia, quod in omni turba monstramur digito, laceratur invidia. Laceratur invidia, quod uterque Cæsar mihi concessit jus* trium *liberorum, laceratur invidia. Laceratur invidia, quod habeo amœnam villam suburbanam, & parvas ædes in urbe, laceratur invidia. Laceratur invidia, quod placeo amicis, quod sæpe invitor ad cœnam, laceratur invidia. Laceratur invidia, quod diligimur, & laudamur: laceretur, quisquis laceratur invidia.*

Ad Julium.] Martialem de quo epig. 16. lib. 1. & epig. 16. lib. 7.
Rumpitur invidia.] Vide epig. 61. lib. 6.
Cæsar uterque.] Titus & Domitianus. Vide epig. 94. lib. 3.
Quod rus mihi.] De quo dictum epig. 61. lib. 8.
Rumpatur.] Sic Virgilius ecloga 7.
—— *invidia rumpantur ut ilia Codro.*

Ad Ovidium de Corano perfido caupone. C.

VINDEMIARUM non ubique proventus
Cessavit, Ovidi: pluvia profuit grandis.
Centum Coranus amphoras aquæ fecit.

O Ovidi, fructus vindemiarum non defecerunt ubique. Ingens pluvia profecit. Coranus fecit centum amphoras aqua.

Plu-

Pluvia profuit.] Alii *profluit.* Prior lectio mihi videtur melior.

Centum Coranus.] Quidam sane perfidus caupo, qui in summa vini caritate, aquam multam infundebat vino, quod pro mero vendebat.

Ad Atticum de M. Antonio Gallo, cui placebant libri Martialis. CI.

MARCUS amat nostras Antonius, Attice, Musas,
Charta salutatrix si modo vera refert:
Marcus Palladiæ non inficianda Tolosæ
Gloria, quem genuit pacis amica quies.

O Attice, Marcus Antonius probat nostros versus, si modo epistola salutatrix renunciat mihi veritatem: Marcus decus non denegandum Palladiæ Tolosæ, quem peperit quies amica pacis.

Marcus.] de quo lib. 10. epig. 23. & 32. Suetonius in Vitellio cap. ultimo: *Siquidem ab Antonio Primo adversariarum partium duce oppressus est, cui Tolosæ nato cognomen in pueritia Becco fuerat, id valet gallinacei rostrum.*

Palladia Tolosa.] quæ urbs est Galliæ satis nota, in qua nempe florebant literæ.

Pacis amica quies.] hoc forte subjicit Poëta, ut ostendat illum non esse ex familia Antonii triumviri, hominis scilicet seditiosi. Legunt alii, *pacis alumna quies*, nec hoc epigramma a sequente distinguunt.

Ad librum quem Antonio mittit in Galliam. CII.

TU qui longa potes dispendia ferre viarum,
I liber absentis pignus amicitiæ.
Vilis eras, fateor, si te nunc mitteret emptor,
Grande tui pretium muneris auctor erit.
Multum, crede mihi, refert, a fonte bibatur,
Qui fluit, an pigro quæ stupet unda lacu.

O Libelle, vade pignus amicitiæ absentis, tu qui potes pati longos labores itinerum. Vilis esses, fateor, si emptor nunc mitteret te, at auctor constituet magnum pretium tuo dono. Multum interest, crede mihi, an aqua bibatur fluens a fonte, an qua desidet in pigro lacu.

Tu qui.] Vide epigramma præcedens.

Si te nunc.] Longe enim carior atque emendatior est liber ab ipso auctore missus.

Legunt alii,

———— *si te nunc mittere tento.*

Quæ lectio vitiosa videtur.

In Bassum avarum. CIII.

DENARIIS tribus invitas, & mane togatum
Observare jubes atria, Basse, tua:
Deinde hærere tuo lateri, præcedere sellam,
Ad vetulas tecum plus minus ire decem.
Trita quidem nobis togula est, vilisque, putrisque:
Denariis tamen hanc non emo, Basse, tribus.

O Basse, me invitas tribus denariis, atque imperas tua atria mane coli a me togato: deinde astare tibi, anteire lecticam, tecum adire anus plus minus decem. Habeo togulam laceram quidem, & vilem, & putridam: nihilominus, ô Basse, hæc non emitur tribus denariis.

Dena-

Denarius tribus.] de moneta dictum sæpius.

Præcedere sellam.] Anteambulonis vice.

Ad vetulas.] Divites nimirum atque orbas quas captare volebat Bassus.

Trita quidem.] Sensus est: Mihi forte parvam das sportulam, quod trita sit vestis mea: at licet sit lacera & vilis, tua tamen sportula trium densiorum non sufficit ad emendam similem.

Adulatur Domitiano culto in via Appia sub imagine Herculis. CIV.

APPIA, quam simili venerandus in Hercule Cæsar
Consecrat, Ausoniæ maxima fama viæ,
Si cupis Alcidæ cognoscere facta prioris,
Disce: Libyn domuit: aurea poma tulit:
Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo:
Addidit Arcadio terga leonis apro.
Æripedem sylvis cervum, Stymphalidas undis
Abstulit: a Stygia cum cane venit aqua.
Fœcundam vetuit reparari mortibus Hydram:
Hesperias Tusco lavit in amne boves.
Hæc minor Alcides. major quæ gesserit, audi,
Sextus ab Albana quem colit arce lapis.
Asseruit possessa malis Pallatia regnis:
Prima suo gessit pro Jove bella puer.
Solus Iuleas cum jam retineret habenas,
Tradidit, inque suo tertius orbe fuit.
Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri:
Sudantem Getica ter nive lavit equum.
Sæpe recusato Parthos duxisse triumphos,
Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit.
Templa deis, mores populis dedit, otia ferro,
Astra suis, cœlo sidera, serta Jovi.
Herculeum tantis numen non sufficit actis:
Tarpeïo Deus hic commodet ora patri.

O Appia maximum decus viarum Italiæ, quam consecrat Cæsar colendus sub imagine Herculis, si vis cognoscere gesta prioris Alcidæ, accipe. subegit Libyn, abstulit poma aurea: detraxit Amazoni peltatæ cingulum Scythicum: adjunxit terga leonis apro Arcadio. Abripuit cervum æripedem sylvis, & Stymphalidas aquis: ab inferis rediit cum cane Cerbero. *Non passus est hydram renovari crescentem necibus: lavit boves Hispanas in amne Tusco. Minor Alcides fecit hæc. Disce, quæ fecerit major, qui colitur ad sextum milliarium ab arce Albana. Liberavit palatia occupata a malo principe, puer gessit prima bella pro suo Jove. Cum jam solus retineret habenas Imperatorias, tradidit* illas, *& tertius administravit suum imperium. Ter fregit perfida cornua Danubii Sarmatici: ter nive Getica lavit equum sudantem. Sæpe non concessa* facultate *agendi triumphos Parthicos, victor consecutus est nomen ab orbe Septentrionali. Donavit deos templis, populos moribus, arma quiete, suos astris, cœlum sideribus, Jovem coronis. Herculeum numen non sufficit tantis factis: hic deus* Domitianus *suo vultu referat Tarpeium patrem.*

Appia.] In qua nempe Latinarum viarum celeberrima templum Herculi consecraverat Domitianus, in quo ipse sub illius imagine colebatur, epig. 65. supra.

Si cupis Alcidæ.] hoc est, veri Herculis labores discere.

Libyn domuit.] hoc est, in Africa Antæum vicit, cujus nota historia: atque aurea mala ex Hesperidum horto decerpsit, custode interfecto dracone.

Peltatam] Pelta scutum est brevius quo utebantur Amazones, quarum reginam Hippolytam vicit Hercules:

Abstulit Hippolytæ, sexto, sua vincula victæ.

Scythico nodo.] periphrasis est balthei: in Scythia vero ad Tanaim & Thermodontem fluvium habitarunt Amazones.

Addidit Arcadio.] De leone & apro ab Hercule interfectis sæpius dictum.

Æripedem cervum.]

Cornibus auratis cervum necat ordine quarto.

Legunt alii *cervam*, Aurea habebat cornua, Dianæ

Dianæ sacra erat, in monte Mœnalo vagabatur, quam Hercules cepit, & Dianæ Taygetæ consecravit. Sic Raderus.

Stymphalidas undis.] Stymphalis lacus in Arcadia, ubi aves Stymphalides inusitatæ magnitudinis, quæ humanis carnibus vescebantur, quas occidit Hercules. Vide Natalem Comitem lib. 7. Myth. cap. 1.

Fœcundam vetuit.] Igne scilicet admoto, impediit ne hydræ capita renascerentur.

Hesperias Tusco.] Geryonis scilicet boves. Vide epig. 50. & 66. lib. 5. Ex Hispania in Italiam adduxit, & Tiberi eas lavit.

Major.] nempe Domitianus. Vide epig. 65. supra.

Sextus ab Albana.] hoc est ad sextum milliarium ab arce Albana, ad octavum vero ab urbe, epig. citato.

Asseruit possessa.] hoc est, Vitellianis ejectis imperium sibi vindicavit, & Capitolium defendit. Suetonius in Domitiano.

Solus Iuleas.] hoc est Imperatorias a Julio Cæsare primo Imperatore sic dictas: hoc est, occupatum imperium patri suo Vespasiano tradidit. Suetonius in Domitiano cap. 13.

In suo orbe.] hoc est in imperio, quod ipse adeptus erat; post Vespasianum enim & Titum regnavit.

Cornua Sarmatici.] hoc est, perfidas gentes quæ Danubium incolunt, ter domuit. Vide epig. 15. lib. 8. Cornua fluviis tribuunt Poëtæ propter riparum curvitatem, aut potius propter geminos, pluresve alveos, in quos dividuntur. Sic Virgilius 9. Æneid. dixit Rhenum bicornem.

Sudantem Getica.] hoc est, ter vicit quoque Getas de quibus supra.

Sæpe recusato.] Hic modus loquendi familiaris est Aurelio Victori, ablativus est absolutus neutrius generis, hoc ipsi recusato, seu hac re recusata, nempe ut auxiliaretur Vologeso Parthorum regi. Suetonius cap. 2. in Domitiano: *Nec tamen eo secius cum Vologesus Parthorum rex auxilia adversus Alanos, ducem-que alterum ex Vespasiani liberis depoposcisset, omni ope contendit, ut ipse potissimum mitteretur, & quia discussa res est, alios Orientis reges, ut idem postularent, donis ac pollicitationibus sollicitare tentavit.*

Parthos.] hoc est *Parthicos.* Virgilius ecloga 10.

———— libet Partho torquere cydonia cornu
Spicula, &c.

Hyperboreo] hoc est Septentrionali: nam a devictis Germanis Germanicus, atque a subactis Sarmatis Sarmaticus dictus est Domitianus. Scriverius legit:

Sæpe recusatos parcus duxisse triumphos,

quod victa Sarmatia triumphum recusavit.

Templa deis.] Vide epig. 4. supra.

Mores.] epig. 4. & 7. lib. 6.

Otia ferro.] hoc est, bello confecto pacem hostibus concessit, epig. 15. lib. 8.

Astra suis.] hoc est patrem, fratrem, uxorem in deorum numerum retulit, & Flaviæ genti templum erexit, de quo epig. 2. supra.

Serta Jovi.] quia lauream Jovi Capitolino intulit ex victoria Sarmatica. Suetonius in Domitiano.

Tarpeio.] Sensus est: Pro tot & tantis rebus gestis non sufficit, ut sub imagine Herculis colatur Domitianus, sed sub imagine ipsius Jovis esset colendus.

Ad Phœbum fœneratorem. CV.

QUADRINGENTORUM reddis mihi, Phœbe, tabellas: Centum da potius mutua, Phœbe, mihi. Quære alium, cui te tam vano munere jactes: Quod tibi non possum solvere, Phœbe, meum est.	*O Phœbe, reddis mihi tabellas quadringentorum: O Phœbe, potius crede mihi centum. Quære alium, apud quem te ostentes tam vano dono. O Phœbe, quod nequeo solvere, pertinet ad me.*

Quadringentorum.] Ejusdem argumenti est epig. 37. lib. 8.

Tabellas.] Syngrapham intellige, qua constabat, Martialem Phœbo debere quadringenta.

Da potius.] ut liberalis habearis.

Quod tibi non.] epig. 3. lib. 2.

Sexte nihil debes; nil debes, Sexte, fatemur:
Debet enim, si quis solvere, Sexte, potest.

De

De geminis fratribus, quos Polluci & Castori similes esse dicit, & formosiores ipsa Helena. CVI.

QUÆ nova tam similes genuit tibi Leda ministros?
Quæ capta est cycno nupta Lacæna alio?
Dat faciem Pollux Hiero, dat Castor Asillo:
Atque in utroque nitet Tyndaris ore soror.
Ista Therapnæis si forma fuisset Amyclis,
Cum vicere duas dona minora deas:
Mansisses Helene, Phrygiamque redisset in urbem
Dardanius gemino cum Ganymede Paris.

Quæ nova Leda peperit tibi servos tam similes? Quæ Lacæna arsit alium cycnum? Pollux commodat vultum Hiero, Castor commodat Asillo. & soror Tyndaris nitet in ore utriusque. Si talis pulchritudo fuisset Therapnæis Amyclis, cum dona inferiora superarunt duas deas: O Helene, mansisses, & Dardanius Paris reversus esset in urbem Phrygiam cum gemino Ganymede.

Genuit tibi.] Nescio quem alloquatur Poeta. Ledæ Lacedæmoniæ historia satis nota est, quæ nempe compressa a Jove cycni forma induto peperit Pollucem & Castorem.

Tyndaris soror.] hoc est Helena Castoris & Pollucis soror, Jovis filia ex Leda uxore Tyndari regis Laconiæ.

Ista Therapnæis.] Castor & Pollux nati sunt Amyclis, quæ urbs est Laconiæ prope Therapnas; ubi si adfuissent Hierus & Asillus, (cum Juno ac Pallas contendentes de pomo aureo a Venere victæ sunt, promittente Paridi judici Helenam, quæ nempe donum erat inferius quam imperium promissum a Junone, & sapientia promissa a Pallade,) contempta Helena a Paride rapti fuissent.

M. VAL.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER X.

Singulis paginis ter aut quater librum abſolvi. I.

SI nimius videor, feraque coronide longus
Eſſe liber: legito pauca, libellus ero.
Terque, quaterque mihi finitur carmine parvo
Pagina facta tibi, quam cupis eſſe brevem.

INTERPRETATIO.
Si videor eſſe liber nimius, & longus tarde impoſita *coronide: evolve pauca, ero libellus. Brevi verſu ter & quater abſolvo ſcriptam tibi paginam, quam optas eſſe brevem.*

NOTÆ.

Si nimius.] Liber alloquitur lectores: alii putant hoc epigramma eſſe finem libri noni: alii vero initium decimi. Videat lector: lemma autem deeſt in antiquis codicibus. Scriverius inſcribit, *Liber ad Lectorem.*

Coronide.] Quam ſic explicat Cælius Rhodiginus lib. 15. cap. 20. Coronis ſignificat ultimam rei manum admotam, nec effectum opus, ſed prorſus completum, finitumque: ſiquidem coronis eſt quandoque montis vertex, aut ſtructuræ ſummum, quandoque vero quod in fine libri ponitur. Coronis ſignificat & navis puppim, quod ſit in ejus apice curvatum roſtrum, unde deductum hunc loquendi modum putant nonnulli.

Terque quaterque.] Cum ſingulis in paginis tria aut quatuor epigrammata contineantur, quibus lectis, alia omittere poteſt lector. Legunt alii,

Pagina: fac tibi me quam cupis eſſe brevem.

hoc eſt, ô lector, inquit liber, potes me contrahere quantum cupis.

Ad lectorem, ut faveat huic libro, quem præpropere editum revocavit, & emendavit. II.

FESTINATA prior decimi mihi cura libelli
Elapſum manibus nunc revocavit opus.

Prior cura decimi libri a me properata nunc revocavit opus elapſum manibus.

Nota

Nota leges quædam, sed lima rasa recenti;
Pars nova major erit, lector, utrique fave.
Lector opes nostræ, quem cum mihi Roma dedisset,
Nil tibi quod demus majus habemus, ait.
Pigra per hunc fugies ingratæ flumina Lethes,
Et meliore tui parte superstes eris.
Marmora Messalæ findit caprificus, & audax
Dimidios Crispi mulio ridet equos.
At chartis nec furta nocent, nec secula præsunt,
Solaque non norunt hæc monumenta mori.

Evolves quædam tibi comperta, sed polita recenti lima. Major erit pars addita, & lector, fave utrique. O lector divitiæ nostræ, quem cum mihi donasset Roma, dixit, Nihil habemus majus, quod tibi donemus. Hujus opera vitabis pigra flumina Lethes, & eris superstes meliore parte tui. Caprificus aperit marmora Messalæ, & mulio audax irridet equos dimidios Crispi. Sed nec furta officiunt scriptis, nec secula præsident, & hæc sola monumenta nesciunt perire.

Festinata prior.] Hunc nempe librum nimia festinatione editum revocavit, atque emendavit.

Nota.] Scilicet in priori editione.

Utrique fave.] hoc est, prioribus, & novis additis versibus fave.

Lector opes nostræ.] Per appositionem hoc addit, hoc est, quo benigno, atque benevolo lectore nihil majus mihi dare Roma poterat.

Flumina Lethes.] hoc est, te ab hominum oblivione vindicabis. Lethe inferorum fluvius est, qui præteritarum omnium rerum memoriam delet: λήθη enim Latine oblivio est.

Superstes eris.] Quia semper legeris, & celebraberis. *Meliore parte*, fama scilicet ingenii.

Marmora Messalæ.] Ædes marmoreas, vel potius sepulchra marmorea intellige, quæ Corvinus Messala Augusti ævo orator clarissimus, & ditissimus extruxit. Vide epig. 3. lib. 8.

Caprificus.] Ficus est sylvestris, quæ vel durissimos lapides findit.

Dimidios equos.] De Crispo dictum epig. 54. lib. 4. cujus statuæ equestres vetustate corruptæ, & fractæ irridentur a mulionibus, atque aurigis. Juven. sat. 8.

Et curios jam dimidios, &c.

Nec furta.] Legunt alii, & forte melius *fata*: bona enim carmina non pereunt. Vide Horat. ode 8. lib. 4.

Ad Priscum in clancularium Poëtam qui famosa carmina nomine ejus spargebat. III.

VERNACULORUM dicta, sordidum dentem,
Et fœda linguæ probra circulatricis,
Quæ sulphurato nolit emta ramento
Vatiniorum proxeneta fractorum,
Poëta quidam clancularius spargit,
Et vult videri nostra: credis hoc Prisce,
Voce ut loquatur psittacus coturnicis?
Et concupiscat esse Canus ascaules?
Procul a libellis nigra sit meis fama,
Quos rumor alba gemmeus vehit penna.
Cur ego laborem notus esse tam prave,
Cum stare gratis cum silentio possim?

Quidam Poëta occultus spargit dicta vernaculorum, fœdam mordacitatem, & turpia convitia linguæ circulatricis, quæ proxeneta nolit emere sulphurato ramento vatiniorum fractorum, & cupit ascribi nostra. O Prisce, an putas hoc, ut psittacus loquatur voce coturnicis, & Canus peroptet esse ascaules? nigra fama longe removeatur a meis libris, quos vehit rumor felix candida penna. Cur ego studeam cognosci tam improbe, cum possim tacendo notus esse gratis?

Verna-

Vernacularum dicta.] hoc est, vernarum, & scurrarum dicta epig. 42. lib 1.

Linguæ circulatricis.] Circulator est circumforaneus homo, vulgaris, vagus, sordidus, quem citato epig. Transtiberinum ambulatorem vocavit.

Quæ sulphurato.] Vide epig. citatum. Sensus est, illa dicta ramentis sulphuratis, Gallice *allumettes*, nolit emere negotiator vasorum vitreorum fractorum, quæ sic dicta sunt a Vatinio Beneventano artifice, lib. 14. epig. 96.

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini,
Accipe, &c.

Sunt autem proxenetæ conciliatores, & interventores, quasique conglutinatores hominum inter se stipulantium, aut quemvis contractum ineuntium.

Psittacus.] Docilis nempe, atque humanæ vocis imitator, cui se Martialis, maledicum vero illum Poëtam coturnici comparat, cujus vox injucundissima est.

Canus.] Nobilissimus tibicen, de quo lib. 4. epig. 5. Ascaules autem dicitur utricularius, seu qui utrem inflat, quem imitari nolit Canus.

Nigra fama.] Comparata nempe ex aliorum infamia, epig. 11. lib. 7.

Et mihi de nullo fama rubore placet.

Quos rumor gemmeus.] hoc est, candidus, & felix. *Alba penna*, his verbis bonam famam significat.

Tam prave.] hoc est, cur ex aliorum dedecore mihi nomen comparem, cum laudans alios, & ipse laudari possim.

Cum stare gratis.] Meo judicio sensus est, cum possim innotescere sine detrimento famæ alienæ, & cum mea fama sic stare possit. Legunt alii,

Constare gratis cum silentio possim.

Constare significat patere, perspicuum esse, hoc est, cum possim notus esse gratis, seu sine alieno rubore. Alii legunt,

Constare gratis cum silentium possit.

hoc est, cum meum silentium possit innotescere hominibus gratis erga me, quod parcam eorum moribus, quos carpere possem.

Ad lectorem

epigrammata sua omnibus fabulis esse utiliora. IV.

QUI legis Oedipodem, caligantemque Thyesten,
Colchidas, & Scyllas; quid nisi monstra legis?
Quid tibi raptus Hylas, quid Parthenopæus, & Atys?
Quid tibi dormitor proderit Endymion?
Exutusve puer pennis labentibus? aut qui
Odit amatrices Hermaphroditus aquas?
Quid te vana juvant miseræ ludibria chartæ?
Hoc lege, quod possis dicere jure, meum est.
Non hic Centauros, non Gorgonas, Harpyasque
Invenies: hominem pagina nostra sapit.
Sed non vis, Mamurra, tuos cognoscere mores,
Nec te scire: legas αἴτια Callimachi.

Quod evolvis fabulas de Oedipode, de Thyeste caliginoso, de Medea, de Scylla, quid evolvis nisi portenta? quid proficiet tibi raptus Hylas, quid Parthenopæus, & Atys, quid dormitor Endymion? & puer spoliatus pennis labentibus, aut Hermaphroditus qui odit amatrices undas? quid tibi prosunt vana ludibria infelicis chartæ? hoc evolve, quod possis jure dicere, meum est. Non hic reperies Centauros, nec Gorgonas, nec Harpyas: nostri libri agunt de homine. Sed non vis, ô Mamurra, habere compertos tuos mores, nec te noscere: evolvas causas Callimachi.

Qui legis Oedipodem.] OEdipus, qui matrem Jocasten duxit uxorem, notus est ex Euripide in Phœnissis, & Thyestes, qui caligans dicitur, propterea quod ne manducantem filium sibi ab Atreo fratre appositum videret Sol, refugit, & Medea noti sunt ex Euripide, & Seneca Poëta, & multis aliis. De Scylla vide Ovidium lib. 4. Met.

Raptus Hylas.] epig. 49. lib. 5. *Parthenopæus.*]

pani.] epig. 77. lib. 6. & epig. 57. lib. 9.
Atys.] epig. 86. lib. 2.

Dormitor Endymion.] qui primus Lunæ cursum observavit, unde fabulantur Poëtæ illum a Luna fuisse adamatum, atque ab ea in Latmo Cariæ monte sopitum fuisse, ut eum posset commode osculari.

Exutusque puer.] Icarum intellige notum ex Ovidio lib. 8. Met. apud quem & Hermaphroditi fabulam leges, lib. 4. Metam.

Miseræ ludibria.] h. e. fabularum ludos.

Hoc lege.] quod spectat ad tuos mores. De Centauris Ovid. lib. 12. Met. Gorgones vero Phorci filiæ, Medusa, Sthenyo, alii Sthino, & Euryale. Aliæ quoque Gorgones fuere quas recenset Natalis Comes lib. 7. Mythol. cap. 12.

Harpyiasque.] Neptuni & terræ filiæ a Poëtis finguntur rapaces, volatiles, virgineo vultu, & manibus uncis. Tres enumerantur a Virgilio, Helle, Ocypete, & Celæno. Vide Natalem Comitem lib. 7. cap. 6.

Hominem pagina.] Mores enim hominum corrigunt, atque instituunt libri mei.

Legas aitia.] Intellige caussas, hoc est legas librum quem scripsit Callimachus de caussis & originibus rerum. De Callimacho dictum lib. 4. epig. 23. Sensus est: Cum nolis cognoscere te ipsum, lege opus Callimachi de caussis, quod somnia Callimachi vocat Propertius. Legunt alii,

Nec te scire juvat ethea Callimachi.

hoc est, Nec juvat te legere librum, quem de moribus scripsit Callimachus, vel Poëta, vel alius grammaticus sic dictus. Quæ lectio non placet interpretibus. Vide Turnebum lib. 30. cap. 30.

In maledicum Poëtam,
cui multa mala imprecatur. V.

QUISQUIS stolæve purpuræve contemptor,
Quos colere debet, læsit impio versu:
Pontes per urbis erret exsul, & clivos,
Interque raucos ultimus rogatores
Oret caninas panis improbi buccas:
Illi december longus & madens bruma,
Claususque fornix triste frigus extendat:
Vocet beatos, clamitetque felices,
Orciniana qui feruntur in sponda.
Et, cum supremæ fila venerint horæ,
Diesque tardus, sentiat canum litem,
Abigatque moto noxias aves panno;
Nec finiantur morte supplicis pœnæ:
Sed modo severi sectus Æaci loris,
Nunc inquieti monte Sisyphi pressus,
Nunc inter undas garruli senis siccus,
Delasset omnes fabulas poëtarum,
Et, cum fateri Furia jusserit verum
Prodente clamet conscientia, Scripsi.

Quisquis contemptor aut stola aut purpura offendit impio carmine quos observare debet; profugus vagetur per pontes urbis, & clivos, atque inter raucos mendicos ultimus petat canina frusta panis improbi: December longus, atque hyems madida, & fornix clausus producat illi triste frigus, appellet felices, & clamitet fortunatos, qui efferuntur in sandapila. Et cum fila ultima hora, & dies tardus venerint, experiatur litem canum, & moto panno expellat malas volucres: nec mors afferat finem pœnis illius rogatoris. At modo cæsus loris acerbi Æaci, nunc obrutus saxo Sisyphi non quiescentis, nunc siccus inter aquas senis loquacis, defatigit omnes fabulas poëtarum: & cum Furia jusserit confiteri veritatem, prodente conscientia vociferetur, Composui.

Quisquis stolæ.] Aspere invehitur in eundem fane Poëtam, de quo epig. 3. supra. *Stola* propria erat matronarum, epig. 36. lib. 1. Attamen Baysius de re vestiaria cap. 1. existimat stolam vocem esse communem ad omne genus vestimenti: purpura vero olim solius Magistratus erat insigne: at labente disciplina lacernis purpureis usi sunt fere omnes, lib. 5. epig. 8.

Pontes per urbis.] Ubi mendici rogant stipem. Suo inimico idem imprecatur Ovidius in Ibin. Juvenalis sat. 4.

——— *dirusque a ponte satelles*
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.

Pontes per urbis: recte enim conjungitur

cum

cum sequente voce *exsul*: quomodo enim exsul, inquit Raderus, si in urbe? At *exsul* sumitur hîc meo judicio pro errone & vago homine. Alii,

Erret per urbem pontis exsul, & clivi.

Claususque fornix.] in quo nempe sine igne mendici latebant hyeme.

Orciniana sponda.] Sandapila sic dicta est ab orco, quod mortui ad orcum eant.

Diesque tardus.] mortis nempe, quam jamdiu expetebat.

Sentiat canum litem.] hoc est, jam moriturus sentiat canes litigantes de cadavere ejus laniando.

Noxias aves.] corvos, vultures, &c.

Supplicis pœna.] id est mendici & rogatoris. Alii legunt *simplices pœnæ*, habita scilicet ratione aliorum suppliciorum quæ in inferis subiturus est.

Æaci.] quem tantopere justitiæ amantem fuisse ferunt, ut apud inferos a Plutone delectus fuerit animatum judex cum Minoë & Rhadamanto.

Monte Sisyphi.] quem fabulantur Poëtæ eo supplicii genere plecti apud inferos, ut saxum ingens perpetuo volvat.

Garruli senis.] hoc est Tantali, qui invitatus ad cœnam deorum secreta vulgaverat. Illius historia satis nota: mediis in aquis perpetua siti laborat, ut canunt Poëtæ.

Scripsi.] hoc est, famosa carmina vulgavi nomine Martialis.

De adventu Cæsaris Trajani ex Germania. VI.

Felices quibus urna dedit spectare coruscum
Solibus Arctois, sideribusque ducem.
Quando erit ille dies, quo campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latia culta fenestra nuru?
Quando moræ dulces, longusque a Cæsare pulvis,
Totaque Flaminia Roma videnda via?
Quando eques, & picti tunica Nilotide Mauri
Ibitis, & populi vox erit una, Venit?

Beati, quibus sorte contigit videre Imperatorem micantem solibus, atque astris Septentrionis. Quando adveniet ille dies, quo campus & arbor, atque omnis fenestra fulgebit ornata mulieribus Latiis? Quando grata impedimenta, & longus pulvis excitatus a Cæsare, & tota Roma conspicienda in via Flaminia? O eques & Mauri picti tunica Nilotide, quando præibitis, atque una vox erit populi, Venit?

Quibus urna dedit.] in qua sunt omnium hominum nomina, qui moriuntur prout serius aut ocyus sors exierit. Alii intelligunt urnam electionis, seu sortem qua lecti mittebantur ad Principem Legati: Alii, sortem simpliciter & quidem bonam: hoc sensu, felices quibus bona quadam sorte contigit ut Trajanum viderent. Eligat lector. De Arctois sideribus sæpius dictum. Germania autem est ad Septentrionem, ex qua rediturus erat Trajanus. Vide epig. sequens.

Lucebit Latia.] hoc est, quo die omnes Latii mulieres ex fenestris Trajanum redeuntem spectabunt.

Flaminia.] qua iter est in Germaniam.

Quando eques, & picti.] hoc est equites Mauri indutii veste Ægyptia variis coloribus picta. Vide epig. 13. infra.

Et Libys in longo pulvere sudet eques.

Ad Rhenum de eodem. VII.

Nympharum pater, amniumque Rhene,
Quicumque Othrysias bibunt pruinas,
Sic semper liquidis frueris undis,
Nec te barbara contumeliosi
Calcatum rota conterat bubulci:
Sic & cornibus aureus receptis,
Et Romanus eas utraque ripa:

O Rhene, pater Nympharum atque fluviorum, quicumque excipiunt pruinas Othrysias, sic semper habeas aquas fluentes, nec barbara rota injuriosi bubulci conterat te calcatum: sic & cornibus receptis aureus & Romanus fluas utraque ripa.

 Tra-

Trajanum populis suis, & urbi,
Tibris te dominus rogat, remittas.

dominus Tibris orat te, remittas Trajanum populis suis, & urbi.

Quicumque Othrysias.] De hac voce dictum epig. 7. lib. 7. Alii *Odrysias*, Odryse Thracia est: quæ vox latius sumitur a Poëta pro Septentrione; Rhenus enim Thraciam non alluit. *Pruinas* glaciem, & nives liquefactas intellige.

Nec te barbara.] hoc est, nec te gelu constrictum premant plaustra bubulcorum.

Sic & cornibus.] In duas præcipue partes, quæ cornua vocantur, dividitur Rhenus, quorum alterum cornu, inquit Domitius, habebant transrhenani; alterum vero erat in imperio Romanorum. *Aureus* dicitur, ut opinatur Raderus, vel propter aurifodinas Germaniæ, vel propter auream & flavam Germanorum comam, vel quod in triumphis flumina auro depicta gestarentur.

Romanæ eas.] hoc est, Germania cis transque Rhenum serviat Romanis.

Tibris dominus.] nempe quod Romam orbis dominam alluat.

De Paulla vetula. VIII.

NUBERE Paulla cupit nobis: ego ducere Paullam
Nolo, anus est: vellem, si magis esset anus.

Paulla optat nubere mihi, ego nolo ducere Paullam, vetula est: optarem si magis esset vetula.

Si magis esset anus.] Cito enim moreretur, & me heredem relinqueret.

De se. IX.

UNDENIS pedibusque, syllabisque,
Et multo sale, nec tamen protervo,
Notus gentibus ille Martialis,
Et notus populis, quid invidetis?
Non sum Andremone notior caballo.

Ego *ille Martialis populis notus hendecasyllabis, & multis facetiis, nec tamen procacibus, quid invidetis? Non sum notior Andremone caballo.*

Undenis pedibus.] Versus intellige constantes undecim syllabis, ita ut singulæ unum pedem efficiant: & dicitur etiam carmen Phaleucium.

Notus gentibus.] Vide epig. 1. lib. 1.

Andremone caballo.] Epig. 42. lib. 1. quemdam scurram vocavit Sextium caballum. Hic etiam forte intelligit scurram: Alii volunt esse nomen nobilis cujusdam equi circensis.

In Paullum consulem, & salutatorem. X.

CUM tu laurigeris annum qui fascibus intras,
Mane salutator limina mille teras:
Hic ego quid faciam? quid nobis, Paulle, relinquis,
Qui de plebe Numæ, densaque turba sumus?
Qui me respiciat, dominum, regemque vocabo?
Hoc tu, sed quanto blandius, ipse facis.

Cum tu, qui aperis annum fascibus laurigeris, mane salutator obeas mille limina; hic ego quid agam? O Paulle, quid nobis relinquis, qui sumus vilis turba, & de plebe Numæ? An vocabo dominum, & regem, qui me respiciat? Tu ipse (sed quanto suavius) agis hoc.

Lecticam, sellamque sequar? nec ferre recuso
Per medium pugnas sed prior ire lutum.
Sæpius assurgam recitanti carmina? tu stas,
Et pariter geminas tendis in ora manus.
Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?
Divisit nostras purpura vestra togas.

An sequar lecticam & sellam? Nec recuso portare: at tu contendis, ut prior eas per medium lutum. An sæpius assurgam recitanti versus? Tu stas, & simul tendis ambas manus in faciem. Quid aget inops, qui nequit esse cliens? Vestra purpura removit nostras togas.

Cum te laurigeris.] Anno ineunte fasces laureati gestabantur ante novos Consules. De salutatoribus dictum epig. 18. lib. 2.

De plebe Numa.] qui nempe pauper fuit inter reges. Sensus est: Quid facient pauperes, cum viri clari & nobiles eorum officia obeant.

Qui me respiciat.] Alii *respiciet.*

Sellamque.] Alii *sellamve.*

Nec ferre recuso.] Alii *recusat.*

Sed prior.] Alii *& prior.*

Assurgam recitanti.] Ut applaudam.

Et pariter geminas.] Signum est applaudentis & adulantis.

Divisit nostras.] hoc est, vos purpurati clientes removistis nos pauperes, & exclusistis ab officiis præstandis. Alii *dimisit* eodem sensu. Videat lector.

In Calliodorum, muneribus nullum posse videri verum amicum. XI.

Nil aliud loqueris quam Thesea, Perithoumque,
Teque putas Pyladi, Calliodore, parem.
Dispeream, si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es, aut porcos pascere Perithoi.
Donavi tamen, inquis, amico millia quinque,
Et lotam, ut multum terque quaterque togam.
Quid quod nil unquam Pyladi donavit Orestes:
Qui donat quamvis plurima, plura negat.

O Calliodore, nihil aliud loqueris quam Thesea, Perithoumque, & credis te æqualem Pyladi. Dispeream, si mereris porrigere matellam Pyladi, aut pascere porcos Perithoi. Nihilominus dedi, ais, amico quinque millia, & togam lotam ter & quater ad summum. Quid quod Orestes nihil unquam dedit Pyladi? qui dat licet plurima, recusat plura.

Thesea, Perithoumque.] Alii scribunt *Pirithoum.* De his jam epig. 23. lib. 7. eorum historia omnibus obvia.

Dignus es.] hoc est, si dignus es vel vilissimum obire munus, ut matellam præstare, vel porcos pascere.

Millia quinque.] Sestertiorum.

Et lotam, ut multum.] hoc est, fere novam.

Quid quod.] Vehementius instandi gratia *quid* adsciscit *quod.*

Plura negat.] Quia qui donat, omnia sua bona cum amico non communicat, alioquin nihil haberet, quo careret alter, atque ita nihil donare posset.

Ad Domitium cui secessionem felicem, & reditum precatur. XII.

Æmiliæ gentes, & Apollineas Vercellas,
Et Phaëtontei qui petis arva Padi:
Ne vivam nisi te, Domiti, permitto libenter,
Grata licet sine te sit mihi nulla dies.

O Domiti, qui adis gentes Æmiliæ, atque Apollineas Vercellas, atque agros Padi Phaëtontei: Dispeream, nisi libenter te mitto, licet, te absente, nulla lux mihi sit jucunda.

Sed

Sed desiderium tanti est, ut messe vel una
  Urbano releves colla perusta jugo.
I precor, & totos avida cute combibe soles,
  Quam formosus eris, dum peregrinus eris!
Et venies albis non cognoscendus amicis,
  Libabitque tuas pallida turba genas.
Sed via quem dederit, rapiet cito Roma colorem,
  Niliaco redeas tu licet ore niger.

Sed tanti facio desiderium tuum, ut vel una æstate reficias colla perusta servitute urbana. Proficiscere, precor, & combibe totos soles avida cute, quam pulcher eris, dum peregrinaberis, & redibis non agnoscendus albis amicis, & pallida turba osculabitur tuas genas. At Roma celeriter auferet colorem, quem dederit iter, etiamsi revertaris niger ore Ægyptio.

Æmiliæ gentes.] Æmilia hodie regio Italiæ partem Longobardiæ cispadanæ & Romandiolam complectitur. *Vercellas* hodie *Vercelli*. *Apollineas* dicit, vel quod illic Apollo coleretur, vel a liberalibus disciplinis, vel ab auro Apollini sacro, quod ibi effoderetur, ut conjiciunt interpretes.

Phaëtontei.] Quia in Padum curru Solis excussus Phaëton cecidit. *Qui petis*, alii *quæ petis*.

Permitto.] Alii *præmitto*, *permuto*, *dimitto*: sed retine *permitto* hoc sensu quo Livius dixit,

Concitant equos, permittuntque in hostem.

Sed desiderium tanti.] Sed tanti facio desiderium, quo flagras rus eundi, ut libenter sinam te abire, ut nempe negotiis atque officiis urbanis defatigatum te recrees. *Colla perusta*, id est, attrita urbanis officiis.

Combibe Soles.] hoc est, apricationi vaca, quam cuti colorandæ optimam esse credebant veteres.

Albis amicis.] hoc est, Sole non coloratis, utpote qui in urbe manserint; vel refer ad togas candidas. Vide epig. 56. lib. 1. vel potius, ut refert Heraldus διὰ σκιατροφίαν, hoc est, propter vitam quam in umbra ducebant veteres.

Pallida turba.] Ob vigilias & officia urbana, atque vitam umbratilem.

Niliaco redeas.] Ægyptii enim sunt fusci.

Ad Tuccam, cujus miseriam ex bonorum suorum affluentia nasci dicit. XIII.

Cum cathedralicios portet tibi rheda ministros,
  Et Libys in longo pulvere sudet eques,
Strataque non unas cingant triclinia Baias,
  Et Thetis unguento palleat uncta tuo,
Candida Setini rumpant crystalla trientes,
  Dormiat in pluma nec meliore Venus:
Ad nocturna jaces fastosæ limina mœchæ,
  Et madet heu lacrymis janua surda tuis:
Urere nec miserum cessant suspiria pectus.
  Vis dicam, male sit cur tibi, Tucca? bene est.

Cum rheda ferat tibi molles pueros, & Afri equites sudent in longo pulvere, & triclinia instructa cingant non unas Baias, & Thetis palleat uncta tuo unguento, & trientes Setini frangant crystalla candida, nec Venus dormiat in pluma meliore; noctu jaces ad limina adultera arrogantis, & janua surda eheu perfunditur tuis lacrymis: nec suspiria desinunt incendere miserum pectus. O Tucca, vis dicam, cur male te habeas? Bene te habes.

Cathedralitios.] hoc est, pueros molles atque effœminatos, quasi fœminas, non viros; cathedra enim fœminarum erat propria, epig. 79. lib. 4. Juvenalis sat. 6. versu 92.

——— *famam contempserat olim*
Cujus apud molles minima est jactura cathedras.

Et Libys in longo.] Epig. 6. supra. Turnebus lib. 3. cap. 3.

Strataque.] De Baiis dictum epig. 61. lib. 1. ubi erant nobilissimæ thermæ, unde & hic

& hic Baiæ sumuntur pro thermis, juxta quas extruebantur triclinia. *Non unas.*] id est *multas*. *Cingant* alii *tangant*.

Et Thetis.] Sumitur hic pro balneis maris instar amplis, quæ redolebant unguentum undique sparsum. Vide lib. 3. epig. 12. Θέτις dea & nympha maris filia Nerei, &c. Τηθὺς Tethys uxor Oceani, & pro mari sæpius accipitur, epig. 3. lib. Spect.

Candida Setini.] hoc est cum trientes vini Setini, de quo sæpius dictum, calore suo rumpant pocula crystallina, vel splendore suo crystallum quodammodo findere videantur.

In pluma nec meliore.] In pluma autem olorina dormit Venus.

Ad nocturna.] Persius sat. 5. v. 164.

—— *an rem patriam rumore sinistro*
Limen ad obscœnum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores extincta cum face canto.

Bene est.] Atque ita cruciatis nimia divitiarum abundantia.

Ad Crispum verbo non re amicum. XIV.

CEDERE de nostris nulli te dicis amicis.
Sed, sit ut hoc verum: quid rogo, Crispe, facis?
Mutua cum peterem sestertia quinque, negasti:
Non caperet nummos cum gravis arca tuos.
Quando fabæ nobis modium farrisque dedisti,
Cum tua Niliacus rura colonus aret?
Quando brevis gelidæ missa est toga tempore brumæ?
Argenti quando missa selibra mihi est?
Nil aliud video, quo te credamus amicum,
Quam quod me coram pedere, Crispe, soles.

Dicis te nulli cedere ex nostris amicis; at, quaso, Crispe, quid agis ut hoc sit verum? Cum rogarem quinque sestertia mutua, recusasti; cum gravis arca non posset continere tuos nummos. Quando nobis donasti modium fabæ aut farris, cum habeas multos fundos in Ægypto? Quando misisti togam brevem tempore frigida hyemis? Quando misisti mihi selibram argenti? Nihil aliud superest, quo existimemus te amicum, ô Crispe, quam quod tui moris est pedere me præsente.

Niliacus.] hoc est, cum habeas multos fundos in Ægypto.

Coram pedere.] hoc familiare quidem, sed honeste parum. Sic Crispum avarum acute carpit Poëta.

De Apro interfectore uxoris. XV.

DOTATÆ uxori cor arundine fixit acuta:
Sed dum ludit Aper, ludere novit Aper.

Aper acuta arundine trajecit pectus uxoris locupletis: at dum aper ludit, aper novit ludere.

Cor arundine fixit.] fingens se ludere sagittis.

Novit aper.] Hoc sensu, per errorem uxorem interfecisse videtur aper, quod forte nesciret ludere sagittis, imo novit optime ludere: occisa enim uxore factus est dives. Legunt alii, *ladere novit aper*. Poëta ludit, ut aiunt, in his vocibus *ludere* & *ladere*. Minus tamen arguta videtur hæc lectio.

In Caium vana promittentem. XVI.

SI donare vocas promittere, nec dare, Cai:
Vincam te donis muneribusque meis.

O Cai, si vocas donare, polliceri, nec dare; superabo te donis, & muneribus meis;

Accipe Callaicis quicquid fodit Astur in arvis,
Aurea quicquid habet divitis unda Tagi;
Quicquid Erythræa niger invenit Indus in alga,
Quicquid & in nidis unica servat avis;
Quicquid Agenoreo Tyros improba cogit aëno:
Quicquid habent omnes, accipe quomodo das.

accipe quicquid fodit Astur in agris Callaicis, & quicquid habet aurea unda divitis Tagi; quicquid reperit niger Indus in Erythræa alga, & quicquid unica avis servat in nidis: quicquid improba Tyros congregat aëno Agenoreo: accipe, quomodo donas, quicquid possident omnes.

Vincam te donis.] Nam ut canit Ovidius, *Pollicitis dives quilibet esse potest.* *Callaicis.*] Asturia Hispaniæ provincia, in qua erant aurifodinæ. Callaica vero arva dicuntur, a Gallæcia, quæ regio est Asturiæ proxima. *Divitis unda.*] In Tago Hispaniæ fluvio aureæ sunt arenæ. *Quicquid Erythræa.*] Lapillos Erythræos intellige, de quibus dictum epig. 36. lib. 5. *In nidis.*] Phœnix avis omne aromatum genus servat in suo nido, epig. 7. lib. 5. *Quicquid Agenoreo.*] Agenor condidit Tyrum, in qua inventus est modus conficiendæ purpuræ, quæ superbiæ & luxui inservit, unde Tyrus illius inventrix improba dicitur. Aëno vase scilicet in quo tingitur purpura. Legunt alii *aheno*, quod idem est.

De Macro ad Musam. XVII.

SATURNALICIO Macrum fraudare tributo
Frustra, Musa, cupis: non licet, ipse petit;
Solenneisque jocos, nec tristia carmina poscit:
Et queritur nugas obticuisse meas.
Mensorum longis sed nunc vacat ipse libellis.
Appia quid facies, si leget ista Macer?

O Musa, inutiliter optas privare Macrum tributo Saturnalicio: non fas est, ipse poscit; & postulat solennes jocos, & versus festivos, & queritur siluisse meas ineptias. At nunc ille dat operam longis libris geometrarum. O Appia, quid facies, si Macer evolvet ista?

Saturnalicio.] Saturnalium tempore epigrammata Macro scribere solebat Poëta, quæ idcirco vocat tributum. Vide epig. 46. lib. 4. *Mensorum.*] Qui de spatiis itinerum, & ratione viarum scripserunt: libros vero geometricos legebat Macer, quia in sternenda via Appia occupatus erat. *Appia quid.*] Quasi dicat, negligeris, ô Appia.

De Mario paupere patrono. XVIII.

NEc vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
Nec spondet, nec vult credere, sed nec habet.
Turba tamen non deest, sterilem quæ curet amicum.
Heu quam perfatuæ sunt tibi, Roma, togæ!

Marius nec invitat ad cœnam, nec mittit dona, nec spondet, nec vult credere: at nec habet. Nihilominus non deest multitudo quæ colat sterilem amicum. O Roma, quam stolidos habes togatos!

Nec

Net vult credere.] hoc eſt, dare mutuam pecuniam.

Heu quam perfatua.] Alii *ehen quam fatua*, toga ſumitur hic pro togato: togati vero ſunt clientes, quos ſtolidos vocat, quod gratis ſerviant ſuis patronis.

Mittit librum ſuum ad Plinium. XIX.

NEc doctum ſatis, & parum ſeverum,
Sed non ruſticulum nimis libellum,
Facundo mea Plinio Thalia,
I, perfer: brevis eſt labor peractæ
Altum vincere tramitem Suburæ.
Illic Orphea protinus videbis
Udi vertice lubricum theatri,
Miranteiſque feras, avemque regis,
Raptum quæ Phryga pertulit Tonanti.
Illic parva tui domus Pedonis
Cælata eſt aquilæ minore penna.
Sed ne tempore non tuo diſertam
Pulſes ebria januam, videto.
Totos dat tetricæ dies Minervæ,
Dum centum ſtudet auribus virorum
Hoc, quod ſecula, poſterique poſſint
Arpinis quoque comparare chartis:
Seras tutior ibis ad lucernas.
Hæc hora eſt tua, dum furit Lyæus,
Cum regnat roſa, cum madent capilli,
Tunc me vel rigidi legant Catones.

O mea Muſa, vade, perfer eloquenti Plinio librum nec ſatis eruditum, & parum gravem, at non nimis ruſticulum; non grave eſt præterpredi excelſum tramitem Suburæ uperata Statim illic ſpectabis Orpheum madidum in vertice humidi theatri & mirantes feras, atque avem regis, quæ portavit Jovi raptum Phryga. Illic exigua ædes tui Pedonis ſignata ſunt minore penna aquilæ. At cave, ne temulenta intempeſtive pulſes facundas fores. Confert totos dies moroſæ Minervæ, dum parat auribus centum virorum hoc, quod ſecula, & poſteri poſſint etiam conferre ſcriptis Ciceronis; tutior ibis ad ſeras lucernas. Hac hora eſt tua, dum Bacchus furit, cum roſa regnat, cum coma madent unguentis, *tunc me legant vel ſeveri Catones.*

Plinio.] Cujus epiſtolam ultimam lib. 3. lege, in qua facit mentionem hujus epigrammatis his verbis: *Alloquitur Muſam*, Martialis nempe, *mandat ut domum meam in Eſquiliis quærat, adeat reverenter*, &c. De Thalia quæ præeſt convivi is dictum epig. 8. lib. 4.

Brevis eſt labor.] Senſus eſt: Facile proclivem Suburam vinces, quæ non longe diſtat ab ædibus Plinii. *Peracta.*] hoc eſt ſuperatæ Suburæ, epig. 23. lib. 5.

Alta Suburani vincenda eſt ſemita clivi. Raderus explicat: Labor hic ut adeas Plinium facilis eſt, poſteaquam, ô Thalia, es abſoluta & perfecta, atque adeo parata ut exeas. Alii *parata*.

Illic Orphea.] Statuam Orphei intellige collocatam in cacumine theatri, perfuſam nempe odoratis illis aſperſionibus, de quibus epig. 3. lib. Spect.

Mirantes.] lyra canentem Orpheum.

Avemque.] aquilam quæ rapuit Ganymedem.

Pedonis.] Poëtæ, de quo epig. 5. lib. 5. Alium tamen cauſſidicum fuiſſe conſtat ex Juvenalis ſat. 7. quem forte intelligit, ut aiunt interpretes. Malim tamen ad Poëtam referre, cum dicat *tui*, hoc eſt domus Pedonis, qui te colit, in cujus ſcilicet domus faſtigio cælata erat aquila minor quam illa quæ Ganymedem rapuit.

Tempore non tuo.] Tempus legendis ſuis verſibus conveniens definit, epig. 8. lib. 4.

Tetrica Minerva.] hoc eſt, vacat rebus forenſibus, a quibus joci abſunt.

Centum auribus.] de centum virorum judiciis egimus epig. 62. lib. 7.

Arpinis.] Cicero enim fuit Arpinas.

Cum regnat roſa.] Roſis coronati genio indulgebant veteres.

Ad Manium, cujus caussa in patriam rediturum se dicit. XX.

DUCIT ad auriferas quod me Salo Celtiber oras,
  Pendula quod patriæ visere tecta libet,
Tu mihi simplicibus, Mani, dilectus ab annis,
  Et prætextata cultus amicitia,
Tu facis, in terris, quo non est alter Iberis
  Dulcior, & vero dignus amore magis.
Tecum ego vel sicci Gætula mapalia Pœni,
  Et poteram Scythicas hospes amare casas.
Si tibi mens eadem, si nostri mutua cura est,
  In quocumque loco Roma duobus erit.

O Mani, tu mihi carus a teneris annis, & cultus amicitia prætextata, quo non est gratior in terris Iberis, nec dignior vero amore, tu in caussa es, cur Celtiber Salo ducat me ad regiones auriferas, & cur placeat revisere domos pendentes meæ patriæ. Mapalia vel Gætula Pœni aridi, & casæ Scythicæ poterant placere mihi hospiti tecum. Si mecum consentis, & mutuo diligis me, ubique Roma erit ambobus.

Ducit ad auriferas.] hoc est, Tu, ô Mani, in caussa es, cur redire velim in Hispaniam aurifodinis celebrem, epig. 16. supra; & revisere Salonem fluvium, & Bilbilim, cujus urbis domus erant pendulæ, quia sita erat in loco declivi, & præcipiti, epig. 50. lib. 1.

Prætextata.] Prætexta vestis erat, qua potissimum pueri ad annum usque septemdecim utebantur. Hoc est, O Mani, quem a teneris annis colui.

Terris Iberis.] Intellige eam regionem quæ est ad Iberum Hispaniæ fluvium satis notum.

Gætula mapalia.] Gætulia Africæ provincia est. *Pœni sicci.*] Pœni dicti sunt etiam Carthaginenses: hic autem sumuntur pro ipsa Africa sicca & arida. Sensus est: Tecum, ô Mani, vel in Africa, vel in Scythia inhospitali lubens habitarem.

Ad Sextum cujus Scripta erant obscura. XXI.

SCRIBERE te, quæ vix intelligat ipse Modestus,
  Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, juvat?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline libris:
  Judice te, major Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur: sane mea carmina, Sexte,
  Grammaticis placeant, & sine grammaticis.

O Sexte, quid tibi placet componere, quæ vix interpretetur ipse Modestus, & vix Claranus? Tui libri non indigent lectore, sed Apolline: te arbitro, Cinna superavit Virgilium. Sic tua laudentur: mea quidem carmina, ô Sexte, grata sint grammaticis, & sine grammaticis.

Modestus.] Grammaticus nempe, cujus meminit Suetonius de illustribus Grammaticis cap. 20. Clarani vero mentionem facit Seneca epist. 66.

Apolline.] Cujus est explicare res obscuras. Unde Virgilius ecloga 3.

> *Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo:*
> *Tres pateat cœli spatium non amplius ulnas.*

Cinna.] Poëta egregius quidem, sed cujus obscura sane erant poëmata. Virgilius ecloga 9.

> *Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna*
> *Digna.* ——————

Sic tua laudentur.] nimirum propter obscuritatem.

Et sine grammaticis.] hoc est, lector non indigeat interpretibus ad intelligenda mea epigrammata.

In

In Philænem mulierem deformem. XXII.

CUR ſpleniato ſæpe prodeam mento,
Albave pictus ſana labra cerussa,
Philæni quæris? baſiare te nolo.

O Philæni, rogas, cur ſæpe exeam ſpleniato mento aut labris ſanis pictis tamen alba cerussa? Nolo te oſculari.

Spleniato.] Splenia erant emplaſtra, de quibus vide epig. 29. lib. 2. Unde dicitur *ſpleniatus*. De Philæni dictum epig. 33. lib. 2.

Pictus labra.] helleniſmus eſt.

Cerussa.] epig. 73. lib. 1.
Cerussata ſibi placet Lycoris.

Baſiare te nolo.] Quia & calva, & rufa, & luſca erat, epig. 33. lib. 2.

De M. Antonio cui gratulatur de vita feliciter acta. XXIII.

JAM numerat placido felix Antonius ævo
Quindecies actas Primus Olympiadas:
Præteritoſque dies, & totos reſpicit annos:
Nec metuit Lethes jam propioris aquas.
Nulla recordanti lux eſt ingrata, graviſque:
Nulla fuit cujus non meminiſſe velit.
Ampliat ætatis ſpatium ſibi vir bonus: hoc eſt,
Vivere bis, vita poſſe priore frui.

Jam Antonius Primus beatus numerat quindecim Olympiadas actas tranquilla vita, & reſpicit elapſos dies, & totos annos, nec timet undas Lethes jam vicinioris. Nulla lux injucunda eſt, & moleſta recordanti; nulla præteriit, cujus recordatio non ſit grata. Vir probus auget ſibi ſpatium ætatis: hoc eſt vivere bis, poſſe frui priore vita.

Antonius Primus.] de quo epig. 101. lib. 1.

Quindecies actas.] De Olympiadibus dictum epig. 39. lib. 7. & epig. 45. lib. 4. quas pro quinquennio aliquando Poëtæ, hiſtorici vero pro quadriennio ſemper ſumunt.

Nec metuit Lethes.] hoc eſt, nec timet mortem imminentem, epig. 2. ſupra.

Vita poſſe priore.] hoc eſt, voluptatem percipere ex vita probe acta.

Ad Calendas Martias, quibus natus erat. XXIV.

NATALES mihi Martiæ Kalendæ,
Lux formoſior omnibus Kalendis,
Qua mittunt mihi munus & puellæ:
Quinquageſima liba, ſeptimamque
Veſtris addimus hanc focis acerram.
His vos, ſi tamen expedit, roganti
Annos addite bis precor novenos:
Ut nondum nimia piger ſenecta,
Sed vitæ tribus aureis peractis
Lucos Elyſiæ petam puellæ.
Poſt hæc tempora, nec diem rogabo.

O Calendæ Martiæ mihi natales, dies pulchrior omnibus calendis, quo virgines etiam mittunt ad me donum: adjungimus veſtris focis quinquageſima liba, & hanc ſeptimam acerram. Vos (ſi tamen juvat rogantem) adjungite his, quæſo, annos octodecim; ut nondum piger nimia ſenectute, ſed peractis tribus aureis vitæ adeam lucos puellæ Elyſiæ. Poſt hæc tempora, nec petam unum *diem.*

Qua mittunt.] Munera mittebantur ad eum qui natalem diem celebraret. Vide epig. 64. lib. 8.

Quinquageſima liba.] hoc eſt, jam quinquagies

quagies septies sacrificiis celebro natales Calendas: quæ autem hujusmodi sacrificiis adhiberentur explicuit, epig. 92. lib. 9. ubi de placentis seu libis, & thure diximus.

Acerra.] vas est, quo thus crematur.

Vestris focis.] Id est, vestris aris.

Bis precor novenos.] Octodecim annos addite quinquaginta septem, & erunt 75. Alii *ter novenos*, sed minus bene; essent enim anni 84, & sic senectus decrepita contra votum Poëtæ.

Tribus aureis.] hoc est, septuaginta quinque annis peractis: aureus enim Romæ æstimabatur viginti quinque denariis; tres vero aurei efficiunt 75. denarios, numerum scilicet annorum quos optat Poëta. Ita Raderus & Farnabius. At vero Turnebus lib. 30. cap. 3. legit *tribus aevis*. Et tria vitæ spatia intelligit, pueritiam nempe, juventutem, & senectam. Judicet lector.

Elysia puella.] Proserpinæ, id est moriar.

De Mucio urente manum. XXV.

IN matutina nuper spectatus arena
  Mucius, imposuit qui sua membra focis;
Si patiens, fortisque tibi, durusque videtur:
  Abderitanæ pectora plebis habes.
Nam cum dicatur tunica præsente molesta:
  Ure manum: plus est dicere, non facio.

Nuper in arena mane spectatus est Mucius, qui admovit flammis suos artus si existimas illum patientem, & fortem, & durum: habes cor plebis Abderitanæ. Nam cum dicatur præsente tunica molesta, ure manum fortioris est animi *respondere, nolo.*

De Mucio.] Scriverius legit de rei supplicio sub persona Mucii Scevolæ, de quo vide epig. 22. lib. 1. & epig. 30. lib. 8.

In matutina.] Duplex uno die exhibebatur spectaculum, mane cum bestiis pugnabant gladiatores, post meridiem vero ii qui superfuerant inter se dimicabant. Suetonius in Claudio cap. 34. de his fuse Lipsius lib. 2. Saturn. cap. 15.

Abderitana.] hoc est, stolidus es. Abdera urbs Thraciæ, cujus incolæ cœli vitio ad insaniam propensi sunt, illic autem natus Democritus, de quo Juven. sat. 6.

——— *cujus prudentia monstrat,*
Summos posse viros, & magna exempla daturos
Vervecum in patria, crassoque sub aëre nasci.

Tunica præsente.] Pice, resina, cæterisque flammarum alimentis imbuta tunica; quam induere coactus fuisset, si manum comburere jussus noluisset.

De Varo mortuo in Ægypto. XXVI.

VARE, Parætonias Latia modo vite per urbes
  Nobilis, & centum dux memorande viris:
At nunc Ausonio frustra promissa Quirino
  Hospita Lagæi litoris umbra jaces.
Spargere non licuit frigentia fletibus ora,
  Pinguia nec mœstis addere thura rogis:
Sed datur æterno victurum carmine nomen.
  Nunquid & hoc, fallax Nile, negare potes?

O Vare, paulo ante Romana vite insignis per urbes Ægypti, & dux celebrande centum viris: sed nunc umbra jaces hospita Lagæi litoris nequicquam promissa Ausonio Quirino. Non licuit perfundere lacrymis frigidum vultum, nec addere pinguia thura mœstis rogis: sed nomen datur victurum æterno carmine. O Nile fallax, potesne etiam recusare hoc?

Parætonias.] Parætonium & Pelusium duo cornua Ægypti vocat Florus, ut refert Ortelius. Parætonium dicitur hodie secundum aliquos *Porto-Rassa*, secundum alios Berton. Ovidius lib. 9. Met.

Isi, Parætonium, Mareoticaque arva, Pharumque.

Latia vite.] quæ erat insigne Centurionis, qua nempe castigabantur milites, Tacitus lib. 1. Annal. & Lucanus lib. 6.

Et

Et centum.] Ex Livio & Polybio constat sexaginta tantum militibus præfuisse centurionem; sed sane Poëta rationem habet legionis a Romulo institutæ, quæ tribus hominum millibus constabat, & distributa erat in triginta manipulos, quibus præerant triginta centuriones.

Ausonio frustra.] Romulus dictus est Quirinus: vide Livium lib. 1. & sumitur hîc pro populo Romano, ad quem rediturum se promiserat Varus.

Lagæi.] hoc est Ægyptii, a Lago patre Ptolemæi cognomento magni.

Sed datur æterno.] Vide epig. 85. lib. 6. hoc est: saltem licebit versibus non perituris Vari nomen celebrare, nec Ægyptus quæ Varo reditum negavit, poterit hoc mihi negare, Ægyptii vero fallaces habiti sunt, pro quibus sumitur Nilus.

Ad Diodorum ignobilem, sed divitem. XXVII.

NATALI, Diodore, tuo conviva Senatus
Accubat, & rarus non adhibetur eques:
Et tua tricenos largitur sportula nummos:
Nemo tamen natum te, Diodore, putat.

O Diodore, tuo natali Senatores conviva accumbunt, & frequentes equites admoventur, & tua sportula distribuit triginta nummos: O Diodore, nihilominus nemo putat te natum.

Natali] quem conviviis celebrabat.

Et tua tricenos.] Cum alias decem tantum nummi sestertii darentur pro sportula: singuli valebant decem quadrantes, unde sportula erat centum quadrantum, epig. 70. infra. De sportula jam dictum epig. 81. lib. 1.

Nemo tamen.] hoc est, omnes tamen te terræ filium, seu ignobilem, & obscurissimo genere ita natum sciunt, quasi natus non esses, & te natalicüs muneribus indignum existimant.

Ad Janum, ut det pacem. XXVIII.

ANNORUM, nitidique sator pulcherrime mundi,
Publica quem primum vota precesque canunt,
Pervius exiguos habitabas ante Penates,
Plurima qua medium Roma terebat iter.
Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis,
Et fora tot numeras, Jane, quot ora geris.
At tu, sancte pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetua claustra tuere sera.

O Pulcherrime genitor annorum, ac ac orbis mundi, qui primus celebraris publicis votis & precibus, antea vervius habebas domicilium in parvis ædibus, qua frequentes Romani faciebant medium iter. Nunc tua ostia ornantur muneribus Cæsareis, & numeras tot fora, ô Jane, quot habes vultus. Sed tu, sancte parens, pro tanto dono memor custodi ferrea claustra sera perpetua.

Annorum.] epig. 2. lib. 8.
Fastorum genitor, parensque Janus, &c.

Publica quem.] epig. 8. lib. 8.
Te primum pia thura rogent, &c.
Lege Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 9.

Pervius.] Quia ut collegit Raderus ex Servio, Jani templum quatuor portas habebat in foro transitorio, & Jani olim transitiones dictæ sunt, quod passim transeuntibus parerent. Vide Marlianum lib. 4. cap. 8. Cicero lib. 2. de natura Deorum ait: *Cumque in omnibus rebus vim haberent maximam prima & extrema, principem in sacrificando Janum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est ductum: ex quo transitiones perviæ Jani, foresque in liminibus prophanarum ædium Januæ nominantur.*

Nunc tua Cæsareis.] Nempe donis Domitiani & Nervæ: Templum enim inchoavit

choavit Domitianus, quod Nerva absolvit.

Et fora tot.] De frontibus Jani diximus epig. 2. lib. 8. De foris fuse agit Lipsius in Admirandis lib. 3. cap. 7.

Ferrea perpetua.] hoc est, nobis concilia pacem æternam. Jani enim templum tempore belli apertum, pacis tempore clausum fuit.

Ad Sextilianum amatorem. XXIX.

QUAM mihi mittebas Saturni tempore lancem,
Misisti dominæ, Sextiliane, tuæ:
Et quam donabas dictis a Marte kalendis,
De nostra prasina est synthesis empta toga.
Jam constare tibi gratis cœpere puellæ.
Muneribus futuis, Sextiliane, meis,

O Sextiliane, misisti tua dominæ lancem, quam mittebas mihi tempore Saturnalium; & de toga, quam mihi donabas Martiis Calendis emisti viridem synthesim. Jam inchoasti conciliare tibi puellas gratuito. . . .

Saturni tempore.] Epig. 46. lib. 4. & 85. lib. 5.

Dictis a Marte.] Quibus natus erat Martialis epig. 24. supra.

Synthesis empta.] Tuæ puellæ emisti synthesim, vestem nempe cœnatoriam, epig. 46. lib. 2.

Constare tibi gratis.] Quia muneribus quæ ad me mittenda essent, illas tibi concilias. Cicero 7. in Verrem, *Navis tibi constat gratis*, hoc est, navem comparasti gratis.

De litore Formiano. XXX.

O Temperatæ dulce Formiæ litus,
Vos, cum severi fugit oppidum Martis,
Et inquietas fessus exuit curas,
Apollinaris omnibus locis præfert.
Non ille sanctæ dulce Tibur uxoris,
Nec Tusculanos Algidosve secessus,
Præneste nec sic Antiumve miratur.
Non blanda Circe, Dardanisve Caieta
Desiderantur, nec Marica, nec Liris,
Nec in Lucrina lota Salmacis vena.
Hic summa leni stringitur Thetis vento:
Nec languet æquor: viva sed quies ponti
Pictam Phaselon adjuvante fert aura.
Sicut puellæ non amantis æstatem
Multa salubre purpura venit frigus;
Nec seta longo quærit in mari prædam,
Sed a cubiculo, lectuloque jactatam
Spectatus alte lineam trahit piscis.
Si quando Nereus sentit Æoli regnum,
Ridens procellas tuta de sua mensa,
Piscina, rhombum pascit, & lupos vernas.
Natat ad magistrum delicata muræna.
Nomenculator mugilem citat notum;

O Temperatæ Formiæ litus amœnum, Apollinaris vos anteponit omnibus locis, cum fugit urbem rigidi Martis, & defatigatus recreat se a molestis anxietatibus. Ille non sic miratur suave Tibur conjugis pudicæ, nec Tusculanos aut Algidos secessus, nec sic Præneste aut Antium. Nec grata Circe, aut Dardanis Cajeta expetuntur, nec Marica, nec Liris, nec Salmacis lota in unda Lucrina. Hic summum mare permulcetur aura suavi: nec æquor languet: at viva quies Ponti portat pictam Phaselum aura adjuvante. Et salutare frigus venit sicut mota purpura puellæ non amantis calorem. Nec seta quærit prædam longe in mari, at piscis visus in profundo trahit lineam jactatam a cubiculo & lectulo. Si quando Nereus experitur potestatem Æoli, piscina secura de sua mensa irridens tempestates rhombos pascit, & lupos vernas. Delicata muræna natat ad magistrum. Nomenclator vocat mugilem cognitum,

Et

Et adesse jussi prodeunt senes mulli.
Frui sed istis quando Roma permittis?
Quot Formianos imputat dies annus
Negotiosis rebus urbis hærenti?
O vinitores, villicique felices,
Dominis parantur ista, serviunt vobis.

& senes mulli accedant jussi adesse. Sed, ô Roma, quando sinis frui istis? Quot Formianos dies tribuit annus implicato operosis negotiis urbis? O vinitores, & villici beati, ista parantur dominis, serviunt vobis.

Formiæ.] hoc est, quæ estia litus amœnum: Formiæ vero oppidum erat maritimum in finibus Latii versus Campaniam, ubi amœna fuit villa Apollinaris, de quo epig. 87. lib. 4. & epig. 25. lib. 7.

Oppidum Martis.] Romam intellige conditam a Romulo Martis filio.

Non ille sancta.] Intellige villam Tiburtinam uxoria non æque gratam fuisse Apollinari.

Nec Tusculanos.] agros scilicet Latii amœnissimos recenset, de quibus supra.

Non blanda Circe.] Promontorium amœnum, epig. 36. lib. 8.

Dardanisve Cajeta,] quia a Trojanis qui Dardanidæ dicti sunt, condita: hodie *Caeta.* Virgilius 7. Æneid.

Nec Marica.] Quæ Lirim, alii Lyrim, amnem Campaniæ incolebat, & regi Fauno nupsit, eique Latinum peperit. Virgilius 7. Æneid.

Hunc (Latinum) *Fauno & Nympha genitum Laurente Marica*
Accipimus. ——————

Ad illius amnis ripas lucum Maricæ sacrum fuisse testatur, lib. 13. epig. 82.

Nec in Lucrina.] De lacu Lucrino sæpius actum, cujus aquas delicatissimas comparat Salmacis fonti, de quo Ovidius lib. 5. Met. Etenim in Lucrino non lavit Salmacis.

Mota.] hoc est, tam grata est Formiani litoris aura, ac illa quam puellæ excitant mota veste purpurea, vel flabello.

Nec seta.] lineam piscatoriam interpretare.

Spectatus alte.] hoc est in profundo, quia aqua maris illic pellucida.

Si quando Nereus.] Deus maris, Nympharum pater, & pro ipso mari sumitur.

Æolus.] Rex ventorum: hoc est, si mare tempestatibus horrescit.

Ridens procellas.] quia in piscina servantur pisces.

Lupos vernas.] pisces illic natos.

Natat ad.] Vide epig. 30. lib. 4.

Nomenculator.] Is erat servus qui nomina accedentium ad dominum proferret.

Formianos.] Serenos intellige.

Vobis serviunt.] quia vos soli his deliciis fruimini.

In Calliodorum helluonem. XXXI.

ADDIXTI servum nummis here mille ducentis,
Ut bene cœnares, Calliodore, semel:
Nec bene cœnasti mullus tibi quatuor emtus
Librarum cœnæ pompa, caputque fuit.
Exclamare libet, non est hoc, improbe, non est
Piscis: homo est. hominem, Calliodore, voras.

O Calliodore, heri vendidisti servum mille & ducentis nummis, ut laute cœnares semel: nec laute cœnasti, mullus quatuor librarum a te emptus, fuit pompa cœnæ & caput. Exclamare juvat, O improbe, non est hoc, non est piscis, homo est. O Calliodore, exorbes hominem.

Addixti.] Addicere verbum est solenne in judiciis, hoc est adjudicare pluris licitanti: significat etiam simpliciter vendere, ut hic.

Cœnæ pompa.] Cœna dividebatur in tres partes, in antecœnam, ut aiunt interpretes, in cœnæ caput, & secundas mensas: pompa vero & caput cœnæ idem est.

Hominem voras.] hoc est servum quem vendidisti, ut emeres mullum.

De

De imagine M. Antonii Primi *ad Cæcilianum.* XXXII.

HÆc mihi quæ colitur violis pictura, rosisque,
Quos referat vultus, Cæciliane, rogas?
Talis erat Marcus mediis Antonius annis
Primus: in hoc juvenem se videt ore senex.
Ars utinam mores, animumque effingere posset:
Pulchrior in terris nulla tabella foret.

O Cæciliane, quærisne quam faciem exprimat hæc pictura, quam veneror violis & rosis? Talis erat Marcus Antonius Primus florente ætate: senex se videt juvenem in hoc vultu. Utinam ars valeat exprimere mores & mentem! nulla tabella in terris esset formosior.

Talis erat.] De quo diximus epig. 101. lib. 9. & epig. 23. supra, annos ejus computavit.

Ars utinam.] Virtus enim, si pingi posset, vehementissimos sui amores excitaret.

Ad Numatium Gallum, ut sit ejus carminum defensor. XXXIII.

SIMPLICIOR priscis, Numati Galle, Sabinis,
Cecropium superas qui bonitate senem:
Sic tibi cum soceri claros retinere Penates
Perpetua natæ det face casta Venus:
Ut tu, si viridi tinctos ærugine versus
Forte malus livor dixerit esse meos,
Ut facis, a nobis abigas: nec scribere quenquam
Talia contendas carmina, qui legitur.
Hunc servare modum nostri novere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

O Numati Galle, qui candidior antiquis Sabinis vincis probitate senem Atheniensem: sic pudica Venus tibi concedat remanere in ædibus magnificis tui soceri cum perpetuo matrimonio ejus filiæ: Ut tu a me expellas pro tuo more, si forte improba invidia prædicarit quod carmina imbuta viridi ærugine sunt mea: & contendat ejusmodi versus non componi a quoquam qui legitur. Nostri libri sciunt servare hunc modum, ignoscere personis, carpere vitia.

Priscis Sabinis.] Qui morum simplicitate, & animi candore excelluerunt.

Cecropium senem.] Alii Socratem, alii Epicurum intelligunt.

Perpetua natæ.] nempe tuæ uxoris, hoc est, tuum matrimonium non solvatur, at semper vivas cum tua uxore in ædibus tui soceri.

Cum soceri.] Legunt alii *consoceri.* Ita explicat Raderus: Sic tibi det casta Venus perpetua face natæ, consoceri claros Penates retinere: hoc est, Venus tibi connubium natæ tuæ, cum consoceri filio initum, in ædibus generi & soceri æternum firmet, uti concordes gener & nurus, consocerique simul vivatis. Consocer est quorum alter filium alterius filiæ in matrimonium dedit. Judicet lector.

Tinctos ærugine.] quæ rubigo est. sed hic sumitur pro maledicentia, quam atrum venenum dixit epig. 71. lib. 7. Vide etiam epig. 11. lib. 7.

Parcere personis.] a veris scilicet personarum nominibus abstinere se jam dixit epistola libri 1.

Ad

Ad Trajanum, de jure patronorum restituto. XXXIV.

DI tibi dent quicquid, princeps Trajane, mereris:
Et rata perpetuo, quæ tribuêre, velint:
Qui sua restituis spoliato jura patrono:
Libertis exul non erit ille suis.
Dignus es, ut possis totum servare clientem:
Ut liceat tantum vera probare, potes.

O Princeps Trajane, dii tibi concedant quicquid mereris, & velint semper firma esse, quæ concessere: qui reddis spoliato patrono sua jura; illi non eripientur sui liberti. Dignus es ut possis servare totum clientem: & potes, dummodo liceat probare veritatem.

Qui sua.] quæ præcipue consistunt in operis & successione libertorum: Domitianus vero patronos hoc jure spoliaverat.

Libertis exul.] Exul, ut aiunt interpretes, hic sumitur pro proscripto patrono nempe, cui cum jus succedendi in bona liberti esset ereptum, videbatur proscriptus.

Totum clientem.] hoc est, civem Romanum integræ suæ dignitati restituere, quem vocat clientem ipsius Imperatoris.

Ut liceat.] hoc est, potes quidem servare, dummodo possit probare se esse patronum. Legunt alii,

Ut liceat tantum: vera probare potes.

hoc est: Modo detur occasio, potes probare esse quæ dixi.

De Sulpicia, cujus versus de amore conjugum laudat. XXXV.

OMNES Sulpiciam legant puellæ,
Uni quæ cupiunt viro placere.
Omnes Sulpiciam legant mariti,
Uni qui cupiunt placere nuptæ.
Non hæc Colchidos asserit furorem,
Diri prandia nec refert Thyestæ,
Scyllam, Byblida nec fuisse credit:
Sed castos docet & pios amores,
Lusus, delicias, facetiasque.
Cujus carmina qui bene æstimarit,
Nullam dixerit esse sanctiorem.
Tales Ægeriæ jocos fuisse
Udo crediderim Numæ sub antro.
Hac condiscipula vel hac magistra
Esses doctior, & pudica Sappho.
Sed tecum pariter, simulque visam
Durus Sulpiciam Phaon amaret.
Frustra: namque ea nec Tonantis uxor,
Nec Bacchi, nec Apollinis puella
Erepto sibi viveret Caleno.

Omnes virgines legant Sulpiciam, quæ volunt placere uni marito: omnes mariti legant Sulpiciam, qui volunt placere uni uxori. Hæc non agit de furore Medeæ, nec narrat prandia crudelis Thyestæ, nec putat extitisse Scyllam, nec Byblida: at docet puros & pios amores, jocos, delicias, & festivitates. De cujus versibus qui recte judicaverit, nullam dixerit esse castiorem. Existimaverim ejusmodi fuisse ludos Ægeriæ sub humida spelunca Numæ. Hac condiscipula, aut hac magistra, ô Sappho, esses doctior & casta. Sed durus Phaon diligeret Sulpiciam tecum pariter & simul spectatam. Inutiliter: etenim illa nec uxor Jovis facta, nec Bacchi, nec puella Apollinis viveret privata Caleno suo marito.

Non hæc Colchidos.] Medeæ amores & scelera intelligit, quæ vera esse sane negabat Sulpicia. Vide epig. 54. lib. 5. ubi & de prandio Thyestæ egimus: vide etiam epig.

epig. 4. supra, ubi & de Scylla dictum.

Byblida.] quæ fratria sui Cauni amore arsit, & tandem in fontem conversa fuit. Sulpicia vero non credit extitisse talia monstra, quia ipsa pudica est.

Cujus carmina.] Post hunc versum alii addunt istum,

Nullam dixerit esse nequiorem.

Etenim lusus & delicias conjugum scripserat Sulpicia; ex quibus nequior haberi poterat; at consideratis ejus moribus, castissima judicari debuit.

Ægeria.] quæ fuit Numæ conjux, de qua epig. 47. lib. 6. a qua divinitus doceri se in antro Aricino fingebat Numa. Ovidius 3. Fastorum:

Ægeria est quæ præter aquas, dea grata Camenis
Illa Numæ conjux consiliumque fuit.

Sappho.] Poëtria celebris de qua epig. 68. lib. 7. quæ Phaonem perdite amavit, a quo fuit contempta; at, inquit Poëta, Sulpiciam arsisset, nec ægre tulisset Sappho.

Nec Bacchi.] Ariadne nempe: Daphne vero ab Apolline adamata. Horum omnium nota historia.

Caleno.] de quo epig. 38. infra.

In Munnam, de pessimo vino Massiliensi. XXXVI.

IMPROBA Massiliæ quicquid fumaria cogunt,
Accipit ætatem quisquis ab igne cadus,
A te, Munna, venit: miseris tu mittis amicis
Per freta, per longas toxica sæva vias.
Nec facili pretio, sed quo contenta Falerni
Testa sit, aut cellis Setia cara suis.
Non venias quare tam longo tempore Romam,
Hæc puto caussa tibi est, ne tua vina bibas.

O Munna, a te mittitur quicquid coacervant improba fumaria Massiliæ, & quisquis cadus maturescit impositus igni: tu mittis infelicibus amicis sæva venena per maria, & longa itinera. Nec parvo pretio, sed quo ematur testa Falerni, aut Setia cara suis cellis. Hanc, opinor, habes caussam, cur tam longo tempore non venias Romam, ne potes tua vina.

Improba Massiliæ.] Fumaria loca erant ubi fumo vina coquebantur. *Improba* dixit, quia corrumpebant vinum. Vide epig. 81. lib. 3.

Vel cocta fumis musta Massiliianis.

Toxica sæva.] hoc est vina pessima, epig. 19. lib. 1.

Setia cara.] hoc est vina Setina generosa, de quibus sæpius dictum.

Ne tua vina.] hoc est, Ne vina tam aspera ad nos missa nobiscum bibere tu quoque cogaris.

Ad Maternum jureconsultum & municipem suum. XXXVII.

JURIS & æquarum cultor sanctissime legum,
Veridico Latium qui regis ore forum,
Municipi, Materne, tuo veterique sodali
Callaicum mandas si quid ad Oceanum.
An Laurentino turpes in litore ranas,
Et satius tenues ducere credis acos?
Ad sua captivum quam saxa remittere mullum,

O Materne integerrime cultor juris, & legum instarum, qui regis Latium forum ore veridico, si quid mandas tuo municipi, atque antiquo sodali ad Oceanum Callaïcum; an putas præstare piscari ranas turpes in litore Laurentino, & tenues acos? quam remittere ad sua saxa mullum captum,

Visum

Visus erit libris qui minor esse tribus?
Et fatuam summa cœnare Pelorida mensa,
Quosque tegit levi cortice concha brevis?
Ostrea Baïanis quam non liventia testis,
Quæ domino pueri non prohibente vorent?
Hic olidam clamosus ages in retia vulpem,
Mordebitque tuos sordida præda canes.
Illic piscoso modo vix educta profundo
Impedient lepores humida lina meos.
Dum loquor, ecce redit sporta piscator inani,
Venator capta marte superbus adest.
Omnis ab urbano venit ad mare cœna macello,
Callaicum mandas si quid ad Oceanum.

qui visus fuerit minor tribus libris? & summa mensa comedere insulsam Pelorida, & quos tegit concha brevis levi cortice? quam ostrea non invidentia Baianis testis, quæ exorbeant servi hero non vetante? Hic clamosus ages in retia vulpem male olentem, & fœtida præda mordebit tuos canes. Illic humida lina modo vix extracta ex profundo piscoso irretient lepores meos. Dum loquor, en piscator revertitur vacua sporta: venator accedit superbus capta marte. Omnis cœna affertur ab urbano macello ad mare: si quid mandas ad Oceanum Callaicum, sum profecturus.

Materne.] Cujus meminit epig. 74. lib. 2. & epig. 97. lib. 1.

Latium.] hoc est, qui Romæ de jure respondes.

Callaicum.] hoc est Hispanum. Vide epig. 16. supra. Hic oratio deficit, nec addit Poëta quod rediturus esset in suam, & Materni patriam.

An Laurentino.] quod distat ab urbe Roma decem & septem millibus passuum. Plinius junior epist. 17. lib. 2. *Acos.*] vilissimos pisces intellige.

Summa mensa.] hoc est lautissima, inquit Domitius, cui assentit Farnabius. An ultimam intelligit Poëta, an locum forte excelsum in mensa, ubi ponerentur pisces?

Pelorida.] vilissimum quoque piscem, epig. 11. lib. 6.

Quosque tegit.] Inclusos conchis mitulos pisciculos intelligunt interpretes. Horatius sat. 4. lib. 2.

Mitulus, & viles pellent obstantia concha.

Ostrea Baianis.] hoc est, quæ non cedunt ostreis natis in lacu Lucrino prope Baias, quæ sunt optimi saporis.

Quæ domino.] In Hispaniæ litoribus ostreorum optimorum magna est copia.

Hic olidam,] Dum enim a canibus urgetur vulpes, lotium emittit pessime olens, epig. 4. lib. 4.

Quod vulpis fuga, &c.

Lepores meos.] quia sunt in meis agris.

Sporta.] est canistrum vimineum.

Capta marte.] Gallice *marte*, animal satis notum. Legunt alii *capta mele*, Gallice *blaireau, chat sauvage, fouine.*

Superbus.] quasi præda optima onustus.

Omnis ab.] In Italia piscis ex urbe ad villas etiam maritimas feruntur.

Ad Calenum, de annis felicibus, quibus vixit cum Sulpicia sua uxore. XXXVIII.

O Molles tibi quindecim, Calene,
Quos cum Sulpicia tua jugales
Indulsit Deus, & peregit annos!
O nox omnis, & hora, quæ notata est
Caris litoris Indici lapillis!
O quæ prælia, quas utrinque pugnas
Felix lecticulus, & lucerna vidit,
Nimbis ebria Nicerotianis!

Calene, ô dulces quindecim annos quos tibi concessit & perfecit Deus cum tua Sulpicia! ô nox omnis, & hora quæ signata est pretiosis lapillis litoris Indici!

. . . .

Vixisti

Vixisti tribus, ô Calene, lustris:
Ætas hæc tibi tota computatur,
Et solos numeras dies mariti.
Ex illis tibi si diu rogatam
Lucem redderet Atropos, vel unam,
Malles, quam Pyliam quater senectam.

O Calene, vixisti tribus lustris: tu computas totam hanc ætatem, & numeras solos dies mariti. Ex illis si Atropos tibi restitueret vel unam lucem diu petitam, malles quam Pyliam quater senectam.

O molles.] Vide epig. 35. supra.
Caris litoris.] hoc est gemmis in mari Indico natis. Vide epig. 45. lib. 8.
Nimbis ebria.] hoc est, madens aspersionibus odoratis quas confecerat Niceros unguentarius, epig. 55. lib. 6.
Tribus lustris.] hoc est quindecim annis.
Ætas hæc tota.] Tu existimas hos quindecim annos implevisse totam tuam ætatem.
Malles.] Vel unum ex illis diebus tibi redditum præferres longævæ ætati Nestoris, de quo epig. 30. lib. 9.

In Lesbiam vetulam. XXXIX.

Consule te Bruto quid juras, Lesbia, natam?
Mentiris, nata es, Lesbia, rege Numa.
Sic quoque mentiris: namque ut tua secula narrant,
Ficta Prometheo diceris esse luto.

O Lesbia, quid juras te natam consule Bruto? Mentiris. ô Lesbia, nata es rege Numa. Sic etiam mentiris: etenim ut computantur tui anni, diceris esse ficta ex luto Promethei.

Numa.] qui fuit secundus Romanorum rex: hoc est, antiquior es omnibus consulibus.
Ficta.] hoc est, tam annosa & turpis es, ut videaris ficta fuisse ex luto Promethei, de quo epig. 46. lib. 9. Huic simile est epig. 67. infra, & epig. 101. lib. 1.

XL.

In Proculeiam quæ avaritiæ caussa a marito discessit. XLI.

Mense novo Jani veterem, Proculeia, maritum
Deseris, atque jubes res sibi habere suas.
Quid rogo, quid factum est? subiti quæ causa doloris?
Nil mihi respondes? dicam ego, Prætor erat.
Constatura fuit Megalensis purpura centum
Millibus, ut nimium munera parca dares:
Et populare sacrum bis millia dena tulisset.
Dissidium non est hoc, Proculeia: lucrum est.

O Proculeia, novo mense Januario discedis ab antiquo viro, & jubes habere sibi res suas. Quid, quæso, quid contigit? Quæ caussa repentini doloris? Nullumne mihi das responsum? Ego dicam, Prætor erat. Purpura Megalensis fuit constatura decem millibus, quantumvis parcos exhiberes ludos: & viginti millia insumpta fuissent in populari sacro. O Proculeia, hoc non est divortium; quæstus est.

Res

Res sibi.] In repudiis comprobata sunt hæc verba, *Tuas res tibi habeto*: item hæc, *Tuas res tibi agito*, Lege 2. ff. *de divortiis & repudiis.*

Prætor erat.] Atque ita ornatus purpura ludos Megalenses in honorem Cybeles suis impensis exhibere debuit: cum autem pauper esset, pecuniam illi suppeditare coacta fuisset Proculeia: Megalenses vero ludi sic dicti sunt a templo Megalesio Pesinunte in urbe Phrygiæ, unde Romam advecta fuit dea: de quibus fuse agit Ovidius lib. 4. Fastorum. Lege Rosinum lib. 5. Antiquitatum Romanarum cap. 12. Alexander ab Alexandro Genialium dierum lib. 6. cap. 19. ait: Prætores & Magistratus purpurati in toga & prætexta, atque in ornatu maximo celebrarunt, nempe ludos Megalenses: quare purpura Megalensis in vulgi proverbium venit.

Et populare sacrum.] Florales ludos intelligit Merula, in quibus missio fiebat in populum ab iis qui gratiam plebis quærerent. Persius sat. 5.

——vigila & cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes.

Subjungit Merula Floralia edita fuisse Ædilibus arbitriis. *Popularia sacra, ut ait Labeo, quæ omnes cives faciunt, nec certis familiis attributa sunt.* Festus. Ergo, addit Raderus, populare sacrum est generatim dictum.

Ad Dindymum puerum mollem. XLII.

TAM dubia est lanugo tibi, tam mollis, ut illam
Halitus, & soles, & levis aura terat.
Celantur simili ventura Cydonia lana,
Pollice virgineo quæ spoliata nitent.
Fortius impressi quoties tibi basia quinque,
Barbatus labris, Dindyme, fio tuis.

Habes lanuginem tam dubiam, tam teneram, ut halitu, & solibus, & levi aura teratur. Ventura Cydonia teguntur simili lana, quæ refulgent nudata manu puellæ.
. . . . .

Tam dubia.] De hoc Dindymo vide epig. 42. & 84. lib. 5.

Ad Philerotem de septem uxoribus ejus mortuis. XLIII.

SEPTIMA jam, Phileros, tibi conditur uxor in agro,
Plus nulli, Phileros, quam tibi reddit ager.

O Phileros, jam septem uxores a te humatæ sunt in agro. O Phileros, ager nemini reddit plus quam tibi.

Septima.] A te nempe veneno sublata, ut intelligere videtur Poëta. Vide epig. 16. lib. 9.

Reddit ager.] Dotes nempe mortuarum uxorum. De agris ad sepulcrorum usum consecratis dictum epig. 115. & 117. lib. 1.

Ad Q. Ovidium iturum in Britanniam. XLIV.

QUINCTE Caledonios Ovidi visure Britannos,
Et viridem Tethyn, Oceanumque patrem;
Ergo Numæ colles, & Nomentana relinques

O Quincte Ovidi aditure Caledonios Britannos, & viridem Tethyn, atque Oceanum patrem: igitur deseres colles Numæ, & Nomentanam quæ

 vite?

Otia? nec retinet ruſque focuſque ſenem?
Gaudia tu differs: at non & ſtamina differt
Atropos, atque omnis ſcribitur hora tibi.
Præſtiteris caro (quis non hoc laudet?) amico,
Ut potior vita ſit tibi ſancta fides.
Sed reddare tuis tandem manſure Sabinis:
Teque tuas numeres inter amicitias.

tem? Nec rus & focus retineat te ſenem: Interponis moram lætitiæ; ſed Atropos nullam interponit ſtaminibus, atque omnis hora notatur tibi. Probaveris caro amico, (quis non commendet hoc?) te vita præferre ſanctam fidem. At tandem manſure reſtituaris tuis Sabinis: & te ipſum exiſtimes inter tuos amicos.

Quinte.] Cujus mentio facta eſt epig. 43. lib. 7. qui Cæſonium a Nerone damnatum in exilium comitatus vitæ antepoſuit amicitiam.
Caledonios Britannos.] hodie Scotos. Vide epig. 7. lib. Spect.
Et viridem Tethyn.] quæ ſumitur pro ipſo mari; illius maritum Oceanum fluviorum fontiumque patrem fingunt Poëtæ.
Numa colles.] Romam intelligunt alii: Sabinorum vero regionem montanam alii, unde oriundus Numa. De Nomentano prædio dictum epig. 92. lib. 7. & 106. lib. 1.
Gaudia.] Sed, ut dixit Poëta lib. 1. epig. 16.
Gaudia non remeant, ſed fugitiva volant.
Vide epig. 54. lib. 4.
Nil adicit penſo Lacheſis, &c.
Teque tuas.] Te enim ipſum amare debes, ut virum probum decet: hoc eſt, tibi ipſi tandem ſis amicus.

In delicatum lectorem. XLV.

Si quid lene mei dicunt & dulce libelli:
Si quid honorificum pagina blanda ſonat:
Hoc tu pingue putas, & coſtam rodere mavis,
Ilia Laurentis cum tibi demus apri.
Vaticana bibas, ſi delectaris aceto:
Non facit ad ſtomachum noſtra lagena tuum.

Si quid blandum & ſuave eſt in meis libris; ſi tenera pagina refert quid honorificum; tu hoc exiſtimas rude; & cum tibi apponamus ilia Laurentis apri, mavis rodere coſtam. Potes Vaticana, ſi acetum placet tibi: noſtra lagena non convenit tuo ſtomacho.

Si quid lene.] amatorium puta, aut nuptiale.
Si quid honorificum.] ſi quid ad laudes ſpectat.
Coſtam rodere.] Metaphora eſt, cujus eſt hic ſenſus: Carmen maledicum tibi potius placeret, quam tenerum & blandum.
Vaticana.] vina ſcilicet acerbi ſaporis, epig. 19. lib. 1.
Noſtra lagena.] hoc eſt, noſtri verſus tibi non conveniunt.

In Mathonem cauſſidicum ineptum. XLVI.

OMNIA vis belle, Matho, dicere: dic aliquando
Et bene: dic neutrum: dic aliquando male.

O Matho, vis dicere omnia belle: dic aliquando & apte: dic neutrum: dic aliquando male.

Matho.] De quo epig. 80. lib. 4. qui omnia eleganter dicere volebat.
Et bene.] hoc eſt ad rem propoſitam.
Aliquando male.] hoc eſt, neglige interdum rhetoricæ præcepta, & quandam veritatem expone: vel, ut ait Farnabius, interdum vel potentiſſimo vitia exprobra, nec ſemper dicas omnia ad aſſentationem divitum.

Ad

Ad Julium Martialem de iis quæ neceſſaria ſunt ad vitam beatam. XLVII.

VITAM quæ faciunt beatiorem,
Jucundiſſime Martialis, hæc ſunt:
Res non parta labore, ſed relicta:
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, ſalubre corpus,
Prudens ſimplicitas, pares amici,
Convictus facilis, ſine arte menſa:
Nox non ebria, ſed ſoluta curis:
Non triſtis torus, attamen pudicus:
Somnus, qui faciat breves tenebras:
Quod ſis, eſſe velis, nihilque malis:
Summum nec metuas diem, nec optes.

O Cariſſime Martialis, hæc ſunt quæ efficiunt vitam feliciorem; res non acquiſita labore, ſed relicta: ager non ſterilis; focus perpetuus, lis nunquam, rara toga, tranquillus animus, vires modicæ, corpus ſanum, prudens ſimplicitas, pares amici, facilis convictus, menſa ſine arte: nox non temulenta, ſed libera anxietatibus: uxor non mœſta, attamen caſta: ſomnus qui faciat brevem noctem, quod ſis, eſſe velis, & nihil malis: nec timeas ultimum diem, nec optes.

Ad Julium Martialem.] de quo egimus epig. 64. lib. 4. & epig. 1. lib. 6. In veteri codice inſcribitur *ad ſeipſum.*

Sed relicta.] teſtamento nempe, aut alio modo.

Focus perennis.] Metonymia eſt, & focum pro victu poſuit, inquit Raderus.

Toga rara.] hoc eſt, rara officia urbana: clientes enim togati comitabantur ſuos patronos.

Vires ingenuæ.] hoc eſt modicæ; nam qui viribus freti ſunt, cum aliis ſæpe rixantur.

Pares amici.] Impares enim genere & fortuna raro mutua ſe complectuntur amicitia.

Quod ſis eſſe velis.] contentus ſis tua ſorte.

Parat convivium. XLVIII.

NUNCIAT octavam Phariæ ſua turba juvencæ,
Atque pilata redit, jamque ſubitque cohors,
Temperat hæc thermas, nimios prior hora vapores
Halat, & immodico ſexta Nerone calet.
Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, venitis.
Septem ſigma capit, ſex ſumus, adde Lupum.
Exoneraturas ventrem mihi villica malvas
Attulit, & varias, quas habet hortus, opes:
In quibus eſt lactuca ſedens, & ſectile porrum:
Nec deeſt ructatrix mentha nec herba ſalax.

Sua turba nunciat Phariæ juvencæ octavam, & cohors depilata revertitur, & jam adeſt. Hæc temperat thermas, hora præcedens emittit nimios vapores, & ſexta calet immodico Nerone. O Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, adeſtis: Sigma capit ſeptem, ſex ſumus, adjunge Lupum. Villica mihi attulit malvas ſoluturas ventrem, & varias opes quas habet hortus: inter quas eſt lactuca ſedens, & ſectile porrum: nec ructatrix mentha deeſt, nec herba ſalax.

Secta coronabunt rutatos ova lacertos,
Et madidum thynni de sale sumen erit.
Parvus in his una ponetur cœnula mensa
Hœdus, inhumani raptus ab ore lupi.
Et quæ non egeant ferro structoris ofellæ,
Et faba fabrorum, prototomique rudes.
Pullus ad hæc, cœnisque tribus jam perna superstes
Addetur: saturis mitia poma dabo.
De Nomentana vinum sine fæce lagena,
Quæ bis Frontino consule prima fuit.
Accedent sine felle joci, nec mane timenda
Libertas, & nil quod tacuisse velis.
De Prasino conviva meus, Venetoque loquatur:
Nec facient quemquam pocula nostra reum.

Secta ova coronabunt lacertos rutatos, atque sumen erit perfusum sale thynni. Inter hæc parvus hœdus raptus ab ore crudelis lupi cœnula apponetur pro *una mensa. Atque ofellæ quæ non egeant cultro structoris, & faba fabrorum, & rudes prototomi. Pullus adjungetur his, & petaso superstes tribus cœnis: apponam saturis mitia poma.* Dabo *vinum sine fæce de Nomentana lagena, quæ prima fuit* condita *Frontino iterum consule. Cavillationes permittentur sine felle, & libertas non metuenda mane, & nihil quod velis siluisse. Conviva meus loquatur de Prasino, & Veneto: nec pocula nostra constituent quemquam reum.*

Nunciat octavam.] De horis dictum lib. 4. epig. 8.

Phariæ juvencæ.] Isidi, quæ Romæ colebatur sacris ex Ægypto petitis. De illa dictum epig. 14. lib. 2.

Assidet & cathedris mœsta juvenca tuis.

Mœsta nempe propter amissum Osirim maritum, quem diu quæsivit: hanc vero indagationem quotidie repræsentabant ejus sacerdotes, & absolvebant hora a meridie secunda.

Atque pilata redit.] Ab indagatione scilicet redeunt calvi & depilati, epig. 56. lib. 6. utitur hoc verbo:

Extirpa mihi crede pilos de corpore toto,
Teque pilare tuas testificare nates.

Calvos autem fuisse Isidis sacerdotes testatur Poëta lib. 12. epig. 29.

Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba.

Legunt alii, *& pilata redit*, a pilo ferro nempe quo brachia atque humeros vulnerabant illi sacerdotes. Gronovius interpretatur cohortem prætorianorum militum pilis armatorum, quæ ad palatium illo die excubias egerat. Illa igitur pilata cohors *jamque redit*, nempe in castra prætoriana, *& subit* nempe altera illius vices excipiens.

Jamque subitque.] hoc est, Jam ingreditur templum deæ Isidis in campo Martio. Videtur unum *que* redundare: quare dubitat Raderus num scribendum sit, *stat que subitque cohors.* Nam reversi illi sacerdotes stantes deam adorabant, epig. 29. lib. 12.

Inter adorantes cum stetit Hermogenes.

Videat lector.

Temperat hæc.] scilicet hora octava, qua lavabant antiqui.

Prior hora.] septima nimirum.

Et immodico.] hoc est, immodice æstuantibus thermis Neronianis.

Stella, Nepos.] amici & convivæ Martialis.

Sigma capit.] Lectus erat mensæ accommodatus instar sigma literæ Græcæ, epig. 87. lib. 14.

Malvas.] quas molles dixit epig. 88. lib. 3. De lactucis & porris dictum epig. 47. lib. 3.

Ructatrix mentha.] quia ructum movet.

Herba salax.] Erucam intelligunt interpretes, quæ libidinem excitat.

Rutatos.] hoc est ruta herba conditos lacertos, epig. 77. lib. 7.

Dum saucetani ponatur cauda lacerti.

Et madidum.] hoc est, ut ait Farnabius: Papillæ suis primiparæ sumen salso thynni liquore imbutum, epig. 56. lib. 13.

Una cœnula mensa.] hoc est, hœdus apponetur, qui totus una mensa comedetur.

Parvus in his.] Alii *parvus onyx.* Male. Scriverius legit, *Gustus in his.* Et sic explicat: Priora illa in promulside & gustu: sequitur caput cœnæ, hœdus, ofellæ, &c.

Ofellæ.] Carnes sunt conditæ, concisæ, atque instar globi accumulatæ: sic non opus est ut illas scindat is qui ordinat & componit fercula.

Et faba fabrorum.] quibusdam herbis condita faba dicebatur fabrilis.

Prototomi.] hoc est, primi caules qui succiduntur. Vide epig. 101. lib. 14.

Perna

Parna superstes.] quæ nempe jam tribus cœnis inservit.
Satoris.] hoc est, secundis mensis apponam poma.
De Nomentana.] Vini Nomentani mentionem fecit epig. 106. l b. 1.
Prima fuit.] id est vinum reconditum secundo consulatu Frontini. Legunt alii, *plena fuit.*
Nec mane timenda.] Nullus nempe jocos nostros deferet ad Cæsarem.
De Prasino.] De aurigarum factionibus dictum epig. 46. lib. 6. periculosum vero fuit iis non favere, quibus favebant Cæsares.

In Cottam convivatorem sordidum. XLIX.

CUM potes amethystinos trientes,
Et nigro madeas Opimiano,
Propinas modo conditum Sabinum:
Et dicis mihi: Cotta, vis in auro?
Quisquis plumbea vina vult in auro?

Cum bibas trientes amethystinos, atque ebrius sis nigro Opimiano, propinas Sabinum modo reconditum: & dicis mihi, O Cotta, vis in auro? quisquam ne vult vina plumbea in auro?

Amethystinos.] hoc est scyphos amethystis ornatos; vel forte respicit ad colorem vini. De vino Opimiano dictum epig. 27. lib. 1. Sabinum vero vinum recens pessimum erat.
Plumbea vina.] vilissima intellige.

De Scorpo auriga nobilissimo cujus mortem deflet. L.

FRANGAT Idumæas tristis victoria palmas:
Plange, favor, sæva pectora nuda manu.
Mutet honor cultus, & iniquis munera flammis
Mitte coronatas, gloria mœsta, comas.
Heu facinus, prima fraudatus, Scorpe, juventa
Occidis? & nigros tam cito jungis equos.
Curribus illa tuis semper properata, brevisque
Cur fuit, & vitæ tam prope meta tuæ?

Victoria mœsta frangat palmas Idumæas: O favor, percute nuda pectora manu sæva. Honor mutet ornamenta, & tu, ô gloria mœsta injice coronatas comas dona iniquis flammis. Heu nefas, ô Scorpe, peris privatus prima juventute, & tam velociter jungis equos atros. Cur tam prope fuit illa meta tuæ vitæ semper properata & brevis tuis curribus?

Frangat Idumæas.] Idumæa regio est ab occidua parte Jordanis abundans palmis, quæ sunt insignia victoriæ: quam Poeta hortatur, simul & favorem, & honorem, & gloriam, numina semper Scorpo propitia, ut ejus mortem defleant.
Mutet honor.] In luctu enim, ut hodie, vestem mutare solebant veteres.
Mitte coronatas.] Suetonius cap. 84. in Julio recenset ea quæ in mortui rogum injicerentur.
Et nigros.] hoc est Plutonis equos: veteres quippe existimabant eodem munere mortuos fungi apud manes, quod obiissent viventes.
Et vitæ tam prope.] In circo currus ducens ut victoriæ sæpissime, cur & vitæ metam attingere properasti?

Ad Faustinum, verni temporis descriptio. LI.

SIDERA jam Tyrius Phryxei respicit agni
  Taurus, & alternum Castora fugit hiems.
Ridet ager, vestitur humus, vestitur & arbos:
  Ismarium pellex Attica plorat Ityn.
Quos, Faustine, dies, qualem tibi Roma Ravennam
  Abstulit! ô soles, ô tunicata quies!
O nemus, ô fontes, solidumque madentis arenæ
  Litus, & æquoreis splendidus Anxur aquis,
Et non unius spectator lectulus undæ,
  Qui videt hinc puppes fluminis, inde maris!
Sed nec Marcelli, Pompeianumque, nec illic
  Sunt triplices thermæ, nec fora juncta quater:
Nec Capitolini summum penetrale Tonantis,
  Quæque nitent cœlo proxima templa suo.
Dicere te lassum quoties ego credo Quirino,
  Quæ tua sunt tibi habe: quæ mea, redde mihi.

Jam Taurus Tyrius respicit sidera agni Phryxei, & hiems fugit alternum Castora. Ridet ager, terra virescit, & arbor virescit: pellex Attica deflet Ityn Ismarium: O Faustine, quibus diebus, quali Ravenna privat te Roma! O soles, ô tunicata otia! ô nemus, ô fontes, ô sol dum litus madida arena, & splendidus Anxur æquoreis undis, & lectulus spectator non unius aquæ, qui prospicit hinc puppes fluvii, illinc maris! at nec theatrum *Marcelli, nec Pompeii, nec illic sunt triplices thermæ, nec quatuor fora, nec excelsa ædes Jovis Capitolini, & templa quæ refulgent vicina suo cœlo, quoties, arbitror, te defatigatum dicere Quirino, Tibi serva quæ tua sunt; restitue mihi quæ mea sunt.*

Sidera jam Tyrius.] Taurus vector Europes Tyriæ, epig. 14. lib. 2. præest mensi Aprili: respicit vero arietem mensi Martio præfectum, qui vexit Hellen, & Phryxum, epig. 73. lib. 9.

> *Quid meruit terror Nemees, quid portitor Helles*
> *Ut niteant celsi lucida signa poli.*

Et alternum Castora.] Geminos intellige qui Maio tribuuntur. Vide epig. 39. lib. 5. ubi de Castore & Polluce alternatim viventibus.

Ismarium pellex Attica.] hoc est, Philomela regis Atheniensium filia deflet Ityn Ismarium, id est Thracium, quem interfecit Progne Terei uxor, epig. 68. lib. 5. Dicitur *pellex*, quod illam Tereus Thraciæ rex stuprasset. Ovidius 6. Met.

Qualem tibi.] Veris amœnitate Ravennæ frui posses, nisi Romæ esses impeditus.

O tunicata quies.] In villa quippe tunica utebantur Romani, in urbe toga, quod patronos colerent togati: epig. 47. supra:

> *Lis nunquam, toga rara, mens quieta.*

Madentis arenæ.] maris nempe fluctibus.

Anxur.] Vide lib. 5. epig. 1.

> *Sive salutiferis candidus Anxur aquis.*

Et non unius.] Sensus est: Ex ipso lectulo vel cubiculari, vel tricliniari licet prospicere hinc mare, illinc flumen.

Sed nec Marcelli.] Theatrum ab Augusto excitatum Marcelli Octaviæ suæ sororis filii gratia. Lege Marlianum lib. 6. cap. 2. De theatro Pompeii jam dictum epig. 9. lib. 6.

Sunt triplices thermæ.] hoc est thermæ Agrippinæ, Neronianæ, & Titianæ. Alii intelligunt tres cellas in thermis, frigidariam nempe, tepidariam, & caldariam, de quibus Plinius epist. 6. lib. 5.

Nec fora juncta.] De quatuor foris fuse agit Lipsius in Admirandis lib. 3. cap. 7.

Quæque

Quaque nitent.] hoc est templa Flaviæ gentis, epig. 2. & 4. lib. 9. *Quirino.*] Conditorem urbis pro ipsa urbe ponit: hoc est, O Roma, serva tibi tuos honores, & permitte ut fruar meis villis.

De spadone effœminato. LII.

THELIN viderat in toga spadonem,
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

Numa spectaverat Thelin spadonem in toga, dixit esse adulteram damnatam.

Damnatam.] Matronæ enim adulterii damnatæ non prodibant in publicum nisi togatæ, epig. 39. lib. 2. ut dignoscerentur a stolatis.

Epitaphium Scorpi aurigæ nobilissimi. LIII.

ILLE ego sum Scorpus, clamosi gloria circi,
Plausus Roma tui, deliciæque breves,
Invida quem Lachesis raptum trieteride nona,
Dum numerat palmas, credidit esse senem.

O Roma, ego sum ille Scorpus, decus clamosi circi, plausus tuus, & deliciæ breves, quem raptum, nona trieteride invida Lachesis putavit esse vetulum, dum numerat victorias.

Ille ego.] Vide epig. 50. supra. *Trieteride nona.*] hoc est natum viginti & septem annis: trieteris enim triennium est, epig. 38. lib. 6. *Dum numerat palmas*] quas in circo plurimas reportavit Scorpus.

In Olum convivatorem ineptum. LIV.

MENSAS, Ole, bonas ponis: sed ponis opertas.
Ridiculum est: possum sic ego habere bonas.

Ole, apponis bonos cibos; at apponis tectos. Ineptum est, hoc modo possum ego habere lautos.

Mensas.] Olus laudabat cibos quos apponebat, sed ita tectos ut a convivis sumi nequirent, unde festive illum irridet Poëta: sic enim posse se lautum esse jocatur.

LV.

In Gallum de patronorum avaritia. LVI.

TOTIS, Galle, jubes tibi me servire diebus,
Et per Aventinum ter quater ire tuum.
Eximit, aut reficit dentem Cassellius ægrum,
Infestos oculis uris, Higine, pilos.
Non secat, & tollit stillantem Fannius uvam:

O Galle, imperas me tibi famulari totis diebus, atque ire ter & quater per tuum Aventinum. Cassellius evellit, aut curat dentem ægrum. O Higine, uris pilos noxios oculis. Fannius non scindit, & tamen aufert uvam stillantem:

Tristia

Tristia servorum stigmata delet Heros.
Enterocelarum fertur Podalirius Hermes.
Qui sanet ruptos, dic mihi, Galle, quis est?

Heros delet tristia stigmata servorum. Hermes dicitur Podalirius herniarum. O Galle, dic mihi, quis curet ruptos?

Et per Aventinum.] montem nempe in quo habitabat Gallus.

Cassellius.] Chirurgus.

Higine.] qui oculorum morbo medebatur. Scribunt alii *Higyne*, alii *Hegine*.

Stillantem uvam.] Tuberculum nempe in faucibus a similitudine uvæ sic dictum. Celsus lib. 5. cap. 14.

Stigma a servorum.] Vide epig. 64. lib. 6. Alii *saxorum*.

Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte.

Enterocelarum.] hoc est herniarum, cum intestina in scrotum delabuntur.

Podalirius.] frater Machaonis, & Æsculapii filius, hic sumitur pro medico: hoc est, Hermes curat hernias.

Qui sanet ruptos.] Non herniosos intelligit, sed officiis patronorum defatigatos, & quorum vestes sunt attritæ & laceræ: quasi diceret, omni morborum generi remedium quidem invenitur, at clientibus defatigatis & laceris nullus patronus fert opem.

Ad Sextum, conqueritur munera minui. LVII.

ARGENTI libram mittebas, facta selibra est,
Sed piperis. tanti non emo, Sexte, piper.

Mittebas libram argenti; redacta est ad selibram, at piperis. O Sexte, non emo tanti piper.

Argenti.] O Sexte, cum antea mitteres libram argenti, jam mittis tantum dimidiam libram, & quidem piperis.

Ad Frontinum, cui excusat neglectum salutandi officium. LVIII.

ANXURIS æquorei placidos, Frontine, recessus,
Et propius Baias, litoreamque domum,
Et quod inhumanæ Cancro fervente cicadæ
Non novere nemus, flumineosque lacus,
Dum colui: doctas tecum celebrare vacabat
Pieridas, nunc nos maxima Roma terit.
Hic mihi quando dies meus est? jactamur in alto
Urbis, & in sterili vita labore perit.
Dura suburbani dum jugera pascimus agri,
Vicinosque tibi, sancte Quirine, Lares.
Sed non solus amat, qui nocte dieque frequentat
Limina, nec vatem talia damna decent.]

Dum colui tranquillos recessus maritimos Anxuris, & propius Baias, & domum litoream, & flumineos lacus, & nemus, quod non novere inhumanæ cicadæ Cancro fervente, licebat tecum celebrare doctas Pieridas, nunc maxima Roma consumit nos. Hic quando fruor die? Jactamur in altis urbis fluctibus, & vita consumitur in sterili labore. Dum colimus sicca jugera agri suburbani, atque ædes vicinas tibi, ô sancte Quirine. Sed non ille solus amat, qui terit limina die & nocte: talia incommoda non conveniunt Poetæ.

Per veneranda mihi Musarum sacra, per omnes
Juro deos, & non officiosus amo.

Juro per sacra Musarum mihi veneranda, & per deos omnes, amo licet non obsequiosus.

Anxuris aequorei.] Vide epig. 51. supra, & epig. 1. lib. 5.

Et propius Baias.] Colui nempe recessus. *Litoream domum.*] palatia intellige Baiis ad mare posita.

Et quod.] Sylvam, & agrum Rheginum de quo Plinius lib. 11. cap. 27. *At in Rhegino silent omnes cicadae, ultra flumen in Locrensi canunt. Cancro fervente.*] hoc est mense Julio.

Flumineosque lacus.] Alicem amnem intelligit Raderus ex Leandro, in magna Graecia, ubi Locri & Rhegium.

Dies meus est?] Legunt alii sine interrogatione, & hunc accommodant sensum: Quando liber sum ab officiis patronorum, habito in alta semita, nempe in monte Quirinali, &c. Videat lector. Illa interpretatio minus bona mihi videtur. *Jactamur in alto.*] metaphora est. Sensus est: Officiis, curis & negotiis occupamur, & vita consumitur in officiis praestandis, ex quibus nullum fructum percipimus.

Dura suburbani.] Infra epig. 72.

Vicinosque tibi.] Nempe in monte Quirinali.

Nec vatem.] epig. 71. lib. 1.

Si dicet, Proculus nempe, quare non tamen ipse venit?
Sic licet excuses, quia qualiacunque legantur
Ista salutator scribere non potuit.

Et non officiosus.] hoc est, licet quotidie domum tuam non adeam salutem tibi dicturus, tamen te amo.

In delicatum lectorem. LIX.

CONSUMPTA est uno si lemmate pagina, transis,
Et breviora tibi, non meliora placent.
Dives, & ex omni posita est instructa macello
Coena tibi, sed te mattya sola juvat.
Non opus est nobis nimium lectore guloso;
Hunc volo, qui fiat non sine pane satur.

Si unum lemma implevit paginam, transis, & amas breviora non meliora. Coena tibi apposita est dives, atque ornata ex omni macello, sed sola cupediae tibi placent. Non indigemus lectore nimium guloso: hunc volo, qui saturetur non sine pane.

Uno si.] Lemma est breve orationis vel poëmatis argumentum, seu inscriptio & titulus, lib. 14. epig. 2. Sumitur hic pro ipso epigrammate, hoc est, si unum epigramma tam longum sit, ut impleat totam paginam.

Dives & ex omni.] Sua epigrammata comparat coenae lautae & instructae ex omni ciborum genere.

Sed te mattya.] Suetonius in Calig. cap. 38. *Et multis macteas venenatas misit.* Sunt autem mactea, cupediae, & jucunda edulia, unde forte legendum *mactea*, non *mattya*: Graece tamen ματτύη dicitur, & cibi genus est delicatissimi, & omnia pretiosa edulia significari hoc nomine scribit Athenaeus lib. 14. Vetus codex habet *mattya sola juvant.*

Non opus est.] Eandem continuat metaphoram. Sensus est, Mihi placet lector ille, qui non solis jocis, & nugis; sed delectatur etiam gravibus carminibus. Sic conviva placet, qui non solis cupediis expleri vult, sed pane etiam vescitur.

De Munna ludimagistro triviali. LX.

JURA trium petiit a Caesare discipulorum,
Assuetus semper Munna docere duos.

Munna petiit a Caesare jus trium discipulorum, solitus docere duos.

Jus trium.] Jocus petitur a jure trium liberorum, de quo epig. 91. & 92. lib. 2.

Epi-

Epitaphium Erotii. LXI.

Hic festinata requiescit Erotion umbra,
Crimine quam fati sexta peremit hiems.
Quisquis eris nostri post me regnator agelli,
Manibus exiguis annua justa dato.
Sic Lare perpetuo, sic turba sospite solus
Flebilis in terra sit lapis iste tua.

Hic jacet Erotium morte immatura, quam interfecit sexta hiems crimine fati: O tu, quisquis possidebis nostrum agellum post me, fac anniversaria sacra manibus exiguis. Sic Lare perpetuo, sic tota familia salva habeas unum hunc lapidem flebilem in tua terra.

Requiescit Erotion.] De qua puella dictum epig. 35. & 38. lib. 5. quæ nondum sex annos integros nata interiit.

Manibus exiguis.] hoc est, umbræ Erotii puellæ, lib. 5. epig. 35.

Sic Lare perpetuo.] Sic agenti salva tibi sit, atque incolumis familia. *Lare perpetuo*, hoc est, domo perpetua, in qua nimirum nullus moriatur. Sic epig. 28. lib. 6.

Qui fles talia, nil fleas viator.

Ad magistrum ludi, ut æstate desinat sævire in discipulos. LXII.

Ludi magister parce simplici turbæ:
Sic te frequentes audiant capillati,
Et delicatæ diligat chorus mensæ:
Nec calculator, nec notarius velox
Majore quisquam circulo coronetur.
Albæ leone flammeo calent luces,
Tostamque fervens Julius coquit messem.
Scuticaque loris horridis Scythæ pellis,
Qua vapulavit Marsyas Celænæus,
Ferulæque tristes sceptra pædagogorum,
Cessent, & Idus dormiant in Octobris:
Æstate pueri si valent, satis discunt.

O Magister ludi ignosce simplici turbæ: sic frequentes capillati audiant te, & chorus delicatæ mensæ amet te: nec quisquam calculator, nec notarius velox cingatur majore corona. Dies nitidi calent leone igneo, & Julius fervens maturat segetem tostam. Et scutica Scythica pellis loris horrendis, qua verberatus est Marsyas Celænæus, & graves ferulæ sceptra pædagogorum cessent, & dormiant in Idus Octobris; si pueri valent æstate, satis discunt.

Capillati.] Romani enim pueri comas alebant, donec pubescerent genæ.

Chorus mensæ.] hoc est, ameris a delicatis tuis discipulis, qui circum mensam tibi assident. Legunt alii *chorus Musæ*; atque interpretantur pueros deditos Musis. Prior lectio mihi melior videtur, ut sequentes versus docent.

Nec calculator.] Qui arithmeticam docet; notarius vero is est, qui notis quibusdam dicentis verba breviter excipere docet. Lib. 14. epig. 208. de Notario.

Currant verba licet, manus est velocior illis,
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Scuticaque.] Flagellum ex loris corii. *Scythæ pellis*, hoc est, Scythicæ: Scythæ vero ex pellibus conficiebant scuticas, quibus servos delinquentes castigarent. Legunt alii,

Cirrata loris horridis Scythæ pellis, &c.

Cirrata pellis, &c. ipsa est scutica multorum lororum, &c. *Marsyas* autem ad Celænas oppidum Phrygiæ canens tibia victus est ab Apolline, & castigatus. Ovidius lib. 6. Metam. de Marsya sic canit,

Ah piget, ah non est clamabat tibia tanti,
Clamanti cutis est summos direpta per artus.

Et Idus.] Quibus remissus erit calor.

Epi-

Epitaphium nobilis matronæ, LXIII.

MARMORA parva quidem, ſed non ceſ-
ſura, viator,
Mauſoli ſaxis, Pyramidumque leges.
Bis mea Romano ſpectata eſt vita Terento,
Et nihil extremos perdidit ante rogos.
Quinque dedit pueros, totidem mihi Juno
puellas:
Clauſerunt omnes lumina noſtra manus.
Contigit & thalami mihi gloria rara, fuitque
Una pudicitiæ mentula nota meæ.

O Viator, marmora quidem parva ſunt, *ſed leges non ceſſura ſaxis Mauſoli, & Pyramidum. Mea vita bis viſa eſt Terento Romano, & nihil amiſit ante extremos rogos. Juno mihi conceſſit quinque pueros, & totidem puellas:* Omnes illorum *manus clauſerunt noſtros oculos. Et mihi contigit rarum decus thalami, & habui unicam maritum.*

Marmora.] Senſus eſt: parvum quidem ſpectabis marmoreum tumulum, ſed facta leges æternæ memoriæ conſecrata. Alii *legis*, alii *pyramidumque jugit*.

Mauſoli ſaxis.] Vide epig. 1. lib. Spect.

Bis mea Romano.] hoc eſt, ut interpretatur Raderus ex Politiano, bis ludis ſecularibus interfui Claudii Imperatoris, qui ſunt celebrati ab urbe condita 800. annis, & Domitiani, ab urbe condita 841. Suetonius in Claudio cap. 21. *Fecit & ſeculares, quaſi anticipatos ab Auguſto, nec legitimo tempori reſervatos*, &c. In Domitiano vero cap. 4. *Fecit & ludos ſeculares, computata ratione temporum, ab anno, non quo Claudius proxime, ſed quo olim Auguſtus ediderat. Terentus* autem de quo epig. 70. lib. 1. locus erat in campo Martio inſignis templo Ditis ad cujus aram ludis ſecularibus immolabantur victimæ. Lipſius legit, *vitta Terento*, & refert ad conjugium, hoc eſt, binos ſeculares, inquit, vidi nupta. Videat lector. Perobſcurus mihi videtur hic locus.

Et nihil extremos.] hoc eſt, ad mortem uſque felix fui.

Juno.] Quæ præſidet puerperiis.

Clauſerunt.] hoc eſt, omnes liberi ſuperſtites mihi clauſerunt oculos, quod fuit propinquorum officium.

Ad Pollam uxorem Lucani, ut patienter ferat laſciva epigrammata. LXIV.

CONTIGERIS regina meos ſi Polla li-
bellos,
Non tetrica noſtros excipe fronte jocos.
Ille tuus vates Heliconis gloria noſtri,
Pieria caneret cum fera bella tuba,
Non tamen erubuit laſcivo dicere verſu,
Si nec pædicor, Cotta, quid hîc facio?

O Polla dives, ſi forte contigeris meos libros, ne excipias noſtros ludos vultu ſevero. Ille tuus Poeta decus noſtri Heliconis cum caneret ſæva bella tuba Pieria, nihilominus non erubuit dicere laſcivo verſu. . . . . . .

Polla.] De qua, & Lucano dictum epig. 20. & 21. lib. 7. Reginam vocat eo ſenſu, quo clientes ſuos patronos appellabant reges.

Heliconis noſtri.] hoc eſt, Latinæ poëſeos decus.

Fera bella.] Civilia ſcilicet inter Pompeium & Julium Cæſarem.

In Carmenionem effœminatum. LXV.

CUM te municipem Corinthiorum
Jactes, Carmenion, negante nullo,

O Carmenion, cum te prædices municipem Corinthiorum nemine quidem *negante,*

Cur

Cur frater tibi dicor ex Iberis,
Et Celtis genitus, Tagique civis?
An vultu similes videmur esse?
Tu flexa nitidus coma vagaris:
Hispanis ego contumax capillis.
Levis dropace tu quotidiano:
Hirsutis ego cruribus, genisque.
Os blæsum tibi, debilisque lingua est:
Nobis filia fortius loquetur,
Tam dispar aquilæ columba non est,
Nec dorcas rigido fugax leoni.
Quare desine me vocare fratrem,
Ne te, Carmenion, vocem sororem.

cur appellas fratrem me genitum ex Celtiberis, & civem Tagi? an videmur esse similes vultu? tu cultus vagaris calamistratis capillis: ego horridus Hispanis capillis. Tu politus dropace quotidiano: ego sum hispidis cruribus, & genis. Tu habes os blæsum, & linguam debilem; mea filia habet vocem magis virilem. Columba non est tam dissimilis aquila, nec dorcas fugax sævo leoni. Quamobrem cessa appellare me fratrem, ne te, ô Carmenion, appellem sororem.

Municipem.] Gellius lib. 16. cap. 13. fuse explicat quid sit municipium, & quomodo differat a colonia; Corinthii vero molles, & voluptatibus dediti.

Negante nullo.] cum perditi tui mores te Corinthium probent.

Et Celtis genitus] Vide epig. 62. lib. 1.

Nec me tacebis Bilbilis.

Ego contumax.] Hic sumitur pro horrido & inculto, alias pro superbo: in bonam quoque partem sumitur pro constanti, & pro eo qui flecti nequit. Quo ultimo sensu capilli Martialis erant contumaces, seu inculti & horridi, quod flecti nequirent.

Levis dropace.] de quo epig. 73. lib. 3. fuit unguenti genus quo utebantur effœminati ad evellendos pilos.

Os blæsum.] quo vitio utplurimum laborant molliores, & pinguiores.

Nobis filia.] Hunc versum interpretatus sum ut alii. Judicet lector. Alii,

Non nobis lea fortius loquetur.

id est rugiet.

Dorcas.] quæ inter sylvestres capras numeratur.

Me vocare fratrem.] hoc est mollem & effœminatum: quo sensu sæpe reperitur apud Petronium.

Sororem.] Tu enim magis fœmina, quam vir videris.

De Theopompo puero formoso facto coco. LXVI.

Quis rogo tam durus, quis tam fuit ille superbus,
Qui jussit fieri te, Theopompe, cocum?
Hanc aliquis faciem nigra violare culina
Sustinet? has uncto polluit ungue comas?
Quis potius cyathos, aut quis crystalla tenebit?
Quâ sapient melius mixta Falerna manu?
Si tam sidereos manet exitus iste ministros,
Juppiter utatur jam Ganymede coco.

O Theopompe, quis, quæso, tam inhumanus, quis fuit ille tam arrogans qui imperavit te fieri cocum? Aliquisne potest fœdare hunc vultum nigra culina? An inquinat hos capillos manu uncta? Quis elegantius tenebit cyathos, aut quis crystalla? Qua manu melius sapient mixta Falerna? Si servi tam formosi nanciscuntur hunc eventum, Jupiter utatur jam Ganymede coco.

Polluit ungue.] Alii *uncto igne*, culinæ scilicet.

Sidereos.] hoc est pulchros. Vide epig. 39. lib. 9.

Epi-

Epitaphium vetulæ libidinosæ. LXVII.

PYRRHÆ filia, Nestoris noverca,
Quam vidit Niobe puella canam,
Laërtes aviam senex vocavit,
Nutricem Priamus, socrum Thyestes,
Jam cornicibus omnibus superstes,
Hoc tandem sita prurit in sepulcro
Calvo Plotia cum Melanthione.

Filia Pyrrha, noverca Nestoris, quam canam vidit Niobe puella, Laërtes senex appellavit aviam, Priamus nutricem, Thyestes socrum, jam superstes omnibus cornicibus, Plotia prurit tandem jacens in hoc sepulchro cum calvo Melanthione.

Pyrrha filia.] Epig. 39. supra, quod est etiam in vetulam: Pyrrha vero Deucalionis uxor fuit, cujus historia satis nota, sicut & eorum omnium quorum hîc mentionem facit Poëta.

Jam cornicibus.] hyperbolen continuat Poëta: cornices diutissime vivunt. Plinius lib. 7. cap. 48.

Prurit.] vetulam eam libidinosam fuisse dicit, ut etiam mortua pruriat.

LXVIII.

De Polla domina sui mariti. LXIX.

CUSTODES das, Polla, viro, nec accipis ipsa.
Hoc est uxorem ducere, Polla, virum.

O Polla, das custodes marito, ipsa vero *non accipis: ô Polla, hoc est virum nubere uxori.*

Das Polla.] Alia sane est a Polla uxore Lucani, de qua epig. 64. supra.

Nec accipis ipsa.] Atque ita tu non observata promissam marito fidem violas.

Alii *non.*

Hoc est uxorem.] Hoc non est nubere viro, sed potius virum nubere uxori, seu servire, epig. 12. lib. 8.

Ad Potitum de urbanis suis occupationibus. LXX.

QUOD mihi vix unus toto liber exeat anno,
Desidiæ tibi sum, docte Potite, reus.
Justius at quanto mirere, quod exeat unus,
Labantur toti cum mihi sæpe dies.
Nunc resalutanteis video nocturnus amicos,
Gratulor & multis, nemo, Potite, mihi:
Nunc ad luciferam signat mea gemma Dianam:
Nunc me prima sibi, nunc sibi quinta rapit.
Nunc consul, prætorve tenet, reducesque choreæ,
Auditur toto sæpe Poëta die.
Sed nec caussidico possis impune negare,

O erudite Potite, tu me accusas inertiæ, quod toto anno vix edam unum librum. Sed quanto æquius mirere, quod edam unum, cum sæpe integri dies fluant mihi nihil scribenti. *Nunc nocturnus specto resalutantes amicos, gratulor & multis, nullus vero mihi, ô Potite. Nunc mea gemma signat ad luciferam Dianam, nunc prima hora me rapit, nunc quinta. Nunc Consul aut Prætor moratur, aut reduces choreæ: sæpe Poëta auditur solido die. Sed nec tuto possis negare caussidico,*

Nec

Nec si te rhetor, grammaticusve rogent:
Balnea post decimam lasso, centumque petuntur
Quadrantes. fiet quando, Potite, liber?

nec si rhetor aut grammaticus te rogent: post decimam defatigatus peto balnea, & centum quadrantes. O Potite, quando componetur liber?

Nunc resalutantes.] Quos mane salutaverat Poëta, & quibus dixerat ave, vesperi pro more Romanorum illum resalutabant, ipsique vale dicebant.

Gratulor & multis.] aut adeptis honores, aut meliorem fortunam nactis; at nullus mihi gratulatur, utpote qui nihil gratulatione dignum adipiscar.

Nunc ad.] Ego rogatus annuli mei gemma signo testamenta, aut alias tabulas, in monte Aventino, ubi Lucina seu Diana colitur, quæ Lucifera dicitur, quod nascentibus præsit, vel quod illic una cum Lucifero coleretur, ut ait Domitius.

Nunc me prima.] De horis dictum epig. 8. lib. 4.

Nunc consul.] quem comitor, & domum deduco: Vel intellige caussas forenses & judicia, quibus aliquando forte occupabatur Poëta.

Reducesque chorea.] An reducentium patronos? An sacerdotum Isidis, ut supra epig. 48? An histrionum vel saltatricularum? Sic Farnabius.

Auditur sæpe.] Juvenalis sat. 1.

Semper ego auditor tantum, &c.

Nec caussidico.] Caussidici, ut & rhetores & grammatici, recitabant. Plinius lib. 5. epist. 3.

Balnea post.] Cum tamen hora octava aut nona lavare solerent Romani; sed Martialis negotiis & officiis urbanis impeditus non lavabat nisi decima, qua & sportulam petebat, epig. 60. lib. 1.

Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum.

De Rabirio,

cujus pietatem erga parentes mortuos laudat. LXXI.

QUISQUIS læta tuis, & sera parentibus optas
Fata, brevem titulum marmoris hujus ama.
Condidit hac caras tellure Rabirius umbras:
Nulli sorte jacent candidiore senes.
Bis sex lustra tori, nox mitis & ultima clusit.
Arserunt uno funera bina rogo.
Hos tamen, ut primis raptos sibi quærit in annis,
Improbius nihil his fletibus esse potest.

Tu quisquis optas felicem & tardam mortem tuis parentibus, dilige brevem inscriptionem hujus marmoris. Rabirius condidit hac tellure caras umbras, nulli senes requiescunt sorte feliciore. Nox blanda & ultima terminavit duodecim lustra tori nuptialis, *& duo funera cremata sunt uno rogo. Nihilominus* Rabirius *quærit hos ut raptos sibi in primis annis: nihil potest esse improbius istis lacrymis.*

Rabirius.] Domitiani architectus, de quo epig. 55. lib. 7.

Bis sex lustra.] sexaginta annos.

Funera bina.] Pater & mater eadem nocte mortui, & simul cremati sunt.

Improbius nihil.] cum defleat parentes longa felicique vita functos.

Adulatorium de Trajano apud quem nullum blandiciis locum esse dicit. LXXII.

FRUSTRA blanditiæ venitis ad me
Attritis miserabiles labellis:
Dicturus dominum, deumque non sum.
Jam non est locus hac in urbe vobis:

O assentationes miserabiles, attritis labris inutiliter accedatis ad me: non sum dicturus dominum, & deum; jam non est locus vobis hac in urbe:

Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes humilesque, supplicesque
Pictorum sola basiate regum.
Non est hic dominus, sed Imperator,
Sed justissimus omnium Senator:
Per quem de Stygia domo reducta est
Siccis rustica veritas capillis.
Hoc sub principe, si sapis, caveto,
Verbis, Roma, prioribus loquaris.

procul ite ad Parthos pileatos, & foeda atque abjecta, & supplices osculamini soleas regum pictorum. Hic non est dominus, sed Imperator, sed Senator aequissimus omnium: qui ab inferis reduxit veritatem rusticam comis siccis. O Roma, si sapiens es, cave ne sub hoc principe loquaris prioribus verbis.

Attritis miserabiles.] Loquitur Poëta de suis, & Romanorum assentationibus, quae in usu erant temporibus Domitiani, qui deum appellari se jussit, epig. 8. lib. 5. quasi homines attriverint labra, vel pedes ejus osculando, vel ipsi assidue blandiendo.

Ad Parthos.] Nempe natos ad servitutem, pileatos dicit, quod praeter Romanorum morem pileati incederent, vel a similitudine servorum, qui libertatem adepti pileum sumebant, ut ostendat Poëta Parthos esse conditionis servilis.

Pictorum.] Ad vestes & purpuram refer; reges suos adorabant Parthi, quorum pedes osculabantur.

Non est hic.] Trajanus nimirum, de cujus modestia agit Plinius junior in suo panegyrico.

Siccis.] Incultis, veritas enim non est fucata.

Verbis prioribus.] hoc est, servilibus atque adulatoriis, quibus nempe Romani utebantur sub Domitiano.

Ad Marcum,

cujus epistolam & togam sibi missam laudat. LXXIII.

Litera facundi gratum mihi pignus amici
Pertulit, Ausoniae dona severa togae.
Qua non Fabricius, sed vellet Apicius uti,
Vellet Maecenas Caesarianus eques.
Vilior haec nobis alio mittente fuisset:
Non quacumque manu victima caesa litat.
A te missa venit. possem nisi munus amare,
Marce, tuum: poteram nomen amare meum.
Munere sed plus est, & nomine gratius ipso,
Officium docti, judiciumque viri.

Epistola attulit gratum mihi pignus docti amici, dona severa toga Italica. Qua uti nollet Fabricius, sed Apicius vellet, & Maecenas eques Caesarianus. Existimassem hanc viliorem alio mittente: victima non litat immolata quacunque manu. O Marce, nisi possem amare tuum donum, poteram amare meum nomen. At officium, & judicium viri eruditi plus est dono, & jucundius ipso nomine.

Litera facundi.] Marci nempe Antonii Primi, de quo epig. 101. lib. 9. & 32. supra.

Pignus.] Scilicet togam, quam per appositionem vocat. *Dona severa.*] quod toga uterentur, cum reges suos colerent: synthesi autem, cum rebus laetis operam darent, epig. 1. lib. 14.

Fabricius.] Ille nempe paupertatis cultor, cujus meminit epig. 67. lib. 7. De luxurioso Apicio dictum epig. 69. lib. 2.

Maecenas.] Satis notus ex Horatio. Juvenalis sat. 12.

————— *vestem*
Purpuream teneris quoque Maecenatibus aptam.

Caesarianus.] Nam a partibus Caesaris Augusti stetit, cujus fuit familiarissimus.

Litat.] hoc est, non est grata diis.

Nomen amare.] Poëta enim Marcus quoque vocatur.

Ad Romam, conqueritur aurigas consequi majora præmia, quam clientes. LXXIV.

JAM parce lasso, Roma, gratulatori,
Lasso clienti: quandiu salutator
Anteambulones, & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto?
Cum Scorpus una quindecim graves hora
Ferventis auri victor afferat saccos:
Non ego meorum præmium libellorum,
(Quid enim merentur?) Apulos velim campos.
Non Hybla, non me spicifer capit Nilus,
Nec quæ paludes delicata Pontinas
Ex arce clivi spectat uva Setini.
Quid concupiscam quæris ergo? dormire.

O Roma, jam dimitte defatigatum gratulatorem, defatigatum clientem: quandiu salutator inter anteambulones, & togatulos toto die merebor centum plumbeos? cum victor Scorpus una hora consequatur quindecim graves saccos auri ferventis: ego non exoptem Apulos campos mercedem meorum librorum, (quid enim merentur?) non Hybla, non ferax spicarum Nilus movet me, nec delicata uva, quæ ex arce Setini collis prospicit paludes Pontinas. Rogas, quid igitur expetam? dormire.

Anteambulones.] De quibus, & togatis sæpius dictum.

Centum merebor.] hoc est, sportulam centum quadrantum, quos per contemptum *plumbeos* vocat, cum tamen essent ex ære.

Cum Scorpus.] Auriga, de quo epig. 50. supra: aurigæ vero victores in certamine circi præmia summi pretii referebant.

Ferventis auri.] hoc est, radiantis colore rutilo, inquit Farnab. *Afferat*, alii *auferat*.

Hybla.] Mons Siciliæ melle abundans.

Uva Setini.] Setia urbs Latii juxta Pontinas paludes, ubi vinum optimum, epig. 69. lib. 4.

Dormire.] Juvenalis sat. 3. versu 55.

——— tanti tibi non sit opaci,
Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum,
Ut somno careas.

LXXV.

De Mævio, conqueritur muliones locupletari, Poëtas vero negligi. LXXVI.

HOc fortuna tibi videtur æquum?
Civis non Syriæve, Parthiæve,
Nec de Cappadocis eques catastis,
Sed de plebe Remi, Numæque verna,
Jucundus, probus, innocens, amicus,
Lingua doctus utraque, cujus unum est,
Sed magnum vitium, quod est Poëta,
Pullo Mævius alget in cucullo:
Cocco mulio fulget Incitatus.

O Fortuna, an hoc censes justum? civis non aut Syriæ, aut Parthiæ, nec eques de catastis Cappadocis, sed verna de plebe Remi & Numæ, jucundus, probus, innocens, amicus, peritus utriusque linguæ, qui habet unicum vitium, sed magnum, quod est Poëta, Mævius friget in atro cucullo, mulio Incitatus splendet cocco.

Civis non Syriæ.] hoc est, non ex Syro aut Partho factus civis Romanus, nec ex servo Cappadociæ factus eques: de catasta machina, nempe ubi exponerentur servi venales, dictum lib. 9. epig. 60.

Sed de plebe.] Sed Mævius Poëta liber & Romanus: verna enim non hic sumitur pro servo, sed pro eo qui Romæ natus est.

Lingua doctus.] Græca & Latina.

Cocco.] Purpura fulget mulio Incitatus, de quo epig. 1. lib. 11.

De

De Caro medico repentina febri extincto. LXXVII.

NEQUIUS a Caro nihil unquam, Maxime, factum est,
Quam quod febre perit: fecit & illa nefas.
Sæva nocens febris saltem quartana fuisset,
Servari medico debuit illa suo.

O Maxime, Carus nihil unquam fecit improbius, quam quod extinguitur febre: & illa admisit scelus. Utinam *nocens febris saltem fuisset sæva quartana; illa debuit servari suo medico.*

Quam quod.] Nam crucem illi, non tam lene fatum optat Poëta.
Fecit & illa.] Alii *ille*, male; hoc est, quæ tam cito sustulit Carum.
Quartana fuisset.] Alii legunt *fuisses*. Videat lector.
Servari medico.] Carus nempe, qui multos imperitie necaverat, quartanæ medicum se profitebatur, qua diu cruciandus erat, priusquam moreretur.

Ad Macrum, de felicitate Dalmatiæ quam erat administraturus. LXXVIII.

IBIS litoreas, Macer, Salonas.
Ibit rara fides, amorque recti,
Et secum comitem trahet pudorem.
Semper pauperior redit potestas.
Felix auriferæ colone terræ,
Rectorem vacuo sinu remittes,
Optabisque moras & exeuntem
Udo Dalmata gaudio sequeris.
Nos Celtas Macer, & truces Iberos
Cum desiderio tui petemus.
Sed quæcumque tamen feretur illic
Piscosi calamo Tagi notata,
Macrum pagina nostra nominabit.
Sic inter veteres legar Poëtas,
Nec multos mihi præferas priores,
Uno sed tibi sim minor Catullo.

O Macer, ibis Salonas litoreas, rara fides, & amor justitiæ ibit, & ducet secum pudorem comitem. Semper pauperior revertitur potestas. O Dalmata beate colone terræ aurifera, remittes rectorem vacuo sinu, atque cupies dilationes, & lætitia flebili sequeris abeuntem. Nos, ô Macer, petemus truces Celtiberos, cum desiderio tui. At nihilominus quæcunque nostra pagina signata calamo Tagi piscosi illic scribetur, nominabit Macrum. Sic legar inter antiquos Poëtas, nec mihi anteponas multos veteres, sed me existimes inferiorem solo Catullo.

Litoreas Salonas.] Maritimum esse Dalmatiæ oppidum constat ex hoc, & sequente versu *udo Dalmata*, &c. atque ex Strabone lib. 7. Suidas in verbo Διεκλήπτευὲς Salonas esse Illyrici urbem dicit, quod in idem recidit; Dalmatia enim est Illyrici pars.
Semper pauperior.] hoc est, magistratus integer ex provincia quam administravit, semper pauperior redit.
Felix aurifera.] De Dalmatiæ aurifodinis. Plinius lib. 33. cap. 4.
Vacuo sinu.] Sensus est, Macer Romam redibit nihil in Dalmatia prædatus.
Udo gaudio.] hoc est, Dalmata erit lætus; quod boniis spoliatus non fuerit; flebit autem quod te abeuntem viderit.
Nos Celtas.] Ego vero, inquit Poëta, sum rediturus in patriam cum summo tui desiderio: æquis enim legibus Hispaniam administraverat Macer, lib. 12. epig. 100.
Sed quæcunque.] hoc est, quæcunque ad ripas Tagi componam carmina, sonabunt tuum nomen. *Illic*, alii *illinc*, nempe ex Hispania Romam feretur seu mittetur. Judicet lector.
Minor Catullo.] Vide epig. 5. lib. 5. & 71. lib. 2.

De Torquato, *&* *Otacilio* paupere, qui Torquatum divitem æmulabatur. LXXIX.

AD lapidem Torquatus habet prætoria quartum:
Ad quartum breve rus emit Otacilius.
Torquatus nitidas vario de marmore thermas
Exſtruxit: cucumam fecit Otacilius.
Diſpoſuit Daphnona ſuo Torquatus in agro:
Caſtaneas centum ſevit Otacilius.
Conſul Torquatus: vici fuit ille magiſter,
Nec minor in tanto viſus honore ſibi.
Grandis ut exiguam bos ranam ruperat olim,
Sic puto Torquatus rumpet Otacilium.

Torquatus habet prætoria ad quartum milliarium: Otacilius emit breve rus ad quartum quoque. *Torquatus ædificavit thermas fulgentes vario marmore: Otacilius fecit cucumam. Torquatus diſpoſuit lauretum in ſuo agro: Otacilius ſevit centum caſtaneas. Conſul Torquatus; ille fuit magiſter vici, nec ſe exiſtimavit inferiorem in tanta dignitate. Ut ingens bos quondam ruperat parvam ranam, ſic, credo, Torquatus rumpet Otacilium.*

Prætoria.] hoc eſt, villas magnificas. Suetonius in Auguſto cap. 72. *Alias prætorium ſignificat ducum & Imperatorum in caſtris tabernaculum.*

Thermas vario de.] epig. 42. lib. 6.

Cucumam.] hoc eſt, vas aquæ calefaciendæ aptum, gallice *coquemar*, & ſumitur hic pro balneolo.

Daphnona.] Vox Græca,; Latine lauretum.

Conſul Torquatus.] Supple fuit. Alii *Conſule Torquato.*

Vici fuit ille.] Vici Romæ erant 424. ut refert Caſaubonus in Auguſto, quibus præerant vicomagiſtri, qui etiam vicocuri dicti ſunt. Sueton. in Aug. c. 30. & Tib. c. 76.

Nec minor.] Per irriſionem hoc dicit Poëta.

Grandis ut exiguam.] Fabulam vide apud Horatium lib. 2. ſerm. ſat. 3. Senſus eſt; prius Otacilius rumpetur, quam Torquatum æquare poſſit.

De Erote cupiente ornatam ſupellectilem. LXXX.

PLORAT Eros, quoties maculoſæ pocula myrrhæ
Inſpicit, aut pueros, nobiliuſve citrum.
Et gemitus imo promit de pectore, quod non
Tota miſer coëmat ſepta, feratque domum.
Quam multi faciunt, quod Eros, ſed lumine ſicco!
Pars major lacrymas ridet, & intus habet.

Eros flet, quoties ſpectat pocula myrrhæ maculoſa, aut pueros, aut citrum nobilius, atque ex imo pectore edit ſingultus, quod infelix non mercatur tota ſepta, & portet domum. Quam multi faciunt, quod *Eros* facit, *ſed oculis ſiccis: major pars ridet fletus, & intus habet.*

Maculoſa.] hoc eſt, variis maculis diſtinctæ, epig. 60. lib. 9. In Mamurram, qui omnia, quæ in ſeptis venalia exponerentur, emere volebat. *Coëmat*, alii *cœnat.*

Pars major.] hoc eſt, multi quidem in ſpeciem rident, qui acerbo animi dolore cruciantur, quod ipſos pariter pecunia deficiat.

LXXXI.

Ad Gallum, a quo deprecatur officium anteambulonis. LXXXII.

SI quid noſtra tuis adicit vexatio rebus,
Mane, vel a media nocte togatus ero,
Stridenteſque feram flatus Aquilonis iniqui,
Et patiar nimbos, excipiamque nives.
Sed ſi non fias quadrante beatior uno,
Per gemitus noſtros, ingenuaſque cruces:
Parce precor laſſo, vanoſque remitte labores,
Qui tibi non proſunt, & mihi, Galle, nocent.

Si noſtri labores addunt aliquid tuis rebus, togatus adero mane, vel a media nocte. Et tolerabo ſtridentes flatus iniqui Aquilonis, & patiar nimbos, atque excipiam nives. At ſi ſuſpiria noſtra, atque ingenua tormenta non augeant tuam rem vel *uno quadrante; parce, quæſo, defatigato, & remitte vanos labores, qui tibi non proficiunt, ô Galle, & mihi obſunt.*

Togatus.] De togatorum atque anteambulonum officiis ſæpius dictum epig. 46. lib. 3. & 74. lib. 2.

Ingenuaſque cruces.] hoc eſt, per ſervilia officia quæ non decent hominem ingenuum. Crux erat ſupplicium ſervorum, ita iſti labores erant cruces ingenuorum anteambulonum.

Ad Marinum cujus calvitium irridet. LXXXIII.

RAROS colligis hinc & hinc capillos,
Et latum nitidæ, Marine, calvæ
Campum temporibus tegis comatis:
Sed moti redeunt jubente vento,
Redduntur que ſibi, caputque nudum
Cirris grandibus hinc & inde cingunt.
Inter Splendophorum, Teleſphorumque,
Cidæ ſtare putabis Halmyroten.
Vis tu ſimplicius ſenem fateri?
Ut tandem videaris unus eſſe,
Tonſor jam reliquos metat capillos.
Calvo turpius eſt nihil comato.

O Marine, hinc & hinc colligis raros crines, & temporibus comatis tegis latum campum nitidæ calvæ; ſed moti imperante vento redeunt, & repetunt ſuum locum, atque hinc & inde grandibus cirris cingunt nudum caput. Credes ſtare Halmyroten Cidæ opus *inter Splendophorum & Teleſphorum. Placetne magis ingenue fateri te ſenem? Ut tandem videaris unus eſſe, jam tonſor tondeat reliquos crines, nihil eſt deformius calvo comato.*

Raros colligis.] Vide epig. 50. lib. 5. de Labieno calvo.

Caputque nudum.] epig. citato.

Sunt illinc tibi, ſunt & hinc capilli:
Nudum eſt in medio caput, &c.

Inter Splendophorum.] Cujus mentionem fecit epig. 57. lib. 9. Teleſphori vero epig. 27. lib. 11. Senſus eſt: Credes ſtare *Halmyroten*, Latine Marinum, inter duos pueros comatos: ita lib. 5. epig. 50. Labienum calvum Geryoni tricipiti comparavit.

Cidæ.] quem aut *Halmyrotæ* patrem, aut dominum, aut pictorem, vel ſtatuarium intellige. Floſculus Statii auctoritate fretus exiſtimat Cidam artificem fuiſſe, atque effinxiſſe Halmyroten. Legunt alii *Hermeroten*, nomen ſcilicet compoſitum ex Mercurio & Amore. Denique Heraldus emendat hunc verſum, & legit:

Sic adſtare putabis Halmyroten.

De Afro ad Cæcilianum de uxore deformi. LXXXIV.

MIRARIS, quare dormitum non eat Afer?
Accumbat cum qua, Cæciliane, vides.

O Cæciliane, mirarisne cur Afer non eat cubitum? Cernis cum qua cubet.

Cum qua.] Nimirum uxore deformi, sine qua satius est vigilare, quam cum illa dormire.

De Ladonte nauta. LXXXV.

JAM senior Ladon Tiberinæ nauta carinæ
Proxima dilectis rura paravit aquis.
Quæ cum sæpe vagus premeret torrentibus undis
Tibris, & hiberno rumperet arva lacu:
Emeritam puppim, ripa quæ stabat in alta,
Implevit saxis, opposuitque vadis.
Sic nimias avertit aquas. quis credere posset?
Auxilium domino mersa carina tulit.

Jam senior Ladon nauta Tiberina navis emit fundum juxta aquas amatas: quem cum sæpe vastaret Tibris exundans aquis rapidis, & rumperet agros lacu hiemali: lapidibus implevit navem quæ stabat in alta ripa, atque objecit undis. Sic removit aquas exundantes, quis posset credere? Demersa navis succurrit domino.

Tiberinæ.] Ladon nempe non erat marinus, sed fluviatilis nauta.

Dilectis aquis.] Tiberim enim amabat, in cujus undis pecuniam sibi paraverat Ladon, unde emeret fundum.

Emeritam.] hoc est, quæ jam erat otiosa, cum a duro nautæ labore cessasset Ladon: emeritus proprie dicitur, qui legitimum stipendiorum tempus confecit.

Mersa carina.] In eo jocus est, quod demersa hæc navis Ladontem servavit, aut potius ejus fundum, cum alias demersa navis domino afferat mortem.

De Lauro optimo olim pilæ lusore. LXXXVI.

NEMO nova caluit sic inflammatus amica,
Flagravit quanto Laurus amore pilæ.
Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas;
Nunc postquam desit ludere, prima pila est.

Nemo sic arsit incensus nova amica, quanto amore pilæ incensus est Laurus. Sed qui erat primus lusor, dum ætas floruit; nunc postquam se abstinuit a ludo, est prima pila.

Prima pila.] hoc est, ad summam paupertatem redactus pannis laceris indutus est instar primæ pilæ, quæ erat effigies in compitis suspensa, vel tauris objecta. Vide epig. 43. lib. 2.

De natali Restituti præclari caussidici. LXXXVII.

OCTOBRES age sentiat Kalendas
Facundi pia Roma Restituti.
Linguis, omnibus & favete votis.
Natalem colimus, tacete lites.
Absit cereus aridi clientis,
Et vani triplices, brevesque mappæ
Exspectent gelidi jocos Decembris.
Certent muneribus beatiores.
Agrippæ tumidus negociator
Cadmi municipes ferat lacernas.
Pugnorum reus, ebriæque noctis
Cœnatoria mittat advocato.
Infamata virum puella vicit:
Veros sardonychas sed ipsa tradat.
Mirator veterum senex avorum
Donet Phidiaci toreuma cœli.
Venator leporem, colonus hœdum,
Piscator ferat æquorum rapinas.
Si mittit sua quisque, quid Poëtam
Missurum tibi, Restitute, credis?

Age pia Roma sentiat Calendas Octobres eloquentis Restituti. Cum silentio adestote omnibus sacris. Celebramus natalem: silete lites. Cereus pauperis clientis absit, & vani triplices, & breves mappa expectent ludos frigidi Decembris. Ditiores certent donis. Superbus mercator Agrippæ ferat lacernas municipes Cadmi, reus pugnorum, & ebria noctis mittat cœnatoria caussidico. Sed puella dedecorata vicit maritum, ipsa donet veros sardonychas. Senex admirator veterum avorum det toreuma Phidiaci cœli. Venator ferat leporem, colonus hædum, piscator rapinas maris. Si quisque mittat sua, ô Restitute, quid putas tibi missum iri a Poëta.

Restituti.] Caussidici, de quo Plinius junior epist. 17. lib. 6. & epist. 1. lib. 7.

Linguis.] Favere linguis est tacere, votis vero favere est accedere ad vota sacerdotum. Ferias celebrantes a litibus abstinebant se antiqui, & sacris publicis vacabant. Ovidius 1. Fastorum.

Absit cereus.] Munera mittere solebant ad eum, cujus natalem celebrabant antiqui, epig. 64. lib. 8. Sensus est: Ad Restitutum non mittantur vilia munera, cerei nempe, pugillares, & mappæ, quæ mittebantur Saturnaliorum tempore. Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 7. *Illud quoque*, inquit, *in literis invenio quod cum multi occasione Saturnaliorum per avaritiam a clientibus ambitiose munera exigerent, idque onus tenuiores gravaret: Publicius tribunus plebis tulit, ut non nisi cerei ditioribus mitterentur*, &c. Alias præterea caussas affert: *triplices* vero pugillares sunt trium paginarum.

Certent muneribus.] hoc est, ditiores clientes, & amici munera certatim mittant ad Restitutum.

Agrippæ.] hoc est, inquit Farnabius, qui in Agrippæ porticu, & septis, de quibus epig. 60. lib. 9. superbas, & pretiosas merces vendebat.

Cadmi municipes.] Tyrias, seu purpureas, epig. 43. lib. 2.

Pugnorum reus.] hoc est, reus de vi, quam ebrius alicui intulit, cœnatorias vestes mittat Restituto, a quo defendi possit.

Infamata.] Adulterii rea. *Sardonychas veros.*] Vide epig. 60. lib. 9. *Avorum.*] alii *laborum.*

Æquorum rapinas.] hoc est, pisces.

Quid Poëtam.] Carmina nempe mittet Poëta.

Ad Cottam furem. LXXXVIII.

OMNES persequeris prætorum, Cotta, locellos,
Accipis & ceras: officiosus homo es.

O Cotta, sectaris locellos prætorum, atque accipis ceras: homo es officiosus.

Omnes persequeris.] Sensus est: Velut officiosus comitaris prætores, & cupis gestare locellos, seu crumenam, aut marsupium, in quibus forte nomina litigantium erant, quæ subduceret, simul & ceras seu tabulas corrumperet corruptus ipse pecunia. Videat lector.

Accipis & ceras.] Ut scilicet illas feras, & corrumpas.

Officiosus.] Ironia est.

De statua Junonis miro artificio effecta. LXXXIX.

JUNO labor, Polyclete, tuus, & gloria felix,
Phidiacæ cuperent quam meruisse manus,
Ore nitet tanto, quanto superasset in Ida
Judice convictas non dubitante deas.
Junonem, Polyclete, suam nisi frater amaret,
Junonem poterat frater amare tuam.

O Polyclete, Juno tuum opus, & decus felix, quam a se effictam cuperent Phidiæ, splendet ore tanto, quanto vicisset in Ida deas convictas arbitro non ambigente. O Polyclete, nisi frater diligeret suam Junonem, frater poterat diligere tuam.

Polyclete.] Qui statuarius fuit celebris, de quo epig. 51. lib. 8. De Phidia dictum epig. 35. lib. 3.

In Ida.] Phrygiæ monte, ubi Paris Junoni, Minervæ, & Veneri de pulchritudine contendentibus judex datus est. Hæc fabula satis nota.

Nisi frater.] Jupiter nempe Junonis frater. Virgilius lib. 1. Æneid. Junonem sic loquentem inducit:

Ast ego, quæ divûm incedo regina, Jovisque
Et soror, & conjux, &c.

XC.

XCI.

Ad Marium, cui agrum suum commendat in Hispaniam rediturus. XCII.

MARI quietæ cultor, & comes vitæ,
Quo cive prisca gloriatur Atina:
Has tibi gemellas barbari decus luci
Commendo pinus, ilicesque Faunorum,
Et semidocta villici manu structas
Tonantis aras, horridique Silvani,
Quas tinxit agni sæpe sanguis, & hœdi,
Dominamque sancti virginem deam templi,
Et quem sororis hospitem vides castæ
Martem mearum principem Kalendarum,
Et delicatæ laureum nemus Floræ,
In quod Priapo persequente confugit.
Hoc omne agelli mite parvuli numen,
Seu tu cruore, sive thure placabis:
Ubicumque noster Martialis est, dices,
Hæc ecce mecum dextera litat vobis

O Mari cultor, & comes vitæ tranquillæ, quo cive gloriatur antiqua Atina, commendo tibi has geminas pinus gloriam rustici nemoris, atque ilices Faunorum, atque aras Jovis, erectas semidocta manu villici, & Aras *Silvani horridi, quas sæpe imbuit sanguis agni, & hœdi, & virginem deam dominam sancti templi, & Martem principem mearum Calendarum, quem spectas hospitem pudicæ sororis. & laureum nemus Floræ teneræ, in quod confugit Priapo persequente. Seu sanguine, seu thure placabis omnia hæc blanda numina exigui agelli; ubicunque est noster Martialis, inquies, Sacerdos absens ecce mecum vobis litat hæc* mea *manu,*

Absens

Abſens ſacerdos, vos putate præſentem,
Et date duobus, quidquid alter optarit.

vos exiſtimate præſentem, & concedite ambobus quicquid expetierit alter.

Quieta cultor.] His verbis oſtendit privatum hunc Marium vitæ ruſticæ fuiſſe deditum.

Atina.] De qua Virgilius 7. Æneid.

Tela novant Atina potens, Tiburque ſuperbum.

In Sicilia fuit urbs hujus nominis, & in Italia plures. Videndus Ortelius.

Has tibi gemellas.] Pinus, atque ilices Faunis ſacræ ſunt. epig. 50. lib. 8.

Horridique Silvani.] qui nemorum deus eſt, & pingitur ut Faunus, cornuta fronte, &c. Natalis Comes lib. 5. cap. 9.

Quas tinxit agni.] Horatius libro 1. ode 4.

Nunc & in umbroſis Fauno decet immolare lucis

Seu poſcat agnam, ſive malit hædum.

Dominamque.] hoc eſt Dianam ſylvarum deam, cui dicatum erat eo in loco templum: Diana vero & Mars ex Jove nati ſunt.

Principem meorum.] Calendis nempe Martiis natus eſt Martialis, epig. 24. ſupra.

Hæc ecce.] hoc eſt, Martialis licet abſens manu mea vobis facit hæc ſacra.

Ad Clementem
cujus uxori mittit carmina nondum vulgata. XCIII.

SI prior Euganeas Clemens Helicaonis oras,
Pictaque pampineis videris arva jugis,
Perfer Ateſtinæ nondum vulgata Sabinæ
Carmina, purpurea ſed modo ſuta toga.
Ut roſa delectat, metitur quæ pollice primo:
Sic nova, nec mento ſordida charta juvat.

O Clemens, ſi prior adveneris in regionem Euganeam Helicaonis, & in agros pictos pampineis collibus: perfer Ateſtinæ Sabinæ verſus nondum editos, ſed modo tectos purpurea toga. Ut grata eſt roſa quæ carpitur prima manu, ſic libri novi nec ſordida barba placent.

Si prior Euganeas.] hoc eſt Patavinam regionem: Euganei qui & *Heneti*, & poſtea *Veneti* dicti, Italiæ ſunt populi, Venetorum hodie imperii. Eorum regio *Marca Travisana* vocatur. Sic Ortelius. Vide Livium lib. 1. ubi deſcribit quomodo Agenor fugarit populos qui illas terras tenerent. *Helicaonis.*] qui fuit filius Antenoris, a quo conditum fuit Patavium. Legunt alii,

——— *Heliconis in oras,*

male. Vide epig. 152. lib. 14.

Nos Helicaonia de regione ſumus.

Purpurea ſed.] Vide epig. 2. lib. 3. ubi librum alloquitur Poëta:

Et te purpura delicata velet.

Metiturque.] Tunc enim pulcherrima, ſed manibus attrectata marceſcit.

Nec mento ſordida.] hoc eſt, quæ nondum baſiantium barba facta eſt ſordida, epig. 67. lib. 6.

Quæ trita duro non inhorruit mento.

Munuſculum pomorum. XCIV.

NON mea Maſſylus ſervat pomaria ſerpens,
Regius Alcinoi nec mihi ſervit ager:
Sed Nomentana ſecurus germinat hortus
Arbore, nec furem plumbea mala timent.
Hæc igitur, media quæ ſunt mihi nata Subura,
Mittimus Autumni cerea poma mei.

Maſſylus ſerpens non cuſtodit mea pomaria, nec regius ager Alcinoi pertinet ad me, ſed hortus tutus germinat Nomentana arbore, nec plumbea poma metuunt furem. Mittimus ergo hæc flaventia poma mei Autumni, quæ mihi creverunt media Subura.

Non

Non mea Massylus.] De aureis Hesperidum hortis in Massylia custoditis a serpente egimus epig. 104. lib. 9. & epig. 64. lib. 4. ubi & de hortis Alcinoi; & epig. 41. lib. 7.

Sed Nomentana.] Jam de Nomentano suo prædio egit Poëta epig. 43. lib. 6. in quo poma plumbea, hoc est vilia & immitia, tuta erant a furibus.

Mihi nata Subura.] hoc est empta Romæ: Subura quippe vicus erat ubi poma & herbæ vendebantur, epig. 61. lib. 9. *Autumni.*] id est horti, vel matura Autumni tempore. *Mihi nata.*] Alii *modo nata.*

XCV.

Ad Avitum,

Hispanos agros Romanis anteponendos esse. XCVI.

SÆPE loquar nimium gentes quod, Avite, remotas
Miraris, Latia factus in urbe senex;
Auriferumque Tagum sitiam, patriumque Salonem,
Et repetam saturæ sordida rura casæ.
Illa placet tellus, in qua res parva beatum
Me facit, & tenues luxuriantur opes.
Pascitur hîc, ibi pascit ager, tepet igne maligno
Hîc focus, ingenti lumine lucet ibi.
Hîc pretiosa fames, conturbatorque macellus,
Mensa ibi divitiis ruris operta sui.
Quatuor hîc æstate togæ, pluresve teruntur:
Autumnis ibi me quatuor una tegit.
I, cole nunc reges, quidquid non præstat amicus,
Cum præstare tibi possit, Avite, locus.

O Avite, miraris quod ego factus senex Roma in urbe sæpe nimis prædicem remotas nationes, & sitiam auriferum Tagum, & Salonem patrium, & redeam in sordidos agros casæ fertilis. Amo illam terram, in qua res exigua beat me, in qua tenues opes sufficiunt luxui. Hîc pascitur ager, illic pascit, hîc caminus calet maligna flamma, illic splendet ingenti luce. Hîc fames cara est, & macellus decoctor, illic mensa extruitur opibus sua villæ. Hîc æstate quatuor togæ aut plures teruntur: illic una tegit me quatuor autumnis. Age nunc, cole patronos, ô Avite, cum locus possit tibi præbere quicquid non præbet amicus.

Remotas.] Hispanas intellige.

Tagum sitiam.] Gratas Tagi undas, quas sitiebat Poëta, intellige: Domitius male videtur intelligere *Sitiam* Hispaniæ urbem.

Salonem.] de quo fluvio dictum epig. 50. lib. 1.

Pascitur hîc.] Ita epig. 58. supra, cultura nimirum & stercoratione pascuntur agri: hoc est, Romana rura sterilia sunt platanis tantum & lauris consita.

Igne maligno.] quia Romæ emebantur ligna.

Conturbatorque macellus.] ubi venduntur omnia ciborum genera quæ ad victum necessaria sunt. *Conturbator* eo sensu dicitur, quo aper lib. 7. epig. 26. hoc est: tanto pretio res ad victum necessariæ Romæ venduntur, ut facile decoquatur patrimonium. Legunt alii,

——— *conturbatrixque macelli*
Mensa. ———

Alii, *conturbaturque macellus.*

Autumnis quatuor.] hoc est quatuor annis.

Locus.] id est patria.

De

De Numa, qui ſcripto herede Martiali convaluit. XCVII.

DUM levis arſura ſtruitur Libitina papyro,
Dum myrrham & caſiam flebilis uxor emit:
Jam ſcrobe, jam lecto, jam pollinctore parato
Heredem ſcripſit me Numa: convaluit.

Dum levis Libitina ſtruitur papyro urenda, dum flebilis uxor mercatur myrrham & caſiam, jam tumulo, jam lecto, jam pollinctore inſtructo, Numa inſtituit me heredem: evaſit ex morbo.

Libitina.] Dea funerum præſes, epig. 43. lib. 8. hîc ſumitur pro iis quæ ad curandum funus pertinent: hoc eſt, dum rogus paratur, in quo præter arida ligna papyrus quoque ponebatur, ut facilius cremaretur corpus, epig. 44. lib. 8.

Fartus papyro dum tibi torus creſcit.

Levis dicitur: ſtructus enim papyro rogus videtur eſſe levis; vel forte melius inconſtantem Libitinam hîc intelligas, quæ pepercerit Numæ.

Dum myrrham.] Aromata quippe in rogum injiciebantur.

Pollinctore.] qui corpus mortui lavat atque ungit, pollinctor dicitur, quaſi pellis unctor, Turnebus lib. 28. cap. 31.

Convaluit.] In hac voce jocus eſt, quaſi dicat ideo convaluiſſe Numam, ut ipſe infelix ejus hereditatem non conſequeretur.

In Publium ægre ferentem a Martiali inſpici formoſos miniſtros. XCVIII.

ADDAT cum mihi Cæcubum miniſter
Idæo reſolutior cinædo,
Quo nec filia cultior, nec uxor,
Nec mater tua, nec ſoror recumbit:
Vis ſpectem potius tuas lacernas,
Et citrum vetus, Indicoſque dentes?
Suſpectus tibi ne tamen recumbam,
Præſta de grege, ſordidaque villa
Tonſos, horridulos, rudes, puſillos
Hircoſi mihi filios ſubulci.
Perdet te pudor hic. habere, Publi,
Mores non potes hos, & hos miniſtros.

Cum mihi fundat Cæcubum ſervus mollior Idæo cinædo, quo nec ornatior filia, nec uxor, nec genitrix tua, nec ſoror recumbit. Viſne ut aſpiciam potius tuas lacernas, & citrum antiquum, & dentes Indicos? Nihilominus ne recumbam ſuſpectus tibi præbe mihi de grege, & ſordida villa filios male olentis ſubulci tonſos, horridulos, rudes, puſillos. Hic pudor perdet te. O Publi, nequis habere hos mores & hos ſervos.

Idæo cinædo.] hoc eſt Ganymede.

Et citrum vetus.] menſam citream operis antiqui, & dentes eburneos quibus fulcitur, epig. 43. lib. 2.

Suſpectus tibi.] epig. 26. lib. 9.

Subulci.] Gallice *porcher.*

Perdet te pudor.] quo afficeris dum ſpectantur tui miniſtri: hoc eſt, ille pudor nocebit tuæ famæ: pudor enim dicitur ob aliquam rem ſordidam timor.

Mores.] Caſtos mores habere nequis, & tam formoſos pueros.

De

De figura Socratis. XCIX.

SI Romana forent hæc Socratis ora, fuissent
Julius in Satyris qualia Rufus habet.

Si hic vultus Socratis Romanus foret, talis fuisset qualis est Julio Rufo in suis Satyris.

Si Romana.] hoc est: Si hic Socratis vultus Romano more esset formatus, similis foret severæ fronti Julii Rufi, qui gravitate Socratica in suis Satyris vitia carpit. De Rufo Plinius lib. 5. epist. 21. & lib. 7. epist. 25. Scriverius aliter explicat: hoc est, inquit: Si hæc Socratis imago Romano cultu effingeretur, certe ad vivum exprimeret gravitatem Julii Rufi, qualis deridetur a Satyricis, *vel* qui refert Satyrum. Namque & Socrates fuit naso simo, & oculis emissitiis, Sileno haud absimilis, uti describitur a Platone & Xenophonte. *Vel*: Si hæc Socratis imago cultu Romano expressa esset, posset quidem haberi pro effigie Julii Rufi, quæ posita est in Satyris, loco quodam in octava regione urbis, ubi spectantur quatuor Satyrorum imagines. Judicet lector.

In commiscentem versus operi suo. C.

QUID, stulte, nostris versibus tuos misces?
Cum litigante quid tibi miser libro?
Quid congregare cum leonibus vulpes,
Aquilisque similes facere noctuas quæris?
Habeas licebit alterum pedem Ladæ,
Inepte frustra crure ligneo curres.

O Demens, quid confundis tua carmina cum nostris? O infelix, quid tibi rei est cum libro litigante? Quid quæris conjungere vulpes cum leonibus, & facere bubones similes aquilis? Quamvis habueris alterum pedem Ladæ, o inepte, frustra curres crure ligneo.

Quid stulte.] Vide epig. 54. & 73. lib. 1. *Cum litigante.*] qui tibi litem intendit, & tibi dicit, Fur es, epig. 54. lib. 1.

Stat contra, dicitque tibi tua pagina, Fur es.

Quid congregare.] Sensus est: Quid nobilibus atque egregiis versibus conjungis tuos ineptos & viles?

Habeas licebit.] hoc est, commiscens tua carmina cum meis, non magis eris bonus Poëta, quam cursor egregius esses si haberes alterum pedem Ladæ cursoris velocissimi, epig. 86. lib. 2. cum aliunde alterum habeas ligneum.

De Capitolino quem laudat ab urbana dicacitate, & Galbæ anteponit. CI.

ELYSIO redeat si forte remissus ab agro
Ille suo felix Cæsare Galba vetus,
Qui Capitolinum pariter, Galbamque jocantes
Audierit: dicet, rustice Galba, tace.

Si forte antiquus ille Galba felix suo Cæsare revertatur remissus a campis Elysiis, qui audierit Capitolinum simul & Galbam cavillantes: dicet, O inurbane Galba, sile.

Galba vetus.] scurra Cæsaris Augusti, epig. 42. lib. 1.

Qui Galbam salibus tuis, &c.

Si comparetur cum Capitolino, de quo nihil invenio, rusticus atque insulsus videbitur.

CII.

CII.

Ad municipes Bilbilitanos. CIII.

MUNICIPES augusta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidis quos Salo cingit aquis:
Ecquid læta juvat vestri vos gloria vatis?
Nam decus & nomen, famaque vestra sumus.
Nec sua plus debet tenui Verona Catullo,
Meque velit dici non minus illa suum.
Quatuor accessit trigesima messibus æstas,
Ut sine me Cereri rustica liba datis.
Mœnia dum colimus dominæ pulcherrima Romæ,
Mutavere meas Itala regna comas.
Excipitis reducem placida si mente, venimus:
Aspera si geritis corda, redire licet.

O Municipes, quos mihi producit angusta Bilbilis monte aspero, quos circundat Salo velocibus undis: nunquid vobis places læta gloria vestri Poëtæ? Nam ornamentum & nomen, & fama vestra sumus. Nec elegans Catullus plus meritus est de sua Verona, nec illa minus cupiat me dici suum. Dum me absente offertis Cereri liba rustica, quatuor & triginta anni elapsi sunt. Dum colimus pulcherrimos muros Romæ dominæ, Itala regna mutaverant meos capillos. Accedimus, si lubenti animo excipitis reducem; si geritis corda aspera, fas erit reverti.

Ad Bilbilitanos.] Alii addunt *agros*.
Municipes.] hoc est, O cives Bilbilitani mei populares.
Bilbilis acri.] Alii *Bilbilis agri*, alii *Bilbilis alto*, epig. 50. lib. 1.
Videbis altam, Liciane, Bilbilim.
Ubi egimus etiam de Salone fluvio.
Ecquid læta.] Vide epig. 62. lib. 1. A claris Poetis multum illustrantur civitates.
Tenuem Catullum vocat, hoc est elegantem vel levem, quod versus leviores, teneros & delicatissimos scripserit, epig. 62. lib. 1.
Rustica liba.] quæ fiebant ex lacte, sesamo, & melle; Cererem vero ut frugum inventricem colebant rustici.
Mutavere meas.] hoc est, canæ factæ sunt meæ comæ.

Ad librum
Flacco comitem iturum in Hispaniam. CIV.

I Nostro comes, i libelle Flacco,
Longum per mare sed faventis undæ,
Et cursu facili, tuisque ventis
Hispanæ pete Tarraconis arces.
Illinc te rota tollet, & citatus,
Altam Bilbilin, & tuum Salonem
Quincto forsitan essedo videbis.
Quid mandem tibi quæris? ut sodales
Paucos, & veteres, & ante brumas
Triginta mihi quatuorque visos
Ipsa protinus a via salutes,
Et nostrum admoneas subinde Flaccum,

O Liber, comitare nostrum Flaccum per longum mare, sed unda placida, & cursu facili, & secundis ventis adi arces Tarraconis Hispanæ. Illinc currus vehet te, & celer quinto forte vehiculo spectabis altam Bilbilim, & tuum Salonem. Rogas quid committam tibi? Ut statim ab ipsa via salutes paucos sodales, & antiquos, nec visos a triginta quatuor annis, atque identidem admoneas nostrum Flaccum,

Jucun-

Jucundos mihi nec laboriosos
Seceſſus ſpatio paret ſalubri,
Qui pigrum faciant tuum parentem.
Hæc ſunt. jam tumidus vocat magiſter,
Caſtigatque moras, & aura portum
Laxavit melior: vale libelle:
Navem, ſcis puto, non moratur unus.

ut loco ſalubri inſtruat mihi ſeceſſus gratos, nec moleſtos ipſi, qui afferant inertiam tuo patri. Hac ſunt mea mandata. *Jam magiſter arrogans vocat atque increpat moras, & aura melior aperuit portum. Vale libelle, opinor, non ignoras, unus non moratur navem.*

Flacco.] Alii *Flavo.*

Tarraconis.] urbis celebris in Hiſpania, hodie *Tarragona*, a qua denominatur provincia Tarraconenſis, in qua erat Bilbilis. Vide epigramma præcedens. Senſus eſt: Tarraconem uſque navigabis, unde Bilbilim eſſedo veheris.

Quincto eſſedo.] Eſſedum genus vehiculi, quo vectus quinto itineris die pervenies Bilbilim.

Ipſa protinus a via.] hoc eſt, ſtatim a tuo adventu.

Spatio ſalubri.] Legunt alii *pretio ſalubri*, hoc eſt modico pretio.

Qui pigrum.] Carmina ſunt ingenii partus, quorum auctores parentes dicuntur: hoc eſt: Flaccus, ſive Flavus, ut ſcribunt alii, mihi paret hoſpitium, ubi in otio conſeneſcam.

Tumidus.] hoc eſt imperioſus navarchus. Similis eſt locus apud Juvenalem ſat. 3.

Nam mihi commota jamdudum mulio virga
Innuit, &c.

Laxavit.] Solventibus nempe e portu navibus.

M. VAL.



X *Lib.* 44 *epigr.* 1 *verf.*
Britannos] Britanniam, inter undas globo insidentem, vel & rupibus innitentem cernimus, in Antonini *Num.*



XI *Lib.* 70 *epigr.* 8 *verf.*
Dulichio cani] Argo, qui, post 20 annos herum agnoscens, occurrit in *Denario* gentis Mamiliæ, apud *Patini Fulv. Urfinum* & *Chonltum*.



X *Lib.* 58 *epigr.* 10 *verf.*
Sancte Quirine] Romule; quem regem ostendunt Denarii Calpurniorum, apud *Patini Fulv. Urfinum*.



XI *Lib.* 6 *epigr.* 2 *verf.*
Numa] Cujus diadematum caput obvium in *Denariis* Calpurniorum, apud *Patini Fulv. Urfinum*.



XI *Lib.* 5 *epigr.* 1 *verf.*
Troja heres] Æneas, qui parentem gerens & Palladium cæteraque Phrygum sacra, frequens in *Num.* Juliæ gentis, ut & impp.



XI *Lib.* 6 *epigr.* 1 *verf.*
Cæsar] Trajane; quem præferunt Latinorum Græcorumque *Nummi* plurimi, laureatum radiatumve.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER XI.

Ad librum quem exiturum, atque affectantem palatia coërcet. I.

QUo tu, quo, liber otiose, tendis,
Cultus findone non quotidiana?
Numquid Parthenium videre tentas?
Vadas, & redeas inevolutus:
Libros non legit ille, sed libellos:
Nec Musis vacat, aut suis vacaret.
Ecquid te satis æstimas beatum,
Contingunt tibi si manus minores?
Vicini pete porticum Quirini:
Turbam non habet otiosiorem
Pompeius, vel Agenoris puella,
Vel primæ dominus levis carinæ.
Sunt illic duo, tresve, qui revolvant
Nostrarum tineas ineptiarum:
Sed cum sponsio, fabulæque lassæ
De Scorpo fuerint, & Incitato.

INTERPRETATIO.

O liber otiose, quo tu vadis ornatus sindone non vulgari? Nonne conaris videre Parthenium? Eas, & revertaris non explicatus. Ille non evolvit libros, sed libellos supplices: *nec dat operam Musis, aut dis et suis. Nunquid te putas satis felicem, si manus minores terunt te? Adi porticum vicini Quirini: Pompeius, vel filia Agenoris, vel inconstans dominus primæ navis non habet turbam otiosiorem. Ibi sunt duo, aut tres, qui excutiant tineas mearum ineptiarum: at cum sponsio & fabula absoluta fuerint de Scorpo, vel Incitato.*

NOTÆ.

Liber otiose.] quia absolutus erat, atque ita domi otiosus.

Cultus sindone.] hoc est purpura involutus. Vide epig. 42. lib. 3. & epig. 6. lib. 5. & epig. 45. lib. 4. ubi egimus de Parthenio qui Domitiano erat a cubiculo. Cum autem, teste Aurelio Victore, Parthenius interfectus fuerit initio imperii Nervæ, hic vero liber in lucem prodierit, Imperante Trajano; dicendum mihi videtur, hunc librum vivo Parthenio inchoatum, & mortuo absolutum atque editum; nisi dicas rationem temporum in epigrammatum libris a Poëta fuisse neglectam.

Videre tentas.] Alii *videre? certe.*

Inevolutus.] hoc est, non lectus. Alii *irrevo-*

Irrevolutus contra legem carminis.

Nec Musis vacat.] Poëtam fuisse Parthenium jam dixit Poëta.

Maius minores.] vulgi nimirum, non aulicorum.

Vicini pete.] De templo Quirini dictum epig. 58. lib. 10. ubi nempe erat porticus, ad quam multi conveniebant confabulaturi.

Pompeius.] hoc est porticus Pompeiana, de qua epig. 14. lib. 2. ubi & de porticu Europes, quæ filia fuit Agenoris.

Vel prima dominus.] Jasonem intelligit, quem sumit pro porticu Argonautarum, epig. 14. lib. 2. & epig. 20. lib. 3. Jason vero omnium primus navigasse fertur a Poëtis.

Levis.] ad navem Argo referunt aliqui; quæ levis dicta est a celeritate: Ἀργὼς enim Latine velox dicitur: sed ad Jasonem melius referas, qui suis in amoribus inconstans fuit.

Tineas.] hoc est mea carmina: quæ tineis escæ relinqui deberent.

Sed cum sponsio.] Turnebus lib. 8. cap. 4. Sponsiones populi depositis pignoribus aut pecunia de alicujus agitatoris victoria factas intelligit.

De Scorpo.] nobili agitatore actum epig. 50. lib. 10. *Incitatus* fuit etiam auriga, epig. 76. lib. 10. *Incitatus* tamen apud Suetonium cap. 55. in Caligula, equus fuit, cui Consulatum destinasse traditur Caligula.

Ad lectores graves ut recedant. II.

TRISTE supercilium, durique severa Catonis
Frons, & aratoris filia Fabricii,
Et personati fastus, & regula morum,
Quidquid & in tenebris non sumus, ite foras.
Clamant ecce mei, io Saturnalia, versus,
Et libet, & sub te præside Nerva licet.

O grave supercilium, & frons austera tristis Catonis, & filia Fabricii aratoris, & personati fastus, & regula morum, & quicquid non sumus noctu; facessite hinc. En mea carmina clamant, io Saturnalia; & placet, & licet, ô Nerva, sub te principe.

Aratoris filia.] Patris nempe gravissimi mores referens.

Et regula morum.] hoc est censura.

Quicquid.] hoc est, castitas & pudicitia, hinc etiam recedite; in tenebris enim nullus pudor.

Clamant ecce mei.] Saturnaliorum tempore magna erat licentia. Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 10.

Et libet.] Alii *licet*, minus bene.

Sub te præside.] Tunc enim magna libertate fruebantur Romani.

Ad lectores tetricos. III.

LECTORES tetrici salebrosum ediscite Sanctram:
Nil mihi vobiscum est: iste liber meus est.

O Lectores severi, mandate memoriæ durum Sanctram: nihil habeo agendum vobiscum: hic liber meus est.

Sanctram.] qui Poëta nec lepidus nec numerosus fuit, epig. 29. lib. 7. Sanctræ cujusdam gulosi meminit Poëta.

Iste liber meus.] Nec vobis convenit propter jocos & facetias.

Ut

De suis libellis, quos ubique legi, sed nullum inde fructum percipere se dicit. IV.

NON urbana mea tantum Pimpleide gaudent
Otia, nec vacuis auribus ista damus:
Sed meus in Geticis ad Martia signa pruinis
A rigido teritur centurione liber.
Dicitur & nostros cantare Britannia versus.
Quid prodest? nescit sacculus ista meus.
At quam victuras poteramus pangere chartas,
Quantaque Pieria prælia flare tuba!
Cum pia reddiderint Augustum numina terris,
Et Mæcenatem si mihi Roma daret.

Non solo quiet urbis delectatur mea Pimpleide, nec damus ista otiosis auribus: sed meus liber attrectatur a duro centurione in pruinis Geticis prope signa Martis. Britannia quoque fertur canere mea carmina, quid proficit? Mea crumena ignorat ista. At quam poteramus scribere versus non perituros, & quanta certamina canere tuba Pieria! cum dii pii restituerint Augustum terris, si Mæcenatem quoque mihi daret Roma!

Non urbana.] hoc est, Non soli cives otiosi delectantur meis versibus. Musæ dictæ sunt Pimpleides a Pimplæo Macedoniæ fonte ipsis sacro.

In Geticis.] De Getis dictum epig. 11. lib. 8. & epig. 104. lib. 9. In Getas vero expeditionem suscepit Trajanus, in cujus castris legebantur versus Martialis.

Nescit sacculus.] hoc est, inde non colligo pecuniam.

Augustum.] Nervam alii. Melius intelligunt alii Trajanum alterum Augustum Romæ restitutum a diis: At mihi, inquie Poëta, nullus Mæcenas datur, cujus munificentia in Horatium nota est.

Precatur deos pro Nerva Trajano. V.

SACRA, Laresque Phrygum, quos Trojæ maluit heres,
Quam rapere arsuras Laomedontis opes:
Scriptus es æterno nunc primum Juppiter auro,
Et soror, & summi filia tota patris:
Et qui purpureis jam tertia nomina fastis
Jane, refers Nervæ, vos precor ore pio.
Hunc omnes servate ducem, servate senatum:
Moribus hic vivat principis, ille suis.

O Sacra, & Lares Phrygum, quos auferre maluit heres Troja, quam ardendas opes Laomedontis: O Jupiter, nunc primum factus es ex auro æterno, & soror & filia tota genitoris supremi: & tu, ô Jane, qui jam ter refers nomen Nervæ in fastos purpureos, vos oro ore pio. O vos omnes, servate hunc Imperatorem, servate Senatum, hic vivat moribus Principis, ille vero suis.

Precatur.] Alii, *Votum pro Nerva Trajano, & Senatu.*

Trojæ heres.] hoc est Æneas. Virgilius 2. Æneid.

> *Tu genitor cape sacra manu, patriosque Penates*, &c.

Legunt alii, *Troja heres*, & forte melius: Æneas enim non fuit filius Priami, atque ita nec successor, superstitibus nempe aliis Priami filiis aut nepotibus.

Laomedontis opes.] Laomedon pater fuit Priami: a pietate Poëta laudat Æneam, qui neglectis opibus deos flammis eripuit.

Æterno auro.] hoc est, aurea imagine nun-

nunquam peritura effictus es a Trajano.

Et soror.] Juno, & Minerva quæ tota est patris Jovis, e cujus cerebro producta sine matre.

Jam tertia.] De Jano epig. 2. lib. 8. cui facer mensis Januarius, quo consulum nomina referebantur in Fastos.

Nervæ.] Trajani scilicet adoptati a Nerva, cujus nomen retinuit.

Ille suis.] sanctissimis nempe.

In laudem Nervæ Trajani. VI.

TANTA tibi est recti reverentia Cæsar, & æqui,
Quanta Numæ fuerat: sed Numa pauper erat.
Ardua res hæc est, opibus non tradere mores,
Et cum tot Crœsos viceris, esse Numam.
Si redeant veteres, ingentia nomina, patres,
Elysium liceat si vacuare nemus.
Te volet invictus pro libertate Camillus,
Aurum Fabricius te tribuente volet.
Te duce gaudebit Brutus: tibi Sylla cruentus
Imperium tradet, cum positurus erit.
Et te privato cum Cæsare Magnus amabit:
Donabit totas & tibi Crassus opes.
Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris,
Si Cato reddatur, Cæsarianus erit.

O Cæsar, tam colis justitiam & æquitatem, quam Numa coluerat: sed Numa egenus erat. Hæc est res difficilis, non corrumpi mores a divitiis, atque esse Numam, cum superaveris tot Crœsos. Si prisci patres, ingentia nomina, revertantur, & fas sit evacuare Elysium nemus: Camillus invictus pro libertate te expetet principem, *Fabricius expetet aurum te donante: Brutus lætabitur te Imperatore: Sylla cruentus tibi cedet imperium, cum erit depositurus, & Magnus* Pompeius *diliget te cum Cæsare privato: & Crassus dabit tibi omnes* suas *divitias. Si ipse etiam Cato restituatur revocatus ab umbris infernis Plutonis, Cæsarianus erit.*

Tot Crœsos.] hoc est tot divites. Crœsus quippe rex fuit ditissimus, cujus historia nota ex Herodoto.

Ingentia nomina.] per appositionem, hoc est, quorum veterum nomina summa in admiratione sunt.

Elysium.] Vide epig. 58. lib. 6.

Pro libertate.] Alii *præ libertate.* Videat lector. Camillus exul Dictator creatus ab obsidio Gallorum ingratam patriam liberavit. Livius lib. 5. Decadis 1.

Fabricius.] de cujus abstinentia Gellius lib. 1. cap. 14.

Brutus.] qui exactis Tarquiniis Romam in libertatem asseruit, Livius lib. 1. Decad. 1. aut alterum Brutum Cæsaris percussorem intellige.

Sylla.] Cujus crudelitas in cives Romanos nota ex Plutarcho, Salustio, & aliis.

Magnus.] Pompeius nempe, qui cum Julio Cæsare bellum civile gessit fuse descriptum a Lucano.

Crassus.] Romanus civis ditissimus, Valerius Maximus lib. 6. cap. 11. Plinius lib. 21. cap. 3.

Cato.] Uticensis, qui se ipsum interfecit, ne in Julii Cæsaris manus incideret vivus: attamen licet Cæsaris imperium occupantis inimicissimus se tibi mitissimo principi ultro submitteret.

Ad Romam, & Dindymum de Saturnalibus hilariter celebrandis. VII.

UNCTIS falciferi senis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus,
Versu ludere non laborioso

Lautis diebus falciferi senis, quibus dominatur regnator fritillus, ô pilsata Roma, sinis,

Per-

Permittis, puto, pileata Roma.
Risisti: licet ergo, nec vetamur.
Pallentes procul hinc abite curæ:
Quidquid venerit obvium loquamur,
Morosa sine cogitatione.
Misce dimidios puer trientes,
Quales Pythagoras dabat Neroni:
Misce, Dindyme, sed frequentiores.
Possum nil ego sobrius, bibenti
Succurrent mihi quindecim Poëtæ.
Da nunc basia, sed Catulliana,
Quæ si tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi passerem Catulli.

opinor, jocari carmine non molesto. Risisti: igitur fas est, nec prohibemur. Anxietates pallidæ, recedite hinc longe: loquamur quicquid venerit in buccam sine tetrica cogitatione. O serve, funde dimidios trientes, quales fundebat Pythagoras Neroni: O Dindyme, funde sed frequentiores. Ego siccus nihil possum scribere: *quindecim Poëtæ subvenient mihi potanti. Nunc liba oscula, sed Catulliana, quæ si tot fuerint quot dixit ille, dabo tibi passerem Catulli.*

Falciferi.] Saturni falcem gerentis.

Imperat fritillus,] Tunc alea impune ludebant omnes: fritilli sunt turriculæ, ex quibus ejiciuntur aleæ. Vide epig. 14. lib. 4. & 85. lib. 5.

Pileata Roma.] Saturnalium tempore servi velut domini pileati incedebant. Turnebus lib. 8. cap. 4. Romani Saturnalibus pileum gerebant, aliis diebus nudo capite erant, aut caput veste velabant. Itaque veteres nullæ Romanorum statuæ cum pileo visuntur, &c. Lipsius etiam videndus de Amphitheatro cap. 19.

Risisti.] Risu consentire visa es. De trientibus alibi.

Pythagoras.] cui in modum solennium conjugiorum nupsit Nero, Tacitus lib. 15. Annalium.

Bibenti.] hoc est, inquit Farnabius, calens mero fundam carmina, & exprimam ingenia quindecim simul Poëtarum.

Dabo tibi.] Componam versus non minus gratos iis quos de passere Lesbiæ scripsit Catullus.

In Paullam mœcham. VIII.

JAM certe stupido non dices, Paulla, marito,
Ad mœchum quoties longius ire voles,
Cæsar in Albanum jussit me mane venire,
Cæsar Circeios. jam stropha talis abit.
Penelope licet esse tibi sub principe Nerva:
Sed prohibet scabies ingeniumque vetus.
Infelix, quid ages? ægram simulabis amicam?
Hærebit dominæ vir comes ipse suæ:
Ibit & ad fratrem tecum, matremque, patremque.
Quas igitur fraudes ingeniosa paras?
Dicet & ictericam se forsitan altera mœcha
In Sinuessano velle sedere lacu.
Quanto tu melius, quoties placet ire fututum,
Quæ verum mavis dicere, Paulla, viro.

O Paulla, quoties voles longius ire ad adulterum, jam sane non dices hebeti viro, Cæsar imperavit mane me adire Albanum, aut *Circeios. Jam talis dolus sublatus est. Potes esse Penelope sub principe Nerva: sed impedit scabies, & natura inveterata. Misera, quid facies? Fingesne ægrotare amicam? Maritus ipse comitabitur suam dominam: atque adhibit secum fratrem, & patrem, & matrem. Quos igitur dolos artificiosa moliris? Forte altera adultera dicet, se ictericam velle sedere in lacu Sinuessano. Quanto tu melius . . .*
. . . . .
ô Paulla, quæ mavis proferre veritatem marito.

Paulla.] de qua jam epig. 75. lib. 1.

Cæsar.] Domitianus, cujus jussu in Albanum, ubi quinquatria celebrabantur, epig. 1. lib. 4. ita se dicebat Paulla: mot-

tuo

tuo autem Domitiano hoc prætexere nequibat.
Circeios.] promontorium Latii.
Stropha.] fallacia est, epig. 7. lib. 3.
Penelope.] cujus pudicitia a Poëtis celebrata est.
Scabies.] pruritus, & vetus tua libido.
Ictericam.] Gallice *qui a la jaunisse.* Turnebus lib. 8. cap. 4. legit *hystericam*, ut morbus vulvæ intelligatur, qui libidine plerumque levatur. ὑστέρα vulva. Vide epig. 72. infra.
In Sinuessano.] cujus aquæ erant saluberrimæ. Plinius lib. 31. cap. 2.
Quæ verum mavis.] quæ mavis fateri libidinem, quam dolosa excusatione uti.

IX.

De statua Memoris Poëtæ tragici. X.

CLARUS fronde Jovis Romani fama cothurni,
Spirat Apellea redditus arte Memor.

Memor insignis fronde Jovis, & decus Romani cothurni expressus arte Apellea spirat.

De statua.] melius *de pictura*, cum Apelles pictor fuit nobilissimus, non vero statuarius, epig. 83. lib. 7.
Clarus fronde Jovis.] hoc est ornatus quernea corona. Vide epig. 54. lib. 4.
Cothurni.] qui tragicorum proprius fuit, epig. 20. lib. 3.
Spirat Apellea.] Alii *Apollinea*, ut statuam Memoris, inquit Raderus, in Apollinis templo inter aliorum Poëtarum imagines collocatam intelligas. Videat lector.

De Turno Poëta satyrico. XI.

CONTULIT ad satyras ingentia pectora Turnus.
Cur non ad Memoris carmina? frater erat.

Turnus applicuit ingentia pectora ad satyras, cur non ad versus Memoris? Frater erat.

Turnus.] cujus meminit epig. 96. lib. 7. non scripsit tragœdias, ne fratris Memoris æmulus videretur.

Ad puerum suum, veterum pocula esse revocanda. XII.

TOLLE puer calices tepidique toreumata Nili,
Et mihi secura pocula trade manu,
Trita patrum labris, & tonso pura ministro,
Antiquus mensis restituatur honor.
Te potare decet gemma, qui Mentora frangis
In scaphium mœchæ, Sardanapale, tuæ.

Serve, aufer calices, & toreumata tepidi Nili, & manu tuta mihi porrige pocula trita labris patrum, & pura tonso ministro, prisciis decus reddatur mensis. O Sardanapale, mereris bibere in poculo gemmato, qui frangis Mentora ad conficiendum scaphium tua adulteræ.

Toreumata.] Vide epig. 39. lib. 4. Poëta intelligit vasa crystallina, quæ ex Ægypto Romam afferebantur.
Secura manu.] hoc est, pocula quæ è manibus lapsa non franguntur; vel quorum fractorum parva sit jactura.
Trita patrum.] quibus usi sunt majores.
Et tonso pura.] ministrata non a comato & de-

& delicato, ſed a rudi atque ſimplici puero.

Qui Mentora.] hoc eſt: Tu, ô Sardanapale (forte alludit ad Sardanapalum illum regem effœminatum, de quo Diodorus Siculus lib. 8.) qui frangis

Pocula Mentorea nobilitata manu,

ut dixit epig. 60. lib. 9. ut nempe matula conficiatur tuæ mœchæ, dignus es, qui bibas impuro illo poculo gemmis ornato. Alii ſic legunt,

Te potare decet gemma, qui Mentora frangis?

In ſcaphio mœcha, Sardanapale, tua.

hoc eſt: Magis tibi convenit matula tuæ mœchæ, in qua bibas, quam pocula gemmata quæ frangis.

In Zoilum ignobilem. XIII.

JUs tibi matorum vel ſeptem, Zoile, detur,
Dum matrem nemo det tibi, nemo patrem.

O Zoile, obtineas jus vel ſeptem liberorum, modo nullus tibi det genitorem, nullus genitricem.

Jus tibi.] Non petebatur jus niſi trium liberorum, epig. 91. lib. 2. At, inquit Poëta, vel ſeptem, vel plurium liberorum jus obtineat Zoilus, ſemper tamen obſcurus erit, & terræ filius.

Epitaphium Paridis hiſtrionis. XIV.

QUISQUIS Flaminiam teris, viator,
Noli nobile præterire marmor.
Urbis deliciæ, ſaleſque Nili,
Ars & gratia, luſus & voluptas,
Romani decus, & dolor theatri,
Atque omnes Veneres, Cupidineſque,
Hoc ſunt condita, quo Paris, ſepulcro.

O Viator, quiſquis ambulas per Flaminiam, ne prætereas illuſtre marmor. Deliciæ urbis, & ſales Nili, ars & gratia, jocus & voluptas, honor & mæror Romani theatri, atque omnes Veneres & Cupidines, ſepulta ſunt hoc tumulo, quo Paris.

Quiſquis Flaminiam.] Vide epig. 28. lib. 6. huic ſimile, & epig. 29. lib. 9.

Marmor.] id eſt ſepulcrum marmoreum.

Saleſque Nili.] Ægyptii nempe lepido atque acuto ingenio valent.

Romani decus.] Plauti epitaphium apud Gellium lib. 1. cap. 24. huic ſimile eſt.

Paris.] Suetonius in Domitiano cap. 3. *Deinde uxorem ſuam Domitiam, ex qua in ſecundo ſuo conſulatu filium tulerat, Paridis hiſtrionis amore deperditam repudiavit.* Paridem vero interfici juſſit Domitianus, ut conſtat ex Dione in Domitiano. Hujus Paridis meminit Juvenalis.

De colono brevi. XV.

HEREDES nolite brevem ſepelire colonum.
Nam terra eſt illi quantulacumque gravis.

O Heredes, nolite humare brevem colonum. Nam quantulacumque terra eſt gravis illi.

Sepelire colonum.] qui cum ſit brevis ſtaturæ, vel leviſſimæ terræ ferendæ non erit par: Poëta autem ludit in hac formula, *ſit tibi terra levis*, de qua epig. 89. lib. 1.

De libro suo quem aliis nequiorem esse dicit. XVI.

SUNT chartæ mihi, quas Catonis uxor,
Et quas horribiles legant Sabinæ.
Hic totus volo rideat libellus,
Et sit nequior omnibus libellis:
Qui vino madeat, nec erubescat
Pingui sordidus esse Cosmiano.
Ludat cum pueris, amet puellas:
Nec per circuitus loquatur illam
Ex qua nascimur omnium parentem,
Quam sanctus Numa mentulam vocabat.
Versus hos tamen esse tu memento
Saturnalicios Apollinaris.
Mores non habet hic meus libellus.

Habeo libros, quos uxor Catonis, & quos evolvant inculta Sabinæ. Placet ut hic integer libellus rideat, & sit lascivior omnibus libellis: qui madeat vino, nec erubescat sordere pingui Cosmiano. Jocetur cum pueris, diligat puellas: nec per circuitus dicat illam parentem omnium, ex qua gignimur, quam sanctus Numa appellabat. . . . . . Nihilominus, ô Apollinaris, recordare hæc carmina esse Saturnalicia: meus hic liber caret moribus.

Sunt mihi.] Alii mei libri possunt legi vel a gravissimis & castissimis Sabinis.

Cosmiano.] hoc est unguento Cosmi, de quo epig. 88. lib. 1.

Saturnalicios.] usos licentia Saturnalibus permissa, epig. 2. supra.

Ad lectores graves ut recedant. XVII.

QUI gravis es nimium, potes hinc jam lector abire
Quo libet, urbanæ scripsimus ista togæ.
Nam mea Lampsacio lascivit pagina versu,
Et Tartessiaca concrepat æra manu.
O quoties rigida pulsabis pallia vena,
Sis gravior Curio, Fabricioque licet!
Tu quoque nequitias nostri, lususque libelli,
Uda puella leges; sis Patavina licet.
Erubuit, posuitque meum Lucretia librum,
Sed coram Bruto: Brute recede, leget.

O Lector qui nimis severus es, potes jam hinc abire quo placet, scripsimus ista togæ urbanæ: mea enim pagina lascivit carmine Lampsacio, & pulsat æra manu Hispana . . . . . . Lucretia erubuit, atque abjecit meum librum, at coram Bruto: ô Brute, recede, evolvet.

Urbana toga.] Plebi, & levioribus personis.

Lampsacio.] Priapeio: Lampsacus urbs est Mysiæ, ubi Priapus colebatur. Ortelius ab aliquibus fuisse collocatam dicit inter Parium & Priapum ad Hellespontum. Ovidius:

Et te ruricola, Lampsace, tuta tuo.

Tartessiaca.] Vide epig. 27. lib. 7.

Concrepat æra manu.] epig. 71. lib. 6.

Edere lascivos ad Bætica crusmata gestus,
&c.

Sed coram Bruto.] Ipsa Lucretia, absente Bruto viro gravissimo, leget meos libros.

Ad

Ad Sabinum, non omnes ſuos verſus eſſe laſcivos. XVIII.

NON omnis noſtri nocturna eſt pagina libri:
Invenies & quod mane, Sabine, legas.

Laſciva non eſt omnis pagina noſtri libri: O Sabine, reperies, & quod legas mane.

Nocturna.] Petulans atque impudica.
Invenies.] verſus ſcilicet, quos etiam ſobrius poſſis legere ſalva verecundia.

In Lupum de prædiolo ſibi dato. XIX.

DONASTI, Lupe, rus ſub urbe nobis:
Sed rus eſt mihi majus in feneſtra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare!
In quo ruta facit nemus Dianæ,
Argutæ tegit ala quod cicadæ,
Quod formica die comedit uno,
Clauſæ cui folium roſæ corona eſt:
In quo non magis invenitur herba,
Quam coſti folium, piperve crudum:
In quo nec cucumis jacere rectus,
Nec ſerpens habitare tuta poſſit.
Erucam male paſcit hortus unam,
Conſumto moritur culex ſalicto,
Et talpa eſt mihi foſſor, atque arator.
Non boletus hiare, non mariſcæ
Ridere, aut violæ patere poſſunt.
Fines mus populatur, & colono
Tamquam ſus Calydonius timetur,
Et ſublata volantis ungue Procnes
In nido ſeges eſt hirundinino,
Et cum ſtet ſine falce, mentulaque,
Non eſt dimidio locus Priapo.
Vix implet cochleam peracta meſſis,
Et muſtum nuce condimus picata.
Erraſti, Lupe, litera ſed una.
Nam quo tempore prædium dediſti,
Mallem tu mihi prandium dediſſes.

O Lupe, mihi dediſti prædium ſuburbanum, ſed habeo majus prædium in feneſtra. Poteſne hoc dicere prædium, poteſne appellare prædium? In quo ruta efficit nemus Dianæ, quod tegitur ala canoræ cicadæ, quod comeditur a formica uno die, cui corona eſt folium roſæ clauſæ: in quo non magis herba reperitur quam folium coſti, aut piper crudum; in quo nec cucumis poſſit jacere rectus, nec ſerpens ſecura habitare. Hortus male paſcit unam erucam, culex perit conſumpto ſalicto, atque habeo talpam foſſorem, atque aratorem. Nec boletus hiare, nec mariſca videre, nec violæ poſſunt explicari. Mus vaſtat fines, & colonus metuit illum veluti aprum Calydonium, & ſeges ſublata ungue volantis Procnes ponitur in nido hirundinis. Et locus deeſt dimidio Priapo, quamvis ſtet ſine falce . . . . .

. . . . . Meſſis abſoluta vix implet cochleam, & condimus muſtum nuce picata. O Lupe, erraſti ſed una litera. Quo enim tempore donaſti prædium, mallem tu mihi donaſſes prandium.

Majus in feneſtra.] Sic prædium ſibi a Lupo datum per varias comparationes valde extenuat Poëta.

Ruta.] herbæ genus, Gallice *de la ruë*, nemora vero Dianæ ſacra fuiſſe ſæpius dictum.

Quam coſti folium.] Radix eſt peregrina eximio odore, Plinius lib. 12. cap. 12. Piper *crudum* dixit, hoc eſt acre, vel nondum maturum.

Mariſca.] Ficus ſunt inſipidæ: alias mariſca ulceris genus eſt.



X *Lib.* 44 *epigr.* 1 *verf.*
Britannos] Britanniam, inter undas globo insidentem, vel & rupibus innitentem cernimus, in Antonini *Num.*



XI *Lib.* 70 *epigr.* 8 *verf.*
Dulichio cani] Argo, qui, post 20 annos herum agnoscens, occurrit in *Denario* gentis Mamiliæ, apud *Patini Fulv. Ursinum* & *Choulium.*



X *Lib.* 58 *epigr.* 10 *verf.*
Sancte Quirine] Romule; quem regem ostendunt Denarii Calpurniorum, apud *Patini Fulv. Ursinum.*



XI *Lib.* 6 *epigr.* 2 *verf.*
Numa] Cujus diadematum caput obvium in *Denariis* Calpurniorum, apud *Patini Fulv. Ursinum.*



XI *Lib.* 5 *epigr.* 1 *verf.*
Troja hæres] Æneas, qui parentem gerens & Palladium cæteraque Phrygum facra, frequens in *Num.* Juliæ gentis, ut & impp.



XI *Lib.* 6 *epigr.* 1 *verf.*
Cæsar] Trajane; quem præferunt Latinorum Græcorumque *Nummi* plurimi, laureatum radiatumve.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER XI.

Ad librum quem exiturum, atque affectantem palatia coërcet. I.

Quo tu, quo, liber otiose, tendis,
Cultus sindone non quotidiana?
Numquid Parthenium videre tentas?
Vadas, & redeas inevolutus:
Libros non legit ille, sed libellos:
Nec Musis vacat, aut suis vacaret.
Ecquid te satis æstimas beatum,
Contingunt tibi si manus minores?
Vicini pete porticum Quirini:
Turbam non habet otiosiorem
Pompeius, vel Agenoris puella,
Vel primæ dominus levis carinæ.
Sunt illic duo, tresve, qui revolvant
Nostrarum tineas ineptiarum:
Sed cum sponsio, fabulæque lassæ
De Scorpo fuerint, & Incitato.

INTERPRETATIO.

O liber otiose, quo tu vadis ornatus sindone non vulgari? Nonne conaris videre Parthenium? Eas, & revertaris non explicatus. Ille non evolvit libros, sed libellos supplices: *nec dat operam Musis, aut diis et suis. Numquid te putas satis felicem, si manus minores terunt te? Adi porticum vicini Quirini: Pompeius, vel filia Agenoris, vel inconstans dominus primæ navis non habet turbam otiosiorem. Ibi sunt duo, aut tres, qui excutiant tineas mearum ineptiarum: at cum sponsio & fabula absolutæ fuerint de Scorpo, vel Incitato.*

NOTÆ.

Liber otiose.] quia absolutus erat, atque ita domi otiosus.

Cultus sindone.] hoc est purpura involutus. Vide epig. 42. lib. 3. & epig. 6. lib. 5. & epig. 45. lib. 4. ubi egimus de Parthenio qui Domitiano erat a cubiculo. Cum autem, teste Aurelio Victore, Parthenius interfectus fuerit initio imperii Nervæ, hic vero liber in lucem prodierit, Imperante Trajano; dicendum mihi videtur, hunc librum vivo Parthenio inchoatum, & mortuo absolutum atque editum; nisi dicas rationem temporum in epigrammatum libris a Poëta fuisse neglectam.

Videre tentas.] Alii *videre? certe.*

Inevolutus.] hoc est, non lectus. Alii *irrevo-*

Irrevolutus contra legem carminis.

Nec Musis vacat.] Poëtam fuisse Parthenium jam dixit Poëta.

Manus minores.] vulgi nimirum, non aulicorum.

Vicini pete.] De templo Quirini dictum epig. 58. lib. 10. ubi nempe erat porticus, ad quam multi conveniebant confabulaturi.

Pompeius.] hoc est porticus Pompeiana, de qua epig. 14. lib. 2. ubi & de porticu Europes, quæ filia fuit Agenoris.

Vel prima dominus.] Jasonem intelligit, quem sumit pro porticu Argonautarum, epig. 14. lib. 2. & epig. 20. lib. 3. Jason vero omnium primus navigasse fertur a Poëtis.

Levis.] ad navem Argo referunt aliqui; quæ levis dicta est a celeritate: Ἀργὸς enim Latine velox dicitur: sed ad Jasonem melius referas, qui fuis in amoribus inconstans fuit.

Tineas.] hoc est mea carmina: quæ tineis escæ relinqui deberent.

Sed cum sponsio.] Turnebus lib. 8. cap. 4. Sponsiones populi depositis pignoribus aut pecunia de alicujus agitatoris victoria factas intelligit.

De Scorpo.] nobili agitatore actum epig. 50. lib. 10. *Incitatus* fuit etiam auriga, epig. 76. lib. 10. *Incitatus* tamen apud Suetonium cap. 55. in Caligula, equus fuit, cui Consulatum destinasse traditur Caligula.

Ad lectores graves ut recedant. II.

TRISTE supercilium, durique severa Catonis
Frons, & aratoris filia Fabricii,
Et personati fastus, & regula morum,
Quidquid & in tenebris non sumus, ite foras.
Clamant ecce mei, io Saturnalia, versus,
Et libet, & sub te præside Nerva licet.

O grave supercilium, & frons austera tristis Catonis, & filia Fabricii aratoris, & personati fastus, & regula morum, & quicquid non sumus noctu; facessite hinc. En mea carmina clamant, io Saturnalia; & placet, & licet, ô Nerva, sub te principe.

Aratoris filia.] Patris nempe gravissimi mores referens.

Et regula morum.] hoc est censura.

Quicquid.] hoc est, castitas & pudicitia, hinc etiam recedite; in tenebris enim nullus pudor.

Clamant ecce mei.] Saturnaliorum tempore magna erat licentia. Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 10.

Et libet.] Alii *licet*, minus bene.

Sub te præside.] Tunc enim magna libertate fruebantur Romani.

Ad lectores tetricos. III.

LECTORES tetrici salebrosum ediscite Sanctram:
Nil mihi vobiscum est: iste liber meus est.

O Lectores severi, mandate memoriæ durum Sanctram: nihil habeo agendum vobiscum: hic liber meus est.

Sanctram.] qui Poëta nec lepidus nec numerosus fuit, epig. 19. lib. 7. Sanctræ cujusdam gulosi meminit Poëta.

Iste liber meus.] Nec vobis convenit propter jocos & facetias.

Ut

De suis libellis, quos ubique legi, sed nullum inde fructum percipere se dicit. IV.

NON urbana mea tantum Pimpleide gaudent
Otia, nec vacuis auribus ista damus:
Sed meus in Geticis ad Martia signa pruinis
A rigido teritur centurione liber.
Dicitur & nostros cantare Britannia versus.
Quid prodest? nescit sacculus ista meus.
At quam victuras poteramus pangere chartas,
Quantaque Pieria prælia flare tuba!
Cum pia reddiderint Augustum numina terris,
Et Mæcenatem si mihi Roma daret.

Non sola gaudet urbis delectatur mea Pimpleide, nec damus ista otiosis auribus: sed meus liber attrectatur a duro centurione in pruinis Geticis prope signa Martis. Britannia quoque fertur canere mea carmina, quid proficit? Mea crumena ignorat ista. At quam poteramus scribere versus non perituros, & quanta certamina canere tuba Pieria! cum dii pii restituerint Augustum terris, si Mæcenatem quoque mihi daret Roma!

Non urbana.] hoc est, Non soli cives otiosi delectantur meis versibus. Musæ dictæ sunt Pimpleides a Pimplæo Macedoniæ fonte ipsis sacro.

In Geticis.] De Getis dictum epig. 11. lib. 8. & epig. 104. lib. 9. In Getas vero expeditionem suscepit Trajanus, in cujus castris legebantur versus Martialis.

Nescit sacculus.] hoc est, inde non colligo pecuniam.

Augustum.] Nervam alii. Melius intelligunt alii Trajanum alterum Augustum Romæ restitutum a diis: At mihi, inquit Poëta, nullus Mæcenas datur, cujus munificentia in Horatium nota est.

Precatur deos pro Nerva Trajano. V.

SACRA, Laresque Phrygum, quos Trojæ maluit heres,
Quam rapere arsuras Laomedontis opes:
Scriptus es æterno nunc primum Juppiter auro,
Et soror, & summi filia tota patris:
Et qui purpureis jam tertia nomina fastis
Jane, refers Nervæ, vos precor ore pio.
Hunc omnes servate ducem, servate senatum:
Moribus hic vivat principis, ille suis.

O Sacra, & Lares Phrygum, quos auferre maluit heres Trojæ, quam ardendas opes Laomedontis: O Jupiter, nunc primum factus es ex auro æterno, & soror & filia tota genitoris supremi: & tu, o Jane, qui jam ter refers nomen Nervæ in fastos purpureos, vos oro ore pio. O vos omnes, servate hunc Imperatorem, servate Senatum, hic vivat moribus Principis, ille vero *suis.*

Precatur.] Alii, *Votum pro Nerva Trajano, & Senatu.*

Trojæ heres.] hoc est Æneas. Virgilius 2. Æneid.

> *Tu genitor cape sacra manu, patriosque Penates*, &c.

Legunt alii, *Trojæ heros*, & forte melius: Æneas enim non fuit filius Priami, atque ita nec successor, superstitibus nempe aliis Priami filiis aut nepotibus.

Laomedontis opes.] Laomedon pater fuit Priami: a pietate Poëta laudat Æneam, qui neglectis opibus deos flammis eripuit.

Æterno auro.] hoc est, aurea imagine nun-

nunquam peritura effictus es a Trajano.

Et fovr.] Juno, & Minerva quæ tota est patris Jovis, e cujus cerebro producta fine matre.

Jam tertia.] De Jano epig. 2. lib. 8. cui facer mensis Januarius, quo consulum nomina referebantur in Fastos.

Nervæ.] Trajani scilicet adoptati a Nerva, cujus nomen retinuit.

Ille jus.] sanctissimis nempe.

In laudem Nervæ Trajani. VI.

TANTA tibi est recti reverentia Cæsar, & æqui,
Quanta Numæ fuerat: sed Numa pauper erat.
Ardua res hæc est, opibus non tradere mores,
Et cum tot Crœsos viceris, esse Numam.
Si redeant veteres, ingentia nomina, patres,
Elysium liceat si vacuare nemus.
Te volet invictus pro libertate Camillus,
Aurum Fabricius te tribuente volet.
Te duce gaudebit Brutus: tibi Sylla cruentus
Imperium tradet, cum positurus erit.
Et te privato cum Cæsare Magnus amabit:
Donabit totas & tibi Crassus opes.
Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris,
Si Cato reddatur, Cæsarianus erit.

O Cæsar, tam colis justitiam & æquitatem, quam Numa coluerat: sed Numa egenus erat. Hæc est res difficilis, non corrumpi mores a divitiis, atque esse Numam, cum superaveris tot Crœsos. Si prisci patres, ingentia nomina, revertantur, & fas sit evacuare Elysium nemus: Camillus invictus pro libertate te expetet principem, *Fabricius expetet aurum te donante: Brutus lætabitur te Imperatore: Sylla cruentus tibi cedet imperium, cum erit depositurus, & Magnus* Pompeius *diliget te cum Cæsare privato: & Crassus dabit tibi omnes* suas *divitias. Si ipse etiam Cato restituatur revocatus ab umbris infernis Plutonis, Cæsarianus erit.*

Tot Crœsos.] hoc est tot divites, Crœsus quippe rex fuit ditissimus, cujus historia nota ex Herodoto.

Ingentia nomina.] per appositionem, hoc est, quorum veterum nomina summa in admiratione sunt.

Elysium.] Vide epig. 58. lib. 6.

Pro libertate.] Alii *pra libertate.* Videat lector. Camillus exul Dictator creatus ab obsidio Gallorum ingratam patriam liberavit. Livius lib. 5. Decadis 1.

Fabricius.] de cujus abstinentia Gellius lib. 1. cap. 14.

Brutus.] qui exactis Tarquiniis Romam in libertatem asseruit, Livius lib. 1. Decad. 1. aut alterum Brutum Cæsaris percussorem intellige.

Sylla.] Cujus crudelitas in cives Romanos nota ex Plutarcho, Salustio, & aliis.

Magnus.] Pompeius nempe, qui cum Julio Cæsare bellum civile gessit fuse descriptum a Lucano.

Crassus.] Romanus civis ditissimus, Valerius Maximus lib. 6. cap. 11. Plinius lib. 21. cap. 3.

Cato.] Uticensis, qui se ipsum interfecit, ne in Julii Cæsaris manus incideret vivus: attamen licet Cæsaris imperium occupantis inimicissimus se tibi mitissimo principi alto submitteret.

Ad Romam, & Dindymum
de Saturnalibus hilariter celebrandis. VII.

UNCTIS falciferi senis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus,
Versu ludere non laborioso

Lautis diebus falciferi senis, quibus dominatur regnator fritillus, ô pileata Roma, finis,

Per-

Permittis, puto, pileata Roma.
Risisti: licet ergo, nec vetamur.
Pallentes procul hinc abite curæ:
Quidquid venerit obvium loquamur,
Morosa sine cogitatione.
Misce dimidios puer trientes,
Quales Pythagoras dabat Neroni:
Misce, Dindyme, sed frequentiores.
Possum nil ego sobrius, bibenti
Succurrent mihi quindecim Poëtæ.
Da nunc basia, sed Catulliana,
Quæ si tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi passerem Catulli.

opinor, jocari carmine non molesto. Risisti: igitur fas est, nec prohibemur. Anxietates pallidæ, recedite hinc longe: loquamur quicquid venerit in buccam sine tetrica cogitatione. O serve, funde dimidios trientes, quales fundebat Pythagoras Neroni: O Dindyme, funde sed frequentiores. Ego siccus nihil possum scribere: *quindecim Poëtæ subvenient mihi potanti. Nunc liba oscula, sed Catulliana, quæ si tot fuerint quot dixit ille, dabo tibi passerem Catulli.*

Falciferi.] Saturni falcem gerentis.

Imperat fritillus,] Tunc alea impune ludebant omnes: fritilli sunt turriculæ ex quibus ejiciuntur aleæ. Vide epig. 14. lib. 4. & 85. lib. 5.

Pileata Roma.] Saturnalium tempore servi velut domini pileati incedebant. Turnebus lib. 8. cap. 4. Romani Saturnalibus pileum gerebant, aliis diebus nudo capite erant, aut caput veste velabant. Itaque veteres nullæ Romanorum statuæ cum pileo visuntur, &c. Lipsius etiam videndus de Amphitheatro cap. 19.

Risisti.] Risu consentire visa es. De trientibus alibi.

Pythagoras.] cui in modum solennium conjugiorum nupsit Nero, Tacitus lib. 15. Annalium.

Bibenti.] hoc est, inquit Farnabius, calens mero fundam carmina, & exprimam ingenia quindecim simul Poëtarum.

Dabo tibi.] Componam versus non minus gratos iis quos de passere Lesbiæ scripsit Catullus.

In Paullam mœcham. VIII.

JAM certe stupido non dices, Paulla, marito,
Ad mœchum quoties longius ire voles,
Cæsar in Albanum jussit me mane venire,
Cæsar Circeïos. jam stropha talis abit.
Penelope licet esse tibi sub principe Nerva:
Sed prohibet scabies ingeniumque vetus.
Infelix, quid ages? ægram simulabis amicam?
Hærebit dominæ vir comes ipse suæ:
Ibit & ad fratrem tecum, matremque, patremque.
Quas igitur fraudes ingeniosa paras?
Dicet & ictericam se forsitan altera mœcha
In Sinuessano velle sedere lacu.
Quanto tu melius, quoties placet ire fututum,
Quæ verum mavis dicere, Paulla, viro.

O Paulla, quoties voles longius ire ad adulterum, jam sane non dices hebeti viro, Cæsar imperavit mane me adire Albanum, aut Circeïos. Jam talis dolus sublatus est. Potes esse Penelope sub principe Nerva: sed impedit scabies, & natura inveterata. Misera, quid facies? Finges-ne ægrotare amicam? Maritus ipse comitabitur suam dominam: atque adibit secum fratrem, & patrem, & matrem. Quos igitur dolos artificiosa moliris? Forte altera adultera dicet, se ictericam velle sedere in lacu Sinuessano. Quanto tu melius . . .

. . . . .

ô Paulla, quæ mavis proferre veritatem marito.

Paulla.] de qua jam epig. 75. lib. 1.

Cæsar.] Domitianus, cujus jussu in Albanum, ubi quinquatria celebrabantur, epig. 1. lib. 4. ita se dicebat Paulla: mortuo

tuo autem Domitiano hoc prætexere nequibat.

Circeiis.] promontorium Latii.

Stropha.] fallacia est, epig. 7. lib. 3.

Penelope.] cujus pudicitia a Poëtis celebrata est.

Scabies.] pruritus, & vetus tua libido.

Ictericam.] Gallice *qui a la jaunisse.* Turnebus lib. 8. cap. 4. legit *hystericam*, ut morbus vulvæ intelligatur, qui libidine plerumque levatur. ὑστέρα vulva. Vide epig. 72. infra.

In Sinuessano.] cujus aquæ erant saluberrimæ. Plinius lib. 31. cap. 2.

Quæ verum mavis.] quæ mavis fateri libidinem, quam dolosa excusatione uti.

IX.

De statua Memoris Poëtæ tragici. X.

CLARUS fronde Jovis Romani fama cothurni,
Spirat Apellea redditus arte Memor.

Memor insignis fronde Jovis, & decus Romani cothurni expressus arte Apellea spirat.

De statua.] melius *de pictura*, cum Apelles pictor fuit nobilissimus, non vero statuarius, epig. 83. lib. 7.

Clarus fronde Jovis.] hoc est ornatus quernea corona. Vide epig. 54. lib. 4.

Cothurni.] qui tragicorum proprius fuit, epig. 20. lib. 3.

Spirat Apellea.] Alii *Apollinea*, ut statuam Memoris, inquit Raderus, in Apollinis templo inter aliorum Poëtarum imagines collocatam intelligas. Videat lector.

De Turno Poëta satyrico. XI.

CONTULIT ad satyras ingentia pectora Turnus.
Cur non ad Memoris carmina? frater erat.

Turnus applicuit ingentia pectora ad satyras, cur non ad versus Memoris? Frater erat.

Turnus.] cujus meminit epig. 96. lib. 7. non scripsit tragœdias, ne fratris Memoris æmulus videretur.

Ad puerum suum, veterum pocula esse revocanda. XII.

TOLLE puer calices tepidique toreumata Nili,
Et mihi secura pocula trade manu,
Trita patrum labris, & tonso pura ministro,
Antiquus mensis restituatur honor.
Te potare decet gemma, qui Mentora frangis
In scaphium mœchæ, Sardanapale, tuæ.

Serve, aufer calices, & toreumata tepida Nili, & manu tuta mihi porrige pocula trita labris patrum, & pura tonso ministro, priscum decus reddatur mensis. O Sardanapale, mereris bibere in poculo *gemmato, qui frangis Mentora ad* conficiendum *scaphium tuæ adulteræ.*

Toreumata.] Vide epig. 39. lib. 4. Poëta intelligit vasa crystallina, quæ ex Ægypto Romam afferebantur.

Secura manu.] hoc est, pocula quæ è manibus lapsa non frangantur; vel quorum fractorum parva sit jactura.

Trita patrum.] quibus usi sunt majores.

Et tonso pura.] ministrata non a comato & de-

& delicato, sed a rudi atque simplici puero.

Qui Mentora.] hoc est: Tu, ô Sardanapale (forte alludit ad Sardanapalum illum regem effœminatum, de quo Diodorus Siculus lib. 8.) qui frangis

Pocula Mentorea nobilitata manu,

ut dixit epig. 60. lib. 9. ut nempe matula conficiatur tuæ mœchæ, dignus es, qui bibas impuro illo poculo gemmis ornato. Alii sic legunt,

Te potare decet gemma, qui Mentora frangis?

In scaphio mœcha, Sardanapale, tua.

hoc est: Magis tibi convenit matula tuæ mœchæ, in qua bibas, quam pocula gemmata quæ frangis.

In Zoilum ignobilem. XIII.

JUs tibi natorum vel septem, Zoile, detur,
Dum matrem nemo det tibi, nemo patrem.

O Zoile, obtineas jus vel septem liberorum, modo nullus tibi det genitorem, nullus genitricem.

Jus tibi.] Non petebatur jus nisi trium liberorum, epig. 91. lib. 2. At, inquit Poëta, vel septem, vel plurium liberorum jus obtineat Zoilus, semper tamen obscurus erit, & terræ filius.

Epitaphium Paridis histrionis. XIV.

QUisquis Flaminiam teris, viator,
Noli nobile præterire marmor.
Urbis deliciæ, salesque Nili,
Ars & gratia, lusus & voluptas,
Romani decus, & dolor theatri,
Atque omnes Veneres, Cupidinesque,
Hoc sunt condita, quo Paris, sepulcro.

O Viator, quisquis ambulas per Flaminiam, ne prætereas illustre marmor. Deliciæ urbis, & sales Nili, ars & gratia, jocus & voluptas, honor & mœror Romani theatri, atque omnes Veneres & Cupidines, sepulta sunt hoc tumulo, quo Paris.

Quisquis Flaminiam.] Vide epig. 28. lib. 6. huic simile, & epig. 29. lib. 9.

Marmor.] id est sepulcrum marmoreum.

Salesque Nili.] Ægyptii nempe lepido atque acuto ingenio valent.

Romani decus.] Plauti epitaphium apud Gellium lib. 1. cap. 24. huic simile est.

Paris.] Suetonius in Domitiano cap. 3. *Deinde uxorem suam Domitiam, ex qua in secundo suo consulatu filium tulerat, Paridis histrionis amore deperditam repudiavit.* Paridem vero interfici jussit Domitianus, ut constat ex Dione in Domitiano. Hujus Paridis meminit Juvenalis.

De colono brevi. XV.

HEredes nolite brevem sepelire colonum.
Nam terra est illi quantulacumque gravis.

O Heredes, nolite humare brevem colonum. Nam quantulacumque terra est gravis illi.

Sepelire colonum.] qui cum sit brevis staturæ, vel levissimæ terræ ferendæ non erit par: Poëta autem ludit in hac formula, *sit tibi terra levis*, de qua epig. 89. lib. 1.

De libro suo quem aliis nequiorem esse dicit. XVI.

SUNT chartæ mihi, quas Catonis uxor,
Et quas horribiles legant Sabinæ.
Hic totus volo rideat libellus,
Et sit nequior omnibus libellis:
Qui vino madeat, nec erubescat
Pingui sordidus esse Cosmiano.
Ludat cum pueris, amet puellas:
Nec per circuitus loquatur illam
Ex qua nascimur omnium parentem,
Quam sanctus Numa mentulam vocabat.
Versus hos tamen esse tu memento
Saturnalicios Apollinaris.
Mores non habet hic meus libellus.

Habeo libros, quos uxor Catonis, & quos evolvant inculta Sabinæ. Placet ut hic integer libellus rideat, & sit lascivior omnibus libellis: qui madeat vino, nec erubescat sordere pingui Cosmiano. Jocetur cum pueris, diligat puellas: nec per circuitus dicat illam parentem omnium, ex qua gignimur, quam sanctus Numa appellabat. . . . . . Nihilominus, ô Apollinaris, recordare hæc carmina esse Saturnalicia: meus hic liber caret moribus.

Sunt mihi.] Alii mei libri possunt legi vel a gravissimis & castissimis Sabinis.

Cosmiano,] hoc est unguento Cosmi, de quo epig. 88. lib. 1.

Saturnalicios.] usos licentia Saturnalibus permissa, epig. 2. supra.

Ad lectores graves ut recedant. XVII.

QUI gravis es nimium, potes hinc jam lector abire
Quo libet, urbanæ scripsimus ista togæ.
Nam mea Lampsacio lascivit pagina versu,
Et Tartessiaca concrepat æra manu.
O quoties rigida pulsabis pallia vena,
Sis gravior Curio, Fabricioque licet!
Tu quoque nequitias nostri, lususque libelli,
Uda puella leges; sis Patavina licet.
Erubuit, posuitque meum Lucretia librum,
Sed coram Bruto: Brute recede, leget.

O Lector qui nimis severus es, potes jam hinc abire quo places, scripsimus ista togæ urbanæ: mea enim pagina lascivit carmine Lampsacio, & pulsat æra manu Hispana . . . . . . Lucretia erubuit, atque abjecit meum librum, at coram Bruto: ô Brute, recede, evolvet.

Urbana toga.] Plebi, & levioribus personis.

Lampsacio.] Priapeio: Lampsacus urbs est Mysiæ, ubi Priapus colebatur. Ortelius ab aliquibus fuisse collocatam dicit inter Parium & Priapum ad Hellespontum. Ovidius:

Et te ruricola, Lampsace, tuta tuo.

Tartessiaca.] Vide epig. 27. lib. 7.

Concrepat æra manu.] epig. 71. lib. 6.

Edere lascivos ad Bætica crusmata gestus,
&c.

Sed coram Bruto.] Ipsa Lucretia, absente Bruto viro gravissimo, leget meos libros.

Ad

Ad Sabinum, non omnes ſuos verſus eſſe laſcivos. XVIII.

NON omnis noſtri nocturna eſt pagina libri:
Invenies & quod mane, Sabine, legas.

Laſciva non eſt omnis pagina noſtri libri: O Sabine, reperies, & quod legas mane.

Nocturna.] Petulans atque impudica.
Invenies.] verſus ſcilicet, quos etiam ſobrius poſſis legere ſalva verecundia.

In Lupum de prædiolo ſibi dato. XIX.

DONASTI, Lupe, rus ſub urbe nobis:
Sed rus eſt mihi majus in feneſtra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare!
In quo ruta facit nemus Dianæ,
Argutæ tegit ala quod cicadæ,
Quod formica die comedit uno,
Clauſæ cui folium roſæ corona eſt:
In quo non magis invenitur herba,
Quam coſti folium, piperve crudum:
In quo nec cucumis jacere rectus,
Nec ſerpens habitare tuta poſſit.
Erucam male paſcit hortus unam,
Conſumto moritur culex ſalicto,
Et talpa eſt mihi foſſor, atque arator.
Non boletus hiare, non mariſcæ
Ridere, aut violæ patere poſſunt.
Fines mus populatur, & colono
Tamquam ſus Calydonius timetur,
Et ſublata volantis ungue Procnes
In nido ſeges eſt hirundinino,
Et cum ſtet ſine falce, mentulaque,
Non eſt dimidio locus Priapo.
Vix implet cochleam peracta meſſis,
Et muſtum nuce condimus picata.
Erraſti, Lupe, litera ſed una.
Nam quo tempore prædium dediſti,
Mallem tu mihi prandium dediſſes.

O Lupe, mihi dediſti prædium ſuburbanum, ſed habeo majus prædium in feneſtra. Poteſne hoc dicere prædium, poteſne appellare prædium? In quo ruta efficit nemus Dianæ, quod tegitur ala canora cicadæ, quod comeditur a formica uno die, cui corona eſt folium roſæ clauſæ: in quo non magis herba reperitur quam folium coſti, aut piper crudum; in quo nec cucumis poſſit jacere rectus, nec ſerpens ſecura habitare. Hortus male paſcit unam erucam, culex perit conſumpto ſalicto, atque habeo talpam foſſorem, atque aratorem. Nec boletus hiare, nec mariſcæ ridere, nec violæ poſſunt explicari. Mus vaſtat fines, & colonus metuit illum veluti aprum Calydonium, & ſeges ſublata ungue volantis Procnes ponitur in nido hirundinis. Et locus deeſt dimidio Priapo, quamvis ſtet ſine falce . . . . .

. . . . . Meſſis abſoluta vix implet cochleam, & condimus muſtum nuce picata. O Lupe, erraſti ſed una litera. Quo enim tempore donaſti prædium, mallem tu mihi donaſſes prandium.

Majus in feneſtra.] Sic prædium ſibi a Lupo datum per varias comparationes valde extenuat Poëta.

Ruta.] herbæ genus, Gallice *de la ruë*, nemora vero Dianæ ſacra fuiſſe ſæpius dictum.

Quam coſti folium.] Radix eſt peregrina eximio odore, Plinius lib. 12. cap. 12. Piper *crudum* dixit, hoc eſt acre, vel nondum maturum.

Mariſca.] Ficus ſunt inſipidæ: alias mariſca ulceris genus eſt.

Sus Calydonius.] de quo epig. 15. lib. Spect.

Procnes.] quæ fuit in hirundinem mutata, cujus historia satis nota: hoc est, tota seges mei prædii vix sufficit conficiendo uni hirundinis nido.

Nuce picata.] Resina nempe & pice oblinebantur vasa, quibus vinum condebatur, ne spiritus vini subtiliores evanescerent.

Mallem ta.] hoc est, litera una mutata mallem prandium quam prædium.

XX.

XXI.

XXII.

XXIII.

XXIV.

Ad Labullum, a quo deprecatur officium clientis, propter studium epigrammatum XXV.

DUM te prosequor, & domum reduco,
Aurem dum tibi præsto garrienti,
Et quidquid loqueris, facisque, laudo,
Quot versus poterant, Labulle, nasci?
Hoc damnum tibi non videtur esse,
Si quod Roma legit, requirit hospes,
Non deridet eques, tenet senator,
Laudat caussidicus, Poëta carpit,
Propter te perit. hoc, Labulle, verum est?
Hoc quisquam ferat, ut tibi tuorum
Sit major numerus togatulorum,
Librorum mihi sit minor meorum?
Triginta prope jam diebus una est
Nobis pagina vix peracta: sic est,
Cum cœnare domi non vult Poëta.

O Labulle, dum te comitor & reduco domum, dum accommodo aurem tibi garrienti, & laudo omnia tua dicta & facta, quot carmina poterant componi? Tu non existimas hoc esse damnum, si propter te perit, quod legit Roma, requirit hospes, non deridet eques, tenet senator, probat caussidicus, arguit Poëta. O Labulle, hocne æquum est? Quisquamne patiatur hoc, ut habeas majorem numerum tuorum togatulorum, ego vero habeam minorem meorum librorum? Jam certe triginta diebus vix absolvi unam paginam: sic fit, cum Poëta non vult cœnare domi.

Poeta carpit.] Poëtæ enim invidet Poëta.

Hoc verum est.] an æquum est. Sic Horatius:

An quodcunque facit Mæcenas, te quoque verum est
Tanto dissimilem, &c.

Sic est.] ut negligantur studia, dum tecum cœnare cupio.

XXVI.

XXVII.

XXVIII.

XXIX.

XXX.

XXXI.

In

In Cæcilium, qui convivis apponebat cibos confectos ex unis cucurbitis. XXXII.

ATREUS Cæcilius cucurbitarum
Sic illas quasi filios Thyestæ
In partes lacerat, secatque mille.
Gustu protinus has edes in ipso,
Has prima feret, alterave cœna,
Has cœna tibi tertia reponet.
Hinc feras epidipnidas parabit,
Hinc pistor fatuas facit placentas,
Hinc & multiplices struit tabellas,
Et notas caryotidas theatris:
Hinc exit varium coco minutal,
Ut lentem positam, fabamque credas,
Boletos imitatur, & botellos,
Et caudam cybii brevesque mænas:
Hinc cellarius experitur artes,
Ut condat vario vafer sapore
In rutæ folium capellianæ.
Sic implet gabatas, paropsidasque,
Et leves scutulas, cavasque lances.
Hoc lautum vocat, hoc putat venustum,
Unum ponere ferculis tot assem.

Cacilius Atreus cucurbitarum sic dilaniat, & secat illas in mille partes, quasi filios Thyestæ: statim comedes has in ipso gustu, prima aut secunda cœna feret has, tertia cœna tibi reponet illas. Ex his instruet feras epidipnidas, ex his pistor conficit insulsas placentas, ex his parat multiplices tabellas, & caryotidas notas theatris; ex his cocus conficit minutal varium, ut putes lentem positam, & fabam, imitatur boletos & botellos, & caudam cybii, & breves mænas: ex his promus experitur artes, ut callidus vario sapore condat in folium rutæ capellianæ. Sic implet gabatas, & paropsidas, & leves scutulas, & cavas lances. Hoc appellat lautum, hoc credit venustum, impendere unum assem in tot fercula.

Atreus.] hoc est, qui differat cucurbitas, veluti Atreus filios fratris sui Thyestæ. Seneca in Thyest.

Gustu protinus in ipso.] hoc est, in cœnæ exordio, epig. 31. lib. 10. in secunda pariter & tertia mensa apponebantur cucurbitæ.

Epidipnidas.] Bellaria intellige, quæ in secundis mensis apponebantur, a verbo ἐπιδειπνέω, id est, secundam cœnam perago.

Tabellas.] hoc est quadras de placenta, ut dixit epig. 76. lib. 3.

Nec te liba juvant, nec secta quadra placentæ.

Caryotidas.] quæ sunt baccæ palmarum, epig. 33. lib. 8.

Minutal.] Cibus erat ex variis rebus minutim concisis factus.

Ut lentem.] hoc est, ut pultem existimes confectam ex lente & faba.

Botellos.] genus nempe farciminis, de quo epig. 79. lib. 5. ubi & de cybio pisce dictum.

Mænas.] pisciculos de quibus Plinius lib. 32. cap. 7.

In rutæ folium.] id est instar folii rutæ capellianæ sic denominatæ vel a capillorum multitudine, vel a capris sylvestribus quæ illam depascunt. Legunt alii,

In ruta folium capelliana,

male.

Gabatas paropsidasque.] Lances sunt varii generis.

In Nestorem egenum. XXXIII.

NEC toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus,
Nec tibi de bibula sarta palude teges:

Nec habes togam, nec focum, nec cubile tritum cimice, nec tegetem confectam ex herba uda paludis.

Nec

Nec puer, aut ſenior, nulla eſt ancilla, nec infans,
Nec fera, nec clavis, nec canis, atque calix.
Tu tamen affectas, Neſtor, dici, atque videri
Pauper, & in populo quæris habere locum.
Mentiris vanoque tibi blandiris honore.
Non eſt paupertas, Neſtor, habere nihil.

Nec habes puerum aut ſeniorem, nec ancillam, nec infantem, nec feram, nec clavem, nec canem, nec poculum. Nihilominus, ô Neſtor, tu affectas dici & videri pauper, & quæris habere locum in populo. Mentiris, & tibi blandiris vano honore: O Neſtor, non eſt paupertas habere nihil.

Teges.] Gallice *natte.*
Nec fera.] Seoſus eſt: Nec habes ſervum atrienſem, nec canem, qui januam cuſtodiat.
Tu tamen,] epig. 19. lib. 8.
Pauper videri vult Cinna, & eſt pauper.
Non eſt paupertas.] ſed mera mendicitas: pauperes enim non ſunt qui nihil omnino habent, ſed mendici appellandi.

De Praſino victore cui Nero faverat. XXXIV.

SÆPIUS ad palmam Praſinus poſt fata Neronis
Pervenit, & victor præmia plura refert.
I nunc livor edax: dic te ceſſiſſe Neroni:
Vicit nimirum, non Nero, ſed Praſinus.

Poſt mortem Neronis Praſinus ſæpe refert palmam, & victor reportat plura præmia: I nunc, invidia edax, dic te ceſſiſſe Neroni: vicit nimirum, non Nero, ſed Praſinus.

Praſinus.] De aurigarum factionibus dictum epig. 46. lib. 6. Nero favebat Praſinæ, cujus victoriam ſæpius reportatam favori tribuebant invidi: at cum vinceret etiam mortuo Nerone, Praſinum, ſeu factionem Praſinam merito viciſſe concludit Poëta.

De Apro, cujus tenebricoſam domum irridet. XXXV.

ÆDES emit Aper, ſed quas nec noctua vellet
Eſſe ſuas, adeo nigra, vetuſque caſa eſt.
Vicinos illi nitidus Maro poſſidet hortos.
Cœnabit belle, non habitabit Aper.

Aper emit domum, ſed quam nec eſſe ſuam vellet bubo, adeo atrum, & vetus tugurium eſt. Maro nitidus poſſidet hortos vicinos illi. Aper cœnabit belle, non habitabit belle.

Ædes emit.] Optimo quidem conſilio, ut nempe ſæpius ad cœnam invitaretur a nitido & lauto Marone ſuo vicino.

Ad Fabullum,
ſolum eſſe ſe, dum cœnaret cum ignotis. XXXVI.

IGNOTOS mihi cum voces trecentos,
Quare non veniam vocatus a te,
Miraris, quererisque, litigaſque.
Solus cœno, Fabulle, non libenter.

Cum invites trecentos ignotos mihi, miraris, & quereris, & litigas, cur non eam invitatus a te. O Fabulle, non libenter cœno ſolus.

Solus cœno.] Cum ignotis enim ſibi videbatur cœnare ſolus.

De

De Caio Proculo præter ſpem vitæ reſtituto. XXXVII.

CAïus hanc lucem gemma mihi Julius alba
Signat, io votis redditus ecce meis.
Deſperaſſe juvat, veluti jam rupta ſororum
Fila; minus gaudent, qui timuere nihil.
Hypne, quid exſpectas piger? immortale Falernum,
Funde, ſenem poſcunt talia vota cadum.
Quincunces & ſex cyathos, beſſemque bibamus,
Caïus ut fiat Julius, & Proculus.

Io en Caius Julius reſtitutus meis votis notat mihi hunc diem gemma candida. Jucundum eſt deſperaſſe, tanquam jam rupta fuiſſent *fila Parcarum, minus lætantur, qui nihil metuerunt. O ſegnis Hypne, quid moraris? funde immortale Falernum, cadus vetus debetur hujuſmodi votis. Potemus quincunces, & ſex cyathos, & beſſem, ut fiat Caius Julius, & Proculus.*

Gemma alba.] De hac formula dictum epig. 45. lib. 8. Hujus vero Proculi mentionem fecit Poëta, epig. 71. lib. 1.

Deſperaſſe.] Vitam Proculi.

Quincunces.] De hoc bibendi more dictum epig. 72. lib. 1.

Nævia ſex cyathis, ſeptem Juſtina bibatur.

In Zoilum ſuperbum. XXXVIII.

ZOILE quid tota gemmam præcingere libra,
Te juvat & miſerum perdere ſardonycha?
Annulus iſte tuis fuerat modo cruribus aptus:
Non eadem digitis pondera conveniunt.

O Zoile, quid te juvat circumdare gemmam integra libra auri, *& perdere miſerum ſardonycha? paulo ante iſte annulus convenerat tuis cruribus: non eadem pondera apta ſunt digitis.*

Quid tota gemmam.] Juvenalis ſat. 1. ſic invehitur in Criſpinum:

Ventilet æſtivum digitis ſudantibus aurum,
Nec ſufferre queat majoris pondera gemmæ.

Et miſerum.] hoc eſt, occultare nimio auro.

Annulus iſte.] Vide epig. 29. lib. 3.

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

Nam ex ſervo factus erat eques Zoilus, cujus cruribus magis quam digitis conveniebant annuli; ſive *anuli*, ut ſcribebant veteres.

De mulione ſurdo. XXXIX.

MULIO viginti venit modo millibus, Aule.
Miraris pretium tam grave? ſurdus erat.

Paulo ante mulio venditus eſt viginti millibus, Aule: an *miraris mercedem tam ingentem? erat ſurdus.*

Surdus erat.] Atque ita delator eſſe nequibat, ſi forte ejus dominus liberius quid dixiſſet; nec de criminibus ſui domini a quoquam interrogandus erat.

In Charidemum libertum a quo adhuc objurgabatur jam adultus. XL.

CUNARUM fueras motor, Charideme, mearum,
Et pueri custos, assiduusque comes.
Jam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba,
Et queritur labris puncta puella meis.
Sed tibi non crevi: te noster villicus horret:
Te dispensator, te domus ipsa pavet.
Ludere nec nobis, nec tu permittis amare:
Nil mihi vis, & vis cuncta licere tibi.
Corripis, observas, quereris, suspiria ducis,
Et vix a ferulis abstinet ira manum.
Si Tyrios sumsi cultus, unxive capillos:
Exclamas, Nunquam fecerat ista pater.
Et numeras nostros adstricta fronte trientes,
Tamquam de cella sit cadus ille tua.
Desine: non possum libertum ferre Catonem.
Esse virum jam me dicet amica tibi.

O Charideme, fueras motor mearum cunarum, & custos pueri, atque assiduus comes. Jam sudaria nigrescunt tonsa mea barba, & puella puncta meis labris queritur: at non adolevi tuo judicio: noster villicus horret te, dispensator, domus ipsa timet te. Nec tu permittis nobis jocari, nec amare: nihil vis mihi, & vis omnia licere tibi. Reprehendis, observas, quereris, suspiras, & iracundia tua vix cohibet manum a ferulis. Si sumpsi Tyrios cultus, aut unxi comas; exclamas, Nunquam genitor fecerat ista, & contracta fronte numeras nostros trientes, veluti ille cadus sit de tua cella. Cessa: nequeo pati libertum Catonem. . . .

Motor.] hoc est, mihi infanti cunas movisti. Alii *monitor*, minus bene.

Sudaria.] Lintea quæ barbam tonsam excipiunt.

Sed tibi non crevi.] Sed nondum adolevisse me existimas, & me ut impuberem redarguis.

Si Tyrios.] Vestes purpureas intellige.

Et numeras.] Sensus est: Numeras quot hauriam cyathos.

Catonem.] hoc est, libertum tolerare nequeo, qui Catonem, seu censorem se gerat.

XLI.

De Amynta, cujus casu monet Lygdum ne arbores conscendat. XLII.

INDULGET pecori nimium dum pastor Amyntas,
Et gaudet fama, luxuriaque gregis:
Cedentes oneri ramos, sylvamque fluentem
Vicit, concussas ipse secutus opes.
Triste nemus diræ vetuit superesse rapinæ,
Damnavitque rogis noxia ligna pater.
Pingues, Lygde, sues habeat vicinus Iolas:
Te satis est nobis annumerare pecus.

Dum pastor Amyntas nimis curat pecus, & lætatur fama, & pinguedine gregis; superavit ramos impares oneri, atque arborem fatiscentem ipse secutus opes excussas. Pater prohibuit nemus triste superesse crudeli casui, & damnavit noxia ligna rogis Amyntæ. *O Lygde, vicinus Iolas habeat pingues sues: nobis sufficit a te numerari pecus.*

Et gaudet fama.] hoc est, inquit Farnabius, dum laudem quærit ex pinguibus factis suibus. *Luxuria* hic significat pinguedinem.

Ceden-

Cedentes.] Sensus est: Amyntas conscendit quercum glandibus onustam, & incurvatam, cujus ramis fatiscentibus, & cedentibus oneri, nec tamen fractis cecidit Amyntas; atque excussas opes, hoc est glandes, secutus periit.
Dira rapina.] Amyntæ scilicet sui filii, in cujus rogo arborem patulam nempe excisam comburi jussit.
Pingues.] Sensus est: O Lygde, ne invideas alieno pecori, nec nostrum nimis cures, sed cave tibi a simili casu; sufficit enim te nullum ex suibus nostris amittere.

In Cæcilianum, carmen egregium sine egregio argumento fieri non posse. XLIII.

VIVIDA cum poscas epigrammata, mortua ponis
Lemmata, quid fieri, Cæciliane, potest?
Mella jubes Hyblæa tibi, vel Hymettia nasci,
Et thyma Cecropiæ Corsica ponis api?

O Cæciliane, cum requiras vegeta epigrammata, prabes mortua argumenta, quid potest fieri? Visne tibi nasci mella Hyblaa, aut Hymettia, cum apponis thyma Corsica api Attica?

Vivida.] hoc est nobilia & præclara.
Mortua.] vilia atque abjecta.
Hyblæa.] Vide epig. 46. lib. 2. & epig. 87. lib. 7.
Et thyma Corsica.] amara scilicet, ex quibus vel apes Atticæ mel dulce conficere nequeant. Sic se api, argumentum vero flori comparat Poëta.

XLIV.

Ad senem orbum, ne credat captatorem verum esse sibi amicum. XLV.

ORBUS es, & locuples, & Bruto consule natus,
Esse tibi veras credis amicitias?
Sunt veræ: sed quas juvenis, quas pauper habebas,
Qui novus est, mortem diligit ille tuam.

Orbus es, & dives, & natus Bruto consule, an putas te habere veros amicos? Sunt veri, sed quos habebas juvenis atque inops: qui recens est amicus, *ille amat tuum interitum.*

Bruto consule.] hoc est, decrepitus es: Brutus exactis regibus primus consul fuit.
Mortem.] atque ita insidiatur tuæ hereditati.

XLVI.

XLVII.

XLVIII.

In Silium Italicum. XLIX.

SILIUS hæc magni celebrat monumenta Maronis,
Jugera facundi qui Ciceronis habet.

Silius qui possidet villam eloquentis Ciceronis, colit hæc monumenta magni Maronis.

Here-

Heredem, dominumque, sui tumulique, Larisque
Non alium mallet, nec Maro, nec Cicero.

Nec Maro, nec Cicero optaret alium heredem, & dominum sui sepulcri & domus.

Silius.] De quo epig. 62. lib. 7. Virgilii sepulcrum in agro Neapolitano assidue coluit Silius, & Ciceronis villam emit, teste Plinio lib. 31. cap. 1.

Non alium.] fuit enim orator, & Poëta.

In Phyllida semper aliquid petentem. L.

NULLA est hora tibi qua non me, Phylli, furentem
Despolies: tanta calliditate rapis.
Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto:
Gemma vel a digito, vel cadit aure lapis.
Nunc furtiva lucri fieri bombycina possunt:
Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx.
Amphora nunc petitur nigri cariosa Falerni,
Expiet ut somnos garrula saga tuos.
Nunc ut emam grandemve lupum, mullumve bilibrem,
Indixit cœnam dives amica tibi.
Sit pudor, & tandem veri respectus & æqui.
Nil tibi, Phylli, nego: nil mihi, Phylli, nega.

O Phylli, nullam præteris horam, qua non spolies me perditum amore tui; *tam callide rapis. Nunc fraudulenta ancilla flet speculo attrito, vel gemma decidit a digito, vel lapis ab aure. Nunc bombycina furtiva possunt lucro cedere. Nunc siccus onyx Cosmi ostenditur mihi. Nunc poscitur amphora mucida nigri Falerni, ut saga loquax procuret tuos somnos. Nunc ut emam aut grandem lupum, aut mullum bilibrem, dives amica invitavit se ad* tuam *cœnam. Tandem habeas verecundiam, & rationem veri, & æqui: ô Phylli, nihil tibi recuso. . .*

Speculo relicto.] hoc est, amisso, vel attrito; res enim *relictæ*, ut ait Domitius, consumptæ dicuntur.

Vel lapis.] Pretiosus nempe.

Nunc furtiva.] Sericæ vestes furtivæ, ait ancilla, tam vili pretio emi possunt, ut lucrifieri videantur.

Siccus onyx.] Pyxidem intellige, quam Cosmi unguentis impleri postulat Phyllis. De Cosmo egimus, epig. 88. lib. 1. & epig. 81. lib. 3.

Cariosa.] Vinum vetus petitur.

Expiet.] Vide epig. 53. lib. 7.

Jam prior ad facem sed & hac vindemia venit,
Exoras noctes, dum mihi saga tuas.

De Silio cultore Virgilii. LI.

JAM prope desertos cineres, & sancta Maronis
Nomina qui coleret pauper, & unus erat.
Silius Arpino tandem succurrit agello,
Silius & vatem non minus ipse tulit.

Jam pauper, & solus erat, qui veneraretur cineres fere derelictos, & sancta nomina Maronis. Tandem Silius subvenit agello Arpino, atque ager ille non minus servit Poëta.

Jam prope desertos.] Idem argumentum ac epig. 49. supra. De Virgiliano prædio apud Arpinates a Silio empto: non fuit tumulus Virgilii Arpini, sed duobus millibus passuum ab urbe Neapoli, ut Servius, & ex Servio Leander docet in Campania, ubi fatetur nesciri hodie certum tumuli Virgiliani locum. Cineres ergo hic memoriam Virgilii interpretare, ut mens est Martialis, cum subjungit *nomina Maronis*. Ita Raderus.

Silius Arpino.] Prope Arpinum possederat hunc agellum Virgilius, quem emerat Silius, ut ejus memoriam illic cele-

celebraret. Legunt alii,

Silius optata succurrere censuit umbra.

Alii,

Silius Andino tandem succurrit agello.

Andes vero Maronis patria, Lombardiæ transpadanæ vicus, Mantuani territorii. Judicet lector.

Non minus.] Ille non minus serviit domino vati, nempe Silio, quam antea Virgilio. Lipsius lib. 1. epist. 5. legit,

Et vatem non minor ipse colit.

Quæ lectio videtur melior.

LII.

Ad Julium Cerealem quem invitat ad cœnam. LIII.

Coenabis belle, Juli Cerealis, apud me:
Conditio est melior si tibi nulla, veni.
Octavam poteris servare, lavabimur una:
Scis quam sint Stephani balnea juncta mihi.
Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
Utilis & porris fila resecta suis.
Mox vetus, & tenui major cordyla lacerto:
Sed quam cum rutæ frondibus ova tegant.
Altera non deerunt tenui versata favilla,
Et Velabrensi massa recocta foco.
Et quæ Picenum senserunt frigus olivæ,
Hæc satis in gustu: cætera nosse cupis?
Mentiar ut venias, pisces, conchylia, sumen,
Et cortis saturas, atque paludis aves:
Quæ nec Stella solet rara nisi ponere cœna.
Plus ego polliceor: nil recitabo tibi.
Ipse tuos nobis relegas licet usque Gigantas,
Rura vel æterno proxima Virgilio.

O Juli Cerealis, bene cœnabis apud me: si nullam habes conditionem meliorem, accede. Poteris observare horam *octavam; lavabimur simul: novisti, quam vicina sint mihi balnea Stephani. Prima tibi apponetur lactuca idonea solvendo ventri, & fila resecta ex suis porris; mox vetus cordyla, & major tenui lacerto; sed quam operiunt ova cum foliis ruta. Altera* ova *non deficient versata tenui favilla;* & massa *recocta foco Velabrensi. Et olivæ quæ expertæ sunt frigus Picenum. Hæc sufficiunt in gustu. Vis*ne *scire cætera? ut venias mentiar pisces, conchylia, sumen, & pingues aves cortis, & paludis: quæ nec apponere solet Stella nisi rara cœna. Plus ego promitto, nihil recitabo tibi. Licet* vero ut *ipse semper relegas tuos Gigantas, & rura proxima vel immortali Virgilio.*

Juli Cerealis.] Qui fuit Poëta illustris, de quo Plinius junior lib. 2. epist. 19. Vide epig. 8. lib. 4.

Stephani.] Cujus mentionem fecit Suetonius in Domit. nescio an sit idem.

Lactuca.] De lactucis & porris epig. 47. lib. 3.

Cordyla.] De hoc genere piscis epig. 2. lib. 3. & epig. 1. lib. 13.

Sed quam.] epig. 8. lib. 10.

Secta coronabunt rutatos ova lacertos.

Tenui versata.] Sorbilia ova intellige. Sic Ovid. 8. Metam.

Ovaque non acri leviter versata favilla.

Et Velabrensi.] Caseum Velabrensem interpretare foco & fumo induratum, epig. 32. lib. 13. Velabrum vero regio erat urbis Romæ. *Massa recocta.*] Gruterus ex Palatino codice legit *Massa coacta.*

Et quæ Picenum.] epig. 44. lib. 1.

Hæc satis in gustu.] hoc est, in exordio cœnæ, epig. 32. supra. Sensus est, inquit Raderus, caput cœnæ lautius apponam verbis. In lautioribus conviviis locum præcipuum habebant pisces, ut fuse explicat Heraldus. *Conchylia* sunt ostrea, *Sumen* autem papilla suis effetæ, epig. 44. lib. 13.

Quæ nec Stella.] De quo epig. 8. lib. 1.

Nil recitabo.] Vide epig. 79. lib. 5. Horat.

Indoctum, doctumque fugat recitator acerbus.

Gigantas.] hoc est, poëma de Gigantibus, & de agricultura non inferius Georgicis Virgilii.

De

De Claudia Rufina nata in Britannia. LIV.

CLAUDIA cæruleis cum sit Rufina Britannis
Edita, cur Latiæ pectora plebis habet!
Quale decus formæ! Romanam credere matres
Italides possunt, Atthides esse suam.
Di bene, quod sancto peperit fecunda marito,
Quot sperat generos, quotque puella nurus!
Sic placeat superis, ut conjuge gaudeat uno,
Et semper natis gaudeat illa tribus.

Cum Claudia Rufina sit nata a cæruleis Britannis, qua ratione habet mores gentis Romanæ! quale ornamentum formæ! matres Romanæ & Atticæ possunt sibi vendicare illam. O factum bene, quod fæcunda peperit sancto marito. Quot generos expectat, & quot nurus illa mater! Sic placeat diis, ut lætetur uno marito, & illa semper habeat jus *trium liberorum.*

Claudia.] Eadem forte de qua epig. 13. lib. 4. *Caruleis Britannis.*] Quod se glasto colorabant, vel quod cærulei dicuntur insulares, ut ait Domitius. Vide epig. 99. lib. 14. *Cur.*] Alii *quam*. *Italides.*] vel propter linguam Latinam & Græcam, quam callebat, ut Domitius, vel propter formæ elegantiam, ut censet Raderus. Atthis vero, a qua Atthides dicuntur, fuit una Cranai regis Atheniensium filia, a qua regio Attica denominata est. *Quot.*] Illa scilicet juvenis uxor speratura est plures generos suis filiabus, & plures nurus suis filiis. Alii *quod*. *Gaudeat illa tribus.*] De jure trium liberorum dictum epig. 92. lib. 2.

In Zoilum furem. LV.

UNGUENTA, & casias, & olentem funera myrrham,
Thuraque de medio semicremata rogo,
Et quæ de Stygio rapuisti cinnama lecto,
Improbe de turpi, Zoile, redde sinu.
A pedibus didicere manus peccare protervæ.
Non miror furem, qui fugitivus erat.

O Zoile nequam, restitue de turpi sinu unguenta, & casias, & myrrham olentem funera, & thura semicremata ex media pyra, & cinnama quæ abstulisti ex lecto Stygio. Manus petulantes peccare didicerunt a pedibus: non miror Zoilum *furem, qui erat fugitivus.*

Unguenta & casias.] Munera nempe, quæ rogis imponi solebant, epig. 97. lib. 10. Stygius vero lectus feretrum est, quod violasse, summum scelus habitum est. *A pedibus.*] Servus enim fugitivus fuerat Zoilus, atque ita fugiens a domino, jam se ipsum illi surripuerat: pedum ergo exemplum secutæ sunt manus. De Zoilo sæpius dictum.

Ad Urbicum, ut improbum captatorem Lupum fallat. LVI.

HORTATUR fieri quod te Lupus, Urbice, patrem:
Ne credas, nihil est quod minus ille velit.
Ars est captandi, quod nolis velle videri:
Ne facias optat, quod rogat, ut facias.

O Urbice, ne credas quod Lupus impellit te fieri genitorem, nihil est quod ille minus cupiat. Ars est captandi velle videri quod nolis: cupit ne agas, quod orat ut agas.

Dicat

Dicat prægnantem tua se Cosconia tantum:
Pallidior fiet jam pariente Lupus.
At tu consilio videaris ut usus amici,
Sic morere, ut factum te putet esse patrem.

Cosconia tua duntaxat prædicet se prægnantem: Lupus fiet pallidior jam pariente. At ut tu videaris secutus consilium amici, sic occumbe, ut ille credat te factum genitorem.

Fieri patrem] nempe adoptando filium, vel potius generando, cui relinquas tua bona.

Tua Cosconia.] uxor tua.

Ut factum.] hoc est morere facto testamento, in quo captatori nihil relinquas.

In Cheræmonem, qui non ex animi constantia, sed ex inopia laudabat mortem. LVII.

Quod nimium laudas, Cheræmon Stoïce, mortem,
Vis animum mirer, suspiciamque tuum.
Hanc tibi virtutem fracta facit urceus ansa,
Et tristis nullo qui tepet igne focus.
Et teges & cimex, & nudi sponda grabati,
Et brevis, atque eadem nocte dieque toga.
O quam magnus homo es, qui fæce rubentis aceti,
Et stipula, & nigro pane carere potes!
Lingonicis agedum tumeat tibi culcita lanis,
Constringatque tuos purpura texta toros:
Dormiat & tecum, qui cum modo Cæcuba miscet,
Convivas roseo torserat ore puer:
O quam tu cupias ter vivere Nestoris annos,
Et nihil ex ulla perdere luce voles!
Rebus in angustis facile est contemnere vitam.
Fortiter ille facit qui miser esse potest.

O Cheræmon Stoice, quod nimium commendas mortem, vis ut mirer animum tuum, & venerer. Urceus fracta ansa tibi conciliat hanc virtutem, & focus mœstus qui nullo igne tepet, & teges, & cimex, & sponda nudi grabati, & brevis toga, atque eadem die ac nocte. O quam magnus es homo, qui vales privare te fæce rubentis aceti, & stipula, & nigro pane! Agedum habeas culcitram tumentem lanis Lingonicis, & purpura texta arctet tuos lectos. . . . .

. . . .

. . . . .

O quam tu optes ter agere annos Nestoris, & nihil amittere voles ex ullo die! Facile est spernere vitam in rebus angustis. Ille agit fortiter, qui potest pati miseriam.

Et teges &c.] Epig. 33. supra.
Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus.
Et nudi sponda.] epig. 93. lib. 1.
. *O quam.*] per ironiam.
Lingonicis.] Vide epig. 159. lib. 14. cujus lemma est *tomentum Lingonicum.* Turnebus lib. 8. cap. 4. legit *Leuconicis*: tomenta enim Leuconica sic existimat dicta a Leuconico loco. Alii existimant lanas sic dictas a candoris præstantia. Vide etiam epig. 54. lib. 1.

Purpura texta.] Alii *pexa*. De Nestore sæpius jam diximus.

Qui miser esse potest.] hoc est, qui non ægre fert paupertatem.

Ad Severum virum eruditum. LVIII.

Miraris docto quod carmina mitto Severo,
Ad cœnam quod te, docte Severe, vocem.

O erudite Severe, miraris quod mittam versus erudito Severo, & quod te invitem ad cœnam.

Jup-

Juppiter ambrosia satur est, & nectare vivit:
Nos tamen exta Jovi, thura, merumque damus.
Omnia cum tibi sint dono concessa deorum,
Si quod habes non vis, ergo quid accipies?

Jupiter satur est ambrosia, & vivit nectare. Nihilominus nos offerimus Jovi exta, thura, & vinum. Cum dii tibi concesserint omnia, si recusas quod habes, ergo quid accipies?

Miraris docto.] Vide epig. 27. lib. 9.

Jupiter ambrosia.] dona tamen nostra non respuit.

Si quod habes.] Si ea daremus tantum quibus indiges, tibi omnium rerum copia abundanti nihil quicquam dare possemus.

LIX.

De Charino paupere quidem, sed opes ostentante. LX.

SENOS Charinus omnibus digitis gerit,
Nec nocte ponit annulos.
Nec cum lavatur, caussa quæ sit, quæritis?
Dactylothecam non habet.

Omnibus digitis Charinus gestat senos annulos. An rogatis caussam? Non habet dactylothecam.

Dactylothecam.] Repositorium nempe in quo reponuntur & servantur annuli, quos ad certos tantum dies conducebat Charinus. Alii *dactyliothecam*.

LXI.

LXII.

LXIII.

LXIV.

LXV.

In Justinum de convivio ejus natalicio. LXVI.

SEXCENTI cœnant a te, Justine, vocati
Lucis ad officium, quæ tibi prima fuit:
Inter quos, memini, non ultimus esse solebam:
Nec locus hîc nobis invidiosus erat.
Postera sed festæ reddis sollemnia mensæ:
Sexcentis hodie, cras mihi natus eris.

O Justine, sexcenti cœnant a te invitati ad solennitatem diei, quo natus es: inter quos, memini, solebam non esse ultimus: nec locus hic nobis pariebat invidiam. Sed reddis solennes reliquias mensæ festæ: hodie natus eris sexcentis, cras vero mihi.

Lucis ad officium.] hoc est ad natalicium tuum convivium. *Officium* verbum est hic omnino proprium, quod tamen interpretatus sum intelligentiæ caussa. Juvenalis sat. 2. v. 134.

Qua caussa officii? &c.

Nec locus hic.] quia non primarius quidem, sed nec erat ultimus.

Postera sollemnia.] hoc est convivii reliquias, ad quas scilicet me invitas.

Sexcen-

Sexcentis hodie.] Sic explicant interpretes, A te invitati hodie ad te mittant munera natalicia, ego vero cras mittam: hoc est, nunquam mittam. Sed lubentius ego cum Grutero simpliciter interpreter, quod Poëta malit se postero die ad reliquias convivii invitari, quam ipso natali die, propter nimiam convivarum turbam.

In Vacerram, quem malis suis artibus non locupletatum miratur. LXVII.

ET delator es, & calumniator:
Et fraudator es, & negotiator:
Et fellator es, & lanista. miror
Quare non habeas, Vacerra, nummos.

Et delator es, & calumniator: & fraudator, & mercator: . . . . & lanista: miror, ô Vacerra, quare non habeas nummos.

Lanista.] De quo epig. 82. lib. 6.

In Maronem cujus hereditatem expectabat. LXVIII.

NIL mihi das vivus: dicis post fata daturum.
Si non es stultus, scis, Maro, quid cupiam.

Vivus nihil mihi donas, dicis te donaturum post mortem; si non es demens, ô Maro, tenes quid expetam.

Quid cupiam.] nempe tuam mortem, ut consequar quod mihi vivus promittis.

Ad Mathonem ne parva quidem munera impetrantem a divitibus. LXIX.

PARVA rogas magnos: sed non dant hæc quoque magni.
Ut pudeat levius te, Matho, magna roga.

Petis res exiguas a magnis; sed nec has etiam impetras a magnis. O Matho, ut minus pudeat te, pete magnas.

Ut pudeat levius.] Minor quippe ignominia erit, si magnæ rei, quam si parvæ repulsam patiaris. De Mathone caussidico sæpius dictum.

Epitaphium canis Lydiæ. LXX.

AMPHITHEATRALES inter nutrita magistros
Venatrix, sylvis aspera, blanda domi,
Lydia dicebar domino fidissima dextra,
Qui non Erigones mallet habere canem:
Nec qui Dictæa Cephalum de gente secutus
Luciferæ pariter venit ad astra deæ.
Non me longa dies, nec inutilis abstulit ætas,
Qualia Dulichio fata fuere cani:

Nutrita inter amphitheatrales magistros venatrix, acerba sylvis, mitis domi, Lydia appellabar dextra fidissima hero, qui non magis optaret habere canem Erigones: nec eum qui de gente Cretensi secutus Cephalum, similiter translatus est ad sidera dea lucifera. Longa dies, nec ætas decrepita me rapuit, qualis mors contigit cani Dulichio;

Fulmineo ſpumantis apri ſum dente peremta,
Quantus erat Calydon, aut, Erymanthe, tuus.
Nec queror, infernas quamvis cito rapta ſub umbras:
Non potui fato nobiliore mori.

ſum interfecta fulmineo dente ſpumantis apri, quantus erat tuus, ô Calydon, aut tuus, ô Erymanthe. Nec conqueror, licet immature rapta ſub infernas umbras, non potui perire morte præſtantiore.

Amphitheatrales.] In amphitheatro venationes ſæpe exhibitæ. Vide lib. Spect. *Magiſtros*, qui venationibus præerant.

Lydia dicebar.] Canis ipſa loquens inducitur.

Fidiſſima dextra.] Tam fida hero meo, quam dextra propria. Alii legunt *Dextro*, ut ſit nomen proprium heri ſui.

Erigones.] fuit filia Icarii, qui canem Meram ſecum duxerat cum Atticam peragrans interfectus eſt a paſtoribus. Erigone autem, cane Mera duce, reperit cadaver Icarii mortui, quo viſo ſe ſuſpendit puella, & Mera canis, ſeu Neæra, ut volunt alii, deſiderio dominorum contabuit, & in cœlum tranſlata canis cœleſtis dicitur: *Erigone* vero Virgo, & Aſtræa. Raderus ex Hygino.

Nec qui Dictæa.] In Creta canes egregii: hoc eſt, nec canis Lælaps, quem marito ſuo Cephalo dederat Procris, quorum hiſtoria ſatis nota, domino carior fuit; nunc in cœlum tranſlatus, Sirius ardor, & Canicula dicitur ſtellarum fulgentiſſima, atque infeſta humanis corporibus. Sic idem Raderus ex eodem Hygino.

Lucifera.] Dianam ſeu Lunam intellige, quæ venationi dedita gaudet canibus.

Dulichio.] Argus canis Ulyſſis celebratur carmine Homeri Odyſſ. lib. 17. Dulichium inſula Ulyſſi quondam ſubjecta cum Itacho monte. Sic Raderus ex Mela, & aliis. Dulichii inſulæ meminit Strabo lib. 10. quam eandem cum Cephallenia quidam affirmarunt, ſed male, ut refert idem Strabo ex Homero, cujus teſtimonio oſtendit neque Dulichium eſſe Cephalleniam, neque ad Cephalleniam pertinere, quod Andro ſcripſit: cum Dulichium Epei obtinuerint, totam Cephalleniam Cephallenes: hique Ulyſſi paruerint, illi Megeti. Judicet lector.

Calydon.] De apro Calydonio epig. 15. lib. Spect.

Erymanthe] mons eſt Arcadiæ, ubi erat Aper dictus Erymanthius, quem interfecit Hercules.

Fato nobiliore.] nempe interfecta a fera tam præſtanti.

LXXI.

LXXII.

LXXIII.

LXXIV.

LXXV.

LXXVI.

Ad Pætum creditorem ſuum. LXXVII.

SOLVERE, Pæte, decem tibi me ſeſtertia cogis:
Perdiderat quoniam Bucco ducenta tibi.
Ne noceant, oro, mihi non mea crimina: tu qui
Bis centena potes perdere, perde decem.

O Pæte, cogis me ſolvere tibi decem ſeſtertia: quoniam Bucco te fraudaverat ducentis. Quæſo, ne aliena delicta obſint mihi: tu qui potes amittere ducenta, amitte decem.

Pæte.] qui nempe iratus quod a Buccone fraudatus fuiſſet, reliquos ſuos debitores aſpere invaſit, inter quos fuit Martialis, qui feſtive a Pæto petit, ut ducentis amiſſis, perdat adhuc decem quæ ipſe debebat.

In

In Vacerram gulosum. LXXVIII.

IN omnibus Vacerra quod conclavibus
Consumit horas, & die tota sedet:
Cœnaturit Vacerra, non cacaturit.

Quod Vacerra consumit horas in omnibus conclavibus, & sedet tota die; Vacerra cupit cœnare, non cacare.

In omnibus.] De Vacerra jam supra epig. 67. Compescendæ autem alvi gratia sedere, & remanere se fingebat, ut invitaretur cum cœna esset instructa.

LXXIX.

Ad Pætum, cujus mulas tardissimas irridet. LXXX.

AD primum decima lapidem quod venimus hora,
Arguimur lentæ crimine pigritiæ.
Non est ista quidem, non est mea, sed tua culpa,
Misisti mulas qui mihi, Pæte, tuas.

Me accusas de crimine tardæ inertiæ, quod hora decima veni ad primum lapidem. O Pæte, ista quidem non est mea, sed tua culpa, qui misisti ad me tuas mulas.

Ad primum lapidem.] hoc est, ad tuam villam mille passibus distantem ab urbe veni hora decima, id est duabus horis ante noctem.

Mulas tuas.] tardissimas nempe.

De Baiis amœnis quibus gloriam & valetudinem suam anteponit. LXXXI.

LITUS beatæ Veneris aureum Baïas,
Baïas superbæ blanda dona naturæ,
Ut mille laudem, Flacce, versibus Baïas,
Laudabo digne non satis tamen Baïas:
Sed Martialem malo, Flacce, quam Baïas.
Optare utrumque pariter, improbi votum est.
Quod si deorum munere hoc tibi detur:
Quid gaudiorum est Martialis & Baïæ!

O Flacce, quamvis mille carminibus celebrem Baias litus aureum beatæ Veneris, Baias delicata munera naturæ magnifica: nihilominus non satis pro dignitate celebrabo Baias: O Flacce, sed Martialis mihi carior est Baiis. Votum est improbi expetere utrumque simul: quod si hoc tibi concedatur dono deorum, quanta est lætitia Martialis, & Baiæ simul!

Baias.] amœnissimas, epig. 63. lib. 1.

Sed Martialem.] hoc est, Malo meæ gloriæ & valetudini servire, quam in sinu Baiano deliciis & voluptatibus indulgere.

Optare utrumque.] delicias nempe, & gloriam aut valetudinem.

Improbi votum.] Alii *improbum*.

Hoc tibi detur.] Ut simul & sapientiæ & voluptatibus operam des, vel ut simul deliciis indulgeas, & valetudini consulas.

Quid gaudiorum.] hoc est, inquit Raderus. Quid nobis erit beatius, quibus contingat & Martialis simul & Baiæ: hoc est ut sim Martialis auctor, & clarus scriptis meis, & simul otio Baiano beatus; vel ut simul bene valeam, & Baianis voluptatibus fruar; ut tu, ô Flacce, & bene vales, & Baianis voluptatibus una frueris.

LXXXII.

De Philostrato temulento. LXXXIII.

ASinuessanis conviva Philostratus undis
Conductum repetens nocte jubente larem,
Pæne imitatus obit sævis Elpenora fatis,
Præceps per longos dum ruit usque gradus.
Non esset, Nymphæ, tam magna pericula passus,
Si potius vestras ille bibisset aquas.

Philostratus nocte cogente conviva rediens ab aquis Sinuessanis domum conductam, crudeli morte prope extinctus est, imitatus Elpenora, dum præceps ruit per longos gradus ad imum. O Nymphæ, non subiisset tanta pericula, si potius ille potasset vestras undas.

Sinuessanis.] De Sinuessa dictum epig. 42. lib. 6. ubi erant balnea saluberrima, unde ebrius iste redibat domum conductam & altam, quibus verbis Poëta significat illum fuisse pauperem.

Elpenora.] Ulyssis socium qui ebrius per scalarum gradus lapsus periit, Homer. Odyss. x.

Ad Sosibianum captatorem hereditatum. LXXXIV.

NEmo habitat gratis, nisi dives & orbus apud te,
Nemo domum pluris, Sosibiane, locat.

Nullus nisi locuples & orbus habet domicilium gratis apud te. O Sosibiane, nullus pluris locat ædes.

Nemo.] Hac enim nova arte divitum atque orborum hereditates captabat.

Ad Antiochum tonsorem imperitum. LXXXV.

QUi nondum Stygias descendere quærit ad undas,
Tonsorem fugiat, si sapit, Antiochum.
Alba minus sævis lacerantur brachia cultris,
Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.
Mitior implicitas Alcon secat enterocelas,
Fractaque fabrili dedolat ossa manu.
Tondeat hic inopes Cynicos, & Stoïca menta,
Colaque pulverea nudet equina juba.
Hic miserum Scythica sub rupe Promethea radat:
Carnificem nudo pectore pascat avem.

Qui nondum cupit adire undas infernas, evitet tonsorem Antiochum, si sapit. Candida brachia dilaniantur cultris minus crudelibus, cum turba furiosa sævit ad modos Phrygios. Alcon blandior secat enterocelas intricatas, & fabrili manu excindit rupta ossa. Hic radat egenos Cynicos, & menta Stoicorum, & tondeat pulveream jubam equinorum collorum. Hic radat infelicem Prometheum sub rupe Scythica: nudo pectore alat avem carnificem.

Ad matrem fugiet Pentheus, ad Mænadas Orpheus,
Antiochi tantum barbara tela sonent.
Hæc quæcumque meo numerasti stigmata mento,
In vetuli picta qualia fronte sedent,
Non iracundis fecit gravis unguibus uxor:
Antiochi ferrum est, & scelerata manus.
Unus de cunctis animalibus hircus habet cor:
Barbatus vivit, ne ferat Antiochum.

Barbara tela Antiochi crepitent duntaxat, Pentheus fugiet ad genitricem, Orpheus ad Mænadas. Hæc quæcunque stigmata numerasti in meo mento, qualia hærent in picta fronte senis, non impressa sunt ab iracundis unguibus molestæ uxoris; sed a ferro, & scelerata manu Antiochi: ex omnibus animalibus unus hircus sapit: barbatus vivit ne experiatur Antiochum.

Enthea.] hoc est, deo plena turba sacerdotum nempe Isidis, ut & Cybeles, qui illarum sacra celebrabant, & divino furore perciti humeros sibi, & brachia vulnerabant.

Ad Phrygios.] hoc est, ad strepitum tympanorum; primum vero in Phrygia Cybeles sacra a Corybantibus celebrata sunt.

Alcon.] Chirurgus quidam. ἐντεροκήλη herniæ genus est, lib. 10. epig. 56.

Enterocelarum fartor Podalirius Hermes.

Et Stoica.] Stoici, & Cynici barbati erant.

Juba.] Crines sunt ex equorum, atque aliarum bestiarum collo pendentes.

Promethea.] Ab aquila dilaniatum, lib. 9. epig. 46.

Pentheus.] Echionis regis Thebarum, atque Agaves filius, qui Bacchi sacra contemnens, a matre, cæterisque Mænadibus discerptus est.

Ad Mænadas Orpheus.] A quibus dilaniatus est.

Stigmata.] Notas impressas, atque incisiones intellige, quales habent servi stigmatiæ, de quibus epig. 29. lib. 2.

In vetuli picta.] Alii scribunt *in vetuli Pycta*, & nomen esse volunt pugilis cicatricibus deformis.

LXXXVI.

In Parthenopæum tussi gulosa laborantem. LXXXVII.

Leniat ut fauces medicus, quas aspera vexat
Assidue tussis, Parthenopæe, tibi:
Mella dari, nucleosque jubet, dulcesque placentas,
Et quidquid pueros non sinit esse truces.
At tu non cessas totis tussire diebus.
Non est hæc tussis, Parthenopæe: gula est.

O Parthenopæe, ut medicus mitiget tuas fauces, quæ perpetuo cruciantur acerba tussi; jubet tibi dari mella, & nucleos, & dulces placentas, & quicquid facit pueros blandos. Sed tu non desinis tussire totis diebus. O Parthenopæe, non est hæc tussis, helluatio est.

Et quicquid pueros.] hoc est, ea omnia bellaria, quibus pueri lugentes placantur, aut truces mitescunt.

Gula est.] Tussis enim ut tibi dentur bellaria.

LXXXVIII.

LXXXIX.

Ad Pollam suam amicam. XC.

INTACTAS quare mittis mihi, Polla, coronas?
A te vexatas malo tenere rosas.

O Polla, cur mittis ad me intactas coronas? Malo tenere rosas attrectatas a te.

A te vexatas.] Et tuas manus redolentes rosæ recentibus atque intactis mihi gratiores erunt.

In Chrestillum probantem antiquos Poëtas. XCI.

CARMINA nulla probas, molli quæ limite currunt,
Sed quæ per salebras, altaque saxa cadunt.
Et tibi Mæonio quod carmine majus habetur,
Lucili columella hic situs Metrophanes:
Attonitusque legis terraï, frugiferaï,
Accius & quidquid Pacuviusque vomunt.
Vis imiter veteres, Chrestille, tuosque Poëtas?
Dispeream si scis, mentula quid sapiat.

Nulli versus placent tibi, qui fluunt via blanda, sed qui cadunt per salebras, & rupes excelsas. Et tu existimas quid majus versu Homerico, Hic jacet Metrophanes columella Lucilii; atque stupens legis terraï, frugiferaï, & quicquid vomunt Pacuvius atque Accius. O Chrestille, visne ut imiter antiquos tuos Poëtas? . . . .

Sed quæ per salebras.] hoc est, non amas versus teneros & molles, sed duros atque asperos.

Quod majus.] Alii *res major.*

Lucili.] Legunt alii,

Lucilei columella heic situs Metrophan' est.

De Lucilio Horatius sat. 4. lib. 1.

——— *durus componere versus:*
Nam fuit hoc vitiosus, &c.

Domitius existimat Columellam Metrophanem servum Lucilii fuisse: sed Georgius censet Columellam non esse nomen proprium, ut apud veteres majoris domus servos dictos fuisse columellas, quasi columina. Judicet lector.

Terraï.] pro *terræ*, diphthongo in duas vocales resoluta.

Accius & Pacuvius.] antiqui fuerunt Poëtæ lutulenti, & duri.

Si scis.] Alii *ni scis*, hoc sensu: Tu qui laudas durum carmen, nihilominus molliter vivis. Vel sic interpretare vulgatam lectionem: Tam hardus es, ut acumen versus teneri non sentias.

Epitaphium Canaces puellæ septennis. XCII.

ÆOLIDON Canace jacet hoc tumulata sepulcro,
Ultima cui parvæ septima venit hiems.
Ah scelus, ah facinus! properas quid flere viator?
Non licet hic vitæ de brevitate queri.
Tristius est leto leti genus: horrida vultus
Abstulit, & tenero sedit in ore lues:
Ipsaque crudeles ederunt oscula morbi,

Canace ex Æolidis, cui parvæ septima hiems fuit ultima, jacet humata hoc tumulo. Ah scelus, ah facinus, ô viator, quid festinas lacrymari? Non fas est hic conqueri de brevitate vitæ? Genus mortis gravius est morte: horrida lues corrupit faciem, atque hæsit tenero ori: sævi morbi corroserunt ipsa basia, nec labra

Nec

Nec data ſunt nigris tota labella rogis.
Si tam præcipiti fuerant ventura volatu,
Debuerant alia fata venire via.
Sed mors vocis iter properavit cludere blandæ,
Ne poſſet duras flectere lingua deas.

integra data ſunt atra pyra. Si fata ventura erant tam præcipiti volatu, debuerant venire alia via. Sed mors feſtinavit obſtruere iter teneræ voci, ne lingua poſſet exorare immites deas.

Æolidon.] Alludit Poeta, ut aiunt interpretes, ad Canacen regis Æoli filiam, cujus meminit Ovidius in ſuis epiſtolis. Dicitur *Æolidon Canace* pro *Æolidarum*: alii *Æolidos Canace*: alii *Æolis hen Canace*: Æolis vero dicitur, quod forte in Æolia nata eſſet.

De brevitate.] Sed licet conqueri de mortis genere; miſere enim periit Canace cancro corroſa.

Deas.] Parcas ſcilicet, quæ voce tam blanda flecti potuiſſent.

In Zoilum hominem prorſus perditum. XCIII.

MENTITUR, qui te vitioſum, Zoile, dixit.
Non vitioſus homo es, Zoile, ſed vitium.

O Zoile, qui nominavit te vitioſum, mentitur: non es homo vitioſus, ſed vitium ipſum.

Mentitur qui.] Excuſans Zoilum magis accuſat.

De Theodoro malo Poëta. XCIV.

PIERIOS vatis Theodori flamma Penates
Abſtulit: hoc Muſis, hoc tibi, Phœbe, placet?
O ſcelus, ô magnum facinus, crimenque deorum,
Non arſit pariter quod domus, & dominus.

Igne abſumptæ ſunt ædes Pieriæ Theodori Poetæ: O Phœbe, an hoc arridet tibi, & Muſis? O ſcelus, ô magnum facinus, & crimen deorum, quod ædes, & dominus ſimul non ſunt incenſi.

Pierios.] Quia Theodorus erat Poëta. Vide epig. 77. lib. 1.
Et dominus.] Utpote Poëta peſſimus.

XCV.

XCVI.

Ad Germanum arcentem puerum ab aqua haurienda. XCVII.

MARTIA non Rhenus ſalit hîc, Germane, quid obſtas,
Et puerum prohibes divitis imbre lacus?

Martia ſalit hîc non Rhenus, ô Germane, quid impedis, & arces puerum ab aqua largi lacus?

Bar-

Barbare, non debet ſubmoto cive miniſtro
Captivam victrix unda levare ſitim.

O barbare, repulſo cive miniſtro non debet unda victrix lenire ſitim captivi.

Martia.] De aqua Martia dictum epig. 42. lib. 6. Senſus totius epigrammatis eſt, Romanos victores a Germanis devictis non eſſe arcendos ab aqua Martia.

Cive miniſtro.] Legit Gronovius *ſubmoto cive, miniſtri*, hoc eſt, captivi, & famuli, qualis tu es, ô Germane.

XCVIII.

Ad Baſſum de baſiatoribus quos effugere nemo poſſet. XCIX.

Effugere non eſt, Baſſe, baſiatores.
Inſtant, morantur, perſequuntur, occurrunt,
Et hinc & illinc, uſquequaque, quacumque.
Non ulcus acre, puſtulæve lucentes,
Nec triſte mentum, ſordidique lichenes,
Nec labra pingui delibuta ceroto,
Nec congelati gutta proderit naſi.
Et æſtuantem baſiant, & algentem,
Et nuptiale baſium reſervantem.
Non te cucullis aſſeret caput tectum,
Lectica nec te tuta pelle, veloque,
Nec vendicabit ſella ſæpius clauſa.
Rimas per omneis baſiator intrabit.
Non conſulatus ipſe, non tribunatus,
Sævique faſces, nec ſuperba clamoſi
Lictoris abiget virga baſiatorem.
Sedeas in alto tu licet tribunali,
Et e curuli jura gentibus reddas:
Adſcendet illa baſiator, atque illa:
Febricitantem baſiabit & flentem.
Dabit oſcitanti baſium, natantique:
Dabit & cacanti. remedium mali ſolum eſt,
Facias amicum, baſiare quem nolis.

O Baſſe, baſiatores vitari nequeunt. Urgent, morantur, perſequuntur, obviam fiunt, hinc & illinc, uſquequaque, quacumque. Non ulcus acre, aut puſtula ignea, nec ſqualidum mentum, & ſordidi lichenes, nec labra oblita pingui ceroto, nec gutta naſi congelati proficiet. Oſculantur & ſudantem, & frigentem, & reſervantem oſculum nuptiale. Caput tectum cucullis non tuebitur te, nec lectica tuta velo, & pelle, nec ſæpius clauſa ſella liberabit te. Baſiator ingredietur per omnes rimas. Baſiator non amovebitur nec ab ipſo conſulatu, nec tribunatu, nec ſævis faſcibus, nec ſuperba virga clamoſi lictoris. Quamvis tu ſedeas in excelſo tribunali, atque e curuli ſella dicas jus populis: baſiator aſcendet illa, atque illa: oſculabitur febricitantem, & flentem. Libabit oſculum oſcitanti, & natanti: libabit & cacanti. Unicum eſt remedium mali, ineas amicitiam cum eo quem oſculari nolis.

Baſiatores.] De quibus jam dictum epig. 94. lib. 7.

Non ulcus.] hoc eſt, nullum morbi genus deterrebit eos.

Sordidique lichenes.] Gallice, *dartres, gratelle.*

Nec labra] Delibuta unguento e cera, aut ceruſſa ad fiſſuras, & ulcera. Farnabius.

Et nuptiale.] hoc eſt, atque eum baſiant, qui pura ſua oſcula ſervat uxori, vel ſponſæ.

Curuli.] Sella nempe eburnea, in qua ſedentes magiſtratus jus dicebant.

Facias amicum.] Ut baſiis nihil ſit opus, quibus tuam ſibi amicitiam conciliet baſiator.

C

C.

CI.

Ad Flaccum de Thaïde valde exili. CII.

THAIDA tam tenuem potuisti, Flacce, videre?
Tu puto, quod non est, Flacce, videre potes.

O Flacce, potuistine intueri Thaida tam exilem? O Flacce, opinor, tu potes intueri quod non est.

Tu puto.] Sensus est: Oculi tui, ô Flacce, perspicacissimi sunt, qui Thaida tam exilem deprehendere potuerint.

In Lydiam insulsam. CIII.

NON est mentitus qui te mihi dixit habere
Formosam carnem, Lydia, non faciem.
Est ita, si taceas, & si tam muta recumbas,
Quam silet in cera vultus, & in tabula.
Sed quoties loqueris, carnem quoque, Lydia, perdis,
Et sua plus nulli, quam tibi lingua nocet.
Audiat ædilis ne te, videatque, caveto.
Portentum est, quoties cœpit imago loqui.

O Lydia, non est mentitus, qui dixit mihi te habere pulchram carnem, non faciem. Ita est, si sileas, & si recumbas tam muta, quam tacet vultus in cera atque in tabula. At quoties loqueris, ô Lydia, amittis etiam carnem, nec ulli magis obest sua lingua, quam tibi. Caveto, ne ædilis audiat te, aut videat. Prodigium est, quoties imago cœpit loqui.

Carnem quoque.] Nam injucundis, atque insulsis tuis sermonibus corporis pulchritudinem deturpas, aut simpliciter intellige deformitatem oris Lydiæ, dum loqueretur.

Ædilis.] Expiabat portenta: imaginem vero loqui portentum erat: idcirco autem Lydiam vocat imaginem, quod formosa quidem esset, sed immobilis, atque illecebris careret. De Ædilis muneribus epig. 85. lib. 5.

Ad Sophronium, quem factum esse patrem miratur. CIV.

TANTA tibi est animi probitas, orisque, Sophroni,
Ut mirer fieri te potuisse patrem.

O Sophroni, habes tantam animi & vultus probitatem, ut mirer te potuisse fieri genitorem.

Ut mirer.] Te duxisse uxorem, atque ex ea suscepisse liberos,

CV.

CV.

Ad Garricum, a quo solita dona non accipiebat. CVI.

MITTEBAS libram: quadrantem, Garrice, mittis.
Saltem semissem, Garrice, solve mihi.

Mittebas libram, Garrice, mittis quadrantem. O Garrice, saltem solve mihi semissem.

Saltem semissem.] Nam per semissem seu selibram descendere debebas ad quadrantem. Vide epig. 71. lib. 8.

Ad Albium Maximum inertem. CVII.

ALBI Maxime, si vacabit hora,
Hoc tantum lege: namque & occupatus,
Et non es nimium laboriosus.
Transis hos quoque quatuor. Sapisti.

Albi Maxime, si per tempus licebit, hoc tantum lege: namque & es occupatus, nec nimis laboriosus. Omittis hos etiam quatuor versus. *Sapisti.*

Sapisti.] Hos enim si legeres, notatam tuam inertiam animadverteres.

Ad Septicianum qui librum evolverat quidem, sed non legerat. CVIII.

EXPLICITUM nobis usque ad sua cornua librum,
Et quasi perfectum, Septiciane, refers.
Omnia legisti: credo, scio, gaudeo, verum est.
Perlegi libros sic ego quinque tuos.

O Septiciane, ad me reportas librum explicitum usque ad cornua, & quasi absolutum. An *legisti omnia? puto, scio, lætor, verum est. Ego etiam sic legi tuos libros.*

Explicitum.] Apertum *ad cornua*, hoc est, ad extrema usque verba: de cornibus quibus libri ornarentur, vide epig. 67. lib. 1.

Perfectum.] Alii *perlectum*. Minus bene.
Sic ego.] Explicui nempe tuos libros, & rursus involvi.

Ad

Ad lectorem,
hunc librum datis muneribus augeri potuisse. CIX.

QUAMVIS tam longo possis satur esse libello,
Lector, adhuc a me disticha pauca petis.
Sed Lupus usuram, puerique diaria poscunt.
Lector, solve. taces, dissimulasque. vale.

O Lector, licet possis satur esse tam longo libro, adhuc me rogas pauca disticha. Sed Lupus petit fœnus, & servi petunt diaria. O lector, solve. siles, & dissimulas. vale.

Diaria.] hoc est, quotidianum victum petunt servi.

Vale.] Cum fingas te non intelligere quid rogem.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER XII.

Val. Martialis Prisco suo salutem.

SCIO me patrocinium debere contumacissimæ triennii desidiæ: quæ absolvenda non esset inter illas quoque occupationes urbicas, quibus facilius consequimur, ut molesti potius quam officiosi esse videamur: ne dum in hac provinciali solitudine, ubi nisi etiam intemperanter studeamus, & sine solatio & sine excusatione secessimus. Accipe ergo rationem, in qua hoc maximum & primum est, quod civitatis aures quibus assueveram, quæro, & videor mihi in alieno foro litigare. Si quid est enim in libellis meis quod placeat, dictavit auditor. Illam judiciorum subtilitatem, illud materiarum ingenium, bibliothecas, theatra, conventus, in quibus studere se voluptatibus non sentiunt: ad summam omnium ea quæ delicate reliquimus, quasi destituti desideramus. Accedit his municipalium rubigo dentium, & judicii loco livor, & unus, aut alter mali, in pusillo loco multi, adversus quos difficile est habere quotidie bonum stomachum. Ne mireris igitur abjecta ab indignante, quæ a gestiente fieri solebant. Ne quid tamen & advenienti tibi ab urbe, & exigenti negarem,

INTERPRETATIO.

Novi me debere defendere valde obstinatam inertiam triennii: quæ nec excusanda esset inter illa etiam officia urbana, quibus facilius assequimur, ut potius importuni esse appareamus, quam obsequiosi: non modo in hoc provinciali secessu, ubi nisi etiam immoderate studeamus, & sine consolatione, & sine caussa semigravimus. Disce igitur caussam, in qua hoc maximum, & præcipuum est, quod requiro aures urbis, quibus assueveram, & videor mihi litigare in alieno foro. Requirimus *illam subtilitatem judiciorum, illud ingenium materiarum, bibliothecas, theatra, conventus, in quibus*, qui adsunt, *non intelligunt se favere delectationibus* poëtarum : *postremum veluti derelicti requirimus ea, quæ molliter reliquimus. Additur his malevolentia municipum* meorum, *atque invidia loco judicii, & unus aut duo mali, multi* quidem *in exiguo loco, quos patienter ferre quotidie difficile est. Ergo ne tibi mirum sit esse abjecta cum indignatione, quæ*

cui



XI *Lib. 58 epigr. 4 vers.*
Merumque damus] Togatum ad tripodem cernimus in *Num.* Hadriani, & plurimorum augg.



XII *Lib. 6 epigr. 2 vers.*
Nerva] Qui modò laureatus, modò & radiatus, apud *Patinum* reliquosque.



XI *Lib. 6 epigr. 9 vers.*
Brutus] Qui reges ejecit; in *Denario* Juniæ gentis conspiciendus, apud *Patini Fulv. Ursinum.*



XII *Lib. 63 epigr. 12 vers.*
Saturne] Conspicitur falcem tenens, in Elagabali *Num.*



XII *Lib. 8 epigr. 1 vers.*
Roma] Undique victrix, in Augustorum *Nummis* millies obvia, amazonis ritu galeata loricataque.



XII *Lib. 96 epigr. 4 vers.*
Syrma] Citharœdi, in scena palliati trahentes syrma. Testis perelegans Neronis *Num.*

cui non refero gratiam, ſi tantum ea præſto quæ poſſim, imperabo mihi, cui indulgere conſueveram, & ſtatui pauciſſimis diebus, ut familiariſſimas mihi aures tuas exciperem adventoria [ſua.] Tu velim iſta quæ tantum apud te non periclitantur, diligenter æſtimare, & excutere non graveris, &, quod tibi difficillimum eſt, de nugis noſtris judices nitore ſepoſito, ne Romam, ſi ita decreveris, non Hiſpanienſem librum mittamus, ſed Hiſpanum.

ſolebant fieri cum voluptate. Ne quid tamen & advenienti tibi ab urbe, & petenti recuſarem, erga quem non ſum gratus, ſi tantum ea præſto, quæ poſſim, imperabo mihi, cui obſequi ſolitus eram, & decrevi pauciſſimis diebus, ut exciperem adventoria ſua aures tuas mihi familiariſſimas. Te rogo ut accurate iſta perpendas, & patienter exigas, quæ ſolum apud te tuta ſunt, & quod tibi difficillimum eſt, judices de nugis noſtris benignitate remota, ne, ſi ita cenſueris, Romam mittamus librum non Hiſpanienſem, ſed Hiſpanum.

N O T Æ.

Scio.] Per tres annos, a quibus ſeceſſerat in patriam, nihil ſcripſerat Martialis: diuturni vero ſilentii cauſſas explicat Proculo advenienti ab urbe Roma in Hiſpaniam; & petenti epigrammata obſecutus eſt. Itaque librum hunc duodecimum pauciſſimis diebus compoſuit, & Priſco ſuo amico obtulit.

Civitatis aures.] Nempe politos auditores deſidero, quibus placeant mea carmina: enimvero excitat auditor ſtudium.

Studere ſe voluptatibus.] hoc eſt, auditores non ſentiunt ſe argumentum præbere verſibus, quos Poëtæ cum voluptate & delectatione componunt. Unde infra dicit *quæ a geſtiente fieri ſolebant.* Vel intellige ipſos Poëtas etiam non cogitantes, dum ſpectaculis adſunt, ſtudere cum animi delectatione, quod nempe reverſi domum faciant verſus de iis, quæ aut viderint, aut audierint.

Unus aut alter.] Quamvis pauci ſint forte duo, qui carpant mea epigrammata, ratione tamen loci exigui, plures videntur.

Cui non refero gratiam.] Eleganter hanc ſententiam expreſſit Cicero lib. 4. epiſt. octava. *Reliquum eſt igitur, ut tibi me in omni re eum præbeam, præſtemque, ut ad omnia quæ tui velint; ita ſim præſto, ut me non ſolum omnia debere tua cauſſa, ſed ea quoque, etiam quæ non poſſim, putem.*

Imperabo.] id eſt, vel nolens te jubente ſcribam verſus. Alii *imperavi*, alii *imperavit.*

Et ſtatui.] Alii *ſtudui.*

Adventoria ſua] Turneb. lib. 30. cap. 26. ſic explicat hunc locum. De libro autem, ut *de adventoria cæna* loquitur, qua excipere ſolemus amicos peregre redeuntes, aut longo intervallo ad nos venientes.

Nitore ſepoſito.] Raderus recte nitorem referre videtur ad elegantiam & humanitatem, quam Priſcus ad carmina Martialis adferre ſolebat.

Non Hiſpanienſem.] id eſt, ſcriptum in Hiſpania, ſed prorſus Hiſpanum, ſeu inelegantem, & rudem. Hiſpanienſis autem eſt ille qui incolit Hiſpaniam, licet aliunde oriundus ſit: Hiſpanus vero eſt ille qui natus eſt in Hiſpania, quem hic ſumit pro barbaro & inculto.

Ad Priſcum,

cui nihil agenti offert librum legendum. I.

RETIA dum ceſſant, latratoreſque Moloſſi,
Et non invento ſilva quieſcit apro:
Otia, Priſce, brevi poteris donare libello.
Hora nec æſtiva eſt, nec tibi tota perit.

Dum retia conquieſcunt, & Moloſſi latratores, & ſilva ſilet non reperto apro: O Priſce, poteris dare operam brevi libro, nec eſt hora æſtiva, nec perdis illam totam.

Retia

Retia dum.] Dum non elt venandi tempus.

Molossi.] Canes acerrimi sic dicti a Molossis Epiri populis, ubi erant optimi.

Nec æstiva est.] hoc est, non opus est hora longissima ad legendum meum librum; diem æstivum, ut & hibernum in duodecim partes dividebant veteres, unde necessario horæ æstivæ hibernis multo longiores erant. Vide epig. 8. lib. 4. Hinc constat hunc librum Prisco oblatum fuisse vel extremo autumno, aut brumæ tempore, quod aptissimum sit venationi aprorum. Alii aliter explicant, nempe non est hora æstiva, quia scilicet æstatis tempore præ nimio calore facile defatigatur lector.

Nec tibi tota perit.] Etenim liber non est tam malus, quin ex eo fructum aliquem percipias.

Ad sua carmina, quæ mittit Romam. II.

QUÆ modo litoreos ibatis carmina Pyrgos,
Ite sacra, jam non pulverulenta via est.

O versus, qui modo petebatis Pyrgos maritimos, ite via sacra, jam iter non est pulverulentum.

Quæ modo.] Ex urbe quondam libros meos misi Pyrgos, ut inde in alias orbis partes mitterentur: jam vero ex Hispania illos mitto in urbem. Pyrgi oppidum fuit Hetruriæ maritimum.

Ite sacra.] Hinc colligere est hunc librum missum esse vel vere, vel autumno, quia tunc humidum est cœlum. Vide epigramma præcedens.

Ad librum suum, quem mittit Romam. III.

AD populos mitti qui nuper ab urbe solebas,
Ibis tu Romam nunc, peregrine liber.
Auriferi de gente Tagi, tetricique Salonis
Dat patrios Manes quæ mihi terra potens.
Non tamen hospes eris, nec jam potes advena dici,
Cujus habet fratres tot domus alta Remi.
Jure tuo veneranda novi pete limina templi,
Reddita Pierio sunt ubi templa choro.
Vel si malueris, prima gradiere Sabura:
Atria sunt illic consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella Penates,
Clarus Hianteæ Stella petitor aquæ.
Fons ibi Castalius vitreo torrente superbit,
Unde novem dominas sæpe bibisse ferunt.
Ille dabit populo, patribusque, equitique legendum,
Nec nimium siccis perleget ipse genis.
Quid titulum poscis? versus duo tresve legantur,
Clamabunt omnes te, liber, esse meum.

O liber, peregrine, qui nuper solebas ab urbe mitti ad populos, tu nunc petes Romam ex provincia auriferi Tagi, & Salonis rustici, quæ terra potens mihi præbet Manes patrios. Nihilominus non eris externus, nec jam dici potes advena, cujus tot sunt fratres in superbis ædibus Remi. Jure tuo adi colenda limina novi templi, ubi templa sunt restituta choro Pierio. Vel si libuerit, ibis prima Sabura: ibi est superba domus mei consulis. Stella disertus habitat ædes laurigeras, insignis Stella petitor aquæ Hianteæ, ubi Castalius fons superbit vitreis aquis, unde sæpe bibisse dicuntur novem dominæ. Ille dabit te legendum populo, & patribus, & equitibus, & ipse perleget genis non nimium siccis. Quid petis titulum? Legantur duo aut tres versus: ô liber, clamabunt omnes te esse meum.

Ad populos.] Hoc epigramma ejusdem argumenti est cum superiore.

Salonis.] de quo epig. 50. lib. 1. quem tetricum vocat propter agrestes, seu tetricos ejus accolas.

Dat patrios Manes.] in qua scilicet terra cos-

conditi sunt cineres meorum parentum, & quæ patria mea est.

Cujus habet fratres.] Romæ quippe, quam Remi domum vocat, præcedentes libros sciipserat: Romæ autem triginta & quatuor annis manserat, epig. 104. lib. 10.

Reddita Pierio.] In palatio Musarum atque Apollinis templum excitaverat Augustus, ubi, probata Poëtarum scripta reponebantur, quod Nerva deinde restituit in gratiam chori Pierii seu Musarum, & ipsorum etiam Poëtarum.

Prima Subura.] in cujus aditu habitabat Stella de quo epig. 8. lib. 1. De fonte Ianthidos vide epig. 49. & 13. lib. 7. & epig. 47. lib. 6. Gronovius contendit scribendum esse *Hyantea*, ut scribitur etiam in antiquis codicibus: Hyantea aqua, inquit, est unda Castalis. Ausonius, *Hyantea Aganippe.* Statio, *Hyantea sorores*, &c.

Petitor.] Alii *sititor*.

Novem dominas.] Musas intellige.

Nec nimium siccis.] præ desiderio mei flebit.

Quid titulum.] hoc est nomen auctoris.

Ad Priscum Terentium suum Mæcenatem. IV.

QUOD Flacco, Varioque fuit, summoque Maroni,
Mæcenas, atavis regibus ortus eques,
Gentibus & populis hoc te mihi, Prisce Terenti,
Fama fuisse loquax, chartaque dicet anus.
Tu facis ingenium, tu, si quid posse videmur,
Tu das ingenuæ munera pigritiæ.

Qualis Mæcenas eques natus ab atavis regibus fuit Horatio, & Vario, & summo Maroni, ô Prisce Terenti, talem te mihi fuisse fama loquax, & charta vetus narrabit gentibus & populis. Ingenium meum pendet a te, & si quid posse videmur, tu muneribus donas ingenuam inertiam.

Vario.] cujus meminit epig. 18. lib. 8.

Mæcenas.] Alludit ad illum Horatii versum ode 1. lib. 1.

Mæcenas atavis edite regibus, &c.

Chartaque.] hoc est, te meis in versibus donabo immortalitate.

Ingenuæ pigritiæ.] Otium literarum intellige, homine ingenuo dignum. Sex ultimos versus epigrammatis sexti huic conjungendos censet Turnebus lib. 30. cap. 26. Sed tam Nervæ quam Prisco convenire posse videntur.

Tu das ingenuæ.] Legunt alii,

Tu das ingenuæ jus mihi pigritiæ.

Eligat lector.

Ad Cæsarem, de libris suis contractis. V.

LONGIOR undecimi nobis, decimique libelli
Arctatus labor est, & breve rasit opus.
Plura legant vacui, quibus otia tuta dedisti:
Hæc lege tu, Cæsar: forsan & illa leges.

Contraxi longiorem laborem undecimi & decimi libelli, & opus breve factum est. Otiosi legant plura quibus concessisti securam quietem. O Cæsar, tu lege hæc, forsan & leges illa.

Longior.] Editum jam decimum atque undecimum librum revocavit & contraxit; ad nos tamen integros pervenisse merito existimat Raderus; sunt enim æque longi ac priores.

Breve rasit.] hoc est, castigando & emendando multa erasit. Alii *vasit*, hoc est evasit.

Hæc lege.] hoc est, hos libros contractos: alios vero longiores legendos iis relinque, quibus tu, ô Cæsar, otium tutum concessisti, quo carebant regnante Domitiano.

In commendationem Nervæ. VI.

CONTIGIT Ausoniæ procerum mitissimus aulæ
Nerva: licet toto nunc Helicone frui.
Recta fides, hilaris clementia, cauta potestas
Jam redeunt: longi terga dedere metus.
Hoc populi, gentesque tuæ, pia Roma, precantur:
Dux tibi sit semper talis, & iste diu.
Macte animi, quem rarus habet, morumque tuorum,
Quos Numa, quos hilaris posset habere Cato.
Largiri, præstare, breves extendere census,
Et dare quæ faciles vix tribuêre dei.
Nunc licet, & fas est. sed tu sub principe duro,
Temporibusque malis, ausus es esse bonus.

Nerva lenissimus procerum datus est Imperio Romano: nunc fas est frui toto Helicone. Recta fides, hilaris clementia, provida potestas jam revertuntur: longi terrores evanuerunt. O pia Roma, populi, & gentes tua rogant hoc, ut semper habeas talem Imperatorem, & istum diu. O Nerva macte animi, qui contigit paucis, & macte tuorum morum, quos habere posset Numa, & Cato hilariter. Nunc fas est donare, præstare, augere breves census, & dare, quæ vix concessere dii faciles. At tu sub Imperatore inhumano, & ausus es esse bonus temporibus malis.

Nerva.] de Trajano hoc epigramma & præcedens intelligi potest; Trajanus enim a Nerva adoptatus dictus est Nerva Trajanus.

Helicone frui.] hoc est, libere Musis vacare.

Longi metus.] quibus percellebantur Romani regnante Domitiano.

Talis.] qualis est Nerva.

Macte animi.] Sensus est: Beatus & felix sis illo animo, atque illis moribus quibus ornari se crederet Numa, & lætaretur Cato, quantumvis morosus, & Stoicæ frontis.

Largiri.] id est, Nunc liberalitatem exercere potes, tu qui etiam sub principe crudeli bonus esse ausus es.

De Ligia calva. VII.

TOTO vertice quot gerit capillos,
Annos si tot habet, Ligia, trima est.

Si Ligia habet tot annos, quot crines gestat toto vertice, triennis est.

In commendationem Trajani. VIII.

TERRARUM dea, gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum,
Trajani modo læta cum futuros
Tot per secula computaret annos,
Et fortem, juvenemque, Martiumque
In tanto duce militem videret:
Dixit præside gloriosa tali,
Parthorum proceres, ducesque Serum,

Roma dea terrarum & nationum, cui nihil est par & nihil secundum, cum modo hilaris computaret annos futuros Trajani per tot secula, & spectaret militem & fortem, & juvenem, & Martium in tanto Imperatore; dixit superba tali duce; O proceres Parthorum, duces Serum,

Thra-

Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni,
Possum ostendere Cæsarem, venite.

Thraces, Sauromata, Geta, Britanni, accedite, possum vobis monstrare Cæsarem.

Parthorum.] quos bello superaverat Trajanus. *Ducesque Serum.*] Cluverius lib. 5. suæ Introductionis cap. 2. Sericam Scythiam hodie Cataiæ regnum esse dicit. De sequentibus populis sæpius actum supra.

Venite.] Pacem scilicet oratum : habeo enim Trajanum, qui vos a me deficientes castigare poterit. De virtutibus Trajani fuse Plinius junior in suo Panegyrico.

Ad Cæsarem, de tranquillitate Hispaniæ. IX.

PALMA regit nostros, mitissime Cæsar, Iberos,
Et placido fruitur pax peregrina jugo.
Ergo agimus læti tanto pro munere grates:
Misisti mores in loca nostra tuos.

O clementissime Cæsar, Palma gubernat nostros Hispanos, & pax peregrina fruitur jugo tranquillo. Ergo hilares agimus gratias pro tanto dono: misisti mores tuos in nostras regiones.

Palma.] Cujus Præfecti Syriæ, & Trajano gratissimi, mentionem facit Dio in Trajano : iterum meminit in Adriano a quo interfectus est Palma. Alii hoc loco Palmam sumunt pro symbolo victoriæ.
Pax peregrina.] nempe in Hispania.
Misisti.] Palmam præfectum, & tuorum morum æmulum.

De Africano avaro. X.

HABET Africanus millies, & tamen captat.
Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

Africanus habet millies, & nihilominus aucupatur. Fortuna nimium largitur multis, satis vero nemini.

Millies.] Centena scilicet sestertiûm millia.
Et tamen captat.] hoc est, servilibus officiis rem facere quærit.
Satis nulli.] Argute Aristophanes in Pluto:

Ὡς οὐδὲ μεστός (σ᾽) οὐδεὶς πώποτε.
Τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἐστὶ πάντων πλησμονή.

Hoc est, Neque quenquam hominem, tui unquam (supple ô Plute) cepit satietas; nam aliarum rerum satietas est omnium.

Mittit librum ad Parthenium. XI.

PARTHENIO dic, Musa, tuo, nostroque salutem.
Nam quis ab Aonio largius amne bibit?
Cujus Pimplæo lyra clarior exit ab antro,
Quem plus Pierio de grege Phœbus amat?
Et si forte, sed hoc vix est sperare, vacabit:
Tradat ut ipse duci carmina nostra, roga,
Quatuor & tantum, timidumque brevemque libellum
Commendet verbis: hunc tua Roma legit.

O Musa, saluta nostrum Parthenium, & tuum: quis enim largius potat ab amne Aonio? cujus lyra nobilior exit ab antro Pimplæo, quis de grege Pierio magis diligitur a Phœbo? Et si forte feriabitur, sed vix hoc sperandum est: ora ut ipse offerat versus nostros Imperatori, & commendet meticulosum & brevem librum quatuor tantum verbis: tua Roma legit hunc.

Parthenio.] Vide epig. 6. lib. 5. Suetonius in Domit. cap. 16.

Nam quis.] hoc est, quis est Poëta nobilior? De antro Pimplæo epig. 4. lib. 11.

Pierio de grege.] hoc est, e Poëtis, epig. 77. lib. 1.

Tradas ut.] Idem rogavit Parthenium epig. 6. lib. 5.

Duci.] Nervæ, aut potius Trajano, ut opinor. Vide epig. 1. lib. 11.

In Postumum ebrium promittentem quidlibet. XII.

OMNIA promittis, cum tota nocte bibisti:
Mane nihil præstas: Postume, mane bibe.

Polliceris cuncta, cum potasti tota nocte: mane nihil præstas: ô Postume, pota mane.

Mane bibe.] Ut promittas, atque eodem die memor præstes; dormienti enim tibi promissa excidunt ex memoria.

Ad Auctum de divitibus iracundis. XIII.

GENUS, Aucte, lucri divites habent iram.
Odisse quam donare vilius constat.

O Aucte, locupletes percipiunt genus lucri ex ira. Vilius constat odisse, quam donare.

Genus lucri.] Nimirum divites fingebant iram, ne aliquid donarent, lib. 3. epig. 37.

Ad Priscum, ne in venatione leporum præcipiti equo imprudentius feratur. XIV.

PARCIUS utaris moneo rapiente veredo,
Prisce, nec in lepores tam violentus eas.
Sæpe satisfecit prædæ venator, & acri
Decidit excussus, nec rediturus equo.
Insidias & campus habet, nec fossa, nec agger,
Nec sint saxa licet, fallere plana solent.
Non deerunt qui tanta tibi spectacula præstent:
Invidia fati sed leviore cadunt.
Si te delectant animosa pericula: Tuscis,
Tutior est virtus, insidiemur apris.
Quid te frena juvant temeraria? sæpius illis,
Prisce, datum est equitem rumpere, quam leporem.

O Prisce, hortor moderatius utaris celeri veredo, nec tanto impetu insequaris lepores. Sæpe venator dedit pœnas prædæ, atque acri equo excussus cecidit, nec reversurus. Et agri habent insidias, & quamvis non sint saxa, nec fossa, nec agger, plana solent circumvenire. Non deerunt qui exhibeant tibi tanta spectacula, sed cadunt minore invidia fati. Si pericula animosa tibi placent, insidiemur apris Tuscis, virtus est cautior. Quid te delectant cursus præcipites? O Prisce, contigit sæpius illis frangere equitem, quam leporem.

Rapiente veredo.] Torneb. lib. 18. cap. 1. Opinio est, inquit, veredum equum esse, qui vehat rhedam: sed ego veredum equum puto, qui neque rhedam, neque cisium trahat, &c. Gallice possis interpretari *un coureur.*

Non deerunt.] Alii scilicet, qui te comitabuntur.

Animosa.] In quibus opus est magna fortitudine.

Sed leviore.] Sed minor est aliorum jactura, & levior inde invidia in deos. Vide epig. 13. lib. 1.

Tuscis.] Ingentibus & ferocibus, quales habet Tuscia lib. 7. epig. 26.

Tusca glandis aper populator.

Le

Legunt alii *tu scis*, hoc est, tu novisti rem ita se habere. Eligat lector.

Tutior est virtus.] Nam ab insidiis magis sibi cavent venatores.

Equitem rumpere.] In hac leporum venatione sæpius venator incautus periit, quam lepus.

Adulatorium de Trajani liberalitate. XV.

QUIDQUID Parrhasia nitebat aula,
Donatum est oculis, deisque nostris.
Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Juppiter, & stupet superbus
Regis delicias, gravesque lusus.
Hæc sunt pocula, quæ decent Tonantem:
Hæc sunt, quæ Phrygium decent ministrum.
Omnes cum Jove nunc sumus beati:
At nuper, pudet, ah pudet fateri,
Omnes cum Jove pauperes eramus.

Quicquid fulgebat in aula Palatina, datum est oculis, & Numinibus nostris. Jupiter miratur Scythicas flammas auri virentis, & superbus stupet delectamenta regis, & graves lusus. Hæc sunt pocula, quæ conveniunt Tonanti: hæc sunt quæ conveniunt ministro Phrygio. Omnes nunc sumus felices cum Jove. Sed nuper, pudet, ah pudet fateri, omnes eramus inopes cum Jove.

Parrhasia.] Id est Palatina, epig. 55. lib. 7.

Donatum est.] Templis consecratum est ab omni populo spectandum.

Miratur Scythicas.] Vide epig. 28. lib. 4. hoc est, smaragdos virides: nam cum poculis aureis inseruntur, communicant suum colorem.

Regis.] Domitiani, quem vivum summis laudibus extulit, jam mortuum vituperat Poëta. *Superbus*, alii *superbi*.

Gravesque lusus.] Ut ornaret templa, spectacula ederet, & suis voluptatibus indulgeret, Romanos spoliabat Domitianus, unde ejus lusus graves erant populo. Legunt alii *gravesque luxus*.

Phrygium ministrum.] Ganymedem nempe; pocula Domitiani Jovi consecravit Trajanus.

Pudet, ah pudet.] Alii *pudet at piget*.

Cum J ve.] Quem donis ingentibus exornavit Trajanus.

Omnes cum Jove pauperes.] Attamen epig. 4. lib. 9. dixit Poëta Jovem non fore solvendo si ab eo Domitianus repetiisset impensas, quas in templis Capitolinis fecerat. Melius autem, ut opinor, aliter explicabis, cum Jove, hoc est, cum Domitiano, qui alterum Jovem haberi se volebat. Vide epig. 37. lib. 9.

XVI.

In Lentinum cujus febricitantis luxum irridet. XVII.

QUARE tam multis a te, Lentine, diebus
Non abeat febris, quæris, & usque gemis.
Gestatur tecum sella, pariterque lavatur:
Cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum.
Ebria Setino fit sæpe, & sæpe Falerno:
Nec nisi post niveam Cæcuba potat aquam.
Circumfusa rosis, & nigra recumbit amomo,
Dormit & in pluma, purpureoque toro.

O Lentine, semper conquereris, & rogas, cur tam multis diebus febris non discedat a te. Tecum gestatur in sella, & simul lavatur, cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum; sæpe fit temulenta Setino, & sæpe Falerno: nec bibit Cæcuba nisi post aquam niveam; circumdata rosis, & nigra amomo recumbit, & dormit in pluma & cubili purpureo,

Cum

Cum sit tam pulchre, tam belle vivat apud te;
Ad Dammam potius vis tua febris eat?

cum febris tua tam eleganter & tam belle vivat apud te, visne ut potius corripiat Dammam?

Quare tam.] A vino generoso & delicatis dapibus se non abstinebat Lentinus, unde merito illum Poëta irridet conquerentem, quod semper febri laboraret.

Ad Dammam.] Nomen servi, a quo scilicet pessime exciperetur.

Ad Juvenalem, de otio quo fruebatur Bilbili. XVIII.

DUM tu forsitan inquietus erras
Clamosa Juvenalis in Subura,
Aut collem dominæ teris Dianæ:
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Major Cælius, & minor fatigant:
Me multos repetita post Decembres
Accepit mea, rusticumque fecit
Auro Bilbilis, & superba ferro.
Hic pigri colimus labore dulci
Bothrodum, Plateamque: Celtiberis
Hæc sunt nomina crassiora terris.
Ingenti fruor, improboque somno,
Quem nec tertia sæpe rumpit hora,
Et totum mihi nunc repono, quidquid
Terdenos vigilaveram per annos.
Ignota est toga, sed datur petenti
Rupta proxima vestis e cathedra.
Surgentem focus excipit superba
Vicini strue cultus iliceti,
Multa villica quem coronat olla.
Venator sequitur: sed ille, quem tu
Secreta cupias habere silva.
Dispensat pueris, rogatque longos
Levis ponere villicus capillos.
Sic me vivere, sic juvat perire.

O Juvenalis, dum tu forte solicitus vagaris in clamosa Subura, aut teris collem dominæ Dianæ: dum sudatrix toga ventilat te per limina potentiorum, & major Cælius, & minor delassant te errantem: mea Bilbilis superba auro & ferro repetita post multos annos excepit me, & fecit rusticum. Hic otiosi suavi labore colimus Bothrodum, & Plateam: terra Celtibera habent hæc nomina rudiora. Fruor alto atque ingenti somno, qui sæpe nec rumpitur hora tertia, & nunc mihi rependo totum, quicquid vigilaveram per triginta annos. Toga ignota est: sed mihi poscenti traditur proxima vestis suspensa ex cathedra rupta. Me surgentem excipit focus instructus alta strue vicini iliceti, quem multis ollis cingit villica. Venator sequitur. . . . . . *Villicus tonsus mandat officia servis, atque orat ut deponantur longa eorum coma. Placet mihi sic vivere, & sic mori.*

Juvenalis.] Poëta satyricus satis notus.

Clamosa Subura.] Ubi nempe frequens clamor, quod illic esset forum rerum venalium, lib. 7. epig. 30.

Collem Dianæ.] Montem Aventinum intellige, in quo erat templum Dianæ sacrum, epig. 64. lib. 6.

Sudatrix toga.] Clientes toga induti adibant suos patronos.

Major & minor Cælius.] Montes. Majorem olim Querquetulanum dictum scribit Tacitus. Cælium postea a Cæle Vibenna Hetruscæ gentis duce; minor Cæliolus, aut Cælicolus dictus. Vide Marlianum lib. 4. cap. 18.

Multos post Decembres.] Post annos nempe 34. epig. 104. lib. 10. De Bothrodo aut Botrodo epig. 50. lib. 1. De Platea vero egimus lib. 4. epig. 55.

Tertia hora.] Nimirum ab ortu solis. Vide epig. 8. lib. 4.

Ignota est toga.] Sensus est: Officia togarum

torum hîc nulla ſunt.

Rapta proxima.] Morem oſtendit hominis ruſticantis, qui ſolutus curis dum it dormitum, veſtem conjicit in cathedram. Sic Domitius.

Surgentem focus.]

Vicina in ipſum ſilva deſcendet focum.

epig. 50. lib. 1.

Diſpenſat.] An officia, aut cibaria?

Rogatque.] Villicus ſcilicet ad cutem raſus rogat herum, ut ſibi liceat tondere ſervos, quo aptiores fiant operi ruſtico.

De Æmilio guloſo. XIX.

IN thermis ſumit lactucas, ova, lacertum,
Et cœnare foris ſe negat Æmilius.

Æmilius in thermis comedit lactucas, ova, lacertum, & negat cœnare ſe foris.

In thermis.] Divites iis quibuſcum lavabant, cibos in ipſis thermis diſtribuebant, hos Æmilius vorabat, ita ut non indigeret cœnare foris: interim prædicabat ſe non captare alienam cœnam, quaſi perinde non eſſet in alienis thermis, aut in alienis ædibus cœnare, epig. 71. infra, de Apro.

Sobrius a thermis neſcit abire domum.

Ad Fabullum de Themiſonte libidinoſo. XX.

QUARE non habeat, Fabulle, quæris,
Uxorem Themiſon? habet ſororem.

O Fabulle, rogas cur Themiſon non habeat uxorem? habet ſororem.

Habet ſororem.] hoc eſt amicam. Vide epig. 4. lib. 2.

Ad Marcellam ſuam uxorem, quam laudat a morum ſuavitate. XXI.

MUNICIPEM rigidi quis te, Marcella, Salonis,
Et genitam noſtris quis putet eſſe locis?
Tam rarum, tam dulce ſapis: Pallatia dicent,
Audierint ſi te vel ſemel, eſſe ſuam.
Nulla nec in media certabit nata Subura,
Nec Capitolini collis alumna tibi.
Nec cito ridebit peregrini gloria partus
Romanam deceat quam magis eſſe nurum.
Tu deſiderium dominæ mihi mitius urbis
Eſſe jubes: Romam tu mihi ſola facis.

O Marcella, quis credat te eſſe popularem rigidi Salonis, & genitam eſſe in noſtra regione? tam rarum, tam ſuave eſt tuum ingenium: Palatia vendicabunt te ſibi, ſi audiverint te vel ſemel. Nulla nec genita vel in media Subura, nec alumna collis Capitolini contendet tecum. Nec gloria peregrini partus cito videbit, cui magis conveniat eſſe nurui Romana. Tu in cauſſa es cur minus ægre feram deſiderium urbis dominæ: tu una mihi efficis Romam.

Marcella.] Poëtæ uxor, de qua epig. 31. infra.

Rigidi Salonis.] epig. 55. lib. 4.

Armorum Salo temperator.

Certabit.] Alii *certarit*, hoc eſt, nec ulla mulier vel media in urbe nata tecum contendet de elegantia & comitate morum, &c.

Nec cito.] Hunc verſum ſic explicat Raderus,

Nec gloria peregrini partus.

id eſt, nec ulla puella extra urbem naſcetur, & nata arridebit patri, aut matri, quam magis deceat exiſtimari Romanam vel ab ipſis Romanis, ac te, ô Marcella. Virgilius Eclog. 4.

Incipe, parve puer, riſu cognoſcere matrem;

Deceat.] Alii *decat.*

cui non refero gratiam, si tantum ea præsto quæ possim, imperabo mihi, cui indulgere consueveram, & statui paucissimis diebus, ut familiarissimas mihi aures tuas exciperem adventoria [sua.] Tu velim ista quæ tantum apud te non periclitantur, diligenter æstimare, & excutere non graveris, &, quod tibi difficillimum est, de nugis nostris judices nitore seposito, ne Romam, si ita decreveris, non Hispaniensem librum mittamus, sed Hispanum.

solebant fieri cum voluptate. Ne quid tamen & advenienti tibi ab urbe, & petenti recusarem, erga quem non sum gratus, si tantum ea præsto, quæ possim, imperabo mihi, cui obsequi solitus eram, & decrevi paucissimis diebus, ut exciperem adventoria sua aures tuas mihi familiarissimas. Te rogo ut accurate ista perpendas, & patienter exigas, quæ solum apud te tuta sunt, & quod tibi difficillimum est, judices de nugis nostris benignitate remota, ut, si ita censueris, Romam mittamus librum non Hispaniensem, sed Hispanum.

N O T Æ.

Scio.] Per tres annos, a quibus secesserat in patriam, nihil scripserat Martialis: diuturni vero silentii caussas explicat Proculo advenienti ab urbe Roma in Hispaniam; & petenti epigrammata obsecutus est. Itaque librum hunc duodecimum paucissimis diebus composuit, & Prisco suo amico obtulit.

Civitatis aures.] Nempe politos auditores desidero, quibus placeant mea carmina: enimvero excitat auditor studium.

Studere se voluptatibus.] hoc est, auditores non sentiunt se argumentum præbere versibus, quos Poëtæ cum voluptate & delectatione componunt. Unde infra dicit *quæ a gestiente fieri solebant.* Vel intellige ipsos Poëtas etiam non cogitantes, dum spectaculis adsunt, studere cum animi delectatione, quod nempe reversi domum faciant versus de iis, quæ aut viderint, aut audierint.

Unus aut alter.] Quamvis pauci sint forte duo, qui carpant mea epigrammata, ratione tamen loci exigui, plures videntur.

Cui non refero gratiam.] Eleganter hanc sententiam expressit Cicero lib. 4. epist. octava. *Reliquum est igitur, ut tibi me in omni re eum præbeam, præstemque, ut ad omnia quæ tui velint; ita sim præsto, ut me non solum omnia debere tua caussa, sed ea quoque, etiam quæ non possim, putem.*

Imperabo.] Id est, vel nolens te jubente scribam versus. Alii *imperavi*, alii *impetravit.*

Et statui.] Alii *studui.*

Adventoria sua] Turneb. lib. 30. cap. 26. sic explicat hunc locum. De libro autem, ut *de adventoria cœna* loquitur, qua excipere solemus amicos peregre redeuntes, aut longo intervallo ad nos venientes.

Nitore seposito.] Raderus recte nitorem referre videtur ad elegantiam & humanitatem, quam Priscus ad carmina Martialis adferre solebat.

Non Hispaniensem.] id est, scriptum in Hispania, sed prorsus Hispanum, seu inelegantem, & rudem. Hispaniensis autem est ille qui incolit Hispaniam, licet aliunde oriundus sit: Hispanus vero est ille qui natus est in Hispania, quem hic sumit pro barbaro & inculto.

Ad Priscum,
cui nihil agenti offert librum legendum. I.

RETIA dum cessant, latratoresque Molossi,
Et non invento silva quiescit apro:
Otia, Prisce, brevi poteris donare libello.
Hora nec æstiva est, nec tibi tota perit.

Dum retia conquiescunt, & Molossi latratores, & silva silet non reperto apro: O Prisce, poteris dare operam brevi libro, nec est hora æstiva, nec perdis illam totam.

Retia

Retia dum.] Dum non est venandi tempua.

Molossi.] Canes acerrimi sic dicti a Molossis Epiri populis, ubi erant optimi.

Nec æstiva est.] hoc est, non opus est hora longissima ad legendum meum librum; diem æstivum, ut & hibernum in duodecim partes dividebant veteres, unde necessario horæ æstivæ hibernis multo longiores erant. Vide epig. 8. lib. 4. Hinc constat hunc librum Prisco oblatum fuisse vel extremo autumno, aut brumæ tempore, quod aptissimum fit venationi aprorum. Alii aliter explicant, nempe non est hora æstiva, quia scilicet æstatis tempore præ nimio calore facile defatigatur lector.

Nec tibi tota perit.] Etenim liber non est tam malus, quin ex eo fructum aliquem percipias.

Ad sua carmina, quæ mittit Romam. II.

QUÆ modo litoreos ibatis carmina Pyrgos,
Ite sacra, jām non pulverulenta via est.

O versus, qui modo petebatis Pyrgos maritimos, ite via sacra, jam iter non est pulverulentum.

Quæ modo.] Ex urbe quondam libros meos mili Pyrgos, ut inde in alias orbis partes mitterentur: jam vero ex Hispania illos mitto in urbem. Pyrgi oppidum fuit Hetruriæ maritimum.

Ite sacra.] Hinc colligere est hunc librum missum esse vel vere, vel autumno, quia tunc humidum est cœlum. Vide epigramma præcedens.

Ad librum suum, quem mittit Romam. III.

AD populos mitti qui nuper ab urbe solebas,
Ibis tu Romam nunc, peregrine liber.
Auriferi de gente Tagi, tetricique Salonis
Dat patrios Manes quæ mihi terra potens.
Non tamen hospes eris, nec jam potes advena dici,
Cujus habet fratres tot domus alta Remi.
Jure tuo veneranda novi pete limina templi,
Reddita Pierio sunt ubi templa choro.
Vel si malueris, prima gradiere Sabura:
Atria sunt illic consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella Penates,
Clarus Hianteæ Stella petitor aquæ.
Fons ibi Castalius vitreo torrente superbit,
Unde novem dominas sæpe bibisse ferunt.
Ille dabit populo, patribusque, equitique legendum,
Nec nimium siccis perleget ipse genis.
Quid titulum poscis? versus duo tresve legantur,
Clamabunt omnes te, liber, esse meum.

O liber, peregrine, qui nuper solebas ab urbe mitti ad populos, tu nunc petes Romam ex provincia auriferi Tagi, & Salonis rustici, quæ terra potens mihi prabet Manes patrios. Nihilominus non eris externus, nec jam dici potes advena, cujus tot sunt fratres in superbis adibus Remi. Jure tuo adi colenda limina novi templi, ubi templa sunt restituta choro Pierio. Vel si libuerit, ibis prima Sabura: ibi est superba domus mei consulis. Stella disertus habitat ædes laurigeras, insignis Stella petitor aquæ Hianteæ, ubi Castalius fons superbit vitreis aquis, unde sæpe bibisse dicuntur novem dominæ. Ille dabit te legendum populo, & patribus, & equitibus, & ipse perleget genis non nimium siccis. Quid petis titulum? Legantur duo aut tres versus: ô liber, clamabunt omnes te esse meum.

Ad populos.] Hoc epigramma ejusdem argumenti est cum superiore.

Salonis.] de quo epig. 50. lib. 1. quem tetricum vocat propter agrestes, seu tetricos ejus accolas.

Dat patrios Manes.] in qua scilicet terra con-

conditi sunt cineres meorum parentum, & quæ patria mea est.

Cujus habet fratres.] Romæ quippe, quam Remi domum vocat, præcedentes libros scripserat: Romæ autem triginta & quatuor annis manserat, epig. 104. lib. 10.

Reddita Pierio.] In palatio Musarum atque Apollinis templum excitaverat Augustus, ubi, probata Poëtarum scripta reponebantur, quod Nerva deinde restituit in gratiam chori Pierii seu Musarum, & ipsorum etiam Poëtarum.

Prima Subura.] in cujus aditu habitabat Stella de quo epig. 8. lib. 1. De fonte Ianthidos vide epig. 49. & 13. lib. 7. & epig. 47. lib. 6. Gronovius contendit scribendum esse *Hyantea*, ut scribitur etiam in antiquis codicibus: Hyantea aqua, inquit, est unda Castalis. Ausonius, *Hyantea Aganippe*. Statio, *Hyantea sorores*, &c.

Petitor.] Alii *sititor*.

Novem dominas.] Musas intellige.

Nec nimium siccis.] præ desiderio mei flebit.

Quod titulum.] hoc est nomen auctoris.

Ad Priscum Terentium suum Mæcenatem. IV.

QUOD Flacco, Varioque fuit, summoque Maroni,
Mæcenas, atavis regibus ortus eques,
Gentibus & populis hoc te mihi, Prisce Terenti,
Fama fuisse loquax, chartaque dicet anus.
Tu facis ingenium, tu, si quid posse videmur,
Tu das ingenuæ munera pigritiæ.

Qualis Mæcenas eques natus ab atavis regibus fuit Horatio, & Vario, & summo Maroni, ô Prisce Terenti, talem te mihi fuisse fama loquax, & charta vetus narrabit gentibus & populis. Ingenium meum pendet a te, & si quid posse videmur, tu muneribus donas ingenuam inertiam.

Vario.] cujus meminit epig. 18. lib. 8.

Mæcenas.] Alludit ad illum Horatii versum ode 1. lib. 1.

Mæcenas atavis edite regibus, &c.

Chartaque.] hoc est, te meis in versibus donabo immortalitate.

Ingenuæ pigritiæ.] Otium literarum intellige, homine ingenuo dignum. Sex ultimos versus epigrammatis sexti huic conjungendos censet Turnebus lib. 30. cap. 26. Sed tam Nervæ quam Prisco convenire posse videntur.

Tu das ingenuæ.] Legunt alii,

Tu das ingenuæ jus mihi pigritiæ.

Eligat lector.

Ad Cæsarem, de libris suis contractis. V.

LONGIOR undecimi nobis, decimique libelli
Arctatus labor est, & breve rasit opus.
Plura legant vacui, quibus otia tuta dedisti:
Hæc lege tu, Cæsar: forsan & illa leges.

Contraxi longiorem laborem undecimi & decimi libelli, & opus breve factum est. Otiosi legant plura quibus concessisti securam quietem. O Cæsar, tu lege hæc, forsan & leges illa.

Longior.] Editum jam decimum atque undecimum librum revocavit & contraxit; ad nos tamen integros pervenisse merito existimat Raderus; sunt enim æque longi ac priores.

Breve rasit.] hoc est, castigando & emendando multa erasit. Alii *vasit*, hoc est evasit.

Hæc lege.] hoc est, hos libros contractos: alios vero longiores legendos iis relinque, quibus tu, ô Cæsar, otium tutum concessisti, quo carebant regnante Domitiano.

In commendationem Nervæ. VI.

CONTIGIT Ausoniæ procerum mitissimus aulæ
  Nerva: licet toto nunc Helicone frui.
Recta fides, hilaris clementia, cauta potestas
  Jam redeunt: longi terga dedere metus.
Hoc populi, gentesque tuæ, pia Roma, precantur:
  Dux tibi sit semper talis, & iste diu.
Macte animi, quem rarus habet, morumque tuorum,
  Quos Numa, quos hilaris posset habere Cato.
Largiri, præstare, breves extendere census,
  Et dare quæ faciles vix tribuêre dei.
Nunc licet, & fas est. sed tu sub principe duro,
  Temporibusque malis, ausus es esse bonus.

Nerva lenissimus procerum datus est Imperio Romano: nunc fas est frui toto Helicone. Recta fides, hilaris clementia, provida potestas jam revertuntur: longi terrores evanuerunt. O pia Roma, populi, & gentes tuæ rogant hoc, ut semper habeas talem Imperatorem, & ipsum diu. O Nerva *macte animi, qui contigit paucis, & macte tuorum morum, quos habere posset Numa, & Cato hilariter. Nunc fas est donare, præstare, augere breves census, & dare, quæ vix concessere dii faciles. At tu sub Imperatore inhumano, & ausus es esse bonus temporibus malis.*

Nerva.] de Trajano hoc epigramma & præcedens intelligi potest; Trajanus enim a Nerva adoptatus dictus est Nerva Trajanus.

Helicone frui.] hoc est, libere Musis vacare.

Longi metus.] quibus percellebantur Romani regnante Domitiano.

Talis.] qualis est Nerva.

Macte anim.] Sensus est: Beatus & felix sis illo animo, atque illis moribus quibus ornari se crederet Numa, & lætaretur Cato, quantumvis morosus, & Stoicæ frontis.

Largiri.] id est, Nunc liberalitatem exercere potes, tu qui etiam sub principe crudeli bonus esse ausus es.

De Ligia calva. VII.

TOTO vertice quot gerit capillos,
Annos si tot habet, Ligia, trima est.

Si Ligia habet tot annos, quot crines gestat toto vertice, triennis est.

In commendationem Trajani. VIII.

TERRARUM dea, gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum,
Trajani modo læta cum futuros
Tot per secula computaret annos,
Et fortem, juvenemque, Martiumque
In tanto duce militem videret:
Dixit præside gloriosa tali,
Parthorum proceres, ducesque Serum,

Roma dea terrarum & nationum, cui nihil est par & nihil secundum, cum modo hilaris computaret annos futuros Trajani per tot secula, & spectaret militem & fortem, & juvenem, & Martium in tanto Imperatore; dixit superba tali duce; O proceres Parthorum, duces Serum,

Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni,
Possum ostendere Cæsarem, venite.

Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni, accedite, possum vobis monstrare Cæsarem.

Parthorum.] quos bello superaverat Trajanus. *Ducesque Serum.*] Cluverius lib. 5. suæ Introductionis cap. 2. Sericam Scythiam hodie Cataiæ regnum esse dicit. De sequentibus populis sæpius actum supra.

Venite.] Pacem scilicet oraturi: habeo enim Trajanum, qui vos a me deficientes castigare poterit. De virtutibus Trajani fuse Plinius junior in suo Panegyrico.

Ad Cæsarem, de tranquillitate Hispaniæ. IX.

PALMA regit nostros, mitissime Cæsar, Iberos,
Et placido fruitur pax peregrina jugo.
Ergo agimus læti tanto pro munere grates:
Misisti mores in loca nostra tuos.

O clementissime Cæsar, Palma gubernat nostros Hispanos, & pax peregrina fruitur jugo tranquillo. Ergo hilares agimus gratias pro tanto dono: misisti mores tuos in nostras regiones.

Palma.] Cujus Præfecti Syriæ, & Trajano gratissimi, mentionem facit Dio in Trajano: iterum meminit in Adriano a quo interfectus est Palma. Alii hoc loco Palmam sumunt pro symbolo victoriæ.
Pax peregrina.] nempe in Hispania.
Misisti.] Palmam præfectum, & tuorum morum æmulum.

De Africano avaro. X.

HABET Africanus millies, & tamen captat.
Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

Africanus habet millies, & nihilominus antapatur. Fortuna nimium largitur multis, satis vero nemini.

Millies.] Centena scilicet sestertiûm millia.
Et tamen captat.] hoc est, servilibus officiis rem facere quærit.
Satis nulli.] Argute Aristophanes in Pluto:

Ὡς οὐδὲ μεστός σου γέγον' οὐδεὶς πώποτε
Τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἐστὶ πάντων πλησμονή.

Hoc est, Neque quenquam hominem, tui unquam (supple ô Plute) cepit satietas; nam aliarum rerum satietas est omnium.

Mittit librum ad Parthenium. XI.

PARTHENIO dic, Musa, tuo, nostroque salutem.
Nam quis ab Aonio largius amne bibit?
Cujus Pimplæo lyra clarior exit ab antro,
Quem plus Pierio de grege Phœbus amat?
Et si forte, sed hoc vix est sperare, vacabit:
Tradat ut ipse duci carmina nostra, roga,
Quatuor & tantum, timidumque brevemque libellum
Commendet verbis: hunc tua Roma legit.

O Musa, saluta nostrum Parthenium, & tuum: quis enim largius potat ab amne Aonio? cujus lyra nobilior exit ab antro Pimplæo, quis de grege Pierio magis diligitur a Phœbo? Et si forte feriabitur, sed via hoc sperandum est: ora ut ipse offerat versus nostros Imperatori, & commendet meticulosum & brevem librum quatuor tantum verbis: tua Roma legit hunc.

Parthenio.] Vide epig. 6. lib. 5. Suetonius in Domit. cap. 16.

Nam quis.] hoc est, quis est Poëta nobilior? De antro Pimplæo epig. 4. lib. 11.

Pierlo de grege.] hoc est, e Poëtis, epig. 77. lib. 1.
Tradat mt.] Idem rogavit Parthenium epig. 6. lib. 5.
Duci.] Nervæ, aut potius Trajano, ut opinor. Vide epig. 1. lib. 11.

In Postumum ebrium promittentem quidlibet. XII.

OMNIA promittis, cum tota nocte bibisti:
Mane nihil præstas: Postume, mane bibe.

Polliceris cuncta, cum potasti tota nocte: mane nihil præstas: ô Postume, pota mane.

Mane bibe.] Ut promittas, atque eodem die memor præstes; dormienti enim tibi promissa excidunt ex memoria.

Ad Auctum de divitibus iracundis. XIII.

GENUS, Aucte, lucri divites habent iram.
Odisse quam donare vilius constat.

O Aucte, locupletes percipiunt genus lucri ex ira. Vilius constat odisse, quam donare.

Genus lucri.] Nimirum divites fingebant iram, ne aliquid donarent, lib. 3. epig. 37.

Ad Priscum, ne in venatione leporum præcipiti equo imprudentius feratur. XIV.

PARCIUS utaris moneo rapiente veredo,
Prisce, nec in lepores tam violentus eas.
Sæpe satisfecit prædæ venator, & acri
Decidit excussus, nec rediturus equo.
Insidias & campus habet, nec fossa, nec agger,
Nec sint saxa licet, fallere plana solent.
Non deerunt qui tanta tibi spectacula præstent:
Invidia fati sed leviore cadunt.
Si te delectant animosa pericula: Tuscis,
Tutior est virtus, insidiemur apris.
Quid te frena juvant temeraria? sæpius illis,
Prisce, datum est equitem rumpere, quam leporem.

O Prisce, hortor moderatius utaris celeri veredo, nec tanto impetu insequaris lepores. Sæpe venator dedit pœnas prædæ, atque acri equo excussus cecidit, nec reversurus. Et agri habent insidias, & quamvis non sint saxa, nec fossa, nec agger, plana solent circumvenire. Non deerunt qui exhibeant tibi tanta spectacula, sed cadunt minore invidia fati. Si pericula animosa tibi placent, insidiemur apris Tuscis, virtus est cautior. Quid te delectant cursus præcipites? O Prisce, contigit sæpius illis frangere equitem, quam leporem.

Rapiente veredo.] Turneb. lib. 18. cap. 1. Opinio est, inquit, veredum equum esse, qui vehat rhedam: sed ego veredum equum puto, qui neque rhedam, neque cisium trahat, &c. Gallice possis interpretari un coureur.
Non deerunt.] Alii scilicet, qui te comitabuntur.
Animosa.] In quibus opus est magna fortitudine.
Sed leviore.] Sed minor est aliorum jactura, & levior inde invidia in deos. Vide epig. 13. lib. 1.
Tuscis.] Ingentibus & ferocibus, quales habet Tuscia lib. 7. epig. 26.
Tusca glandis aper populator.

Legunt alii *tu scis*, hoc est, tu novisti rem ita se habere. Eligat lector.

Tutior est virtus.] Nam ab insidiis magis sibi cavent venatores.

Equitem rumpere.] In hac leporum venatione sæpius venator incautus periit, quam lepus.

Adulatorium de Trajani liberalitate. XV.

QUIDQUID Parrhasia nitebat aula,
Donatum est oculis, deisque nostris.
Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Juppiter, & stupet superbus
Regis delicias, gravesque lusus.
Hæc sunt pocula, quæ decent Tonantem:
Hæc sunt, quæ Phrygium decent ministrum.
Omnes cum Jove nunc sumus beati:
At nuper, pudet, ah pudet fateri,
Omnes cum Jove pauperes eramus.

Quicquid fulgebat in aula Palatina, datum est oculis, & Numinibus nostris. Jupiter miratur Scythicas flammas auri virentis, & superbus stupet delectamenta regis, & graves lusus. Hæc sunt pocula, quæ conveniunt Tonanti: hæc sunt quæ conveniunt ministro Phrygio. Omnes nunc sumus felices cum Jove. Sed nuper, pudet, ah pudet fateri, omnes eramus inopes cum Jove.

Parrhasia.] Id est Palatina, epig. 55. lib. 7.

Donatum est.] Templis consecratum est ab omni populo spectandum.

Miratur Scythicas.] Vide epig. 28. lib. 4. hoc est, smaragdos virides: nam cum poculis aureis inseruntur, communicant suum colorem.

Regis.] Domitiani, quem vivum summis laudibus extulit, jam mortuum vituperat Poëta. *Superbus*, alii *superbi*.

Gravesque lusus.] Ut ornaret templa, spectacula ederet, & suis voluptatibus indulgeret, Romanos spoliabat Domitianus, unde ejus lusus graves erant populo. Legunt alii *gravesque luxus*.

Phrygium ministrum.] Ganymedem nempe; pocula Domitiani Jovi consecravit Trajanus.

Pudet, ah pudet.] Alii *pudet at piget*.

Cum Jove.] Quem donis ingentibus exornavit Trajanus.

Omnes cum Jove pauperes.] Attamen epig. 4. lib. 9. dixit Poëta Jovem non fore solvendo si ab eo Domitianus repetiisset impensas, quas in templis Capitolinis fecerat. Melius autem, ut opinor, aliter explicabis, cum Jove, hoc est, cum Domitiano, qui alterum Jovem haberi se volebat. Vide epig. 37. lib. 9.

XVI.

In Lentinum cujus febricitantis luxum irridet. XVII.

QUARE tam multis a te, Lentine, diebus
Non abeat febris, quæris, & usque gemis.
Gestatur tecum sella, pariterque lavatur:
Cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum.
Ebria Setino fit sæpe, & sæpe Falerno:
Nec nisi post niveam Cæcuba potat aquam.
Circumfusa rosis, & nigra recumbit amomo,
Dormit & in pluma, purpureoque toro.

O Lentine, semper conquereris, & rogas, cur tam multis diebus febris non desedat a te. Tecum gestatur in sella, & simul lavatur, cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum; sæpe fit temulenta Setino, & sæpe Falerno: nec bibit Cæcuba nisi post aquam niveam; circumdata rosis, & nigra amomo recumbit, & dormit in pluma & cubili purpureo,

 Cum

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATUM

LIBER XII.

Val. Martialis Prisco suo salutem.

SCIO me patrocinium debere contumacissimæ triennii desidiæ: quæ absolvenda non esset inter illas quoque occupationes urbicas, quibus facilius consequimur, ut molesti potius quam officiosi esse videamur: ne dum in hac provinciali solitudine, ubi nisi etiam intemperanter studeamus, & sine solatio & sine excusatione secessimus. Accipe ergo rationem, in qua hoc maximum & primum est, quod civitatis aures quibus assueveram, quæro, & videor mihi in alieno foro litigare. Si quid est enim in libellis meis quod placeat, dictavit auditor. Illam judiciorum subtilitatem, illud materiarum ingenium, bibliothecas, theatra, conventus, in quibus studere se voluptatibus non sentiunt: ad summam omnium ea quæ delicate reliquimus, quasi destituti desideramus. Accedit his municipalium rubigo dentium, & judicii loco livor, & unus, aut alter mali, in pusillo loco multi, adversus quos difficile est habere quotidie bonum stomachum. Ne mireris igitur abjecta ab indignante, quæ a gestiente fieri solebant. Ne quid tamen & advenienti tibi ab urbe, & exigenti negarem,

INTERPRETATIO.

Novi me debere defendere valde obfirmatam inertiam triennii: quæ nec excusanda esset inter illa etiam officia urbana, quibus facilius assequimur, ut potius importuni esse appareamus, quam obsequiosi: non modo in hoc provinciali secessu, ubi nisi etiam immoderate studeamus, & sine consolatione, & sine caussa semigravimus. Disce igitur caussam, in qua hoc maximum, & præcipuum est, quod requiro aures urbis, quibus assueveram, & videor mihi litigare in alieno foro. Requirimus *illam subtilitatem judiciorum, illud ingenium materiarum, bibliothecas, theatra, conventus, in quibus,* qui adsunt, *non intelligunt se favere delectationibus* poëtarum : *postremum veluti derelicti requirimus ea, quæ molliter reliquimus. Additur his malevolentia municipum* meorum, *atque invidia loco judicii, & unus aut duo mali, multi* quidem *in exiguo loco, quos patienter ferre quotidie difficile est. Ergo ne tibi mirum sit* esse *abjecta cum indignatione, quæ*

Qui



XI *Lib.* 58 *epigr.* 4 *verf.*
Merumque damus] Togatum ad tripodem cernimus in *Num.* Hadriani, & plurimorum augg.



XII *Lib.* 6 *epigr.* 2 *verf.*
Nerva] Qui modò laureatus, modò & radiatus, apud *Patinum* reliquofque.



XI *Lib.* 6 *epigr.* 9 *verf.*
Brutus] Qui reges ejecit; in *Denario* Juniæ gentis confpiciendus, apud *Patini Fulv. Urfinum.*



XII *Lib.* 63 *epigr.* 12 *verf.*
Saturne] Confpicitur falcem tenens, in Elagabali *Num.*



XII *Lib.* 8 *epigr.* 1 *verf.*
Roma] Undique victrix, in Auguftorum *Nummis* mille obvia, amazonis ritu galeata loricataque.



XII *Lib.* 96 *epigr.* 4 *verf.*
Syrma] Citharœdi, in fcena palliati trahentes fyrma. Teftis perelegans Neronis *Num.*

cui non refero gratiam, fi tantum ea præfto quæ poffim, imperabo mihi, cui indulgere confueveram, & ftatui pauciffimis diebus, ut familiariffimas mihi aures tuas exciperem adventoria [fua.] Tu velim ifta quæ tantum apud te non periclitantur, diligenter æftimare, & excutere non graveris, &, quod tibi difficillimum eft, de nugis noftris judices nitore fepofito, ne Romam, fi ita decreveris, non Hifpanienfem librum mittamus, fed Hifpanum.

folebant fieri cum voluptate. Ne quid tamen & advenienti tibi ab urbe, & petenti recufarem, erga quem non fum gratus, fi tantum ea præfto, quæ poffim, imperabo mihi, cui obfequi folitus eram, & decrevi pauciffimis diebus, ut exciperem adventoria fua aures tuas mihi familiariffimas. Te rogo ut accurate ifta perpendas, & patienter exigas, quæ folum apud te tuta funt, & quod tibi difficillimum eft, judices de nugis noftris benignitate remota, ut, fi ita cenfueris, Romam mittamus librum non Hifpanienfem, fed Hifpanum.

N O T Æ.

[1] *Scio.*] Per tres annos, a quibus fecefferat in patriam, nihil fcripferat Martialis: diuturni vero filentii cauffas explicat Proculo advenienti ab urbe Roma in Hifpaniam; & petenti epigrammata obfecutus eft. Itaque librum hunc duodecimum pauciffimis diebus compofuit, & Prifco fuo amico obtulit.

Civitatis aures.] Nempe politos auditores defidero, quibus placeant mea carmina: enimvero excitat auditor ftudium.

Studere fe voluptatibus.] hoc eft, auditores non fentiunt fe argumentum præbere verfibus, quos Poëtæ cum voluptate & delectatione componunt. Unde infra dicit *quæ a geftiente fieri folebant.* Vel intellige ipfos Poëtas etiam non cogitantes, dum fpectaculis adfunt, ftudere cum animi delectatione, quod nempe reverfi domum faciant verfus de iis, quæ aut viderint, aut audierint.

Unus aut alter.] Quamvis pauci fint forte duo, qui carpant mea epigrammata, ratione tamen loci exigui, plures videntur.

Cui non refero gratiam.] Eleganter hanc fententiam expreffit Cicero lib. 4. epift. octava. *Reliquum eft igitur, ut tibi me in omni re eum præbeam, præftemque, ut ad omnia quæ tui velint; ita fim præfto, ut me non folum omnia debere tua cauffa, fed ea quoque, etiam quæ non poffim, putem.*

Imperabo.] Id eft, vel nolens te jubente fcribam verfus. Alii *imperavi*, alii *impetravit.*

Et ftatui.] Alii *ftudui.*

Adventoria fua] Turneb. lib. 30. cap. 26. fic explicat hunc locum. De libro autem, ut *de adventoria cœna* loquitur, qua excipere folemus amicos peregre redeuntes, aut longo intervallo ad nos venientes.

Nitore fepofito.] Raderus recte nitorem referre videtur ad elegantiam & humanitatem, quam Prifcus ad carmina Martialis adferre folebat.

Non Hifpanienfem.] id eft, fcriptum in Hifpania, fed prorfus Hifpanum, feu inelegantem, & rudem. Hifpanienfis autem eft ille qui incolit Hifpaniam, licet aliunde oriundus fit: Hifpanus vero eft ille qui natus eft in Hifpania, quem hic fumit pro barbaro & inculto.

Ad Prifcum,

cui nihil agenti offert librum legendum. I.

RETIA dum ceffant, latratorefque Molofli,
Et non invento filva quiefcit apro:
Otia, Prifce, brevi poteris donare libello.
Hora nec æftiva eft, nec tibi tota perit.

Dum retia conquiefcunt, & Moloffi latratores, & filva filet non reperto apro: O Prifce, poteris dare operam brevi libro, nec eft hora æftiva; nec perdis illam totam.

Retia

Retia dum.] Dum non est venandi tempus.

Molossi.] Canes acerrimi sic dicti a Molossis Epiri populis, ubi erant optimi.

Nec æstiva est.] hoc est, non opus est hora longissima ad legendum meum librum; diem æstivum, ut & hibernum in duodecim partes dividebant veteres, unde necessario horæ æstivæ hibernis multo longiores erant. Vide epig. 8. lib. 4. Hinc constat hunc librum Prisco oblatum fuisse vel extremo autumno, aut brumæ tempore, quod aptissimum sit venationi aprorum. Alii aliter explicant, nempe non est hora æstiva, quia scilicet æstatis tempore præ nimio calore facile defatigatur lector.

Nec tibi tota perit.] Etenim liber non est tam malus, quin ex eo fructum aliquem percipias.

Ad sua carmina, quæ mittit Romam. II.

QUÆ modo litoreos ibatis carmina Pyrgos,
Ite sacra, jam non pulverulenta via est.

O versus, qui modo petebatis Pyrgos maritimos, ite via sacra, jam iter non est pulverulentum.

Quæ modo.] Ex urbe quondam libros meos misi Pyrgos, ut inde in alias orbis partes mitterentur: jam vero ex Hispania illos mitto in urbem. Pyrgi oppidum fuit Hetruriæ maritimum.

Ite sacra.] Hinc colligere est hunc librum missum esse vel vere, vel autumno, quia tunc humidum est cœlum. Vide epigramma præcedens.

Ad librum suum, quem mittit Romam. III.

AD populos mitti qui nuper ab urbe solebas,
Ibis tu Romam nunc, peregrine liber.
Auriferi de gente Tagi, tetricique Salonis
Dat patrios Manes quæ mihi terra potens.
Non tamen hospes eris, nec jam potes advena dici,
Cujus habet fratres tot domus alta Remi.
Jure tuo veneranda novi pete limina templi,
Reddita Pierio sunt ubi templa choro.
Vel si malueris, prima gradiere Sabura:
Atria sunt illic consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella Penates,
Clarus Hianteæ Stella petitor aquæ.
Fons ibi Castalius vitreo torrente superbit,
Unde novem dominas sæpe bibisse ferunt.
Ille dabit populo, patribusque, equitique legendum,
Nec nimium siccis perleget ipse genis.
Quid titulum poscis? versus duo tresve legantur,
Clamabunt omnes te, liber, esse meum.

O liber, peregrine, qui nuper solebas ab urbe mitti ad populos, tu nunc petes Romam ex provincia auriferi Tagi, & Salonis rustici, quæ terra potens mihi præbet Manes patrios. Nihilominus non eris externus, nec jam dici potes advena, cujus tot sunt fratres in superbis ædibus Remi. Jure tuo adi colenda limina novi templi, ubi templa sunt restituta choro Pierio. Vel si libuerit, ibis prima Sabura: ibi est superba domus mei consulis. Stella disertus habitat ædes laurigeras, insignis Stella sititor aquæ Hianteæ, ubi Castalius fons superbit vitreis aquis, unde sæpe bibisse dicuntur novem dominæ. Ille dabit te legendum populo, & patribus, & equitibus, & ipse perleget genis non nimium siccis. Quid petis titulum? Legantur duo aut tres versus: ô liber, clamabunt omnes te esse meum.

Ad populos.] Hoc epigramma ejusdem argumenti est cum superiore.

Salonis.] de quo epig. 50. lib. 1. quem tetricum vocat propter agrestes, seu tetricos ejus accolas.

Dat patrios Manes.] in qua scilicet terra con-

conditi sunt cineres meorum parentum, & quæ patria mea est.

Cujus habet fratres.] Romæ quippe, quam Remi domum vocat, præcedentes libros scripserat: Romæ autem triginta & quatuor annis manserat, epig. 104. lib. 10.

Reddita Pierio.] In palatio Musarum atque Apollinis templum excitaverat Augustus, ubi, probata Poëtarum scripta reponebantur, quod Nerva deinde restituit in gratiam chori Pierii seu Musarum, & ipsorum etiam Poëtarum.

Prima Subura.] in cujus aditu habitabat Stella de quo epig. 8. lib. 1. De fonte Ianthidos vide epig. 49. & 13. lib. 7. & epig. 47. lib. 6. Gronovius contendit scribendum esse *Hyantea*, ut scribitur etiam in antiquis codicibus: Hyantea aqua, inquit, est unda Castalis. Ausonius, *Hyantea Aganippe.* Statio, *Hyantea sorores*, &c.

Petitor.] Alii *sititor.*

Novem dominas.] Musas intellige.

Nec nimium siccis.] præ desiderio mei flebit.

Quid titulum.] hoc est nomen auctoris;

Ad Priscum Terentium suum Mæcenatem. IV.

QUOD Flacco, Varioque fuit, summoque Maroni,
Mæcenas, atavis regibus ortus eques,
Gentibus & populis hoc te mihi, Prisce Terenti,
Fama fuisse loquax, chartaque dicet anus.
Tu facis ingenium, tu, si quid posse videmur,
Tu das ingenuæ munera pigritiæ.

Qualis Mæcenas eques natus ab atavis regibus fuit Horatio, & Vario, & summo Maroni, ô Prisce Terenti, talem te mihi fuisse fama loquax, & charta vetus narrabit gentibus & populis. Ingenium meum pendet a te, & si quid posse videmur, tu muneribus donas ingenuam inertiam.

Vario.] cujus meminit epig. 18. lib. 8.

Mæcenas.] Alludit ad illum Horatii versum ode 1. lib. 1.

Mæcenas atavis edite regibus, &c.

Chartaque.] hoc est, te meis in versibus donabo immortalitate.

Ingenuæ pigritiæ.] Otium literarum intellige, homine ingenuo dignum. Sex ultimos versus epigrammatis sexti huic conjungendos censet Turnebus lib. 30. cap. 26. Sed tam Nervæ quam Prisco convenire posse videntur.

Tu das ingenuæ.] Legunt alii,

Tu das ingenuæ jus mihi pigritiæ.

Eligat lector.

Ad Cæsarem, de libris suis contractis. V.

LONGIOR undecimi nobis, decimique libelli
Arctatus labor est, & breve rasit opus.
Plura legant vacui, quibus otia tuta dedisti:
Hæc lege tu, Cæsar: forsan & illa leges.

Contraxi longiorem laborem undecimi & decimi libelli, & opus breve factum est. Otiosi legant plura quibus concessisti securam quietem. O Cæsar, tu lege hæc, forsan & leges illa.

Longior.] Editum jam decimum atque undecimum librum revocavit & contraxit; ad nos tamen integros pervenisse merito existimat Raderus; sunt enim æque longi ac priores.

Breve rasit.] hoc est, castigando & emendando multa erasit. Alii *vasit*, hoc est evasit.

Hæc lege.] hoc est, hos libros contractos: alios vero longiores legendos iis relinque, quibus tu, ô Cæsar, otium tutum concessisti, quo carebant regnante Domitiano.

In commendationem Nervæ. VI.

CONTIGIT Ausoniæ procerum mitissimus aulæ
Nerva: licet toto nunc Helicone frui.
Recta fides, hilaris clementia, cauta potestas
Jam redeunt: longi terga dedere metus.
Hoc populi, gentesque tuæ, pia Roma, precantur:
Dux tibi sit semper talis, & iste diu.
Macte animi, quem rarus habet, morumque tuorum,
Quos Numa, quos hilaris posset habere Cato.
Largiri, præstare, breves extendere census,
Et dare quæ faciles vix tribuêre dei.
Nunc licet, & fas est. sed tu sub principe duro,
Temporibusque malis, ausus es esse bonus.

Nerva lenissimus procerum datus est Imperio Romano: nunc fas est frui toto Helicone. Recta fides, hilaris clementia, provida potestas jam revertuntur: longi terrores evanuerunt. O pia Roma, populi, & gentes tuæ rogant hoc, ut semper habeas talem Imperatorem, & istum diu. O Nerva macte animi, qui contigis paucis, & macte tuorum morum, quos habere posset Numa, & Cato hilariter. Nunc fas est donare, præstare, augere breves census, & dare, quæ vix concessere dii faciles. At tu sub Imperatore inhumano, & ausus es esse bonus temporibus malis.

Nerva.] de Trajano hoc epigramma & præcedens intelligi potest; Trajanus enim a Nerva adoptatus dictus est Nerva Trajanus.

Helicone frui.] hoc est, libere Musis vacare.

Longi metus.] quibus percellebantur Romani regnante Domitiano.

Talis.] qualis est Nerva.

Macte animi.] sensus est: Beatus & felix sis illo animo, atque illis moribus quibus ornari se crederet Numa, & lætaretur Cato, quantumvis morosus, & Stoicæ frontis.

Largiri.] id est, Nunc liberalitatem exercere potes, tu qui etiam sub principe crudeli bonus esse ausus es.

De Ligia calva. VII.

TOTO vertice quot gerit capillos,
Annos si tot habet, Ligia, trima est.

Si Ligia habet tot annos, quot crines gestat toto vertice, triennis est.

In commendationem Trajani. VIII.

TERRARUM dea, gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum,
Trajani modo læta cum futuros
Tot per secula computaret annos,
Et fortem, juvenemque, Martiumque
In tanto duce militem videret:
Dixit præside gloriosa tali,
Parthorum proceres, ducesque Serum,

Roma dea terrarum & nationum, cui nihil est par & nihil secundum, cum modo hilaris computaret annos futuros Trajani per tot secula, & spectaret militem & fortem, & juvenem, & Martium in tanto Imperatore; dixit superba tali duce; O proceres Parthorum, duces Serum,

Thra-

Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni,
Possum ostendere Cæsarem, venite.

Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni, accedite, possum vobis monstrare Cæsarem.

Parthorum.] quos bello superaverat Trajanus. *Ducesque Serum.*] Cluverius lib. 5. suæ Introductionis cap. 2. Sericam Scythiam hodie Cataiæ regnum esse dicit. De sequentibus populis sæpius actum supra.

Venite.] Pacem scilicet oraturi: nadeo enim Trajanum, qui vos a me deficientes castigare poterit. De virtutibus Trajani fuse Plinius junior in suo Panegyrico.

Ad Cæsarem, de tranquillitate Hispaniæ. IX.

PALMA regit nostros, mitissime Cæsar, Iberos,
Et placido fruitur pax peregrina jugo.
Ergo agimus læti tanto pro munere grates:
Misisti mores in loca nostra tuos.

O clementissime Cæsar, Palma gubernat nostros Hispanos, & pax peregrina fruitur jugo tranquillo. Ergo hilares agimus gratias pro tanto dono: misisti mores tuos in nostras regiones.

Palma.] Cujus Præfecti Syriæ, & Trajano gratissimi, mentionem facit Dio in Trajano: iterum meminit in Adriano a quo interfectus est Palma. Alii hoc loco Palmam sumunt pro symbolo victoriæ.
Pax peregrina.] nempe in Hispania.
Misisti.] Palmam præfectum, & tuorum morum æmulum.

De Africano avaro. X.

HABET Africanus millies, & tamen captat.
Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

Africanus habet millies, & nihilominus aucupatur. Fortuna nimium largitur multis, satis vero nemini.

Millies.] Centena scilicet sestertiûm millia.
Et tamen captat.] hoc est, servilibus officiis rem facere quærit.
Satis nulli.] Argute Aristophanes in Pluto:

Ὡς οὐδὲ μεστὸς [illegible] γέγον' οὐδεὶς πώποτε
Τῶν [illegible] ἄλλων ἐστὶ πάντων πλησμονή.

Hoc est, Neque quenquam hominem, tui unquam (supple ô Plute) cepit satietas; nam aliarum rerum satietas est omnium.

Mittit librum ad Parthenium. XI.

PARTHENIO dic, Musa, tuo, nostroque salutem.
Nam quis ab Aonio largius amne bibit?
Cujus Pimplæo lyra clarior exit ab antro,
Quem plus Pierio de grege Phœbus amat?
Et si forte, sed hoc vix est sperare, vacabit:
Tradat ut ipse duci carmina nostra, roga,
Quatuor & tantum, timidumque brevemque libellum
Commendet verbis: hunc tua Roma legit.

O Musa, saluta nostrum Parthenium, & tuum: quis enim largius potat ab amne Aonio? cujus lyra nobilior exit ab antro Pimplæo, quis de grege Pierio magis diligitur a Phœbo? Et si forte feriabitur, sed vix hoc sperandum est: ora ut ipse offerat versus nostros Imperatori, & commendet meticulosum & brevem librum quatuor tantum verbis: tua Roma legit hunc.

Parthenio.] Vide epig. 6. lib. 5. Suetonius in Domit. cap. 16.

Nam quis.] hoc est, quis est Poëta nobilior? De antro Pimplæo epig. 4. lib. 11.

Pierio de grege.] hoc est, e Poëtis, epig. 77. lib. 1.

Tradas ut.] Idem rogavit Parthenium epig. 6. lib. 5.

Duci.] Nervæ, aut potius Trajano, ut opinor. Vide epig. 1. lib. 11.

In Postumum ebrium promittentem quidlibet. XII.

OMNIA promittis, cum tota nocte bibisti:
Mane nihil præstas: Postume, mane bibe.

Polliceris cuncta, cum potasti tota nocte: mane nihil præstas: ô Postume, pota mane.

Mane bibe.] Ut promittas, atque eodem die memor præstes; dormienti enim tibi promissa excidunt ex memoria.

Ad Auctum de divitibus iracundis. XIII.

GENUS, Aucte, lucri divites habent iram.
Odisse quam donare vilius constat.

O Aucte, locupletes percipiunt genus lucri ex ira. Vilius constat odisse, quam donare.

Genus lucri.] Nimirum divites fingebant iram, ne aliquid donarent, lib. 3. epig. 37.

Ad Priscum, ne in venatione leporum præcipiti equo imprudentius feratur. XIV.

PARCIUS utaris moneo rapiente veredo,
Prisce, nec in lepores tam violentus eas.
Sæpe satisfecit prædæ venator, & acri
Decidit excussus, nec rediturus equo.
Insidias & campus habet, nec fossa, nec agger,
Nec sint saxa licet, fallere plana solent.
Non deerunt qui tanta tibi spectacula præstent:
Invidia fati sed leviore cadunt.
Si te delectant animosa pericula: Tuscis,
Tutior est virtus, insidiemur apris.
Quid te frena juvant temeraria? sæpius illis,
Prisce, datum est equitem rumpere, quam leporem.

O Prisce, hortor moderatius utaris celeri veredo, nec tanto impetu insequaris lepores. Sæpe venator dedit pœnas præda, atque acri equo excussus cecidit, nec reversurus. Et agri habent insidias, & quamvis non sint saxa, nec fossa, nec agger, plana solent circumvenire. Non deerunt qui exhibeant tibi tanta spectacula, sed cadunt minore invidia fati. Si pericula animosa tibi placent, insidiemur apris Tuscis, virtus est cautior. Quid te delectant cursus præcipites? O Prisce, contigit sæpius illis frangere equitem, quam leporem.

Rapiente veredo.] Turneb. lib. 18. cap. 1. Opinio est, inquit, veredum equum esse, qui vehat rhedam: sed ego veredum equum puto, qui neque rhedam, neque cisium trahat, &c. Gallice possis interpretari *un coureur.*

Non deerunt.] Alii scilicet, qui te comitabuntur.

Animosa.] In quibus opus est magna fortitudine.

Sed leviore.] Sed minor est aliorum jactura, & levior inde invidia in deos. Vide epig. 13. lib. 1.

Tuscis.] Ingentibus & ferocibus, quales habet Tuscia lib. 7. epig. 26.

Tusca glandis aper populator.

Lo

Legunt alii *tu scis*, hoc est, tu novisti rem ita se habere. Eligat lector.

Tutior est virtus.] Nam ab insidiis magis sibi cavent venatores.

Equitem rumpere.] In hac leporum venatione sæpius venator incautus periit, quam lepus.

Adulatorium de Trajani liberalitate. XV.

QUIDQUID Parrhasia nitebat aula,
Donatum est oculis, deisque nostris.
Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Juppiter, & stupet superbus
Regis delicias, gravesque lusus.
Hæc sunt pocula, quæ decent Tonantem:
Hæc sunt, quæ Phrygium decent ministrum.
Omnes cum Jove nunc sumus beati:
At nuper, pudet, ah pudet fateri,
Omnes cum Jove pauperes eramus.

Quicquid fulgebat in aula Palatina, datum est oculis, & Numinibus nostris. Jupiter miratur Scythicas flammas auri virentis, & superbus stupet delectamenta regis, & graves lusus. Hæc sunt pocula, quæ conveniunt Tonanti: hæc sunt quæ conveniunt ministro Phrygio. Omnes nunc sumus felices cum Jove. Sed nuper, pudet, ah pudet fateri, omnes eramus inopes cum Jove.

Parrhasia.] Id est Palatina, epig. 55. lib. 7.

Donatum est.] Templis consecratum est ab omni populo spectandum.

Miratur Scythicas.] Vide epig. 28. lib. 4. hoc est, smaragdos virides: nam cum poculis aureis inseruntur, communicant suum colorem.

Regis.] Domitiani, quem vivum summis laudibus extulit, jam mortuum vituperat Poëta. *Superbus*, alii *superbi*.

Gravesque lusus.] Ut ornaret templa, spectacula ederet, & suis voluptatibus indulgeret, Romanos spoliabat Domitianus, unde ejus lusus graves erant populo. Legunt alii *gravesque luxus*.

Phrygium ministrum.] Ganymedem nempe; pocula Domitiani Jovi consecravit Trajanus.

Pudet, ah pudet.] Alii *pudet at piget*.

Cum Jove.] Quem donis ingentibus exornavit Trajanus.

Omnes cum Jove pauperes.] Attamen epig. 4. lib. 9. dixit Poëta Jovem non fore solvendo si ab eo Domitianus repetiisset impensas, quas in templis Capitolinis fecerat. Melius autem, ut opinor, aliter explicabis, cum Jove, hoc est, cum Domitiano, qui alterum Jovem haberi se volebat. Vide epig. 37. lib. 9.

XVI.

In Lentinum cujus febricitantis luxum irridet. XVII.

QUARE tam multis a te, Lentine, diebus
Non abeat febris, quæris, & usque gemis.
Gestatur tecum sella, pariterque lavatur:
Cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum.
Ebria Setino fit sæpe, & sæpe Falerno:
Nec nisi post niveam Cæcuba potat aquam.
Circumfusa rosis, & nigra recumbit amomo,
Dormit & in pluma, purpureoque toro.

O Lentine, semper conquereris, & rogas, cur tam multis diebus febris non discedat a te. Tecum gestatur in sella, & simul lavatur, cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum; sæpe fit temulenta Setino, & sæpe Falerno: nec bibit Cæcuba nisi post aquam niveam; circumdata rosis, & nigra amomo recumbit, & dormit in pluma & cubili purpureo, Cum

Cum fic tam pulchre, tam belle vivat apud te;
Ad Dammam potius vis tua febris eat?

cum febris tua tam eleganter & tam belle vivat apud te, visne ut potius corripiat Dammam?

Quare tam.] A vino generoſo & delicatis dapibus ſe non abſtinebat Lentinus, unde merito illum Poëta irridet conquerentem, quod ſemper febri laboraret.

Ad Dammam.] Nomen ſervi, a quo ſcilicet peſſime exciperetur.

Ad Juvenalem, de otio quo fruebatur Bilbili. XVIII.

DUM tu forſitan inquietus erras
Clamoſa Juvenalis in Subura,
Aut collem dominæ teris Dianæ:
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Major Cælius, & minor fatigant:
Me multos repetita poſt Decembres
Accepit mea, ruſticumque fecit
Auro Bilbilis, & ſuperba ferro.
Hic pigri colimus labore dulci
Bothrodum, Plateamque: Celtiberis
Hæc ſunt nomina craſſiora terris.
Ingenti fruor, improboque ſomno,
Quem nec tertia ſæpe rumpit hora,
Et totum mihi nunc repono, quidquid
Terdenos vigilaveram per annos.
Ignota eſt toga, ſed datur petenti
Rupta proxima veſtis e cathedra.
Surgentem focus excipit ſuperba
Vicini ſtrue cultus iliceti,
Multa villica quem coronat olla.
Venator ſequitur: ſed ille, quem tu
Secreta cupias habere ſilva.
Diſpenſat pueris, rogatque longos
Levis ponere villicus capillos.
Sic me vivere, ſic juvat perire.

O Juvenalis, dum tu forte ſolicitus vagaris in clamoſa Subura, aut teris collem domina Diana: dum ſudatrix toga ventilat te per limina potentiorum, & major Cælius, & minor delaſſant te errantem: mea Bilbilis ſuperba auro & ferro repetita poſt multos annos excepit me, & fecit ruſticum. Hic otioſi ſuavi labore colimus Bothrodum, & Plateam: terra Celtibera habent hac nomina rudiora. Fruor alto atque ingenti ſomno, qui ſæpe nec rumpitur hora tertia, & nunc mihi rependo totum, quicquid vigilaveram per triginta annos. Toga ignota eſt: ſed mihi *poſcenti traditur proxima veſtis* ſuſpenſa *ex cathedra rupta.* Me *ſurgentem excipit focus inſtructus alta ſtrue vicini iliceti, quem multis ollis cingit villica. Venator ſequitur. . . . . . Villicus tonſus mandat* officia *ſervis, atque orat ut deponantur longa* eorum *coma. Placet mihi ſic vivere,* & *ſic mori.*

Juvenalis.] Poëta ſatyricus ſatis notus.
Clamoſa Subura.] Ubi nempe frequens clamor, quod illic eſſet forum rerum venalium, lib. 7. epig. 30.
Collem Dianæ.] Montem Aventinum intel'ige, in quo erat templum Dianæ ſacrum, epig. 64. lib. 6.
Sudatrix toga.] Clientes toga induti adibant ſuos patronos.
Major & minor Cælius.] Montes. Majorem olim Querquetulanum dictum ſcribit Tacitus. Cælium poſtea a Cæle Vibenna Hetruſcæ gentis duce; minor Cæliolus, aut Cælicolus dictus. Vide Marlianum lib. 4. cap. 18.
Multos poſt Decembres.] Poſt annos nempe 34. epig. 104. lib. 10. De Bothrodo aut Botrodo epig. 50. lib. 1. De Platea vero egimus lib. 4. epig. 55.
Tertia hora.] Nimirum ab ortu ſolis. Vide epig. 8. lib. 4.
Ignota eſt toga.] Senſus eſt: Officia togatorum

torum hîc nulla sunt.
Rupta proxima.] Morem ostendit hominis rusticantis, qui solutus coriis dum it dormitum, vestem conjicit in cathedram. Sic Domitius.
Surgentem focus.]
Vicina in ipsum silva descendet focum.
epig. 50. lib. 1.
Dispensat.] An officia, aut cibaria?
Rogatque.] Villicus scilicet ad curem rasus rogat herum, ut sibi liceat tondere servos, quo aptiores fiant operi rustico.

De Æmilio gulofo. XIX.

IN thermis sumit lactucas, ova, lacertum,
Et cœnare foris se negat Æmilius.

Æmilius in thermis comedit lactucas, ova, lacertum, & negat cœnare se foris.

In thermis.] Divites iis quibuscum lavabant, cibos in ipsis thermis distribuebant, hos Æmilius vorabat, ita ut non indigeret cœnare foris: interim prædicabat se non captare alienam cœnam, quasi perinde non esset in alienis thermis, aut in alienis ædibus cœnare, epig. 71. infra, de Apro.
Sobrius a thermis nescit abire domum.

Ad Fabullum de Themisonte libidinoso. XX.

QUARE non habeat, Fabulle, quæris,
Uxorem Themison? habet sororem.

O Fabulle, rogas cur Themison non habeat uxorem? habet sororem.

Habet sororem.] hoc est amicam. Vide epig. 4. lib. 2.

Ad Marcellam suam uxorem, quam laudat a morum suavitate. XXI.

MUNICIPEM rigidi quis te, Marcella, Salonis,
Et genitam nostris quis putet esse locis?
Tam rarum, tam dulce sapis: Pallatia dicent,
Audierint si te vel semel, esse suam.
Nulla nec in media certabit nata Subura,
Nec Capitolini collis alumna tibi.
Nec cito ridebit peregrini gloria partus
Romanam deceat quam magis esse nurum.
Tu desiderium dominæ mihi mitius urbis
Esse jubes: Romam tu mihi sola facis.

O Marcella, quis credat te esse popularem rigidi Salonis, & genitam esse in nostra regione? tam rarum, tam suave est tuum ingenium: Palatia vendicabunt te sibi, si audiverint te vel semel. Nulla nec genita vel in media Subura, nec alumna collis Capitolini contendet tecum. Nec gloria peregrini partus cito videbit, cui magis conveniat esse nurui Romanæ. Tu in caussa es cur minus ægre feram desiderium urbis dominæ: tu una mihi efficis Romam.

Marcella.] Poëtæ uxor, de qua epig. 31. infra.
Rigidi Salonis.] epig. 55. lib. 4.
Armorum Salo temperator.
Certabit.] Alii *certarit*, hoc est, nec ulla mulier vel media in urbe nata tecum contendet de elegantia & comitate morum, &c.
Nec cito.] Hunc versum sic explicat Raderus,
Nec gloria peregrini partus.
id est, nec ulla puella extra urbem nascetur, & nata arridebit patri, aut matri, quam magis deceat existimari Romanam vel ab ipsis Romanis, ac te, ô Marcella. Virgilius Eclog. 4.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem.
Deceat.] Alii *ducat.*

De Philænide deformi. XXII.

QUAM sit lusca Philænis indecenter,
Vis dicam breviter tibi, Fabulle?
Esset cæca decentior Philænis.

O Fabulle, placet definiam paucis verbis, quam indecore lusca sit Philenis? Philenis cæca esset venustior.

Decentior.] Capta enim utroque oculo minus deformis videretur, epig. 33. lib. 2.

In Læliam edentulam & calvam. XXIII.

DENTIBUS atque comis, nec te pudet, uteris emtis.
Quid facies oculo, Lælia? non emitur.

O Lælia, uteris dentibus & capillis emptis, nec erubescis, quid facies oculo? non emitur.

Quid facies oculo?] Qua arte oculi deformitatem teges? oculi, ut capilli & dentes, non emuntur.

Ad Juvencum de covino curru, quem acceperat ab Heliano. XXIV.

O Jucunda, covine, solitudo,
Carruca magis, essedoque gratum,
Facundi mihi munus Heliani:
Hic mecum licet, hic Juvence, quidquid
In buccam tibi venerit, loquaris.
Non vector Libyci niger caballi,
Succinctus neque cursor antecedit.
Nusquam est mulio: mannuli tacebunt.
O si conscius esset hic Avitus,
Aurem non ego tertiam timerem,
Totus quam bene sic dies abiret!

O covine, amœna solitudo, donum diserti Heliani mihi jucundius carruca, atque esseda, ô Juvence, hic mecum, hic fas est dicas quicquid tibi venerit in buccam. Non vector niger equi Libyci, nec cursor expeditus anteit. Nusquam est mulio: mannuli silebunt. O si Avitus socius hic adesset, ego non metuerem tertiam aurem. Quam festive sic laberetur totus dies!

Covine.] Vehiculi falcati genus est, quo Galli in præliis utebantur.

Jucunda solitudo.] nempe propter umbram covini tecti & velati, ut ait Raderus: sed melius, meo judicio, Farnabius covinum solitudinem dici a Poëta censet, quod regeretur sine mulione.

Carruca, essedoque.] sunt etiam curruum genera.

Heliani.] Alii *Æliani*: alii vero *Hadriani.*

Non vector.] Alii *rector*. Maurum intellige insidentem equo Massyle, epig. 23. lib. 9.

Mannuli.] parvi equi qui sermones nostros non deferent, a quibus scilicet trahebatur covinus.

Avitus.] de quo epistola libri 9. & epig. 1.

Aurem non.] Aviti scilicet qui verba nostra insidiose non exciperet.

In

In Thelesinum avarum. XXV.

CUm rogo te nummos sine pignore, Non habeo, inquis:
Idem, si pro me spondet agellus, habes.
Quod mihi non credis veteri, Thelesine, sodali,
Credis colliculis, arboribusque meis.
Ecce reum Carus te detulit: adsit agellus.
Exilii comitem quæris? agellus eat.

Cum peto a te nummos sine pignore, Non habeo, ait. Te idem habes, si agellus spondet pro me. O Thelesine, quod non credis mihi antiquo socio, credis colliculis atque arboribus meis. En Carus accusavit te reum, agellus ferat opem. Quærisne comitem exilii? Agellus eat.

Carus.] delator nequissimus.
Agellus eat.] cui nempe, non mihi, credis pecuniam.

In avarum amicum. XXVI.

SExaginta teras, cum limina mane senator,
Esse tibi videor desidiosus eques,
Quod non a prima discurram luce per urbem,
Et referam lassus basia mille domum.
Sed tu purpureis ut des nova nomina fastis,
Aut Numidûm gentes, Cappadocumve petas:
At mihi, quem cogis medios abrumpere somnos,
Et matutinum ferre, patique lutum,
Quid petitur? rupta cum pes vagus exit aluta,
Et subitus crassæ decidit imber aquæ:
Nec venit ablatis clamator verna lacernis,
Accedit gelidam servus ad auriculam,
Et, rogat, ut cœnes secum Lætorius, inquit:
Viginti nummis non ego malo famem?
Quod sit cœna mihi, tibi sit provincia merces,
Et faciamus idem, nec mereamur idem.

Cum tu senator mane teras sexaginta limina, ego videor tibi esse eques otiosus; quod a primo diluculo non discurram per urbem, & defatigatus reportem mille oscula in ædes meas. Sed tu discurris ut inscribas nova nomina purpureis fastis, aut adeas nationes Numidarum, aut Cappadocum; sed ego, quem cogis abrumpere medios somnos, & aspergi atque infici luto matutino, quid peto? cum pes solutus exit, pelle rupta, & repentinus imber crassæ aquæ decidit: Nec verna nomenclator accedit ablatis lacernis; sed servus accedit ad frigidam auriculam, & dicit, Lætorius orat ut cænes secum: an non gratior est cænacula empta viginti nummis? cum habeam cœnam pro mercede, tu vero provinciam, & faciamus idem, nec mereamur idem.

Sexaginta.] hoc est, cur tu senator discurras, ego vero dignitate inferior, eques scilicet, & quidem sine censu tibi videor desidiosus, quia summo mane potentioribus non nunciem salutem.

Et referam.] De his salutantium basiis diximus, epig. 94. lib. 7.

Sed tu purpureis.] hoc est, ut consul fias; consulum enim nomina in fastos purpura illitos referebantur.

Aut Numidûm.] Numides vocantur auctore Stephano populi circa Nilum fluvium; Cappadoces vero Asiæ minoris sunt populi, de quibus jam supra. Sensus est: Tu

colis

Menſarumque pedes non timet Hermogenes.
Quamvis non modico caleant ſpectacula Sole:
Vela reducuntur, cum venit Hermogenes.
Feſtinant trepidi ſubſtringere carbaſa nautæ,
Ad portum quoties paruit Hermogenes.
Linigeri fugiunt calvi, ſiſtrataque turba,
Inter adorantes cum ſtetit Hermogenes.
Ad cœnam Hermogenes mappam non attulit unquam:
A cœna ſemper rettulit Hermogenes.

& pedes menſarum. Licet ſpectacula caleant vehementi ſole, vela colliguntur cum Hermogenes accedit. Nautæ meticuloſi feſtinanter contrahunt carbaſa, quoties Hermogenes viſus eſt ad portum. Calvi linigeri fugiunt, & ſiſtrata turba fugit, cum Hermogenes ſtetit inter adorantes. Nunquam Hermogenes apportavit mappam ad cœnam; Hermogenes ſemper a cœna reportavit.

Hermogenes.] hoc eſt ab Herme ſeu Mercurio genitus, qui nempe eſt furum deus: Poëta ergo aptiſſimum furi hoc nomen finxit.

Maſſa.] Plinius junior epiſt. ult. lib. 7. *Dederat me ſenatus cum Herennio Senecione advocatum provinciæ Bæticæ contra Bæbium Maſſam: damnatoque Maſſa cenſuerat ut bona ejus publice cuſtodirentur.*

Cervinum gelidum.] Cervus abſorpto angue vitam producit.

Iris.] Arcus ſcilicet cœleſtis. Ariſtoteles lib. 3. Meteor. ὅτι μὲν ἐν ἀνάκλασις ἡ ἶρις τῆς ὄψεως πρὸς τὸν ἥλιον φανερόν. Quod ergo Iris ſit refractio aſpectus ad ſolem, manifeſtum eſt, &c. Plinius lib. 2. cap. 59.

Cum Myrino.] De quo epig. 20. lib. Spect. hoc eſt, cum Myrino gladiatori miſſio peteretur a populo, vel ab ipſo Myrino læſo peteretur: læſi enim gladiatores arma ſubmittebant, & vitam aliquando impetrabant ab Imperatore, aut a populo, dum ſtaret reſpublica.

Cretatam.] ſignum nempe quod mittendis quadrigis dabatur in ludis Circenſibus. Raderus ex Cedreno refert, hanc fuiſſe occaſionem mappæ in circum mittendæ, quod magiſtratus ante miſſionem ſuper fornices carcerum eo loco unde ſpectabant, convivium curarent, mappamque in tempore mappario mittendam traderent.

Attulerat mappam.] Ad convivia ſinguli afferebant ſuas mappas: mantile vero, inquit Raderus, linteum ſcilicet tergendis manibus aptum a convivatore parabatur.

Diſtringere.] hoc eſt, ſtragula lectorum, quibus accumbebant, ſubripere: vel forte melius, laminas aureas vel argenteas lectis deradere.

Menſarumque pedes.] eburneos nimirum, aut potius intellige ab Hermogene argenteas bracteas menſarum pedibus deraſas fuiſſe, epig. 33. lib. 8.

Vela reducuntur.] epig. 39. lib. 9. Vela autem colligebantur ne ab Hermogene ſurriperentur.

Linigeri.] Iſidis ſacerdotes interpretare, quorum veſtes ex lino contectæ candidiſſimæ erant: illos ſiſtratam turbam vocat, quod ſiſtra, ſeu crepitacula quaterent ſacra ſua celebrantes.

In Aprum, ſe nolle amicum ſobrium. XXX.

SIccus, ſobrius eſt Aper: quid ad me?
Servum ſic ego laudo, non amicum.

Aper ſiccus & ſobrius eſt: quid ad me pertinet? *Talis mihi placet ſervus, non amicus.*

Non amicum.] quem genio ſuo indulgere volo.

De hortis Marcellæ uxoris. XXXI.

HOc nemus, hi fontes, hæc textilis umbra ſupini
Palmitis, hoc riguæ ductile flumen aquæ:

Hoc nemus, hi fontes, textilis hæc umbra proni palmitis, & hic ductilis fluvius aquæ riguæ:

Prataque, nec bifero cessura rosaria Pæsto:
 Quodque viret Jani mense, nec alget olus:
Quæque natat clusis anguilla domestica lymphis,
 Quæque gerit similes candida turris aves:
Munera sunt domino: post septima lustra reverso
 Has Marcella domos, parvaque regna dedit.
mihi Nausicaë patrios concederet hortos,
 Alcinoo possem dicere, malo meos.

& prata, & rosaria non inferiora Pæsto bifero: atque olus quod virescit mense Januario, nec friget: & familiaris anguilla quæ natat aquis clausis, atque alba turris in qua sunt volucres: sunt dona domino: Marcella donavit mihi *reverso post septem lustra has ædes, atque exigua regna. Si Nausicae mihi daret paternos hortos, liceret dicere Alcinoo, Plus placent mei.*

Textilis umbra.] propter palmites cum folijs atque arborum ramis contextos.
Ductile flumen.] rivulum intellige ab aliquo vicino fonte ductum in hortos Marcellæ, vel forte aquæductum.
Bifer. Pæsti.] hoc est bis in anno florenti. Vide epig. 38. lib. 5.
Nec alget.] nec frigidum est.
Clusis lymphis.] hoc est in piscina.
Turris candida.] candidas columbas continebat.
Post septima.] Triginta & quatuor annis Poëta manserat Romæ, & anno trigesimoquarto rediit in Hispaniam. Vide epig. 103. lib. 10.
Munera sunt domino.] Alii *domina*, nempe meæ uxoris.
Nausicaë.] filia scilicet Alcinoi, de cujus amœnissimis hortis epig. 64. lib. 4.

In Vacerram, cujus paupertatem irridet. XXXII.

O Juliarum dedecus Kalendarum,
Vidi, Vacerra, sarcinas tuas, vidi:
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat uxor rufa crinibus septem,
Et cum sorore cana mater ingenti.
Furias putavi nocte ditis emersas.
Has tu priores frigore, & fame siccus,
Et non recenti pallidus magis buxo
Irus tuorum temporum sequebaris.
Migrare clivum crederes Aricinum.
Ibat tripes grabatus, & bipes mensa,
Et cum lucerna. corneoque cratere
Matella curto rupta latere meiebat.
Focum ferentis suberat amphoræ cervix.
Fuisse gerres, aut inutiles mænas
Odor impudicus urcei fatebatur,
Qualem marinæ misit aura piscinæ.
Nec quadra deerat casei Tolosatis.
Quadrima nigri nec corona pulei,
Calvæque restes allioque, cepisque;
Nec plena turpi matris olla resina.
Summœnianæ qua pilantur uxores.

O infamia Juliarum Calendarum, ô Vacerra, vidi tuam supellectilem, spectavi: quam non retentam pro mercede biennii ferebat uxor rufa septem capillis, & cana genitrix cum ingenti sorore. Existimavi furias emersas ex tenebris inferorum. Tu aridus frigore & esurie, & pallidior buxo veteri, Irus tui seculi sequebaris has præeuntes. Putares mendicos omnes *clivi Aricini ire alio. Lectulus tripes incedebat, & mensa bipes, & cum lucerna, & corneo cratere matella fracta brevi latere meiebat. Cervix portantis focum subjecta erat amphora. Fœtidus odor urcei, qualis emissa est ab aura piscina marinæ, testificabatur* in eo *fuisse gerres, aut mænas inutiles. Nec quadra casei Tolosatis deficiebat, nec corona quadrima nigri pulei, & calvæ restes & allio, & cepis, nec olla matris tuæ plena fœtida resina, qua Summœnianæ uxores glabrantur.*

Quid

Quid quæris ædes, villicosque derides,
Habitare gratis, ô Vacerra, cum possis?
Hæc sarcinarum pompa convenit ponti.

O Vacerra, quid quæris domum, & illudis villicos, cum possis habere domicilium gratis? Hæc pompa sarcinarum apta est ponti.

O Juliarum.] quo nempe tempore novas ædes conducere solebant Romani. Suetonius in Tiberio cap. 35. *Senatori latum clavum ademit, cum cognovisset sub Calendas Julii demigrasse in hortos, quo vilius post diem ædes in urbe conduceret.*

Quas non retentas.] hoc est, quas conductarum a te ædium dominus pro pensione biennii, utpote villores pignoris loco retinere noluit.

Crinibus septem.] hoc est oxor tua calva.

Severe ingenti.] ætate scilicet, secundum Raderum: adulta autem & carente viro, secundum Domitium. *Ingenti* forte melius referas tantum ad immanem corporis proceritatem.

Non recenti.] hoc est arido buxo pallidior.

Irus.] omnium mortalium pauperrimus, de quo epig. 40. lib. 5.

Clivum Aricinum.] ubi erant multi mendici. Vide epig. 19. lib. 2.

Tripes grabatus.] vilis nimirum lectus, cui ut & mensæ deerat unus pes: mensæ enim utplurimum tribus pedibus fulciebantur.

Meiebat.] hoc est, ex qua rupta effluebat urina.

Focum ferentis.] an impositam Vacerræ, an servi capiti amphoram cui focus inerat. Videat lector. Legendus Juvenalis sat. 3. v. 251. Legunt alii,

Foco virenti suberat amphora cervix.

Quam lectionem non intelligo.

Gerres.] genus nempe locustarum, epig. 77. lib. 3. *Mænas.*] pisciculos de quibus lib. 11. epig. 32.

Casei Tolosatis.] mali scilicet saporis. Tolosa urbs Galliæ satis nota.

Quadrima.] hoc est pulegium a quatuor annis servatum, eoque deterius, nempe cibariis rusticorum condiendis inserviebat.

Calva restes.] Sensus est: allia & cepæ ex funibus seu restibus pendentes, quas calvas vocat, quod cepæ sint glabræ.

Summaniana.] hoc est meretrices. Vide epig. 81. lib. 3.

Quid quæris.] hoc est, inquit Farnabius, quid quæris villam ruri, quasi lautiorum more per æstatem rusticaturus sis!

Villicosque derides.] cum solvendo non sis.

Ponti.] ubi nempe habitant mendici.

XXXIII.

Ad Julium, vitæ tranquillitatem perturbari nimia erga sodales amicitia. XXXIV.

TRIGINTA mihi quatuorque messes
Tecum, si memini, fuere Juli:
Quarum dulcia mixta sunt amaris,
Sed jucunda tamen fuere plura.
Et si calculus omnis huc & illuc
Diversus, bicolorque digeratur:
Vincet candida turba nigriorem.
Si vitare velis acerba quædam,
Et tristes animi cavere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem.
Gaudebis minus, & minus dolebis.

O Juli, si memini, vixi tecum triginta & quatuor annis; quorum suavitas non fuit sine amaritie, at nihilominus plures fuere dulces. Et si calculus omnis diversus, & bicolor distribuatur huc & illuc, albus numerus superabit nigriorem. Si cupias declinare quasdam molestias, & vitare acerbos morsus animi, cum nullo ineas nimiam amicitiam. Lætaberis minus, & mærebis minus.

Ad Julium.] Addunt alii *Martialem.* Vide epig. 99. lib. 9.

Triginta.] quibus menserat Romæ, epig. 104. lib. 10.

Et si calculus.] Lapidibus albis fausti dies, nigris vero infausti notabantur, epig. 45. lib. 8.

Vincet candida.] plures numerabuntur dies felices, quam mæsti.

Animi

Animi morsus.] hoc est mœrorem a quo conficitur animus.

Gaudebis minus.] amicorum enim prospera atque adversa fortuna nimis nos afficit.

XXXV.

In Labullum, qui exiguis muneribus liberalis haberi volebat. XXXVI.

LIBRAS quatuor aut duas amico,
Algentemque togam, brevemque læ-
nam:
Interdum aureolos manu crepanteis:
Possint ducere qui duas Kalendas,
Quod nemo, nisi tu, Labulle, donas,
Non es, crede mihi, bonus. quid ergo?
Ut verum loquar, optimus malorum.
Pisones, Senecasque Memmiosque,
Et Crispos mihi redde, sed priores:
Fies protinus ultimus bonorum.
Vis cursu pedibusque gloriari?
Tigrim vince, levemque Passerinum.
Nulla est gloria præterire asellos.

O Labulle, quod tu solus largiris amico libras quatuor, aut duas argenti, *frigidam togam, & lanam curtam, aliquando aureolos sonantes in manu; quibus sustentari possit* amicus *duobus mensibus; crede mihi, non es bonus. Quid igitur? optimus malorum, ut dicam veritatem. Mihi restitue Pisones, & Senecas, & Memmios, & Crispos, sed antiquos: repente evades ultimus bonorum. Placetne gloriari cursu, & pedibus? Supera Tigrim, & levem Passerinum. Nullus est honor præcurrere asinos.*

Libras.] vide epig. 44. lib. 2.

Algentem.] hoc est ita tritam, ut frigus facile admittat: Læna vero erat vestis quæ hyeme pallio superinduebatur, teste Baysio.

Aureolos.] Epig. 20. lib. 5.

Qui cr. et aureolos forsitan unus erit.

Optimus malorum.] hoc est, tu es inter avaros munificentissimus.

Pisones.] quibus de arte Poëtica librum dedicavit Horatius. De Crispo & Seneca supra dictum: Memmio vero suum Poëma dedicavit Lucretius.

Ultimus bonorum.] hoc est, munificis his viris longe inferior eris.

Tigrim, & Passerinum.] Alii equos velocissimos fuisse, alii cursores affirmant, epig. 6. lib. 7.

In nasutum scurram ineptum. XXXVII.

NASUTUS nimium cupis videri.
Nasutum volo, nolo polyposum.

Vis haberi nimis nasutus, placet nasutus, displicet polyposus.

Nasutus.] Irrisores dicuntur nasuti, epig. 4. lib. 1.

Et pueri nasum rhinoceretis habent.

Sensus est: Volo urbanum & acutum, non putidum & ineptum derisorem. Polypus vero est nasi morbus, de quo Celsus lib. 6. cap. 8. qui eo morbo laborant polyposi dicuntur, quos hoc loco sumit Poëta pro putidis & rancidulis scurris.

Ad Candidum, de effœminato quodam homine. XXXVIII.

HUNC qui fœmineis noctesque diesque cathedris
Incedit tota notus in urbe nimis,

O Candide, non est quod metuas hunc, qui nimium notus in tota urbe, adit nocte & die cathedras fœmineas

Crine

Crine nitens, niger unguento, perlucidus ostro,
Ore tener, latus pectore, crure glaber,
Uxori qui sæpe tuæ comes improbus hæret:
Non est quod timeas, Candide: non futuit.

nitens coma, niger unguento, micans ostro, ore delicatus, latus pectore, levis crure, qui crebro improbus comes hæret tuæ conjugi . . . . .

Cathedris.] De quibus dictum epig. 62. lib. 3. *Insedit*, forte melius legendum esset *infedit*. Nempe mollem & cinædum intelligit.

In Sabellum ineptum. XXXIX.

ODI te, quia bellus es, Sabelle.
Res est putida bellus, & Sabellus,
Bellum denique malo, quam Sabellum.
Tabescas utinam, Sabelle, belle!

O Sabelle, odi te, quoniam bellus es. Res est fœtida bellus & Sabellus, tandem malo bellum, quam Sabellum. O Sabelle, utinam marcescas belle!

Odi te.] Hunc Sabellum jam carpsit Poëta epig. 84. lib. 7. *Bellus*, hoc est ineptus. Vide epig. 7. lib. 2.

Bellum denique.] Bellus enim homo vitiosus est tantum, Sabellus vero est ipsum vitium, inquit Raderus. Sed magis placet bellum hoc loco sumi pro ipsa belli contentione.

Tabescas.] ut res putida. *Belle* potest esse quintus casus, vel adverbium.

In Pontilianum, quem assidue colebat, a quo tamen nihil accipiebat. XL.

MENTIRIS, credo: recitas mala carmina, laudo:
Cantas, canto: bibis, Pontiliane, bibo.
Pedis, dissimulo: gemma vis ludere, vincor.
Res una est sine me, quam facis, & taceo.
Nil tamen omnino præstas mihi. mortuus, inquis,
Accipiam bene te. nil volo: sed morere.

O Pontiliane, mentiris, adhibeo tamen fidem: recitas versus ineptos, probo: cantas, cano: potas, poto: pedis, dissimulo: placet ludere gemma, superor. Unica res est, quam agis sine me, & sileo. Nihilominus nihi prorsus donas mihi; Defunctus, ais, bene excipiam te, Nihil peto; at pereas.

Credo.] Officii caussa fingo me credere, licet sciam te mentiri.

Cantas.] Similis est adulatoris effigies apud Juvenalem sat. 3.

Gemma ludere.] hoc est latronibus ludere, ut aiunt interpretes. Vide epig. 71. lib. 7. & epig. 20. lib. 14.

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, & hostis erit.

Sed morere.] ut nempe promissam mihi tuam hereditatem accipiam.

In Tuccam gulosum. XLI.

NON est, Tucca, satis, quod es gulosus:
Et dici cupis, & cupis videri.

O Tucca, non sufficit quod sis helluo, & vis haberi, & vis videri.

XLII.

XLII.

XLIII.

Ad M. Unicum Poëtam elegiacum. XLIV.

UNICE, cognato junctum mihi sangui-
ne nomen,
Quique geris studiis corda propinqua meis:
Carmina cum facias soli cedentia fratri,
Pectore non minor es, sed pietate prior.
Lesbia cum tenero te posset amare Catullo,
Te post Nasonem blanda Corinna sequi.
Nec deerant Zephyri, si te dare vela ju-
varet:
Sed tu litus amas. hoc quoque fratris ha-
bes.

O Unice, qui habes nomen mihi junctum cognato sanguine, & cor accedens ad mea studia; cum componas versus cedentes soli fratri, non inferior es pectore, sed superior pietate. Lesbia posset diligere te cum tenero Catullo, & blanda Corinna havere tibi post Nasonem. Nec Zephyri deficiebant, si tibi placeret dare vela: at litus tibi gratum est: & hoc etiam te probat fratrem.

Corda propinqua.] hoc est, qui iisdem studiis deditus es.
Carmina] Unicus habebat fratrem qui versus heroicos componebat, a quibus se abstinebat, ne famæ fratris noceret. Idem dixit Poeta de Turno & Memore epig. 11. lib. 11.
Sed pietate prior.] quia das ipsi primas.
Lesbia, & Corinna.] amicæ scilicet Catulli, & Ovidii, teneris horum poëtarum elegiis assuetæ, tuas tamen amare possent.
Nec deerant Zephyri.] hoc est, non deerat tibi grande ingenium, si carmina heroica condere voluisses.
Hoc fratris.] Cum fratris caussa grande tuum ingenium coërceas.

Ad Phœbum calvum. XLV.

HOEDINA tibi pelle contegenti
Nudæ tempora, verticemque calvæ,
Festive tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit caput esse calciatum.

O Phœbe, ille lepide dixit hœdina pelle tegenti tempora, & verticem nuda calvæ, qui dixit caput esse calceatum.

Hœdina pelle.] hoc est galericulo ex hœdi pelle facto, quo utebatur Phœbus ad tegendum calvitium. Vide epig. 50. lib. 14.
Calciatum.] Alii *calceatum*: fiunt vero calcei ex pellibus, quibus cum Phœbus tegeret caput, merito calceatum dici poterat.

Ad Classicum, de Gallo & Luperco Poëtis. XLVI.

VENDUNT carmina Gallus, & Luper-
cus.
Sanos, Classice, nunc nega Poëtas.

Gallus & Lupercus vendunt versus. O Classice, nunc nega Poetas sapere.

Gallus & Lupercus.] Mali scilicet Poëtæ, qui tamen cum inepta sua carmina venderent, non ipsi, sed emptores insaniebant.

In habentem varios mores. XLVII.

DIFFICILIS, facilis, jucundus, acerbus es idem,
Nec tecum possum vivere, nec sine te.

Tu idem es asper, comis, suavis, acerbus: nec licet vivere tecum, nec sine te.

Nec tecum.] propter acerbos tuos mores.
Nec sine te.] propter comitatem.

In lautum invitatorem. XLVIII.

BOLETOS & aprum si tamquam vilia ponis,
Et non esse putas hæc mea vota: volo.
Si fortunatum fieri me credis, & heres
Vis scribi, propter quinque Lucrina: vale.
Lauta tamen cœna est: fateor lautissima: sed cras
Nil erit, immo hodie, protinus immo nihil;
Quod sciat infelix damnatæ spongia virgæ,
Vel quicumque canis, junctaque testa viæ:
Mullorum, leporumque, & suminis exitus hic est,
Sulfureusque color, carnificesque pedes.
Non Albana mihi sit comissatio tanti,
Nec Capitolinæ, pontificumque dapes:
Imputet ipse deus nectar mihi, fiet acetum,
Et Vaticani perfida vappa cadi.
Convivas alios cœnarum quære magister,
Quos capiant mensæ regna superba tuæ:
Me meus ad subitas invitet amicus ofellas:
Hæc mihi, quam possum reddere, cœna placet.

Si apponis boletos, & aprum tanquam abjecta, & credis hæc non appeti a me: volo. Si existimas me fieri felicem, & cupis heres institui propter quinque ostrea *ex Lucrino; vale. Nihilominus sumptuosa est cœna, fateor, sumptuosissima: at nihil supererit cras, imo hodie, imo repente nihil, quod sciat infelix spongia virga damnata, aut quicunque canis, aut amphora propinqua via. Hic est finis mullorum, & leporum, & suminis, color* nempe *pallidus, & pedes podagrosi. Nolim tanti facere comissationem Albanam, nec epulas Capitolii, & pontificum: ipse deus ratiocinetur mecum de nectare dato, fiet acetum, & perfida vappa cadi Vaticani. O Moderator cœnarum, quære alios convivas, qui delectentur lautissimis cibis tuæ mensæ: meus amicus me vocet ad ofellas repentinas: amo cœnam, quam possum reddere.*

Boletos.] Quos si mihi apposueris tanquam cibos delicatissimos, ut sc. captes meam hereditatem, nolo, sin minus lubens cœnabo apud te. *Vilia*, hoc est, tanquam res viles.

Quinque Lucrina.] Vide epig. 11. lib. 6.

Immo hodie.] Nam statim a cœna nulla superest gulæ voluptas.

Quod sciat infelix.] Spongia, inquit Farnebius, ligno adhærens damnata in vile ministerium, ad emundanda scilicet obscœna, ut de bestiario quodam refert Seneca epist. 70. *Nuper in ludo bestiariorum unus e Germanis, cum ad matutina spectacula pararetur, secessit ad exonerandum corpus. Nullum aliud illi dabatur sine custode secretum. Ibi lignum illud, quod ad emundanda obscœna adhærente spongia positum est, totum in gulam farsit, & vi præclusis faucibus spiritum elisit.*

Vel quicunque canis.] Qui nimirum ad vomitum accurrat.

Junctaque testa via.] Urnæ scilicet in triviis erant collocatæ, in quas meierent prætereuntes.

Albana.] Lautissimum scilicet epulum quale exhibuit in Albano monte in Quinquatriis Minervæ suæ Domitianus. Farnabius. De comessatione dictum epig. 5. lib. 4.

Nec Capitolina.] hoc est, epulum Jovis in Capitolio instructum; cujus meminit Valer. Maximus lib. 2. cap. 1.

Pontificumque dapes.] Lautissimæ scil. quas describit Macrobius cap. 13. lib. 3.

Et Vaticani.] Vini vilissimi fæx, epig. 19. lib. 1. *Ofella*, genus farciminis. *Subitas*, hoc est, sine apparatu conditas.

Ad pædagogum custodem unionum. XLIX.

CRINITÆ Line pædagoge turbæ,
Rerum quem dominum vocat suarum,
Et credit cui Postumilla dives
Gemmas, aurea, vina, concubinos:
Sic te, perpetua fide probatum,
Nulli non tua præferat patrona:
Succurras misero precor furori,
Et serves aliquando negligenter
Illos qui male cor meum perurunt:
Quos & noctibus & diebus opto.
In nostro cupidus sinu videre,
Formosos, niveos, pares, gemellos,
Grandes non pueros, sed uniones.

O Line pædagoge turbæ capillatæ, quem Postumilla locuples nominat moderatorem rerum suarum, & cui committit gemmas, aurea, vina, concubinos: patrona tua sic te comprobatum perpetua fide antepsnat omnibus: ero subvenias misero furori, atque aliquando custodiat indiligenter illos, qui male perurunt pectus meum: quos spectare in nostro sinu avidus expeto die & nocte: pulchros, niveos, pares, gemellos, non adultos pueros sentio, *sed uniones.*

Crinitæ.] Pueri nempe comas alebant, ut formosiores viderentur.

Concubinos.] Alii *concubinas*, nempe gemmas quibuscum cubabat. In eo est acumen epigrammatis, quod suspensum habeat lectorem, quasi esset petiturus pueros, cum appetat solos uniones.

In habentem amœnas ædes. L.

DAPHNONAS, platanos, ac aërias cyparissos,
Et non unius balnea solus habes,
Et tua centenis stat porticus alta columnis,
Calcatusque tuo sub pede lucet onyx,
Pulvereumque fugax hippodromon ungula plaudit,
Et pereuntis aquæ fluctus ubique sonat.
Atria longa patent: sed nec cœnantibus usquam,
Nec somno locus est. quam bene non habitas!

Solus possides laureta, platanos, atque excelsas cyparissos, & balnea non unius, atque excelsa tua porticus erecta est centum columnis, atque onyx pressus sub tuo pede splendet, & celeres equi dant plausum hippodromo pulverulento, & fluctus aqua pereuntis resonat ubique. Atria sunt ampla: sed nusquam locus est cœnantibus, nec somno. Quam incommoda est tua habitatio!

Et non unius.] Tam enim ampla sunt, ut vel publica dici possint: platani & lauri umbræ gratia serebantur.

Onyx.] Lapis nobilis, quo strata erat domus.

Hippodromon.] Vox est græca, quæ significat spatium in quo de equorum celeritate certabatur.

Et pereuntis aquæ.] Fontium artificia in illa domo fuisse amœnissima intellige.

Quam bene.] Imperitus quippe omiserat, quod maxime necessarium nempe tricilinium.

De

De Fabullo probo viro. LI.

TAM sæpe nostrum decipi Fabullum, quid
Miraris, Aule? semper bonus homo tiro est.

O Aule, quid miraris tam frequenter circumveniri nostrum Fabullum? vir probus semper tiro est.

Tiro est.] hoc est, vir probus & simplex semper decipitur, utpote qui aliis non diffidat.

Ad Semproniam epitaphium Rufi LII.

TEMPORA Pieria solitus redimire corona,
Nec minus attonitis vox celebrata reis,
Hic situs est, hic ille tuus, Sempronia, Rufus:
Cujus & ipse tui flagrat amore cinis,
Dulcis in Elysio narraris fabula campo,
Et stupet ad raptus Tyndaris ipsa tuos.
Tu melior, quæ deserto raptore redîsti:
Illa virum voluit nec repetita sequi.
Ridet, & Iliacos audit Menelaus amores:
Absolvit Phrygium vestra rapina Parim.
Accipient olim cum te loca læta piorum,
Non erit in Stygia notior umbra domo.
Non aliena videt, sed amat Proserpina raptas:
Iste tibi dominam conciliavit amor.

O Sempronia, hic ille tuus Rufus solitus cingere caput corona Pieria, & vox non minus commendata reis stupentibus, hic jacet, cujus & ipsi cineres ardent amore erga te. Grata fabula narratur de te in campo Elysio, atque ipsa Helena stupet ad raptus tuos. Tu probior, quæ reversa es derelicto raptore: Illa nec repetita sustinuit sequi maritum. Menelaus ridet, atque audit Trojanos amores; vestra rapina excusat Phrygium Parim. Cum aliquando amœna loca piorum excipient te, non erit umbra notior in ædibus Stygiis. Proserpina non aversa, sed amica videt raptas: iste amor devincit tibi dominam.

Tempora Pieria.] Rufus Poëta fuit, atque orator celebris, qui nempe reos defenderet.

In Elysio campo.] Vide epig. 94. lib. 1.

Et stupet ad raptus.] id est. Helena Tyndari filia stupet te raptam sponte rediisse ad maritum tuum Rufum. Alii intelligunt Rufum non fuisse ejus maritum, sed raptorem: propter hæc verba *vestra rapina.*

Illa virum.] Legunt alii,

Noluit illa virum vel repetita sequi.

Menelaum intellige, qui lætus audit idem marito Semproniæ contigisse, quod & ipse passus erat. Amores vero Rufi erga Semproniam, *Iliacos* vocat, quia Semproniam rapuit Rufus, ut Helena rapta est a Paride, qui tamen hoc exemplo excusatur.

Accipient olim.] hoc est, cum mortua migrabis in campos Elysios, eris nota & celebris.

Proserpina.] Propitia raptis, cum & ipsa a Plutone rapta fuerit.

Conciliavit.] Nimirum amor raptoris erga te jam tibi conciliavit *Proserpinam.* Alii *conciliabit.*

In Paternum avarum. LIII.

NUMMI cum tibi sint, opesque tantæ,
Quantas civis habet, Paterne, rarus:
Largiris nihil, incubasque gazæ,

O Paterne, cum habeas nummos & tantas divitias, quanta possidentur vix a nullo cive, nihil donas atque incubas thesauro;

Ut magnus draco, quem canunt Poëtæ
Custodem Scythici fuisse luci.
Sed caussa, ut memoras, & ipse jactas,
Diræ filius est rapacitatis.
Et quid tu fatuos, rudesque quæris,
Illudas quibus, auferasque mentem?
Huic semper vitio pater fuisti.

ut ingens draco, a quo custoditum fuisse lucum Scythicum narrant Poëtæ. Sed filius diræ rapacitatis caussa est, ut narras atque ipse prædicas. Et quid tu quæris dementes atque imperitos, quibus imponas atque auferas mentem? Semper pater fuisti huic vitio.

Ut magnus draco.] a quo vellus aureum custodiebatur in luco Colchidis in Scythia.
Et quid.] Alii *ut quid*: hoc est, An putas nos esse dementes, quos facile hac excusatione usus decipias, prætexens nempe tui filii rapacitatem. Forte legendum *ecquid*, ut epig. 1. lib. 11.
Huic semper.] Huic tuo filio omnia necessaria avare recusans caussa fuisti rapacitatis. Alii sic interpretantur: Tu semper fuisti pater hujus vitii, avaritiæ nimirum & rapacitatis. Judicet lector.

In Zoilum quem a deformitate improbum judicat. LIV.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Ruber capillis, niger ore, brevis pede, captus oculo, ô Zoile, facis rem magnam, si probus es.

Zoile.] de quo sæpius dictum supra. Lineamenta vero corporis sunt animi argumenta.

LV.

Ad Polycarmum sæpius fingentem morbum. LVI.

Ægrotas uno decies, aut sæpius anno,
Nec tibi, sed nobis hoc, Polycarme, nocet.
Nam quoties surgis, soteria poscis amicos.
Sit pudor: ægrota jam, Polycarme, semel.

O Polycarme, ægrotas uno anno decies, aut frequentius, nec hoc officit tibi, sed nobis. Nam quoties convalescis, petis soteria ab amicis: sit verecundia: O Polycarme, jam ægrota semel.

Soteria poscis.] hoc est, munera quæ dabantur amicis a morbo recreatis, unde morbus fictus Polycarmo non nocebat, sed ejus amicis a quibus petebat soteria.
Ægrota jam semel.] hoc est morere, atque uno morbo absolve tuam vitam: & argute quidem hoc intelligit Poëta, cum videatur sentire, ut semel tantum in anno ægrotet Polycarmus, epig. 40. lib. 5. vers. 5.

Ad Sparsum, strepitus urbis in caussa esse, cur secedat in villam Nomentanam. LVII.

Cur sæpe sicci parva rura Nomenti,
Laremque villæ sordidum petam, quæris?

Rogat, cur sæpe invisam exiguum fundum aridi Nomenti, & tenuem larem villæ?

Nec

Nec cogitandi, Sparse, nec quiescendi
In urbe locus est pauperi. negant vitam
Ludimagistri mane, nocte pistores,
Ærariorum marculi die toto.
Hinc otiosus sordidam quatit mensam
Neroniana nummularius massa:
Illinc paludis malleator Hispanæ
Tritum nitenti fuste verberat saxum.
Nec turba cessat entheata Bellonæ,
Nec fasciato naufragus loquax trunco,
A matre doctus nec rogare Judæus,
Nec sulfuratæ lippus institor mercis.
Numerare pigri damna qui potest somni,
Dicet quot æra verberent manus urbis,
Cum secta Colcho Luna vapulat rhombo.
Tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire,
Petilianis delicatus in regnis,
Cui plana summos despicit domus montes,
Et rus in urbe est, vinitorque Romanus.
Nec in Falerno monte major autumnus,
Intraque limen clausus essedo cursus,
Et in profundo somnus, & quies nullis
Offensa linguis, nec dies nisi admissus.
Nos transeuntis risus excitat turbæ,
Et ad cubile est Roma: tædio fessis
Dormire quoties libuit, imus ad villam.

O Sparse, nec est inopi locus cogitandi, nec quiescendi in urbe. Ludimagistri mane, pistores nocte, mallei ærariorum die toto non sinunt vivere. Hinc otiosus nummularius agitat mensam sordidam massa Neroniana: illinc malleator fuste nitenti percutit tritum saxum paludis Hispanæ: nec turba Bellonæ correpta furore quiescit, nec garrulus naufragus tabula suspensa de fascia, nec Judæus eruditus a matre mendicare, nec lippus negotiator mercis sulfuratæ. Qui valet enumerare impedimenta somni inertis, dicet quot æra pulsentur manibus civitatis, cum Luna cæsa verberatur rhombo Colcho. O Sparse, tu delicatus in regnis Petilianis ignoras ista, nec potes discere, cui plana domus contemnit montes excelsos, & rus in urbe est, & vinitor Romanus. Nec major autumnus in Falerno monte, & cursus essedo limitatus intra limen, & somnus arctissimus, & quies non turbata ullis linguis, nec lux nisi admissa. Nos vero excitamur risu transeuntis multitudinis, & Roma stat ante cubile: quoties placuit nobis *tædio defatigatis dormire, petimus villam.*

Nomenti.] de quo epig. 106. lib. 1. Similis est huic epigrammati Juven. sat. 3. Vide epig. 74. lib. 10.

Nec cogitandi, Sparse.] Legunt alii, *nec cogitandi spatium.* At prior lectio videtur melior.

Ludimagistri.] de quibus epig. 70. lib. 9.

Ærariorum.] fabrorum scilicet.

Neroniana massa.] Suetonius in Nerone cap. 44. *Exegitque ingenti fastidio & acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obrusam.* Hoc est: Nummularii, Gallice *les Banquiers*, aurum & argentum Neronis versant in suis mensis, & strepitum edunt.

Illinc paludis.] Turnebus lib. 30. cap. 26. legit *balucis.* Sic enim, inquit, massas quasdam auri vocari in Hispania solere. Plinius lib. 33. cap. 4. Alii legunt *paludis*, quod vocabulum, inquit ibidem, a vocis propinquitate facile deflecti potuit. Mihi quidem non satis accommodatum hic esse videtur *paludis* nomen, licet Tagi ramenta aurea interpretentur. Sic Turnebus. Illud ergo aurum rude ex Hispania Romam afferebatur, ubi in bracteas tenuissimas extendebatur. Saxum vero tritum dicit, propter frequentem malleatoris percussionem. Farnabius retinet *paludis*. & sic explicat, hoc est lini & serabi, quod in paludosis Hispaniæ locis seritur. Quod enim, inquit, Turnebus legit *balucis*, nullatenus convenit aureæ operæ cum fuste. Videat lector.

Nec turba.] Sacerdotes intellige, qui sanguine suo Bellonæ numen placabant, & furentes vaticinabantur. Lucanus,

——— *quos sectis Bellona lacertis*
Sæva movet, &c.

Bellona autem est belli dea, & soror Martis nuncupatur.

Nec fasciato.] Juvenalis sat. 14.

——— *naufragus assem*
Dum rogat, & picta se tempestate tuetur.

Nec sulfurata.] hoc est, non cessat proclamare. Vide epig. 42. lib. 1. & epig. 3. lib. 10. Lippus vero dicitur, nempe a sulfure, quod semper manibus terit.

Quot æra.] Cum Luna a cœlo deducitur magi-

magicis incantationibus, epig. 30. lib. 9.

Quæ nunc Thessalico Lunam deducere rhombo.

Colcho dicitur, id est magico, propter Medeam quæ erat Colcha. Sensus est: Tot sunt manus quæ pulsant æra quibus deducitur Luna, ut numerari nequeant: ita nec somni impedimenta numerari possunt.

Petilianis.] Petiliana regna vocat domum, & agrum L. Petilii scribæ sub Janiculo, ubi rex Numa, teste Livio, fuit sepultus. Ita Raderus. Vide epig. 64. lib. 4.

Vinitorque Romanus.] quia scilicet vinea est in ipsa urbe.

Falerno monte.] Campaniæ nempe, ubi vites sunt amœnissimæ. *Autumnum* dixit pro ipsa vindemia.

Intraque limen.] hoc est, intra ædium tuarum septa spatium est gestationi & cursui sufficiens. Legunt alii, *latus essedo cursus*: essedum vero genus est vehiculi.

Nisi admissus.] cum apetis tuas fenestras.

Et ad cubile.] Tantus scilicet est ad meas fores strepitus, ut tota Roma illic stare mihi videatur.

Ad Alaudam libidinosum. LVIII.

ANCILLARIOLUM tua te vocat uxor, & ipsa
Lecticariola est: estis, Alauda, pares.

Conjux tua te appellat ancillariolum, & ipsa lecticariola est: ô Alauda, estis æquales.

Ancillariolum.] qui amore ancillarum captus est, & in eis libidinatur: & *lecticariola*, quæ se prostituit servis lecticam succollantibus: quæ sordidissima libido est. Turnebus lib. 30. cap. 26.

De importunis basiatoribus. LIX.

TANTUM dat tibi Roma basiorum
Post annos modo quindecim reverso,
Quantum Lesbia non dedit Catullo.
Te vicinia tota, te pilosus
Hircoso premit osculo colonus.
Hinc instat tibi textor, inde fullo,
Hinc sutor modo pelle basiata,
Hinc menti dominus pediculosi,
Hinc defioculus, & inde lippus,
Fellatorque, recensque cunnilingus,
Jam tanti tibi non fuit redire.

Roma modo tibi reverso post quindecim annos libat tot oscula, quot Lesbia non libavit Catullo. Vicinia tota, pilosus colonus te constringit fœtido osculo. Hinc textor te urget, illinc fullo, hinc sutor pelle basiata paulo ante, hinc dominus menti pediculosi, ex hac parte luscus, ex illa lippus . . . . Jam non debuisti tanti facere reditum tuum.

Quantum Lesbia.] amica scilicet Catulli.

Defioculus.] cui deest, seu deest oculus.

Jam tanti.] siquidem reversus hæc eras passurus. Vide epig. 99. lib. 11.

Ad suum natalem. LX.

MARTIS alumne dies, roseam quo lampada primum,
Magnaque siderei vidimus ora dei:
Si te rure coli, viridesque pigebit ad aras,
Qui fueras Latia cultus in urbe mihi:

O dies alumne Martis, quo primum aspeximus roseum lumen, atque ora ingentia dei siderei: si te tædebit coli rure, & ad altaria viridantia, quem colueram Romæ in urbe;

Da

Da veniam, ſervire tuis quod nolo Kalendis,
Et qua ſum genitus, vivere luce volo.

ignoſce quod nolo ſervire tuis calendis, & placet vivere ge- nialiter *die, quo natus ſum.*

Martis alumne.] hoc eſt, ô calendæ Martiæ, quibus natus erat Poëta, epig. 53. lib. 9. & epig. 24. lib 10.

Lampada ſideret dei.] hoc eſt ſolem.

Virides ad aras.] factas nempe ex ceſpite.

Tuis calendis.] in ſexto caſu: hoc eſt, quod tuis calendis nolo in urbe occupari officiis præſtandis; ſed malo rure genialiter vivere; quod in urbe fieri nequibat, ut docent ſequentes verſus, quos novum epigramma conſtituere negant multi: ſed ne ordo indicis confundatur, nihil mutavi.

De Sabello, de ſtulta natalis celebrandi cura. LXI.

NATALI pallere ſuo ne calda Sabello
Deſit, & ut liquidum potet Alauda merum,
Turbida ſolicito tranſmittere Cæcuba ſacco,
Atque inter menſas ire, redire ſuas.
Excipere hos, illos, & tota ſurgere cœna
Marmora calcantem frigidiora gelu.
Quæ ratio eſt, hæc ſponte tua perferre, patique,
Quæ te ſi jubeat rex, dominuſque, neges?

Anxium eſſe ſuo natali, ne aqua calida deficiat Sabellum, atque ut Alauda bibat merum liquidum, & ſacco ſolicito defæcare Cæcuba turbida, atque ire & redire inter ſuas menſas. Excipere hos, illos, & tota cœna ſurgere calcantem marmora frigidiora gelu. Quæ cauſſa eſt cur hæc perferas, & patiaris ſponte tua, quæ nolis facere, ſi rex & dominus imperet tibi?

Natali pallere.] In veteri codice ſic diſtinguitur hoc epigramma a præcedenti, & lemma ſcribitur *de Sabello.* Sed melior videtur inſcriptio quam ſubjecimus ex Radero. Alaudam pro quovis obvio conviva nominavit Poëta. Hic ergo agitur tantum de nimia natalis celebrandi cura, quo die uni genio indulgendum docet Martialis, atque ita eſt præcedentis epigrammatis continuatio.

Ne calda.] de qua epig. 12. lib. 1.

Cæcuba] de quibus epig. 40. lib. 2. hoc eſt, magna præcipitatione colare. Vide epig. 104. lib. 14

Marmora.] Nudis pedibus menſæ accumbebant veteres; advenientem vero convivam excepturi præ nimia feſtinatione ſoleas petere nequibant, atque ita nudis pedibus calcabant marmora, quibus ſtrata erant cœnacula.

De Ligurra homine inepto. LXII.

VERSUS, & breve, vividumque carmen
In te ne faciam times, Ligurra,
Et dignus cupis hoc metu videri:
Sed fruſtra metuis, cupiſque fruſtra.
In tauros Libyci ruunt leones,
Non ſunt papilionibus moleſti.
Quæras cenſeo, ſi legi laboras,
Nigri fornicis ebrium Poëtam,
Qui carbone rudi, putrique creta
Scribit carmina, quæ legunt cacantes.
Frons hæc ſtigmate non meo notanda eſt.

O Ligurra, metuis ne ſcribam in te verſus, & vividum & breve carmen, atque optas videri dignus hoc timore: at nequicquam times, & optas nequicquam. Libyci leones ruunt in tauros, non vexant papiliones. Si curas legi, moneo ut quæras ebrium Poëtam nigri fornicis, qui rudi carbone & creta putrida ſcribit verſus quos evolvunt cacantes: hæc tua frons non eſt ſignanda meo ſtigmate.

Vividumque carmen.] Vide epig. 64. lib. 6. Sic & epig. 43. lib. 11.

Vivida cum poscas epigrammata, mortua ponis, &c.

In tauros Libyci.] hoc est, in feras minores non sæviunt leones, & quidem generosiores. Sic Poëta se leoni, Ligurram papilioni comparat.

Si legi laboras.] si cupia esse cognitus.

Nigri fornicis.] hoc est, obscuri loci & vilis notæ Poëtam quæras.

Qui carbone rudi.] Carbonis aut cretæ nota cito evanescit: sic obscuri Poëtæ carmina cito pereunt.

Frons hæc.] id est, Servilia tua frons non est digna cui ego imprimam victuri carminis notas. Vide epig. 64. lib. 6.

Ad Saturnum,

quem invitat ad Saturnale epulum Prisco Terentio in Hispaniam reduci extructum. LXIII.

Antiqui rex magne poli, mundique prioris,
Sub quo pigra quies, nec labor ullus erat,
Nec regale nimis fulmen, nec fulmine digna,
Scissa nec ad Manes, sed sita dives humus:
Lætus ad hæc, facilisque veni, sollennia Prisci
Gaudia, cum sacris te decet esse tuis.
Tu reducem patriæ sexta, pater optime, bruma
Pacifici Latia reddis ab urbe Numæ.
Cernis ut Ausonio similis tibi pompa macello
Pendeat, & quantus luxurietur honos?
Quam non parca manus, largæque nomismata mensæ,
Quæ, Saturne, tibi pernumerentur opes?
Ut sit bis pretium meritis, & gratia major,
Et pater, & frugi sic tua sacra colit.
At tu, sancte, tuo sic semper amere Decembri:
Hos illi jubeas sæpe redire dies.

O summe dominator prisci cœli, & prioris seculi, sub quo otium iners, nec ullus labor erat, nec fulmen nimis imperiosum, nec terra digna fulmine, nec effossa ad inferos usque, sed locuples jacebat: hilaris & facilis, accede ad hanc solemnem lætitiam Prisci, cum par est te adesse tuis sacris. Tu, ô pater optime, restituis patriæ reversum sexto anno ab urbe Latia pacati Numæ. Vides ut pompa tibi pendeat similis macello Romano, & quanta ornamenta affluant? quam liberalis manus, & nummi mensa munifica, quæ divitiæ tibi pernumerentur, ô Saturne? Ut pretium bis, & gratia major referatur meritis, & pater Prisci *&* quidem *frugalis sic celebrat tua sacra. At tu, ô sancte, sic semper diligaris tuo Decembri: imperes sæpe illum frui his diebus.*

Pigra quies.] Aureum quippe Saturni seculum fuisse canunt Poetæ.

Nec fulmine digna.] Scelera enim tunc non perpetrabantur digna fulmine, necdum erant opes repertæ, sed in visceribus terræ aurum atque argentum erant recondita.

Tu reducem patriæ.] nempe post sexennium mense Decembri ab urbe Roma in Hispaniam reversus est Priscus.

Pompa.] Hoc est, apparatus carnis tantus est in Hispania ad celebranda Saturnalia, quantus Romæ.

Largæque nomismata.] hoc est, quam multa pecunia impendatur in tuum honorem.

Ut sit bis.] Legunt alii, *atque sit bis pretium.* Sensus est: O Saturne, ut tibi gratior sit hæc celebritas, ipse pater Prisci, vir tamen parcus, laute colit tua Saturnalia.

Hos illi.] nempe Prisco, aut ejus patri concede vitam longævam.

Ad

Ad Cordubam, in Cordubensem Poëtam ineptum & plagiarium. LXIV.

UNCTO Corduba lætior Venafro,
Histra nec minus absoluta testa,
Albi quæ superas oves Galesi,
Nullo murice, nec cruore mendax,
Sed tinctis gregibus colore vivo:
Dic vestro, rogo, sit pudor Poëtæ,
Ne gratis recitet meos libellos.
Ferrem, si faceret bonus Poëta,
Cui possem dare mutuos honores.
Corrumpit sine talione cælebs.
Cæcus perdere non potest quod aufert.
Nil est deterius latrone nudo:
Nil securius est malo Poëta.

O Corduba amœnior uncto Venafro, nec cedens testa olei Histri, qua vincis opes candidi Galesi, nullo murice nec sanguine fallax, sed gregibus tinctis colore nativo, dic, quæso, vestro Poetæ, ipsum pudeat, ne impune recitet meos libros. Paterer, si bonus Poeta recitaret, cui tribuere possem par decus. Cælebs corrumpit sine talione. Cæcus nequit amittere quod adimit, nihil est pejus latrone nudo, nihil tutius est inepto Poeta.

Corduba.] urbs Hispaniæ ad Bætim, ferax olearum, quam laudat, civem ejus vituperaturus: unctum autem appellat Venafrum ab oleis quæ in Venafrano Campaniæ agro nascuntur optimæ.

Histra.] Histria est Italiæ terminus Illyrico ad ortum confinis, oleis abundans. Vide Plinium lib. 15. cap. 2.

Galesi.] Italiæ fluvius est ad Tarentum, ubi oves lanam habebant candidissimam, epig. 43. lib. 2.

Nullo murice.] Bæticarum enim ovium lana nullo fuco imbuta, sed nativo colore erat tincta, epig. 100. infra.

Cui possem.] Ejus quippe versus pro meis recitans, parem ipsi gratiam referrem.

Cælebs.] qui si alienam uxorem corrumpat, cum uxore ipse careat, talionis pœnam, qua par pari refertur, subire nequit.

Quod aufert.] si nempe alteri effodiat oculum.

Latrone nudo.] cui nihil eripi potest.

Nihil securius est.] nam inepti Poëtæ carmina quis furetur?

De Cinna gulofo. LXV.

VINCENTEM roseos, facieque, comaque ministros
Cinna cocum fecit. Cinna gulosus homo est.

Cinna constituit cocum superantem servos roseos, & vultu & capillis. Cinna homo est helluo.

Cinna gulosus.] qui ut gulæ suæ satisfaceret, sustinuit tantam pueri pulcritudinem violare nigra culina, ut jam dixit de Theopompo epig. 66. lib. 10.

LXVI.

Ad Amœnum fraudulentum venditorem. LXVII.

BIS quinquagenis domus est tibi millibus empta,
Vendere quam summa vel breviore cupis.

Centum millibus emisti domum, quam cupis vendere pretio vel minore.

Arte

Arte sed emptorem vafra corrumpis, Amœne,
Et casa divitiis ambitiosa latet.
Gemmantes prima fulgent testudine lecti,
Et Maurusiaci pondera rara citri.
Argentum atque aurum non simplex Delphica portat:
Stant pueri, dominos quos precer esse meos.
Deinde ducenta sonas, & ais, non esse minoris.
Instructam vili vendis, Amœne, domum.

Sed, ô Amœne, arte callida circumvenis emptorem, & casa delitescit fucata divitiis. Tori gemmei splendent prima testudine, & pondera rara citri Maurusiaci. Delphica mensa tegitur auro atque argento non simplici: stant pueri, quibus servire cupiam. Postea petis ducenta, & dicis non esse minoris. O Amœne, vili vendis ædes ornatas.

Vel breviore.] Centum millibus sestertiûm male materiatas ædes emerat Amœnus, quas vel minori pretio libens vendidisset: attamen eas multis divitiis ornatas ducentis millibus æstimabat.

Gemmantes prima.] primam testudinem intelligit Raderus, atrium, & vestibulum ædium, ubi ponebantur lecti geniales. Horatius:

Lectus genialis in aula est.

Forte melius intelliges lectos ornatos testudine prima, hoc est omnium pretiosissima: gemmantes vero dixit, quod gemmis essent locupletati illi tori, vel quod essent pavonini. Vide epig. 85. lib. 14. & epig. 58. lib. 3.

Gemmeique pavones.

Et Maurusiaci.] Ex mensæ citreæ pretiosissimæ ex Mauritania, de quibus epig. 43. lib. 2.

Non simplex Delphica.] hoc est, ornata laminis auri vel argenti. Delphicæ mensæ, inquit Heraldus, marmoreæ erant, ut colligere est ex Cicerone lib. 6. in Verrem. Cujacius lib. 10. Observationum cap. 13. de Delphicis agens probat fuisse abacos ex quibus vina ministrarentur.

Instructam vili.] Sensus est: Equidem, ô Amœne, domum sic instructam vili pretio vendere videris; sed cum omnem supellectilem atque ornatum sublaturus sis, nimia cara est tua domus.

De Idibus Maronis. LXVIII.

MAIÆ Mercurium creastis Idus.
Augustis redit Idibus Diana.
Octobres Maro consecravit Idus.
Idus sæpe colas & has & illas,
Qui magni celebras Maronis Idus.

O Maiæ Idus, genuistis Mercurium. Diana colitur Idibus Augustis. Maro consecravit Idus Octobres. Sæpe celebres has & illas Idus, qui colis Idus magni Maronis.

Maiæ.] Ausonius Idyllio de feriis Romanis:

Et medias Idus Maii, Augustique recursu
Quas sibi Mercurius, quasque Diana
... *dicat.*

Idus sæpe colas.] hoc est diu vivas, & sic possis colere Idus Mercurii & Dianæ, qui Virgilii natalem colis.

Ad clientes ut recedant. LXIX.

MATUTINE cliens urbis mihi caussa relictæ,
Atria, si sapias, ambitiosa colas.
Non sum ego caussidicus, nec amaris litibus aptus:

O cliens matutine caussa cur secesserim ab urbe, si sapias, colas limina potentiorum. Ego non sum caussidicus, nec idoneus amaris litibus, sed

Sed

Sed piger, & ſenior, Pieridumque comes.
Otia me, ſomnuſque juvant, quæ magna negavit
Roma mihi: redeo, ſi vigilatur & hîc.

iners, & ſenior, & comes Muſarum. Quies & ſomnus mihi placent, quæ mihi recuſavit magna Roma: revertor, ſi hîc quoque vigilatur.

Si vigilatur & hîc.] Romam, inquit, ſum rediturus, ſi nec Bilbili per clientes importunos mihi liceat dormire.

Ad Paullum avarum. LXX.

SIc tamquam tabulas, ſcyphoſque, Paulle,
Omnes archetypos habes amicos.

O Paulle, omnes amici tibi ſunt archetypi, veluti tabulæ, & ſcyphi.

Sic tamquam.] Senſus eſt: Nihil das veteribus amicis, quos habes veluti pocula archetypa. Vide epig. 33. lib. 8. Paullus quidem avarus ornabatur ab amicis; a quo illi nihil accipiebant, ſed quibus veluti archetypis poculis uteretur, quæ nullas domino impenſas, multum vero laudis afferunt.

De Apro ſobrio paupere, ebrioſo autem facto divite. LXXI.

LIntea ferret Apro vacuus cum vernula nuper,
Et ſupra togulam luſca ſederet anus,
Atque olei ſtillam donaret Opelicus unctor:
Nudorum tetricus cenſor & aſper erat.
Frangendos calices, effundendumque Falernum
Clamabat, biberet qui modo lotus eques.
A ſene ſed poſtquam nummi venere trecenti:
Sobrius a thermis neſcit abire domum.
O quantum diatheca valent, & quinque comati!
Tunc, cum pauper erat, non ſitiebat Aper.

Cum nuper jejunus vernula portaret lintea ad Aprum, & luſca anus ſederet ſuper togulam; & Opelicus unctor daret ſtillam olei; acerbus, & ſeverus erat cenſor nudorum. Vociferabatur frangenda pocula, atque effundendum Falernum, illius qui modo lotus eques potaret. Sed poſtquam accepit trecentos nummos a ſene: a thermis ſiccus nequit redire domum. O quantum poſſunt diatheca & quinque pueri comati! tunc Aper non ſitiebat, cum erat egenus.

Lintea.] Quibus Aper lotus abſtergeretur.

Et ſupra togulam.] Ne ſubduceretur, nec enim habebat ſervos qui illam cuſtodirent.

Atque olei.] In balneis ungebantur veteres, ſed tam pauper erat Aper, ut nec ſatis olei ad bene ungendum corpus emere poſſet. *Opelicus*, legunt alii *enterocelicus*, hoc eſt, hernioſus.

Nudorum.] Toto quippe corpore nudi lavabant antiqui. Legunt alii *udorum* vino ſcilicet madidorum.

Frangendos.] Clamabat Aper tollendas potationes, & frangendos calices illius equitis, qui modo lotus biberet. Legunt alii *biberes*, hoc eſt, ſi tu eques, qui modo exibas e balneis, biberes.

A ſene.] Cum trecentos nummos ſibi relictos cujuſdam ſenis teſtamento accepiſſet. Legunt alii melius, ut opinor:

A ſene ſed poſtquam patruo venere trecenta.

Millia nempe ſeſtertiûm, quæ ſumma longe major.

O quantum diatheca.] Διαθήκη teſtamentum

tum est: intellige bona relicta testamento. Turnebus lib. 27. cap. 31. legit *diatreta*, & diatretos calices interpretatur clavatos, qui bus nimirum insertæ sint gemmæ: alii intelligunt calices cœlatos & torastiles. Videat lector.

Tunc, cum pauper.] Seneca lib. 1. de beneficiis cap. 9. *Detestantur hæc in felicibus, eadem si potuerint facturi.*

LXXII.

Ad Pannicum, qui derelicto foro sibi fructuoso agros steriles emerat. LXXIII.

JUGERA mercatus prope busta latentis agelli,
Et male compactæ culmina fulta casæ,
Deseris urbanas, tua prædia, Pannice, lites,
Parvaque sed tritæ præmia certa togæ.
Frumentum, milium, ptisanamque, fabamque solebas
Vendere pragmaticus: nunc emis agricola.

O Pannice, emptis jugeribus juxta busta latentis agelli, & fultis culminibus casa male materiata, derelinquis urbanas lites, tuos fundos, & exiguam, sed certam mercedem trita togæ. Pragmaticus solebas vendere triticum, milium, & ptisanam, & fabam: nunc agricultor mercaris hæc.

Prope busta.] Gallica intelligunt interpretes: ubi nempe Galli in depresso, seu latente loco fuerant sepulti a Camillo deleti, vel pestilentia interempti in obsidione Romæ. Livius lib. 5. primæ decadis.

Deseris.] Forum scilicet, ex quo majores & certiores fructus, quam ex fundo empto, percipiebas.

Frumentum.] Munera intellige, quibus donabitur Pannicus: ptisanam interpretare hordeum ex quo sæpius fit.

Pragmaticus.] Est is qui recte juris formulas novit, atque oratoribus leges & consuetudines suggerit. Juven. sat. 7. vers. 123.

Ad Catullum, a quo institutus heres dicebatur. LXXIV.

HEREDEM tibi me, Catulle, dicis.
Non credam, nisi legero, Catulle.

O Catulle, prædicas me esse tuum heredem. Non credam, nisi legero.

Nisi legero.] hoc est, nisi mortuus fueris: tabulæ enim testamentariæ non aperiebantur nisi mortuo testatore. Vel intellige, *nisi legero* tua scil. ossa: sic tacite Catullo mortem optat, quo citius ejus bona possideat.

Ad Flaccum cui mittit calices vitreos cognomento audaces. LXXV.

CUM tibi Niliacus portet crystalla catastus,
Accipe de circo pocula Flaminio.
Hi magis audaces, an sunt qui talia mittunt

Cum puer Ægyptius tibi afferat crystalla, sume calices de circo Flaminio. An hi sunt audaciores, an qui mittunt ejusmodi dona? sed

Mu-

Munera? ſed geminus vilibus uſus ineſt.
Nullum ſolicitant hæc, Flacce, toreumata furem,
Et nimium calidis non vitiantur aquis.
Quid, quod ſecuro potat conviva miniſtro,
Et caſum tremulæ non timuere manus?
Hoc quoque non nihil eſt, quod propinabis in iſtis,
Frangendus fuerit ſi tibi, Flacce, calix.

licet viles inſerviant duplici uſui. O Flacce, nullum furem invitans hæc toreumata, nec franguntur aquis nimis calidis. Quid, quod conviva bibis tuto ſervo, nec tremulæ manus metuerunt caſum? at hoc etiam eſt alicujus momenti, quod tu, ô Flacce, propinabis in iſtis, cum fracturus fueris poculum.

Cataſtus.] Turneb lib. 30. cap. 26. *cata plus* ſic legendum eſt ut ſit navigatio Ægyptiorum: nam ex Ægypto, & annona, & merces plurimæ Romam advehebantur. Sed Vitruvius lib. 8. cap. 4. ſic ait, *Ideoque transſmarinos cataſtos emere formoſos*, &c. Itaque cataſti ſunt pueri formoſi, ut conſtat etiam ex Plinio lib. 35. cap. 18. De his noſter Poëta videtur agere lib. 4. epig. 42.

Niliacis primum puer hic naſcatur in oris.

Flaminio.] Ubi vendebantur fictilia, aut vitrea vaſa.

Hi magis.] Videtur Poëta allufiſſe ad *calices audaces*, de quibus epig. 94. lib. 14. audaces vero vocabantur, quod ſpecie quadam cryſtallina pocula imitari auderent.

Sed geminus vilibus.] Hæc nempe duo commoda vilibus poculis inſunt, quod nec furem alliciant, nec aqua calida rumpantur. *Toreumata* vocat, quod torno formarentur. Legunt alii,

——Sed gemmis utilis uſus ineſt.

Objectio eſt Flacci: at gemmæ magno uſui ſunt in pellendis morbis & venenis. Plinius lib. 37. cap. 2. Judicet lector.

Securo miniſtro.] At vero cum cryſtallina pocula porrigerent ſervi, ne manibus exciderent valde metuebant.

Frangendus fuerit.] Cum nempe in vitreo hujuſmodi poculo aliquis ore impuro & male olenti biberet: at vero cryſtallinum non ſine magna jactura frangitur.

LXXVI.

De caritate vini. LXXVII.

AMPHORA vigeſſis, modius datur ære quaterno.
Ebrius, & crudus nil habet agricola.

Amphora venditur viginti aſſibus, modius quatuor: agricola ebrius & ſatur nihil habet.

Datur ære quaterno.] Hoc eſt, inquit Farnabius, tam vili pretio venditur annona, ut malit agricola ingurgitare ſe ad crapulam uſque & ebrietatem, quam tantulo pretio vinum & frumentum vendere. Gronovius vero intelligit beatos quidem eſſe agricolas, cum abundent vino & frumento; at infelices, quia ex frumento & vino vendito nihil nummorum reficere poſſunt in tanta annonæ vilitate. Quare inſcribunt, *de vilitate vini & frumenti.* Alii *de agricola.* Eligat lector.

Ebrius, & crudus.] hoc eſt, Agricola cœnam potentiorum captat; atque ita in magna vini & frumenti caritate, licet pauper ſit, tamen ſemper ebrius & ſatur eſt. *Crudus* dicitur, qui nimios, quos comedit, cibos coquere nequit. Vel intellige, inquit Raderus, agricolam ſeu agricultorem, ſi vel ſemel potet, vel cœnet lautius ad egeſtatem redigi.

De

De Æthonte, qui crepuerat in templo Capitolino. LXXVIII.

MULTIS dum precibus Jovem ſalutat,
Stans ſummos reſupinus uſque in ungueis,
Æthon in Capitolio pepedit.
Riſerunt comites: ſed ipſe divûm
Offenſus genitor trinoctiali
Affecit domicœnio clientem.
Poſt hoc flagitium miſellus Æthon,
Cum vult in Capitolium venire,
Sellas ante petit Patroclianas,
Et pedit decieſque, vicieſque:
Sed quamvis ſibi caverit crepando,
Compreſſis natibus Jovem ſalutat.

Dum Æthon adhibet Jovi multas preces, ſtans reſupinus uſque in ſummos ungues, crepuit in Capitolio. Socii riſerunt: ſed ipſe pater deorum læſus mulctavit clientem trinoctiali domicœnio. Poſt hoc flagitium cum miſellus Æthon vult petere Capitolium, prius adit ſellas Patroclianas, & crepat decies & vicies: ſed licet pedendo ſibi providerit, compreſſis natibus ſalutat Jovem.

Stans ſummos.] Mos erat precantium, ut cœlum reſpicientes reſupini ſummis pedum digitis inſiſterent. Domitius.
Comites.] Legunt alii *homines.*
Patroclianas.] Publicas quaſdam latrinas interpretare.
Compreſſis.] Æthon paraſitus pedendi vitio ſic laborabat, ut licet ſibi caviſſet, crepitum ſemper comprimere cogeretur.

De eodem. LXXIX.

ANTE Jovis ſtatuam crepuit ſatur hiſtrio: pœnam
Juppiter indixit vivere de proprio.

Hiſtrio ſatiatus pepedit ante ſimulachrum Jovis: Jupiter mulctavit hac pœna vivere de proprio.

Vivere de proprio.] Cum vero pauper eſſet iſte Æthon, domi jejunare cogebatur.

Ad Bithynicum incredulum. LXXX.

NIL in te ſcripſi, Bithynice: credere non vis,
Et jurare jubes, malo ſatisfacere.

O Bithynice, nihil ſcripſi in te: non vis credere, & imperas jurare: malo ſatisfacere.

Malo ſatisfacere.] Hoc dicit Poëta ex more fori: cui enim juſjurandum defertur, niſi juret, tenetur ſolvere. Senſus eſt: Malo ſcribere in te, quam jurare me nihil ſcripſiſſe.

LXXXI.

De

De Callistrato laudatore omnium. LXXXII.

NE laudet dignos, laudat Callistratus omnes.
Cui malus est nemo, quis bonus esse potest?

Callistratus commendat omnes, ne commendet dignos. Qui neminem existimat malum, quem existimat bonum?

Ne laudet dignos.] Invidia, aut judicii infirmitate omnes laudabat Callistratus: boni vero tantum laudandi, atque a malis distinguendi sunt.

De Umbro avaro. LXXXIII.

BRUMÆ diebus, feriisque Saturni
Mittebat Umber aliculam mihi pauper:
Nunc mittit alicam: factus est enim dives.

Umber pauper mittebat mihi aliculam diebus brumæ, & feriis Saturni: nunc mittit alicam: nam evasit dives.

Brumæ diebus.] Epig. 14. lib. 10.

Quando brevis gelidæ missa est toga tempore brumæ.

Aliculam.] Invenio, inquit Turnebus lib. 18. cap. 23. & in antiquo vocabulario *aliculam* genus vestis esse. Lex 23. §. 2. ff. de auro, argento, mundo. *Puerilia*, vestimenta nempe, *sunt, quæ ad nullum alium usum pertinent, nisi puerilem, veluti togæ, prætextæ, aliculæ, chlamydes, pallia, quæ filiis nostris comparamus.* Aliculæ, inquit Gothofredus, sunt togæ breves. De alica lib. 13. epig. 6. quæ potus est: in eo jocus est, quod *alicula* videatur diminutivum ab *alica*.

De Menogene captatore cœnæ. LXXXIV.

EFFUGERE in thermis, & circa balnea non est
Menogenen, omni tu licet arte velis.
Captabit tepidum dextra, lævaque trigonem,
Imputet exceptas ut tibi sæpe pilas.
Colliget, & referet lapsum de pulvere follem,
Et si jam lotus, jam soleatus erit.
Lintea si sumas, nive candidiora loquetur,
Sint licet infantis sordidiora sinu.
Exiguos secto comentem dente capillos,
Dicet Achilleas disposuisse comas.
Fumosæ feret ipse tropin de fæce lagenæ,
Frontis & humorem colliget usque tuæ.
Omnia laudabit, mirabitur omnia, donec
Perpessus dicas tædia mille, veni.

Impossibile est evitare Menogenen in thermis & circa balnea, quamvis tu cupias omni industria. Dextra & læva prehendet tepidum trigonem, ut tibi imputet pilas sæpe exceptas. Colliget de pulvere lapsum follem, & referet, etsi jam lotus erit, jam soleatus. Si accipias lintea, dicet esse candidiora nive, quamvis sint sordidiora sinu infantis. Prædicabit comas Achilleas dispositas esse a te comente capillos raros secto dente. Ipse subministrabit tropin de fæce fumosæ lagenæ, atque assidue colliget sudorem tui vultus. Commendabit cuncta, obstupescet cuncta, donec tu perpessus mille fastidia, dicas, Veni.

Effugere in thermis.] Alii *e thermis*.

Captabit tepidum.] De trigonali pila, & de folle dictum epig. 71. lib. 7.

Imputet.] hoc est, ut excepta pila, & tibi oblata aliquam apud te ineat gratiam.

Lapsum.] Alii *laxum*.

Jam soleatus.] Post lotionem soleas ponebant, quas cœnaturi deponebant. Sensus

est:

est: Menogenes e balneis exiturus remanebit sua tibi officia præstiturus.
Lintea.] ad corpus abstergendum.
Secto dente.] hoc est pectine.
Achilleas comas.] Hoc est, tuas esse flavas, & pulchras, quales Achillis comas laudat Homerus.
Tropin.] Quæ est infima navis pars, & hic sumitur pro vino vapido quod est in lagenæ fundo. Hujusmodi vino utebantur veteres, vel ad corpora abluenda in balneis, vel ad vomitum ante cœnam ciendum, inquit Raderus.
Veni.] Ad cœnam.

De Fabiano facto hernioso. LXXXV.

DERISOR Fabianus herniarum,
Omnes quem modo colei timebant
Dicentem tumidas in hydrocelas,
Quantum nec duo dicerent Catulli.
In thermis subito Neronianis
Vidit se miser, & tacere cœpit.

Fabianus derisor scrotorum, quem paulo ante carpentem turgidas hydrocelas metuebant omnes testiculi, quantum nec carperent duo Catulli, infelix derepente spectavit se in thermis Neronianis, & cœpit silere.

Hydrocelas.] morbus erat ex genere enterocelarum, nempe cum intestina dilabuntur in scrotum; Gallice *descente de boyaux.*
Quantum nec duo.] Catullus in hasce res venereas hyperbolicôs dicit.
Tacere cœpit.] factus & ipse herniosus.

Ad Polytimum cujus comas incidi permisit. LXXXVI.

NOLUERAM, Polytime, tuos violare capillos:
Sed juvat hoc precibus me tribuisse tuis.
Talis eras modo tonse Pelops, positisque nitebas
Crinibus, ut totum sponsa videret ebur.

O Polytime, nolueram violare tuas comas: sed placet hoc a me concessum tuis precibus. O Pelops tonse modo talis eras, & fulgebas capillis tonsis, ut sponsa spectaret totum ebur.

Sed juvat.] Tonsis enim capillis lactea tua colla videntur, quæ comis tegebantur.
Pelops.] Cui humerus a Cerere decerptus, alter eburneus a diis restitutus est, quem totum videre poterat Hippodamia ejus uxor. Quæ historia satis nota.

LXXXVII.

LXXXVIII.

De Cotta egeno. LXXXIX.

BIs Cotta soleas perdidisse questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Qui solus inopi præstat, & facit turbam:
Excogitavit homo sagax, & astutus,

Cotta questus se bis amisisse soleas, dum ducit ad pedes vernam socordem, quem unum habet sibi astantem in toto suo comitatu: homo solers, & versutus commentus est,

Ne

Ne facere posset tale sæpius damnum,
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

ne sæpius faceret talem jacturam: cœpit ire ad cœnam sine calceis.

Ducit ad pedes.] Servus a pedibus is dicebatur, qui ad pedes domini accumbentis stabat, & soleas quas dominus exuerat, custodiebat.
Excalceatus.] Summam Cottæ inopiam facete sic deridet Poeta.

De Tongiliano nasuto. XC.

TONGILIANUS habet nasum: scio, non nego: sed jam
Nil præter nasum Tongilianus habet.

Tongilianus habet nasum: novi, non nego: at Tongilianus nihil jam habet, excepto naso.

Habet nasum.] Hoc primo versu nasus sumitur pro acumine judicii; sed in secundo sumitur proprie: hoc est, Tongilianus est tam pauper, ut nihil habeat præter nasum. Vide epig. 4. lib. 1.
Non nego.] Alii *non ego.*

Ad Charinum calvum. XCI.

QUOD lana caput alligas, Charine,
Non aures tibi, sed dolent capilli.

O Charine, quòd lana tegis caput, non aures, sed coma tibi dolent.

Sed dolent capilli.] quibus cares: hoc est, te calvitii pudet, quod ideo tegis lana.

De Marone captatore. XCII.

PRo sene, sed caro, votum Maro fecit amico,
Cui gravis, & fervens hemitritæos erat:
Si Stygias æger non esset missus ad undas,
Ut caderet magno victima grata Jovi.
Cœperunt certam medici spondere salutem.
Ne votum solvat, nunc Maro vota facit.

Maro suscepit votum pro sene; sed amico caro, qui laborabat gravi & ferventi hemitritæo: si ægrotus non esset missus ad undas Stygias, ut victima immolaretur grata Jovi magno. Medici cœperunt promittere certam salutem. Nunc Maro suscipit vota, ne solvat votum.

Sed caro.] Alii *clare*, ut nempe senex æger audiret, cujus hereditatem captabat iste Maro.
Hemitritæos.] febris est semitertiana, lib. 2, epig. 40.
Ne votum solvat.] propter quod heres institutus fuerat a sene.
Vota facit.] ut moriatur senex, ne hereditatem ejus amittat.

XCIII.

Ad Priscum de moribus futuri divitis XCIV.

SÆPE rogare soles qualis sim, Prisce, futurus,
Si fiam locuples, simque repente potens.

O Prisce, tui moris est crebro percontari, qualis sim futurus si dives evadam, & subito sim potens.

Quem;

Quemquam posse putas mores narrare futuros?
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

Credisne quemquam posse dicere mores futuros? Dic mihi, si tu evadas leo, qualis eris?

Si fias tu leo.] Sensus est: leo futurus leonis naturam habiturus est, atque ita dives futurus divitis moribus usurus est, nempe superbis, seu tenues & debiliores est oppressurus, & tanquam leo devoraturus.

De Fabulla adultera. XCV.

QUA moechum ratione basiaret
Coram conjuge repperit Fabulla.
Parvum basiat usque morionem:
Hunc multis rapit osculis madentem
Moechus protinus, & suis repletum
Ridenti dominae statim remittit.
Quanto morio major est maritus!

Fabulla excogitavit qua ratione oscularetur adulterum coram marito, semper osculatur parvum sannionem: repente adulter hunc rapit udum multis basiis, & jam repletum remittit statim dominae ridenti: quanto major est sannio maritus!

Quanto morio.] Hoc est, quanto stolidior est maritus, qui hoc artificium non animadvertat, vel animadvertens patiatur!

In Tuccam aemulum omnium suorum studiorum. XCVI.

SCRIBEBAMUS epos: coepisti scribere: cessi,
Aemula ne starent carmina nostra tuis.
Transtulit ad tragicos se nostra Thalia cothurnos:
Aptasti longum tu quoque syrma tibi.
Fila lyrae movi doctis exculta Camenis:
Plectra rapis nobis ambitione nova.
Audemus satyras: Lucilius esse laboras.
Ludo leves elegos: tu quoque ludis idem.
Quid minus esse potest? epigrammata fingere coepi:
Hinc etiam petitur jam mea fama tibi.
Elige quid nolis. Quis enim pudor omnia velle?
Et si quid non vis, Tucca, relinque mihi.

Faciebamus carmen heroicum: coepisti facere, destiti, ne mei versus essent aemuli tuorum. Nostra Thalia traduxit se ad tragicos cothurnos: tu etiam accommodasti tibi longum syrma. Movi fila lyrae exculta doctis Camenis: nobis eripis plectra ambitione nova. Aggredimur satyras: conaris esse Lucilius. Scribo leves elegos: tu etiam scribis idem. Quid potest esse minus? Coepi facere epigrammata: hinc etiam tibi comparas meam famam. Elige quid recuses? nam qua verecundia est aggredi omnia? Et si quid fastidis, o Tucca, relinque mihi.

Cothurnos.] Hoc est, scripsi tragoedias. Vide epig. 20. lib. 3. *Syrma* tragicorum vestis est, epig. 49. lib. 4.
Fila lyrae.] Hoc est, versus lyricos composui, quorum princeps Horatius.
Lucilius.] Qui primus inter Latinos Poetas satyras scripsit.
Elegos.] Quales Tibullus, Propertius, Ovidius. Ludere dicuntur Poetae cum versus leviores scribunt.
Quid minus.] quam scribere epigrammata.

XCVII.

XCVII.
XCVIII.
XCIX.

Ad Bætim fluvium de adventu Instantii. C.

BÆTIS olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis:
Quem Bromius, quem Pallas amat, cui rector aquarum
Albula navigerum per freta pandit iter:
Omnibus lætis nostras Instantius oras
Intret, & hic populis, ut prior, annus eat.
Non ignorat, onus quod sit succedere Macro.
Qui sua metitur pondera, ferre potest.

O Bætis redimite comas corona olivifera, qui tingis aurea vellera undis pellucidis: quem Bacchus, quem Pallas diligit, cui dominator aquarum aperit iter navigerum per cana freta: Instantius ingrediatur nostras regiones auspiciis faustis, & hi populi habeant hunc annum similem priori. Instantius *non ignorat quod onus sit succedere Macro. Qui metitur sua pondera, portare valet.*

Bætis olivifera.] Vide epig. 28. lib. 8. Ad Bætim fluvium Hispaniæ sunt multæ oleæ.
Quem Bromius.] Illic nempe magna est & vini atque olei copia.
Rector aquarum.] Neptunus. Albula freta dicit: canum quippe, seu spumosum est mare, maxime ubi se in illud exonerant fluvii.
Instantius.] De quo epig. 73. lib. 8. qui in administratione Hispaniæ successurus erat Macro viro integerrimo, de quo epig. 78. lib. 10.

In effrontem. CI.

OS atavi, patris nasum, duo lumina patris,
Et matris gestus dicis habere tuæ.
Cum referas priscos, nullamque in corpore partem
Mentiris; frontem dic mihi cujus habes?

Prædicas te habere os atavi, nasum patris, duos oculos genitoris, & gestus matris tuæ. Cum exprimas majores, nec ullam partem mentiris in corpore, dic mihi cujus habes frontem?

Os atavi.] Tria hæc ultima epigrammata per se loquuntur, quæ Martialis esse negant multi.

Ad Mattum importunum. CII.

QUI negat esse domi se, tunc cum limina pulsas,
Quid dicat, nescis? Dormio, Matte, tibi.

Qui dicit se non esse domi, tunc cum pulsas fores, an ignoras quid dicat? O Matte, inquit, *dormio tibi.*


Ad Milonem, lenonem suæ uxoris. CIII.

THURA, piper, vestes, argentum, pallia, gemmas,
Vendere, Milo, soles cum quibus emptor abit.
Conjugis utilior merx est: quæ vendita sæpe,
Vendentem nunquam deserit, aut minuit.

O Milo, tui moris est vendere thura, piper, vestes, argentum, pallia, gemmas, quæ secum aufert emptor. At merx uxoris fructuosior est; quæ sæpe vendita nunquam derelinquit venditorem, nec minuit.



XII *Lib.* 70 *epigr.* 10 *verf.*
Erymanthe, tuus aper] Herculis labor ; qui in Maximiani aug. *Nummo.*



XIII *Lib.* 93 *epigr.* 2 *verf.*
Talis] Nempe qualis in Samiorum *Num.* Meleagro Ætolo occurrens.



XII *Lib.* 100 *epigr.* 1 *verf.*
Olivifera] Oleis abundans Hispania, etiam in Hadriani *Num.* dextrâ oleæ ramum tenet.



XIII *Lib.* 37 *epigr.* 1 *verf.*
Corcyraeus hortus] Qui in Corcyræensium & Dyrrachiensium *Numis*, apud *Geltzium*, 2. *Tab. Begerum, Thes. Brand.*



XIII *Lib.* 25 *epigr.* 1 *verf.*
Poma Cybeles] Pinea. Pini ramos tenens fæpius cernitur Cybele, in Augustarum *Nummis.*



XIII *Lib.* 12. *epigr.* 1 *verf.*
Libyci coloni] Lybia & Ægyptus, i. e. Africa ferè tota frumenti feracissima; ita hic Alexandria ita in Hadriani *Num* spicifera.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM LIBER XIII.

CUI XENIA INDITUM NOMEN.

Ad lectorem, piſcibus involvendis aptos eſſe ſuos libros. I.

NE toga cordylis & pænula deſit olivis,
Aut inopem metuat ſordida blatta famem:
Perdite Niliacas, Muſæ, mea damna papyros:
Poſtulat ecce novos ebria bruma ſales.
Non mea magnanimo depugnat teſſera talo,
Senio nec noſtrum cum cane quaſſat ebur.
Hæc mihi charta nuces, hæc eſt mihi charta fritillus:
Alea nec damnum, nec facit iſta lucrum.

INTERPRETATIO.

O Muſa, conſumite Niliacas papyros meas jacturas, ne cordylæ careant toga, & olivæ pænula, aut fœda blatta timeat egenam eſuriem: en Saturnalia temulenta petunt novos jocos. Mea teſſera non decertat cum generoſo talo, nec ſenio cum cane quatit noſtrum ebur. Hæc charta mihi eſt loco nucium & fritilli: nec accipio detrimentum nec quæſtum ex iſta alea.

NOTÆ.

Xenia.] Quæ ſic explicat Vitruvius lib. 6. cap. 10. *Nam cum fuerunt Græci delicatiores, & ab fortuna opulentiores hoſpitibus advenientibus extruebant triclinia, cubicula cum penu, cellas: primoque die ad cœnam invitabant, poſtremo mittebant pullos, ova, olera, poma, reliquaſque res agreſtes. Ideo pictores ea quæ mittebantur hoſpitibus, picturis imitantes xenia appellaverunt.* Xenia dicta ſunt, quod τοῖς ξένοις, hoc eſt hoſpitibus maxime, necnon & amicis mitterentur. Cum autem pauper eſſet Poëta, xeniorum loco mittebat diſticha.

Ne toga cordylis.] Deeſt lemma in editione Junii. Vide epig. 2. lib. 3. huic ſimile. Blatta, quæ rodit chartas, genus eſt vermis.

Niliacas papyros.] Quia in Ægypto naſcuntur papyri, quas per appoſitionem vocat ſua damna: mali enim verſus perdunt bonas chartas. Juvenalis ſat. 1. verſu 15.

Stulta eſt clementia, cum tot ubique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.

Ebria bruma.] Saturnalia intellige, quibus

bus genio indulgebant Romani. De his supra.

Non mea magnanimo.] Vide quæ jam de talis & tesseris dicta sunt, epig. 14. lib. 4. Calcagninus de tesseris sic ait: Duabus, tribusve tesseris, quatuor autem ad minimum talis contendebatur in acie lusoria. Unde talis pares non sunt tesseræ, sed inferiores, epig. 15. lib. 14.

Non sim talorum numero par tessera, dum sit
Major, quam talis alea sæpe mihi.

Hæc ratio ad explicandum & *magnanimo* mihi quidem levior videtur, sed meliorem non reperi. Judicet lector.

Senio.] Dicitur cum in jactis talis senarius appatet; canis autem cum unicum senario oppositum punctum apparet. *Ebur nostrum*, ex quo scilicet fiebant tesseræ, ut & tali, quos hoc loco intelligi censet idem Calcagninus *de tesseris*.

Hæc mihi.] Sensus est: Ego, inquit Poëta, Saturnalium tempore, nec tesseris, nec nucibus, nec talis ludo, sed Musis vaco. De fritillo copiose dictum est epig. 14. lib. 4.

In detractorem. II.

NASUTUS sis usque licet, sis denique nasus,
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas,
Et possis ipsum tu deridere Latinum,
Non potes in nugas dicere plura meas,
Ipse ego quam dixi: quid dentem dente juvabit
Rodere? carne opus est, si satur esse velis.
Ne perdas operam: qui se mirantur, in illos
Virus habe, nos hæc novimus esse nihil.
Non tamen hoc nimium nihil est, si candidus aure,
Nec matutina si mihi fronte venis.

Quantumvis sis nasutus, & tandem sis nasus, quantum portare recusaverit jussus Atlas; & impossis illudere ipsum Latinum, nequis proferre plura in meas ineptias, quam ego ipse protuli: quid proderit rodere dentem dente? Opus est carne, si cupias expleri. Ne profundas laborem: evome virus in illos qui sibi placent: nos scimus hæc esse nihil. Nihilominus hoc non est omnino nihil, si sincerus auditor, nec matutina fronte accedis ad me.

Nasutus.] Licet sis maximus derisor; nasus enim irrisionis sedes est. Vide epig. 4. lib. 1.

Atlas.] Qui tamen cœlum humeris gestat.

Latinum.] Mimum nempe, epig. 5. lib. 2.
——— *derisoremque Latinum.*

Ipse ego quam.] Passim pro nihili habendos esse suos versus dicit Martialis.

Quid dentem.] Sensus est: quid carpis me, qui lædi nequeam?

Carne opus est.] Hoc est: Si velis explere invidiam, carpe illos Poëtas qui grandia promittunt, & se in monte Parnasso somniasse dicunt.

Non tamen.] Hoc est: tamen hi versus non sunt plane abjiciendi, sed placebunt lectoribus candidis, atque iis qui genio indulgent. *Matutina fronte.*] Hoc est tristi supercilio: mane enim non pransi homines, sunt severi.

Ad lectorem de pretio hujus libri. III.

OMNIS in hoc gracili xeniorum turba libello
Constabit nummis quatuor emta tibi,
Quatuor est nimium, poterit constare duobus,
Et faciet lucrum bibliopola Tryphon.

Tu emes omnem turbam xeniorum in hoc tenui libro quatuor nummis, quatuor nimium est: poteris emere duobus, & bibliopola Tryphon consequetur adhuc quæstum.

Hæc

Hæc licet hoſpitibus pro munere diſticha mittas,
Si tibi tam rarus, quam mihi, nummus erit.
Addita per titulos ſua nomina rebus habebis:
Prætereas, ſi quid non facit ad ſtomachum.

Fas eſt mittere hoſpitibus hæc diſticha pro dono, ſi habueris tam paucos nummos, quam ego. Tibi erunt nomina ſua adjuncta rebus per titulos: omittas, ſi quid non placet ſtomacho.

Eſt nimium.] Addunt alii punctum interrogationis.
Typhon.] De quo jam dictum epig. 72. lib. 4.
Diſticha mittas.] Vide quæ diximus initio hujus libri: xenia quippe hoſpitibus mitti ſolebant.
Si tibi tam.] Malum ſcilicet omnibus fere Poëtis familiare.
Per titulos.] Lemmata, ſeu argumenta intellige.
Non facit ad.] Hoc de ſuis verſibus dicit Poëta; ſed alludit ad eſculenta xeniorum, quæ h c libro deſcribuntur.

Thus. IV.

SERUS ut ætheria Germanicus imperet aula,
Utque diu terris, da pia thura Jovi.

Offer pia thura Jovi, ut Germanicus regnet diu in terris, tarde in cælo.

Germanicus] Domitianum intelligunt interpretes, unde colligunt, non extremis Martialis annis, ſed vivo adhuc Domitiano, ſcripta eſſe hæc diſticha. Vide epig. 39. lib. 8.
Pia thura.] Religioni nempe & ſuperis deſtinata ſunt. Plinius lib. 12. cap. 4. agit de thure.

Piper. V.

CEREA quæ patulo lucet ficedula lumbo,
Cum tibi forte datur, ſi ſapis, adde piper.

Cum forte tibi donatur pinguis ficedula, quæ ſplendet lato lumbo, ſi ſapis, adjunge piper.

Cerea.] Hoc eſt pinguis, epig. 57. lib. 3. *inde cereus turtur.* De ficedula infra epig. 49.
Lucet.] Præ pinguedine.
Adde piper.] Inſipida quippe eſt ficedula.

Alica. VI.

NOs alicam, mulſum poterit tibi mittere dives.
Si tibi noluerit mittere dives, eme.

Nos mittimus alicam, locuples poterit mittere mulſum. Si locuples recuſaverit mittere, mercare.

Alicam.] Videndum epig. 37. lib. 2. *Alica dicitur*, inquit Feſtus, *quod alit corpus.* Genus eſt præſtantiſſimi tritici, unde fiebat potio quæ dicebatur alica. Ita Raderus. Videtur non multum differre ab ea potione, quam Gallice vocamus *de la biere.*

Conchis faba. VII.

SI spumet rubra conchis tibi pallida testa,
Lautorum cœnis sæpe negare potes.

Si habeas pallidam conchem spumantem testa rubra, potes sæpe carere cœnis potentum.

Si spumet.] Scilicet dum coquitur: conchis vero faba est viridis, quæ oleo uncta optimi est saporis, & elixa pallescit. Vide epig. 77. lib. 7. Juven. sat. 14. vers. 31. & sat. 3. vers. 293. *cujus conche tumes. Rubra testa*, hoc est vase fictili rubro.

Lautorum cœnis.] Nam fabam bene conditam comedens domi laute cœnabis.

Far. VIII.

IMBUE plebeias Clusinis pultibus ollas,
Ut satur in vacuis dulcia musta bibas.

Imple ollas plebeias Clusinis pultibus, ut expletus potes suavia musta in ollis exhaustis.

Imbue plebeias.] Hoc disticho præcipit Martialis, ut in ollas quæ Clusini farris pulte imbutæ fuerint, mustum mittatur, quod eo tanquam condiatur, & ad bonitatem proficiat, commendeturque. Turnebus lib. 25. cap. 28. Clusium vero maritimum Tusciæ oppidum est, hodie *Chiusi*. De farre vide Plinium lib. 18. cap. 8.

Lens. IX.

ACCIPE Niliacam, Pelusia munera, lentem:
Vilior est alica, carior illa faba.

Accipe lentem Niliacam, dona Pelusia: illa inferior est alica, pretiosior autem faba.

Niliacam.] In Ægypto nempe circa oppidum Pelusium nascitur lens optima. Virgilius 1. Georgic.

Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis.

& Plinius lib. 18. cap. 12. De alica & faba supra dictum.

Simila ex tritico. X.

NEC poteris similæ dotes numerare, nec usus,
Pistori toties cum sit & apta coco.

Nec valebis referre dotes similæ, nec usus, cum tot modis pistor & cocus utantur illa.

Simila.] Quæ est flos farinæ.
Dotes.] Hoc est, varios usus.

Pistori toties.] Cum variis & placentarum & cibariorum generibus condiendis inserviat.

Hordeum. XI.

MULIO quod non det tacituris accipe mulis.
Hæc ego cauponi, non tibi dona dedi.

Sume quod non donet mulio mulis tacituris, ego largitus sum hæc munera cauponi, non tibi.

Mulio.] Hoc distichum sic explicat Turnebus lib. 25. cap. 28. Hordeum accipe, quo quadrupedes sæpe defraudat mulio: quanquam cum hordeum pecudum pabulo potius serviat quam hominum: dedi quod tu potius cauponi vendes, quam comedes: nam cauponibus eo est opus ad jumentorum pastus.

Tati-

Tacituris.] Hoc est non dicturis, quod defraudati sint hordeo.

Quod non det.] Alii *quod non des.* De hordeo fuse Plinius lib. 18. cap. 7. & alibi passim.

Frumentum triticeum. XII.

TERCENTUM Libyci modios de messe coloni
Sume, suburbanus ne moriatur ager.

Accipe trecentos modios ex messe coloni Libyci, ne ager suburbanus sterilescat.

Tercentum Libyci.] Cuidam amico mittit frumentum Libycum, ne frequenti satione, seu continua cultura ager ejus sterilis fiat. De generibus tritici lege Plinium lib. 18. cap. 7.

Betæ. XIII.

UT sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quam sepe petet vina, piperque cocus!

O quam sape cocus poscet vina, & piper, ut beta insipida prandia fabrorum sapiant.

Ut sapiant.] Insipidæ quippe sunt betæ, nisi bene condiantur.

Fabrorum prandia,] Hoc est, cibus hominum plebeiorum.

Lactuca. XIV.

CLAUDERE quæ cœnas lactuca solebat avorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

Dic mihi, cur lactuca sit initium nostrarum epularum, qua solebat esse finis cœna avorum.

Dic mihi.] Caussam attulit ipse epig. 53. lib. 11.

Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo.

In fine vero cœnæ lactucam apponebant veteres, quoniam insita frigiditate ebrietatem retundit.

Ligna acapna. XV.

SI vicina tibi Nomento rura coluntur,
Ad villam moneo, rustice, ligna feras.

O rustice, si colas agros juxta Nomentum, moneo ut portes ligna ad villam.

Ligna acapna.] Hoc est, quæ incensa non fumant. Nomentum autem oppidum erat Latinorum, ad decimum ab urbe lapidem situm, ubi multæ paludes, unde illic ligna non erant sicca, proindeque non igni, sed fumo excitando idonea, atque ita terenda illuc ligna acapna monet Poëta, quæ scilicet fumum non exhalent.

Rapa. XVI.

HÆc tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quæ damus, in cœlo Romulus esse solet.

Romulus in cœli solet comedere hæc rapa, quæ tibi donamus gaudentia hiemali frigore.

Gaudentia frigore.] quo nempe dulciora fiunt, & majora. Plinius lib. 18. c. 13.
In cælo Romulus.] Turnebus lib. 18. cap. 13. Credidisse videntur prisci non tantum nectare & ambrosia deos pasci: verum etiam vilibus quibusdam cibis, ut Romulum rapis. Credo de paupertate illius seculi, quo Romulus vixerat, proinde quasi in cœlo iisdem cibis victitet, quibus in terra alebatur.

Coliculi. XVII.

NE tibi pallentes moveant fastidia caules,
Nitrata viridis brassica fiat aqua.

Ne caules pallidi tibi afferant nauseam, brassica viridis efficiatur aqua nitrata.

Nitrata.] De nitro fuse tractat Plinius lib. 31. cap. 10.

Porri sectivi. XVIII.

FILA Tarentini graviter redolentia porri
Edisti quoties, oscula clausa dato.

Quoties manducasti fila porri Tarentini graviter redolentia, osculare ore clauso.

Fila.] Porrum sectivum intellige, qui optimus Tarenti nascitur, & crescit in multa stamina veluti fila; eo autem comesto male olet os; unde dicit Poëta, non esse aperiendum ad danda oscula. Vide Plinium lib. 19. cap. 6.

Porri capitati. XIX.

MITTIT præcipuos nemoralis Aricia porros:
In niveo virides stipite cerne comas.

Nemoralis Aricia producit porros præstantes: vide comas virides in candido stipite.

Aricia.] Latii civitas, in qua porrus capitatus optimus, ut Tarenti sectivus nascebatur. Dicitur *nemoralis* a nemore vicino.
Virides comas.] Caput porri viride intellige, cujus stipes albus est ubi maturuit. Vide Columellam lib. 11. de re rustica cap. 3.

Napi.

Napi. XX.

HOs Amiternus ager felicibus educat hortis:
Nursinas poteris parcius esse pilas.

Ager Amiternus alit hos fecundis hortis, licebit parcius comedere pilas Nursinas.

Napi.] Qui parum differunt a rapis. Colum. lib. 2. cap. 10. Amiternum est Italiæ civitas. *Hos*, alii *nos*.
Nursinas pilas.] Rapa rotunda interpretare: Nursia vero civitas est Sabinorum hodie *Norza*.
Parcius esse.] Vel quod Nursinæ illæ pilæ napis Amiternis cariores sint, vel injucundiores.

Asparagi. XXI.

MOLLIS in æquorea quæ crevit spina Ravenna,
Non erit incultis gratior asparagis.

Mollis spina quæ nata est in maritima Ravenna, non erit jucundior asparagis silvestribus.

Ravenna.] De qua epig. 55. lib. 3.
Mollis spina.] Plinius lib. 21. cap. 15. *in totum spina est asparagus.* Sensus est epigrammatis: Asparagi silvestres & inculti non cedunt Ravennatibus asparagis cultis & satis, de quibus Plinius lib. 19. cap. 4. & cap. 8. *Nullum gratius his solum, quam Ravennatium hortorum. Trium librarum asparagum Ravenna aliquando produxit.*

Uva duracina. XXII.

NON habilis cyathis, & inutilis uva Lyæo:
Sed non potanti me, tibi nectar ero.

Sum uva non idonea poculis, & inutilis Baccho: sed nectar ero tibi non bibenti me.

Uva duracina.] Plinius lib. 14. cap. 1. *Uva non alibi gratior callo, ut, inde possit invenisse nomen duracini.* Legunt alii *duracina.* Columella lib. 3. de re rustica cap. 1. appellat uvas duri acini: acinus autem vel acinum est granum.
Non habilis.] quia ex ea vinum exprimi nequit.
Non potanti.] Sed comedenti nectar ero.

Chia ficus. XXIII.

CHIA seni similis Baccho, quam Setia misit:
Ipsa merum secum portat, & ipsa salem.

Chia similis vino veteri, quam produxit Setia, ipsa secum fert merum, & salem.

Chia.] Chios est insula Ægei maris; unde translata ficus produxit fructus Setiæ in oppido Campaniæ hodie *Sexza*. Fuit alia Setia urbs Cretæ, ex qua allatam hanc ficum vix crediderim.
Ipsa merum.] Hoc est, sapit merum & salem. Vide epig. 24. lib. 7.

Cydonia. XXIV.

SI tibi Cecropio saturata cydonia melle
Ponentur: dicas hæc melimela licet.

Si cotonea imbuta melle Attico apponentur tibi, potes hæc appellare melimela.

Saturata.] Hoc est, melle incocta, ut docet Plinius lib. 15. cap. 17. Dicta sunt cydonia a Cydone urbe Cretæ.

Melimela.] Quasi μέλι καὶ μῆλον, hoc est mel & pomum, ut si dicas mellitum pomum.

Nuces pineæ. XXV.

POMA sumus Cybeles: procul hinc discede viator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Poma sumus sacra Cybele: o viator, longe hinc abi, ne nostra ruina labatur in caput infelix.

Cybeles.] Cui nempe sacra erant propter Atyn ab ea adamatum, & in pinum conversum. De nucibus pineis Plinius lib. 15. cap. 10.

Ne cadat.] Hoc est, ne cadamus in tuum caput. Alii *nec*.

Sorba. XXVI.

SORBA sumus molles nimium durantia ventres:
Aptius hæc puero, quam tibi poma dabis.

Sumus sorba astringentia alvum nimis lubricam: donabis hæc poma convenientius puero, quam tibi.

Sorba.] Gallice *des cormes.*
Aptius hæc puero.] Sæpe enim alvi profluvio laborant pueri.

Spathalion caryotarum. XXVII.

AUREA porrigitur Jani caryota Kalendis:
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

Aurea caryota donatur calendis Januariis: nihilominus hoc solet esse donum inopis.

Spathalion.] σπάθη præter alias suas significationes significat palmam, & ramum palmæ. Spathalion diminutivum est ex quo pendent caryotæ seu fructus palmarum, Gallice *des dattes*, quales aurea crusta illitas divitibus mittebant pauperes calendis Januariis. Lege Plin. lib. 13. cap. 4. & epig. 33. lib. 8.

Coctana. XXVIII.

HÆc tibi quæ torta venerunt condita meta,
Si majora forent coctana, ficus erat.

Hæc coctana, quæ ad te missa sunt posita in meta torta, si grandiora essent, ficus erat.

Hæc tibi.] Plinius lib. 13. cap. 3. In ficorum genere autem caricas, & minores ejus generis, quæ cottana vocant. Scribunt alii *cottana*, epig. 89. lib. 4.

Torta meta.] Hoc est, e tortis juncis texta sporta, vel testa turbinata in metæ for-

formam, ut epig. 44. lib. 1. quam lib. 5. epig. 18. dixit acutam testam. Ita Farnabius. Legunt alii *torta mentha*, hoc est, inquit Domitius, coctana coronata mentha torta ut recentia fervarentur. Videat lector. Aliud lemma ponit Scriverius, nempe *vas coctanorum*.

Pruna Damascena. XXIX.

PRUNA peregrinæ carie rugosa senectæ
Sume: solent duri solvere ventris onus.

Accipe pruna rugosa carie peregrinæ senecta, solent laxare onus alvi astricta.

Peregrina.] Nempe pruna allata ex Syria, cujus Damascus est civitas. Vide epig. 18. lib. 5. Inscribunt alii *vas Damascenorum*, alii *Damascenarum*.

Caseus Lunensis. XXX.

CASEUS Etruscæ signatus imagine Lunæ,
Præstabit pueris prandia mille tuis.

Caseus notatus imagine Lunæ Etrusca, suppeditabit mille prandia tuis pueris.

Imagine.] Etruriam inter & Liguriam *Lunæ portus*, hodie *Porto Venere*, Oppidum maritimum erat, unde Romam mittebantur casei tanti ponderis, ut unus multis prandiis sufficeret. Vide Plinium lib. 11 cap. 42.

Caseus Vestinus. XXXI.

SI sine carne voles jentacula sumere frugi:
Hæc tibi Vestino de grege massa venit.

Si cupies jentare frugaliter sine carne, hæc massa ad te mittitur de grege Vestino.

Hæc massa.] Hoc est, hic caseus, nempe lacte in massam coagulato, de quo Plinius lib. 11. cap. 42. Vestini vero Italiæ sunt populi ad mare superum, circa Matrinum fluvium. Alii sunt in Campania ad inferum mare.

Caseus Velabrensis. XXXII.

NON quemcumque focum, nec fumum caseus omnem,
Sed Velabrensem qui bibit, ipse sapit.

Ille caseus sapit non qui hausit quemcumque focum, nec omnem fumum, sed Velabrensem.

Caseus Velabrensis.] Alii *fumosus*.
Sed Velabrensem.] Velabrum locus erat Romæ ubi caseos infumabant Romani cunctis præferendos, ut ait Plinius lib. 11. cap. 42.

Casei Trebulani. XXXIII.

TREBULA nos genuit, commendat gratia duplex,
Sive levi flamma, sive domamur aqua.

Pressi sumus Trebulis, laudamur ob duplicem usum, sive paramur levi flamma, sive aqua.

Trebula.] De qua epig. 72. lib. 5. unde casei Romam afferebantur qui grati erant saporis sive tosti, sive aqua macerati.

Bulbi. XXXIV.

CUM sit anus conjux, & sint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quam satur esse potes.

Cum habeas uxorem vetulam; & membra languida, non debes saturari nisi bulbis.

Bulbis.] Romani bulbum vocant allium agreste, alii marinum. Genus est cepæ non absimile ascaloniæ. Venerem maxime excitat.

Lucanica. XXXV.

FILIA Picenæ venio Lucanica porcæ;
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

Lucanica mittor nata porcæ Picena, hinc datur grata corona pultibus niveis.

Lucanica.] Facta scilicet ex carnibus concisis porcæ natæ in agro Picentino, epig. 46. lib. 4.

Pultibus.] Hoc est, ora patinæ coronatur pultibus niveis de quibus epig. 79. lib. 5.

Olivæ. XXXVI.

HÆC quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit oliva dapes.

Hæc oliva quæ affertur subtracta pralis Picenis, incipit, atque eadem terminat epulas.

Olivæ.] Alii *cistella olivarum.*
Subducta.] hoc est, oliva integra ex qua scilicet oleum non est expressum. Epig. 44. lib. 1.

Nec de Picenis venit oliva cadis.
Inchoat.] ut cibi appetentiam incitet.
Finit.] Ut fastidium arceat.

Mala citrea. XXXVII.

AUT Corcyræi sunt hæc de frondibus horti,
Aut hæc Massyli poma draconis erant.

Aut hæc poma sunt ex frondibus horti Corcyræi, aut hæc erant Massyli draconis.

Aut Corcyræi.] Hæc poma, inquit, sunt decerpta aut ex Alcinoi aut ex Hesperidum horto. Vide epig. 94. lib. 10. & epig. 64. lib. 4.

Colostrum. XXXVIII.

SURRIPUIT pastor quæ nondum stantibus hœdis,
De primo matrum lacte colostra damus.

Donamus colostra, quæ subduxit pastor ex primo lacte matrum, nondum lactentibus hœdis.

Colostrum.] Vocatur prima a partu spongiosa densitas lactis, quæ maxime prodest stomacho.

Nondum stantibus.] Hoc est, antequam capræ uberibus ora admovissent hœdi.

Hœdi.

Hœdi. XXXIX.

LASCIVUM pecus, & viridi non utile Baccho,
Dat pœnas: nocuit jam tener ille deo.

Lascivum pecus, & non utile viti virenti pendit pœnas: ille tener jam læsit Bacchum.

Lascivum pecus.] Hœdus qui victima est Baccho sacra, quod soleat corrodere vites.
Dat pœnas.] Alii *det*, hoc est mactetur.

Ova. XL.

CANDIDA si croceos circumfluit unda vitellos,
Hesperius scombri temperet ova liquor.

Si aqua alba circumfluit vitellos flavos, Hesperius liquor scombri temperet ova.

Candida.] Ova recentia undam albam, seu liquorem lacteum habent, quem cum scombrorum garo commiscendum esse docet Poëta. Dicitur *Hesperius liquor*, hoc est Hispanus, quia ex Hispania Romæ mittebantur scombri de quibus supra. De garo infra epig. 102.

Porcellus lactens. XLI.

LACTE mero pastum pigræ mihi matris alumnum
Ponat, & Ætolo de sue dives edat.

Dives apponat mihi alumnum pigræ matris nutritum solo lacte, & ipse manducet de sue Ætolo.

Lacte.] Hoc est, porcellus lactens plus mihi sapit quam aper. De apro Ætolo epig. 15. lib. Spect.

Apyrina & tuberes. XLII.

NON tibi de Libycis tuberes, & apyrina ramis,
De Nomentanis sed damus arboribus.

Tibi donamus Tuberes & Apyrina non de ramis Libyæ, sed ex arboribus Nomenti.

Tuberes.] Poma quæ in Africa nascuntur optima, Plinius lib. 15. cap. 14. Tubera vero sunt genus fungorum. De Apyrinis, quæ sic dicuntur ab α privativo, & πυρὴν nucleus, id est sine nucleo. Plinius lib. 13. cap. 19. Punica mala intellige. De villa sua Nomentana egit Poëta epig. 106. lib. 1.

Idem. XLIII.

LECTA suburbanis mittuntur apyrina ramis,
Et vernæ tuberes. quid tibi cum Libycis?

Apyrina decerpta ex ramis suburbanis, & vernæ tuberes mittuntur: quid quæris Libycos?

Vernæ

Verna tuberes.] Hoc est nati domi, qui cum sint optimi, quid petis peregrinos tuberes? Quorum meminit Suetonius in Domitiano cap. 16.

Sumen. XLIV.

Esse putes nondum sumen: sic ubere largo
Effluit, & vivo lacte papilla tumet.

Credas nondum esse sumen: sic papilla effluit ubere copioso, & turget vivo lacte.

Sumen.] Farcimen nempe quod fiebat ex mammis suillis post primum partum resectis, antequam illis os admovisset fœtus: tanta autem lactis copia redundabant papillæ in illo sumine, ut sui adhærere adhuc viderentur.

Pulli gallinacei. XLV.

Si Libycæ nobis volucres, & Phasides essent,
Acciperes: at nunc accipe cortis aves.

Si haberem Numidicas gallinas, & phasianos, mitterem: at nunc accipe aves domesticas.

Si Libycæ.] Vide epig. 57. lib. 3.

Persica, Nucipersica. XLVI.

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis:
Nunc in adoptivis Persica cara sumus.

Vilia præcocia fueramus in ramis maternis, nunc sumus cara Persica in adoptivis.

Persica.] nempe ex Perside allata, Gallice *pesches*, *nucipersica* vero dicuntur, quod a nucleo difficulter solvantur.

Vilia.] An quia in nativa stirpe vilia, pruno insita sunt nobilia? an quia in sua Perside noxia & venenosa? Sed translata fiunt dulcia, ex Columellæ opinione. Ita Farnabius.

Panes Picentini. XLVII.

Picentina Ceres niveo sic nectare crescit,
Ut levis accepta spongia turget aqua.

Picentina Ceres sic turget nectare, ut levis spongia tumescit aqua accepta.

Ceres.] Hoc est, panem Picentinum aridum ex alicæ materia factum intellige, quem non nisi lacte madefactum comedi posse dicit Plinius lib. 18. cap. 11.

Boleti. XLVIII.

ARGENTUM, atque aurum facile est, lænamque togamque
Mittere: boletos mittere difficile est.

Facile est mittere argentum atque aurum, & lænam, & togam: difficile est mittere boletos.

Lænamque togamque.] Epig. 36. lib. 12.

Boletos.] Genus fungi delicatissimi intellige.

Ficedula. XLIX.

CUM me ficus alat, cum pascar dulcibus uvis,
Cur potius nomen non dedit uva mihi?

Cum ficus nutriat me, cum pascar dulcibus uvis; cur non potius desumo nomen ab uva

Cur potius.] Non dicor uvedula quam ficedula?

Tubera. L.

RUMPIMUS altricem tenero de vertice terram
Tubera: boletis poma secunda sumus.

Nos tubera frangimus terram nutricem tenero vertice: sumus poma secunda a boletis.

Rumpimus altricem.] Teste Dioscoride, *Tubera rotunda radices sunt sine caule, sine foliis flavescentes, vere effodiuntur, cruda & cocta eduntur.* Et Plin. cap. 2. lib. 19. *Nec utique exuberante loco, in quo gignuntur, aut rimas urgente, nec ipsa terra cohærent.*

Tenero de vertice.] Foris quippe prodeunt tubera, ubi terra mollior est. Vocat poma improprie. Juven. sat. 5. vers. 116. ait tubera fieri tonitribus.

Turdorum corona. LI.

TEXTA rosis fortasse tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet.

Texta ex rosis, & pretioso nardo forte tibi, at mihi grata est corona composita ex turdis.

Turdorum corona.] *Decuria* legitur in veteribus codicibus, ut ait Turnebus lib. 25. cap. 28. Intellige coronam textam turdis, nempe e vimine undique pendentibus.

Texta rosis.] Qua coronabantur veteres in lautis conviviis. Plin. lib. 21. cap. 3.

Corona.] De qua epig. 47. lib. 3.

Anas. LII.

TOTA quidem ponatur anas: sed pectore tantum,
Et cervice sapit: cætera redde coco.

Tota quidem anas apponatur; sed sapit tantum pectore, & cervice: restitue coco reliqua.

Sed pectore.] Pectus enim & cervix gratioris sunt saporis.

Turtur. LIII.

DUm pinguis mihi turtur erit: lactuca valebis,
Et cochleas tibi habe. perdere nolo famem.

Dum habebo pinguem turturem, ô lactuca valebis, & tu serva cochleas: nolo amittere esuriem.

Et cochleas.] Hoc est, nolo cochleas, quæ sunt species conchyliorum: hoc est, dum habebo cibos delicatiores, a vilioribus me abstinebo.

Perdere nolo famem.] Hoc est, nolo consumere famem in comedendis lactucis & cochleis, quæ ad irritandam gulam dabantur, cum turturem habeam.

Perna. LIV.

CERRETANA mihi fies, vel massa licebit
De Menapis: lauti de petasone vorent.

Faciam massam ex Cerretanis, vel etiam ex Menapis: delicatiores edant de petasone.

Cerretana massa.] Dicitur a Poëta perna allata ex Cerretanis Hispaniæ populis ad montes Pyrenæos. Athenæus lib. 14. *Convalles montium*, inquit, *tenent Cerretani maxima Hispanorum natio, apud quos excellentes pernæ conficiuntur, quæ vel cum Cantabricis de principatu contendunt.* Turnebus lib. 16. cap. 18. de hoc epigrammate & sequenti: Ego putem, inquit, petasonis partem pernam vocari. Vel Athenæo auctore, cujus hæc verba sunt lib. 14. ἐκεῖ δὲ πτισσομένων μηρῶν ἱκανῶς κεῖται ἐν πέρναι καλλῶσι. Scribunt alii Cæretana a Cære oppido Hetruriæ: quod minus placet. *Massa*, alii *missa*.

De Menapis.] qui Mosam fluvium incolebant. Hodie vocantur Geldrenses, Juliacenses, ubi pernæ multum etiam nunc laudantur.

Petaso. LV.

MUSTEUS est: propera, caros nec differ amicos.
Nam mihi cum vetulo sit petasone nihil.

Recens est: festina, ne moreris caros amicos: nam siccus petaso mihi non apponatur.

Musteus.] Recens est & plenus succi: nam, inquit Poëta, non amo vetulum & durum petasonem.

Vulva. LVI.

TE fortasse magis capiet de virgine porca:
Me materna gravi de sue vulva capit.

Forte tu magis delectaris vulva virginis porcæ, ego delector materna suis gravidæ

Vulva.] Vide Plinium lib. 11. cap. 37. & supra epig. 44.

Colo-

Colocasia. LVII.

NILIACUM ridebis olus, lanasque sequaces,
Improba cum morsu fila, manuque trahes.

Deridebis caulem Ægyptium, & lanas sequaces, cum morsu, & manu duces fila mala.

Niliacum.] Plinius lib. 21. cap. 15. *In Ægypto nobilissima est colocasia, quam cyamon vocant aliqui. Hanc a Nilo metunt, caule, cum coctus est, araneoso in mandendo, &c.*

Fila trahes.] Epig. 33. lib. 8.
Lenta minus gracili crescunt colocasia filo.
Hinc constat *colocasia* esse fœminini generis & neutrius.

Jecur anseris. LVIII.

ADSPICE quam tumeat magno jecur ansere majus,
Miratus dices, hoc rogo crevit ubi?

Vide quam turgeat jecur majus magno ansere: attonitus dices, Hoc, ubi crevit, quæso?

Jecur majus.] Fartum scilicet mulso, lacte, ficu & carica. Sic Farnabius. Horatius serm. 2. sat. 8.
Pinguibus & ficis pastum jecur anseris albi.
Juven. sat. 5.
Anseris ante ipsum magni, jecur anseribus par.

Glires. LIX.

TOTA mihi dormitur hiems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Dormio tota hieme, & pinguior sum illo tempore, quo nutrior solo somno.

Glires.] De quibus fuse Plinius lib. 8. cap. 52. & lib. 29. cap. ultimo.

Cuniculus. LX.

GAUDET in effossis habitare cuniculus antris:
Monstravit tacitas hostibus ille vias.

Cuniculus amat habitare in speluncis effossis: ille ostendit hostibus tacitum iter.

Monstravit.] *Aliud genus oppugnationis est subterraneum, atque secretum, quod cuniculum vocant: a leporibus, qui cavernas sub terris fodiunt, ibique condantur.* Vegetius lib. 4. cap. 24.

Atagenæ. LXI.

INTER sapores fertur alitum primus
Ionicarum gustus atagenarum.

Gustus Ionicarum Atagenarum dicitur primas tenere inter sapores avium.

Atagena.] Aves nempe sunt gustui gratissimæ, Ionicæ dicuntur, quod maxime in Ionia nascantur. Vide Plinium lib. 10. cap. 49.

Gallina altilis. LXII.

PASCITUR & dulci facilis gallina farina,
Pascitur & tenebris. ingeniosa gula est.

Gallina facilis alitur & dulci farina, alitur & obscuritate: gula est ingeniosa.

Gallina altilis.] Ea dicitur quæ domi saginatur farina quidem & tenebris, *quod motus earum & lux pinguedini inimica.* Varro lib. 3. cap. 9.

Ingeniosa gula est.] Plinius lib. 10. cap. 50. *Invenit mille artes viasque deliciarum luxus, & gula.*

Capo. LXIII.

NE nimis exhausto macresceret inguine gallus,
Amisit testes: nunc mihi Gallus erit.

Ne gallus macer fieret enervatus coitu, castratus fuit; nunc illum existimabo Gallum.

Ne nimis.] Gallus gallinaceus facilius saginatur, postquam castratus est.
Gallus erit.] Hoc est, castratus erit, instar sacerdotum Cybeles, qui Galli dicebantur exsectis virilibus.

Idem. LXIV.

SUCCUMBIT sterili frustra gallina marito:
Hanc matris Cybeles esse decebat avem.

Incassum gallina subjacet marito sterili: conveniebat illam esse volucrem matris Cybeles.

Avem.] Cum maritum haberet Gallum seu castratum.

Perdix. LXV.

PONITUR Ausoniis avis hæc rarissima mensis:
Hanc in lautorum mandere sæpe soles.

Hæc avis rarissima apponitur mensis Italis: frequenter consuevisti hanc comedere in mensis divitum.

Rarissima.] Hoc est pretiosissima.
Hanc in lautorum.] Perdix enim magni est pretii.

Columbini. LXVI.

NE violes teneras præduro dente columbas,
Tradita si Cnidiæ sunt tibi sacra deæ.

Ne violes columbas teneras praduro dente, si tu doctus es sacra dea Cnidia.

Columbas.] Quæ nempe sacræ sunt Veneri Cnidiæ deæ: Cnidos enim insula non longe a Caria maxime coluit Venerem.

Pa-

Palumbus torquatus. LXVII.

INGUINA torquati tardant, hebetantque palumbi:
Non edat hanc volucrem, qui cupit esse salax.

Palumbi torquati morantur, & retundunt Venerem: qui vult esse libidinosus, non manducet hanc avem.

Torquati.] Sic dicti a signo torquis, quod collo gestant.

Galbula. LXVIII.

GALBULA decipitur calamis, & retibus ales,
Turget adhuc viridi cum rudis uva mero.

Galbula avis circumvenitur calamis, & laqueis, cum uva rudis adhuc tumet viridi mero.

Galbula.] Quam alio nomine vocat Plinius lib. 30. cap. 11. *Avis icterus vocatur a colore*, flavo scilicet, *qua si spectetur, sanari id malum tradunt, & avem mori. Hanc puto Latine vocari Galgulum.* Alii tamen affirmant sanari eos qui comedunt hanc avem, non qui vident.

Calamis.] Viscatis nimirum.

Viridi mero.] Hoc est, cum uvæ sunt adhuc immaturæ.

Cattæ. LXIX.

PANNONICAS nobis nunquam dedit Umbria cattas:
Mavult hæc domino mittere dona Pudens.

Nunquam Umbria nobis donavit Pannonicas cattas: Pudens mavult mittere domino hæc munera.

Cattæ.] Avis quoddam genus est, ut putant interpretes. Alii mustelas sylvestres esse opinantur. Cattas e Pannonia missas Pudenti habitanti in Umbria, ut diximus epig. 96. lib. 7. Romam misit domino, quem alii Domitianum, alii divitem quendam patronum intelligunt.

Pavo. LXX.

MIRARIS quoties gemmantes explicat alas,
Et potes hunc sævo tradere dure coco?

Stupes quoties aperit gemmantes alas, & potes, ô inhumane, tradere hunc coco crudeli?

Et potes.] Sensus est: Cum tam pulchra spectacula edat pavo explicatis alis, coco sævo tradi non deberet laniandus: sed gula nec elegantiæ nec venustati parcit.

Phœnicopterus. LXXI.

DAT mihi penna rubens nomen, sed lingua gulosis
Nostra sapit. quid si garrula lingua foret?

Nomen mihi imponitur a penna rubra: sed nostra lingua sapit helluonibus: quid si lingua esset loquax?

Dat mihi.] De Phœnicoptero egimus epig. 57. lib. 3. cujus lingua optimi est saporis.

Quid si garrula.] Cum tacita tam grata sit. Forte alludit Poëta ad patinam Clodii Æsopi tragici histrionis refertam linguis avium canorarum. Plinius lib. 10. cap. 51.

Phasianus. LXXII.

ARGIVA primum sum transportata carina,
Ante mihi notum nil, nisi Phasis, erat.

Primum sum translata nave Argiva: antea nihil cognoscebam nisi Phasim.

Argiva carina.] Qua nempe vecti sunt Argonautæ, de quibus jam dictum.

Phasis.] Colchorum fluvius, unde dicti & allati sunt phasiani. Vide epig. 57. l. 3.

Numidicæ. LXXIII.

ANSERE Romano quamvis satur Hannibal esset,
Ipse suas nunquam barbarus edit aves.

Licet Hannibal esset expletus ansere Romano, nunquam ipse barbarus comedit suas aves.

Satur Hannibal.] Dum bellum gessit in Italia pastus est anseribus, & abstinuit se gallinis Numidicis, licet delicatioribus, quia tunc illæ nondum mensis apponebantur, ut aiunt interpretes. De Numidicis dictum epig. 57. lib. 3. Vel potius intellige Numidicas displicuisse Hannibali.

Anser. LXXIV.

HÆC servavit avis Tarpeii templa tonantis,
Miraris? nondum fecerat illa deus.

Hæc avis custodivit ædes Jovis Tarpeii: miraris ne? nondum extructæ fuerant a Numine.

Templa.] Quæ a Gallis obsidentibus expugnata fuissent, nisi anseris clangoribus excitati fuissent vigiles. Livius lib. 5.

Nondum fecerat illa.] Domitianus qui incensum Capitolium restituit, quod jam alio custode quam Domitiani numine non indiget.

Grues. LXXV.

TURBABIS versus, nec litera tota volabit,
Unam perdideris si Palamedis avem.

Turbabis ordines, nec litera integra volabit, si amiseris unam avem Palamedis.

Nec li era tota.] Alii intelligunt Υ, alii vero Δ: quæ sententia videtur melior. Cicero 2. de natura deorum sic ait: *Illud vero ab Aristotele animadversum, a quo pleraque quis potest non mirari? Grues, cum loca calidiora petentes, maria transmittant, triangali formam efficere. Ejus a summo angulo aer ab iis adversus pellitur: deinde sensim ab utroque latere, tanquam remis, ita pennis cursus avium levatur. Basis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tanquam a puppi ventis adjuvatur,* &c. His verbis Δ Græcum plane exprimitur. Grues vero Palamedis aves esse dicuntur: ex earum enim volatu quasdam literas didicerat, atque illas homines docuerat Palamedes. Lege Plinium lib. 7. cap. 56. Vide etiam epig. 14. lib. 9.

Rusti-

Rusticula. LXXVI.

RUSTICA sum perdix. quid refert, si sapor idem est?
Carior est perdix: sic sapit illa magis.

Sum perdix rustica: quid interest, si est idem sapor? Perdix carior est: idcirco illa magis sapit.

Rustica sum.] Rusticam autem dictam putem ad contentionem alterius perdicis, quæ elegantior est. Raderus. Legunt alii, *Rustica sim, an perdix.*

Sic sapit illa magis.] Hoc est, nimis sapiunt quæ pluris emuntur. Sic Petronius, *Quicquid quaritis optimum videtur*, & Horatius sat. 2. lib. ser. 2. *Sic*, alii *nec.*

Cycnus. LXXVII.

DULCIA defecta modulatur carmina lingua
Cantator cycnus funeris ipse sui.

Cycnus ipse cantator sua mortis canit suaves versus lingua moriente.

Defecta lingua.] Hoc est, fere destituta vitali motu.

Cantator.] Affirmant multi cycnum morti vicinum canere: quod negat Plinius lib. 10. cap. 22. *Olorum morte narratur flebilis cantus falso, ut arbitror, aliquot experimentis.*

Porphyriones. LXXVIII.

NOMEN habet magni volucris tam parva gigantis,
Et nomen Prasini Porphyrionis habet.

Tam exigua avis habet nomen magni gigantis, & habet nomen Prasini Porphyrionis.

Porphyriones.] Aves scilicet quibus rostra & prælonga crura rubent, Plinius cap. 46. lib. 10.

Magni gigantis.] Qui dictus est Porphyrion. Horatius lib. 3. ode 4.

Sed quid Typhaus & validus Mimas
Aut quid minaci Porphyrion statu? &c.

Prasini Porphyrionis.] Alii *purpureonis*, quod idem est, qui nempe fuit auriga Neronis factionis Prasinæ seu viridis. Vide epig. 48. lib. 10. Sensus est: hanc avem licet exiguam habere nomen commune cum magno gigante, & licet rubram habere nomen aurigæ factionis viridis.

Mullus. LXXIX.

SPIRAT in advecto, sed jam piger æquore mullus
Languescit: vivum da mare, fortis erit.

Mullus spirat in unda importata, sed jam iners flaccescit: da mare vivum, erit fortis.

Spirat in advecto.] De mullo sæpius jam dictum, qui captus languescit, licet in aqua marina feratur.

Muræna. LXXX.

QUÆ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non valet exustam mergere Sole cutem.

Muræna grandis quæ natat in mari Siculo, nequit mergere cutem exustam Sole.

Non valet.] Summa enim aqua innatans Sole exuritur, nec amplius potest curvare se nec immergere.

Rhombus. LXXXI.

QUAMVIS lata gerat patella rhombum,
Rhombus latior est tamen patella.

Licet patella lata gestet rhombum, nihilominus rhombus latior est patella.

Rhombus.] Piscis scilicet de quo fuse agit Juven. sat. 4. Ravennæ optimum inveniri dicit Plinius cap. 54. lib. 9.

Ostrea. LXXXII.

EBRIA Baiano veni modo concha Lucrino:
Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

Paulo ante concha ebria veni ex Lucrino Baiano: nunc luxuriosa sitio garum nobile.

Ebria.] Hoc est, saturata & pasta in lacu Lucrino prope Baias. Macrobius lib. 3. cap. 15. *Sergius Orata primus optimum saporem ostreis Lucrinis adjudicavit.*

Nobile garum.] Quo nempe liquamine capta conditur ostrea. De garo infra epig. 102.

Squillæ. LXXXIII.

CÆRULEUS nos Liris amat, quem silva Maricæ
Protegit: hinc squillæ maxima turba sumus.

Diligimur a Liri cæruleo qui defenditur silva Maricæ: hinc squillæ sumus maxima turba.

Cæruleus Liris.] Fluvius scilicet Campaniæ qui Minturnas alluit. Horatius lib. 1. ode 31.

Non rura quæ Liris quieta
Mordet aqua, taciturnus amnis.

Ad illum fluvium est silva sacra Maricæ nymphæ, illius fluvii accolæ, quæ regi Fauno nupsit. Vide Horatium lib. 3. ode 17.

Hinc squillæ.] Ex Liri fluvio pisciculi nimirum qui gregatim natant, unde *maxima turba* dicitur. Vide Plinium lib. 9. cap. 42. Alias *scilla*, sive *squilla*, herba bulbo insigni prædita.

Scarus. LXXXIV.

HIC Scarus, æquoreis qui venit obesus ab undis,
Visceribus bonus est: cetera vile sapit.

Hic scarus qui pinguis allatus est ab aquis maritimis habet intestina sapida, cetera vero insipida.

Æquo-

Æquoreis.] In piscinis servatus ingrati est saporis. Plinius cap. 17. lib. 9. *Nunc scaro datur principatus, qui solus piscium dicitur ruminare.*

Cetera.] Subaudi κατὰ Græcorum more.

Coracinus. LXXXV.

PRINCEPS Niliacis raperis, Coracine, macellis:
Pellææ prior est gloria nulla gulæ.

O Coracine princeps Niliaci macelli raperis, nullius hominis potior est gula Pellæa.

Niliaci macelli.] Alii *Niliacis macellis*: Hoc est, nullus piscis delicatior habetur Alexandriæ, quæ est urbs Ægypti Pellæa dicta ab Alexandro conditore, qui ipse Pellæus nominatur a Pella urbe Macedoniæ ubi natus est. Plinius lib. 32. *Coracini pisces Nilo quidem peculiares sunt: sed nos hæc omnibus terris demonstramus.*

Nulla gloria.] Hoc est, nullius piscis laus tanta est ut gratior sit Alexandrinis.

Echinus. LXXXVI.

ISTE licet digitos testudine pungat acuta,
Cortice deposito mollis echinus erit.

Quamvis iste Echinus pungat digitos acuta testa, mollis erit deposito cortice.

Cortice deposito.] Hoc est, testa spinosa deposita.
Mollis.] Hoc est, cibus erit gratus.

Murices. LXXXVII.

SANGUINE de nostro tinctas, ingrate, lacernas
Induis, &, non est hoc satis, esca sumus.

O immemor, induis lacernas imbutas nostro sanguine, & hoc non sufficit: nos comedis.

Sanguine de nostro.] De murice dictum epig. 24. lib. 5.
Non nisi vel cocco madida vel murice tincta Veste nitet.

Esca sumus.] Hoc est, inter alia conchylia mensæ apponimur.

Gobius. LXXXVIII.

IN Venetis sint lauta licet convivia terris,
Principium cœnæ gobius esse solet.

Quamvis sint convivia opipara in terris Venetis, mos est incipere cœnam a gobio.

In Venetis.] Veneti sunt populi ad mare Adriaticum: in Britannia minore alii sunt populi dicti Veneti, hodie *Vennes.*

Gobius.] Pisciculus, qui in Venetorum lacunis frequens est ori gratissimus, de quo Galenus lib. 3. de alimentorum facultatibus.

Lupus. LXXXIX.

LANEUS Euganei lupus excipit ora Timavi,
Æquoreo dulces cum sale pastus aquas.

Laneus lupus excipit ora Timavi Euganei nutritus aquis dulcibus cum æquoreo sale.

Lupus.] Piscis scilicet de quo sic Plinius lib. 9. cap. 17. *Luporum laudatissimi, qui appellantur lanati a candore mollitiaque carnis.*

Euganei Timavi.] Fontis nempe de quo dictum epig. 25. lib. 4. qui in mare Adriaticum illabitur, ad cujus ostia sunt lupi pisces. De quibus Macrobius lib. 3. cap. 16.

Æquoreo.] Salsa enim & dulci aqua nutriti lupi erant gratissimi saporis.

Aurata. XC.

NON omnis laudem, pretiumque aurata meretur:
Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.

Non qualibet aurata digna est laude, & pretio, sed quæ pascetur sola concha Lucrina.

Aurata.] Macrobius lib. 3. cap. 15. *Sergius Orata cognominatus est, quod ei pisces, qui aurata vocantur, carissimi fuerint.* Plinius cap. 5. lib. 32. *Venenatum mel diximus ubi nasceretur: auxilio est piscis aurata in cibo.* Conchas Lucrinas optimi esse saporis diximus epig. 82. supra, quibus pastas auratas suavissimas affirmat Poëta. Dicitur aurata Græce χρύσοφρυς quod auri colorem referat ejus caput.

Acipensis. XCI.

AD Pallatinas acipensem mittite mensas:
Ambrosias ornent munera rara dapes.

Mittite acipensem ad mensas Palatii, dona infrequentia instruant epulas divinas.

Ad Pallatinas.] Hoc est, ad Cæsarum mensas.

Acipensem.] De quo Macrobius lib. 3. cap. 16. *Nec acipenser, quem maris prodigiosum nutriunt, illius seculi delicias evasit*, &c. Dicitur acipenser, & acipensis, quem aliqui eundem esse cum helope, quod his verbis negat Plinius lib. 32. cap. 11. *Helopem quoque dicit esse nostris incognitum undis: ex quo apparet falli eos qui eundem acipenserem existimaverunt*, &c.

Ambrosias.] Hoc est, divinas dapes Cæsarum quasi deorum.

Munera rara.] Plinius lib. 9. cap. 17. *Apud antiquos piscium nobilissimus habitus acipenser, unus omnium squamis ad os versis, contra aquam nando meat: nullo nunc in honore est: quod quidem miror, cum sit rarus inventu.*

Lepus. XCII.

INTER aves turdus, si quis me judice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Turdus inter volucres tenet principatum, lepus vero inter quadrupedes, si quis contendat me arbitro.

Si quis.] Alii,
—— *Si quid me judice certum est.*

Gloria.] Alii *mattya*, quæ vox significat cupedias, epig. 59. lib. 10.
—— *sed te mattya sola juvat.*

De turdis jam sæpius dictum: de lepore vero lib. 5. epig. 30.

Aper.

Aper. XCIII.

QUI Diomedæis metuendis setiger agris
Ætola cecidit cuspide, talis erat.

Similis erat, qui setiger timendus agris Diomedæis interfectus est telo Meleagri *Ætoli.*

Diomedæis.] Hoc est, Ætoliæ arvis quorum incola fuit Diomedes, de quo Homerus Iliad. ζ.

Ætola cuspide.] Meleagri de quo epig. 15. lib. Spect.

Damæ. XCIV.

DENTE timetur aper; defendunt cornua cervum:
Imbelles damæ quid nisi præda sumus?

Aper metuitur propter dentem, cornua tuentur cervum: ignava dama, quid sumus præter prædam?

Cornua cervum.] Alii *taurum.*
Imbelles damæ.] Quæ sola pedum velocitate se a canibus defendere possunt.

Oryx. XCV.

MATUTINARUM non ultima præda ferarum
Sævus oryx, constat qui mihi morte canum.

Canum morte emo feram orygem, non ultimam prædam ferarum matutinarum.

Matutinarum.] Seneca epist. 7. lib. 1. *Mane leonibus & ursis homines, meridie spectatoribus suis objiciebantur.* Diximus jam epig. 25. lib. 10. homines mane pugnavisse cum feris.

Sævus oryx.] Plinius lib. 2. cap. 40. *Orygem appellat Ægyptus feram, quam in exortu ejus* (caniculæ) *contra stare, & contueri tradit, ac velut adorare cum sternuerit.* Cap. 46. lib. 11. *Unicorne bisulcum oryx.* Vide Ælian. lib. 7 cap. 8.

Constat qui.] Alii *constat quot &c.* Hæc lectio non displicet. Sensus est: In venatione matutina quæ nempe dabatur in amphitheatro, oryx captus vel interfectus multos canes prius interfecit.

Cervus. XCVI.

HIC erat ille tuo domitus, Cyparisse, capistro.
An magis iste tuus, Silvia, cervus erat?

O Cyparisse, hic erat ille domitus tuo freno: An potius, ô Silvia, iste cervus erat tuus?

Cervus.] Similis illi quem domuerat Cyparissus de quo Ovidius lib. 10. Met.

Sed tamen ante alios Cea pulcherrime gentis
Gratus erat, Cyparisse, tibi: tu pabula cervum
Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undas, &c.

Vel similior illi quem caussam belli fuisse dicit Virgilius 7. Æneid.

Lalisio. XCVII.

CUM tener est onager, solaque lalisio matre
Pascitur: hoc infans. sed breve nomen habet.

Cum onager tener est, & lalisio nutritur solo lacte matris, sic infans vocatur sed brevi tempore.

Onager.] Silvestris asinus de quo Plinius lib. 8. cap. 44. *Onagro & asina genitus omnes antecellit. Onagri in Phrygia & Lycaonia præcipui. Pullis eorum ceu præstantibus sapore Africa gloriatur, quos lalisiones appellant.*

Sed breve nomen.] Statim atque Lalisio a lacte depellitur, vocatur onager.

Oleum Venafranum. XCVIII.

HOc tibi Campani sudavit bacca Venafri:
Unguentum, quoties sumis, & istud olet.

Hoc tibi expressum est ex bacca Venafri Campani: quoties accipis, & istud fragrat unguentum.

Hoc tibi.] De Venafro Campaniæ agro, ubi præstantissimæ sunt olivæ, egimus jam epig. 64. lib. 11. *Bacca*, h. e. oliva.
Sumis.] ad ungendum corpus.

Dorcas. XCIX.

DELICIUM parvo donabis dorcada nato:
Jactatis solet hanc mittere turba togis.

Dabis dorcada delectamentum parvo filio, populus consuevit hanc mittere jactatis togis.

Delicium.] A pueris enim tractari se patiuntur dorcades.
Jactatis.] Turnebus lib. 20. cap. 28. sic explicat: Suspicor hujus distichi sententiam esse, dorcada in arenam mitti, dato a Quiritibus signo vestis jactatæ sinu, ut & ab Ovidio lib. 3. Amorum elegia 2. scribitur:
Favimus ignavo: sed eum revocate Quirites:
Et date jactatu undique signa togis.

Caprea. C.

PENDENTEM summa capream de rupe videbis,
Casuram speres: decipit illa canes.

Spectabis capream suspensam ex cacumine saxi: speres casuram, illa fallit canes.

Decipit illa canes.] Qui illam casuram sperant. Alii *despicit.*

Onager. CI.

PULCHER adest onager: mitti venatio debet
Dentis Erythræi: jam removete sinus.

Formosus onager adest: relinquenda est venatio elephanti Erythræi; jam auferte retia.

Onager.] De quo supra epig. 97.
Mitti] Quia scilicet pulchrius est onagrorum pugnantium quam elephantorum spectaculum. Alii sic intelligunt immittendos

dos in arenam elephantos cum onagris pugnaturos. Videat lector.

Dentis Erythraei.] Hoc est elephantorum, qui sunt ad mare Erythraeum seu rubrum.

Legunt alii *gentis Erythraea*: quod in eundem sensum recidit.

Removeli sinus.] Hoc est retia quibus non eras opus ad venationem onagrorum.

Garum scombrorum. CII.

EXSPIRANTIS adhuc scombri de sanguine primo,
Accipe faecosum munera cara garum.

Accipe faecosum garum dona pretiosa ex primo sanguine scombri palpitantis adhuc.

Garum scombrorum.] Plinius lib. 31. cap. 7. & 8. Aliud etiamnum liquoris exquisiti genus, quod garon vocavere, intestinis piscium, caeterisque quae abjicienda essent sale maceratis, ut sit illa putrescentium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce, quem Graeci garon vocabant. Nunc e scombro pisce laudatissimum in Carthaginis spartariae cetariis: sociorum id appellatur. Singulis millibus nummûm permutantibus congios pene binos, &c. Alii legunt *garum sociorum*, & forte melius secundum Plinii verba, Hispanorum scilicet: nova enim Carthago est in Hispania Tarraconensi: & supra epig. 40.

Hesperius scombri temperet ova liquor.

Faecosum.] Legunt alii *fastosum*, quia scilicet munus erat, & quidem divitibus dignum. Videat lector.

Muria. CIII.

ANTIPOLITANI, fateor, sum filia thynni:
Essem si scombri non tibi missa forem.

Fateor, sum filiâ thynni Antipolitani: si essem scombri, ad te non mitterer.

Muria.] Liquaminis genus quod ex thynnis piscibus conficiebatur. Antipolis hodie *Antibe* urbs est Galliae Narbonensis unde thynni offerebantur.

Essem si.] Hoc est, si essem garum, de quo supra, non ad te pauperem, sed ad divitem mitterer.

Mel Atticum. CIV.

HOC tibi Thesei populatrix misit Hymetti
Pallados a silvis nobile nectar apis.

Apis populatrix Hymetti Thesei ad te mittit hoc praestans nectar ex silvis Palladis.

Thesei Hymetti.] Montis in Attica sic dicti a Theseo Atheniensi.

Pallados a silvis.] Atticae enim praesidet Pallas.

Nobile nectar.] Hoc est, mel Atticum omnium praestantissimum.

Favi Siculi. CV.

CUM dederis Siculos mediis de collibus Hyblae,
Cecropios dicas tu licet esse favos.

Cum donaveris favos Siculos e mediis collibus Hyblae, licet cognominare Atticos.

Hybla.] Montis in Sicilia, cujus melli dat secundas, imo & aeque nobile ac mel Atticum, dicit Poëta.

Cecropios.] Atticos: Cecrops enim Athenis regnavit.

Passum

Passum. CVI.

CNOSSIA Minoæ genuit vindemia Cretæ
Hoc tibi, quod mulsum pauperis esse solet.

Cnossia vindemia Creta Minoa produxit hoc tibi, quod solet esse mulsum inopis.

Passum.] Plinius lib. 14. cap. 9. *Passum a Cretico Cilicium probatur & Africum, & in Italia provinciisque finitimis. Fieri certum est ex uva, quam Græci Sticam vocant, nos Apianam. Item scirpula, diutius in vite sole uvis adustis, aut fervente oleo*, &c.

Cnossia.] hoc est Cretensis: Gnossus vel Cnossus urbs est Cretæ. De mulso infra epig. 108.

Picatum vinum. CVII.

HÆc de vitifera venisse picata Vienna
Ne dubites: misit Romulus ipse mihi.

Ne ambigas hæc picata allata esse Vienna vitifera: Romulus ipse misit mihi.

Picatum vinum.] Plinius lib. 14. cap. 1. *Jam inventa vitis per se in vino picem resipiens, Viennensem agrum nobilitans, Arverno, Sequanoque & Helvetico generibus non pridem illustrata. Atque hæc Virgilii vatis ætate incognita, a cujus obitu nonaginta aguntur anni.*

Vienna.] urbs est in Delphinatu ad Rhodanum, hodie *Vienne*.

Misit Romulus.] Si Vienna Allobrogum ex Narbonensi provincia sunt allata hæc picata, ut ex Plinio doctum, quomodo Romulus ipse misit? An idem in Italia postea natum, satum vel illatum? Nam Romulus pro Italico ponitur haud dubie. Raderus. Picatum hoc vinum in ipsa urbe Roma factum arte ex picis fluxu ita picis gratiam olet, ut dubites an nativum sit picatum a Vienna Allobrogum. Farnabius. Forte melius intelliges mercatorem Viennensem dictum Romulum & quidem celebrem.

Mulsum. CVIII.

ATTICA nectareum turbatis mella Falernum:
Misceri decet hoc a Ganymede merum.

O Mella Attica, turbatis Falernum nectareum: par est hoc merum porrigi a Ganymede.

Falernum.] Vinum generosissimum. Plinius lib. 22. cap. 24. *Semper mulsum ex vetere vino utilissimum, facillimeque, cum melle concorporatur, quod in dulci nunquam evenit.*

Misceri.] Hoc est subministrari, Jovi nempe. Epig. 78. lib. 6.

Misceri sibi protinus deunces,
Sed crebros jubet, &c.

Vide etiam epig. 6. lib. 8.

Albanum. CIX.

HOc de Cæsareis mittis vindemia cellis
Misit, Iulco quæ sibi monte placet.

Dulcis vindemia misit hoc ex Cæsareis cellis, quæ gloriatur monte Iuleo.

Albanum.] Plinius cap. 6. lib. 14. *Albana, vina, urbi vicina prædulcia ac rara in austero.* Juven. sat. 13. v. 210.

—— *Albani veteris pretiosa senectus*
Displicet, &c.

De Cæsareis cellis.] Hoc est, de monte Albano, in quem secedere solebat Cæsar Domitianus, ut jam sæpius dictum. Dicitur *Iuleus* ab Iulo Æneæ filio, Albæ conditore,

Sur-

Surrentinum. CX.

SURRENTINA bibis, nec murrhina picta, nec aurum
Sume: dabunt calices hæc tibi vina suos.

Potat Surrentina, nec accipe murrhina picta, nec aurum: hac vina suppeditabunt tibi sua pocula.

Surrentina.] Plinius lib. 14. cap. 6. *Item Surrentina in vineis tantum nascentia, convalescentibus maxime probata, propter tenuitatem salubritatemque. Tiberius Cæsar dicebat consensisse medicos, ut nobilitatem Surrentino darent: alioquin esse genero, nunc acetumo. C. Cæsar, qui successit illi, nobilem vappam.*

Nec murrhina.] Hoc est, pocula Surrentina, fictilia nempe, idonea sunt ad bibendum vinum Surrentinum, nec opus est murrhinis nec aureis calicibus, de quibus epig. 113. lib. 14. Surrentum vero urbs est Picentinorum, non longe ab urbe Neapoli.

Falernum. CXI.

DE Sinuessanis venerunt massica prælis.
Condita quo quæris consule? nullus erat.

Massica allata sunt ex prælis Sinuessanis. Rogas quo consule fuerint condita? Nullus erat.

De Sinuessanis.] Plinius lib. 3. cap. 5. *Oppidum Sinuessa extremum in adjecto Latio, quam quidam Sinopen dixere vocitatum.* Idem Plinius lib. 14. cap. 6. *Falernus ager a ponte Campano læva petentibus urbanam coloniam Syllanam nuper Capuæ contributam incipit.* Idem Plinius lib. 3. cap. 5. Massicos montes a Falernis distinguit: *His junguntur Falerni, Caleni. Dein consurgunt Massici, Gaurani, Surrentinique montes.* Poëta tamen vinum Falernum a Massico non distinguit, quod sane esset æque generosum.

Nullus erat.] Sic hyperbolikōs innuit Poëta vetustissima esse hæc vina Massica.

Setinum. CXII.

PENDULA Pontinos quæ spectat Setia campos,
Exigua vetulos misit ab urbe cados.

Pendula Setia, quæ aspicit agros Pontinos, misit ab urbe parva cados seniores.

Pendula Setia.] Epig. 74. lib. 10.
Nec quæ paludes delicata Pontinas
Ex arce clivi spectat uva Setini.

Alii *Pomptinos.* Plinius lib. 14. cap. 6. *Divus Augustus Setinum pratulit cunctis: nascitur supra forum Appii.*

Fundanum. CXIII.

HÆC Fundana tulit felix autumnus Opimi:
Expressit mulsum consul, & ipse bibit.

Beatus autumnus Opimii produxit hac Fundana, Consul expressit mulsum, & ipse hausit.

Fundana.] Vina scilicet a Fundis oppido Campaniæ sic dicta. Plinius lib. 14. cap. 6. *In vineis arbustisque nascuntur Fundana.*

Felix autumnus.] Plinius cap. 14. lib. 14. *Apothecas fuisse & diffundi solita vina anno* 633. *urbis apparet, indubicato Opimiani vini argumento, jam intelligente suum bonum Italia.* Vide epig. 27. lib. 1.

Testa sed antiqui felix siccatur Opimi.

Expressit mulsum.] Hoc est, vinum tam dulce, ut mulso non esset inferius. Legunt alii *mustum*, hoc est vinum decoctum & diffusum, vel vinum recens intellige.

Ipse bibit.] Laus vini est, quod eo anno quo expressum, esset jam mulsum: hoc est, mulsum videretur. Domitius.

Tri-

Trifolinum. CXIV.

NON sum de primo fateor trifolina Lyæo,
Inter vina tamen septima vitis ero.

Ego trifolina non exprimo vinum præstantius: Nihilominus ero vitis septima inter vina.

Trifolina.] Plinius lib. 14. cap. 6. *Campania nuper excitavit novis nominibus auctoritatem, sive cura, sive casu ad quartum a Neapoli lapidem Trebellicis, juxta Capuam Caulinis, & in suo agro Trebulanis alioqui semper plebeia, & Trifolinis gloriata.*
Lyæus.] Est Bacchus qui pro vino sumitur.
Septima.] Supra sex vini species enumeravit Poëta: jam Trifolino dat septimum locum.

Cæcubum. CXV.

CÆCUBA Fundanis generosa coquuntur Amyclis:
Vitis & in media nata palude viret:

Cæcuba præstantia coquuntur Fundanis Amyclis, & vitis nata in media palude virescit.

Cæcuba.] Quorum mentionem facit Horatius lib. 1. ode 37. lib. 2. ode 14. & pluribus aliis locis. Plinius lib. 14. cap. 6. *Antea Cæcubo erat generositas celeberrima in palustribus populetis, sinu Amyclano, &c.* Terracinam inter & Cajetam. Aliæ sunt Amyclæ in Laconia, de quibus epig. 74. lib. 9. De Amyclis Italiæ Plinius lib. 8. cap. 29. In Italia Amyclæ a serpentibus deletæ.

Signinum. CXVI.

POTABIS liquidum Signina morantia ventrem:
Ne nimium sistant, sit tibi parca sitis.

Bibes Signina sistentia alvum solutam: ne nimium merentur, habeas sitim moderatam.

Signina.] Plinius lib. 14. cap. 6. *Nam quod Signiæ nascitur, austeritate nimia continenda utile alvo, inter medicamina numeratur.* Signia autem urbs Latii hodie *Segna*, seu *Segni*.

Mamertinum. CXVII.

AMPHORA Nestorea tibi Mamertina senecta
Si detur, quodvis nomen habere potest.

Si amphora Mamertina Nestorea senectute tibi donetur, potest habere nomen quodlibet.

Mamertinum.] Plinius lib. 14. cap. 6. *Quartum curriculum publicis epulis obtinuere a divo Julio (is enim primus auctoritatem his tribuit, ut in epistolis ejus apparet) Mamertina, circa Messanam in Sicilia genita.*
Nestorea senecta.] Hoc est, Mamertina vetustissima.
Quodvis nomen.] Hoc est, vel Falernum, vel Setinum, vel Cæcubum, &c. nominari potest; his enim vini speciebus æquiparari potest. Vide epig. 106. lib. 1.

Tar-

Tarraconense. CXVIII.

TARRACO, Campano tantum cessura Lyæo,
Hæc genuit Tuscis æmula vina cadis.

Tarraco produxit hæc vina æmula vino Tusco, primas datura duntaxat vino Campano.

Tarraco.] Civitas Hispaniæ nobilis, hodie *Tarragona*, ubi vinum erat tam egregium, ut præter Campaniæ vina, de quibus supra, cum aliis Italiæ vinis comparari posset. Vide Plinium lib. 14. cap. 6.

Nomentanum. CXIX.

NOMENTANA meum tibi dat vindemia Bacchum:
Si te Quinctus amat, commodiora bibes.

Nomentana vindemia offert tibi meum vinum: Si es amicus Quincti, potabis meliora.

Nomentana.] De vitibus Nomentanis agit Plinius lib. 14. cap. 2. De agro suo Nomentano egit Poëta epig. 106. lib. 1. epig. 92. lib. 7. Ex quo constat, juxta Nomentanum Martialis agrum, Quinctum villam habuisse, ubi vinum præstantius erat, quod diligentius agrum coleret Quinctus.

Spoletinum. CXX.

DE Spoletinis quæ sunt cariosa lagenis
Malueris, quam si musta Falerna bibas.

Rugosa lagena vini Spoletini plus tibi placuerint, quam si potes musta Falerna.

Spoletinum.] In Umbria populi sunt Spoletini, hodie *Spoleto*, unde vinum allatum a vetustate commendat Poëta: nec minus esse dulce, ait, quam Falernum recens expressum vel decoctum. Plinius lib. 14. cap. 19. *Decoquitur* (mustum) *ut dulcescat portione virium, nec durare ultra annuum spatium tale proditur. Aliquibus in locis decoquunt ad sapas musta, infusisque his ferociam frangunt.*

Pelignum. CXXI.

MARSICA Peligni mittunt turbata coloni:
Non tu, libertus sed bibat illa tuus.

Peligni coloni mittunt Marsica turbata. Non tu, sed libertus tuus potet illa.

Marsica.] Marsi Pelignis sunt vicini, partem faciunt regionis illius quæ dicitur *Abruzze ulteriore*. Legunt alii *Massica*, male; longe enim a Pelignis distant Massici montes. Vide epig. 111. supra.

Non tu.] Nimis enim austera sunt vina Marsica.

Acetum. CXXII.

AMPHORA Niliaci non sit tibi vilis aceti.
Esset cum vinum, vilior illa fuit.

Ne contemnas amphoram aceti Niliaci: illa fuit magis contemnenda, cum esset vinum.

Amphora Niliaci.] Acetum ex vino Ægyptio confectum carius est quam vinum ex quo fit. Juvenalis sat. 13. *Phariaque madentis aceto.*

Massilianum. CXXIII.

CUM tua centenos expugnet sportula cives,
Fumea Massiliæ ponere vina potes.

Cum tua sportula tibi conciliet centum cives, potes apponere vina infumata Massiliæ.

Cum tua.] Hoc est, cum sis tam dives ut centum clientes alere possis, cur convivis apponis vinum Massilianum vile & infumatum? Vide epig. 36. lib. 10. Sic interpretantur qui legunt cum interrogatione. Sed potes ita explicare: Cum habeas centum clientes, quos alis, appone ipsis vinum ingratum vilis pretii.

Cæretanum. CXXIV.

CÆRETANA Nepos ponat, Setina putabis.
Non ponit turbæ, cum tribus illa bibit.

Nepos apponat Caretana, existimabis Setina: non apponit illa turbæ, potat cum tribus amicis.

Cæretanum.] Cære urbs est Tusciæ de qua epig. 54. supra, cujus vinum laudat, & cum Setino comparat, de quo epig. 112. supra. Nepotis sui amici jam mentionem fecit Poëta epig. 48. lib. 10. *Cære*, hodie *Cervetere*, in regione patrimonii D. Petri. Vide epig. 54. supra.
Non ponit turbæ.] Sed nobile illud vinum bibit cum intimis suis amicis.

Tarentinum vinum. CXXV.

NOBILIS & lanis, & felix vitibus Aulon
Det pretiosa tibi vellera, vina mihi.

Aulon & celebris lanis, & beatus vitibus, donet tibi pretiosa vellera, mihi vina.

Tarentinum.] Plinius lib. 14. cap. 6. *Verum & longinquiora Italiæ ab Ausonio mari non carent gloria, Tarentina, & Servitiana,* &c. Et eodem lib. cap. 3. *Necnon Tarentinum genus aliqui fecere, prædulci uva.* Lib. vero 8. cap. 48. agit de lanis Tarentinis.
Aulon.] Urbs est in ora occidentali Macedoniæ, teste Ferrario referente hunc versum Martialis. *Aulon* tamen seu *Caulon* ab eodem dicitur oppidum magnæ Græciæ, hodie *Castelvetere*, in ora Calabriæ ulterioris, juxta promontorium Corynthum. De hoc oppido loqui videtur Poëta.

Un-

Unguentum. CXXVI.

UNGUENTUM heredi numquam, nec vina relinquas,
Ille habeat nummos: hæc tibi tota dato.

Nunquam relinquas heredi unguentum, nec vina. Ille consequatur nummos, tu consume hæc tota.

Nec vina relinquas.] Idem dixit epig. 27. lib. 6. Vide etiam epig. 77. lib. 8.

Corona rosea. CXXVII.

DAT festinatas Cæsar tibi bruma coronas.
Quondam veris erant, nunc tua facta rosa est.

Cæsar bruma tibi producit coronas prematuras. Olim rosa nascebatur vere, nunc nascitur tuo jussu.

Bruma.] Solstitium hibernum intellige. Vide epig. 80. lib. 6. ubi de rosis hibernis quas in gratiam Domitiani hieme nasci assentatorie dicit Poeta.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER XIV.

CUI APOPHORETA INDITUM NOMEN.

Ad lectorem de celebratione Saturnaliorum. I.

SYNTHESIBUS dum gaudet eques, dominusque senatus,
Dumque decent nostrum pilea sumpta Jovem:
Nec timet ædilem moto spectare fritillo,
Cum videat gelidos jam prope verna lacus:
Divitis alternas, & pauperis accipe sortes:
Præmia convivæ det sua quisque suo.
Sunt apinæ, tricæque, & si quid vilius istis.
Quis nescit? vel quis tam manifesta negat?
Sed quid agam potius madidis, Saturne, diebus,
Quos tibi pro cœlo filius ipse dedit?
Vis scribam Thebas, Trojamque, malasque Mycenas?
Lude, inquis, nucibus: perdere nolo nuces:
Quovifcumque loco potes hunc finire libellum,
Versibus explicitum est omne duobus opus.

INTERPRETATIO. *Dum syntheses placent equiti, & domino senatui, & dum noster Jupiter decore gestat pileum. Nec verna metuit aspicere ædilem agitato fritillo, cum jam prope spectet frigidos lacus: disce sortes alternas locupletis, atque egeni: quisque largiatur suo convivæ sua munera. Sunt nugæ, & ineptiæ, & si quid vilius istis. Quis ignorat, vel quis inficiatur rem tam evidentem? At, ô Saturne, quid melius faciam temulentis diebus, quos tibi concessit filius ipse pro cœlo? Placetne scribam casus Thebarum, & Trojæ, & improbarum Mycenarum? Lude nucibus, ais: nolo amittere nuces. Quocumque loco potes absolvere hunc librum, omne hoc opus absolutum est duobus carminibus.*

N O T Æ.

Apophoreta.] Quæ sic explicat Turnebus cap. 23. lib. 9. Ego, inquit, eo nomine existimo significari munera, quæ convivis dantur, ut ea domum referant,


uxo



XIV *Lib.* 167 *epigr.* 2 *verf.*
Lyram] Vel citharam, multiformem; ut teftantur *Nummi* Græci Latinique.



XIV *Lib.* 177 *epigr.* 1 *verf.*
Infans] Angues utraque manu fuffocans Hercules exhibetur in *Num.* apud *Goltzium, Sicil. Tab. Num.*



XIV *Lib.* 170 *epigr.* 2 *verf.*
Ægida] Pectoris munimentum, in thorace Palladis; occurrens in 7 & 8 *Num.* Amifenorum, apud *Goltzium Afiat.* 3 *Tab.*



XIV *Lib.* 107 *epigr.* 1 *verf.*
Tigris] Vino dedita, fic Baccho dicata fera, eique etiam in *Nummis* fæpe juncta.



XIV *Lib.* 54 *epigr.* 2 *verf.*
Siftra] Ex ære, inter quatiendum ftridula, apud Ægyptios in ufu. Siftrum manu tenens Helena Juliani aug. fpectatur in *Num.* Ifidem mentita.



XIV *Lib.* 32 *epigr.* 2 *verf.*
Militiæ decus] Brevis pugio, qui non folum tribunorum, verum etiam imperatorum, quin & ipfius Romæ, in *N. Num.*



XIV *Lib.* 212 *epigr.* 1 *verf.*

Hectora] Qui, quadrigæ infiftens, fpectatur apud *Sambucum*, in felecto *Num.* Commodi, ab Ilienfibus percuffo.



XIV *Lib.* 57 *epigr.* 1 *verf.*

Homerus] Qui in *Num.* Amaftrianorum, capite diademato.

unde & nomen adepta sunt, scilicet ab ἀποφέρω. Epig. 1. Poëta videtur sic accipere apophoreta:

Præmia convivæ det sua quisque suo.

Suetonius in Vespasiano cap. 19. *Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita & Kal. Mart. &c.*

Synthesibus.] Bayfius de re vestiaria cap. 10. Saturnalibus, inquit, per quinque dies S. P. Q. R. togas reponebant, & synthesibus utebantur, & erant viliores vestes. Inf. epig. 14.

Jam toga per quinas gaudet requiescere luces,

Hos poteris cultus sumere jure tuo.

Erat synthesis vestis cœnatoria, epig. 46. lib. 2. & epig. 80. lib. 5.

Undecies una surrexti, Zoile, cœna;

Et mutata tibi est synthesis undecies.

Si fuisset vilior vestis, ut ait Bayfius, quid illam ostentasset Zoilus? Verum Saturnaliorum tempore synthesi utebantur Equites & Senatores, quod tunc continua convivia [illegible]ent. Alii, *dominisque Senatus*, servis [illegible] quibus tunc serviebant Senatores, [illegible]ii domini.

[illegible] *numque decent nostrum.*] Hoc est Domi[illegible] m, quem sæpius Jovem appellavit. Vide epig. 4. lib. 13. Saturnalibus vero pileati incedebant Romani, epig. 7. lib. 11.

Permittis puto pileata Roma.

Nec timet ædilem.] Vide epig. 85. lib. 5. Præteritis enim Saturnalibus ab ædilibus castigabantur aleatores. De fritillo dictum epig. 14. lib. 4.

Cum videas gelidos.] Hoc est, cum sentiat adesse frigus, quo lacus gelu constringuntur.

Divitis alternas.] Hunc versum sic explicat Turnebus lib. 9. cap. 23. quod nempe in hoc libro missa pauperum & divitum munera vicissim contineantur, quod si interdum, inquit, plura lemmata unius sortis continuentur: subjiciuntur tamen diversa, alternanturque divitum & pauperum sortes.

Sunt apinæ.] Sic respondet lector. De apinis vero epig. 114. lib. 1.

Quis nescit.] Hoc lectori subjicit Poëta. Jove filio ejectus fuit. Hæc fabula satis nota.

Vis scribam Thebas.] Bellum Thebanum, Trojanum, aut raptam Helenam, expeditionemque Agamemnonis qui rex Mycenarum fuit, quas vocat malas propter scelera illic a Pelopidis commissa.

Apophoreta. II.

LEMMATA si quæris cur sint adscripta, docebo:
Ut, si malueris, lemmata sola legas.

Si rogas cur tituli sint adscripti, dicam: ut legas solos titulos, si libuerit.

Apophoreta.] Vide supra. Hinc constat 13. & 14. saltem libri lemmata seu argumenta esse ipsius Martialis. Hoc distichum aliqui non separant a primo epig.

Pugillares citrei. III.

SECTA nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Libyci nobile dentis onus.

Nisi essemus ligna divisa in tenues laminas, essemus onus præstans dentis eburnei.

Pugillares.] Gallice *tablettes à écrire.* Vide epig. 52. lib. 7.

Essemus.] Hoc est, mensæ citreæ essemus fultæ eburneis pedibus, epig. 43. lib. 2.

Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.

Quincuplices. IV.

CÆDE juvencorum domini calet area felix,
Quincuplici cera cum datur altus honor.

Beata altaria domini calent tauris immolatis, cum summus honor defertur quincuplici cera.

Do-

Domini.] Domitiani ſcilicet, ut epig. 8. lib. 5.

Edictum domini, deique noſtri, in cujus honorem immolabantur hoſtiæ, cum aut conſulatus aut triumphus illi eſſet decretus. Vide epig. 15. lib. 8. & epig. 4.

Quincuplici cera.] Id eſt, denunciatur honor hoc genere pugillarium: quincuplices vero dicuntur a quinque foliis.

Pugillares eburnei. V.

LANGUIDA ne triſtes obſcurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

Ne cera moeſta efficiant oculis debilitatis, ebur candidum pingatur litera atra.

Nigra tibi.] Literæ quippe nigræ in albo inſcriptæ facilius leguntur.

Triplices. VI.

TUNC triplices noſtros non vilia dona putabis,
Cum ſe venturam ſcribet amica tibi.

Cum amica ad te ſcribet ſe adfuturam, tunc non exiſtimabis triplices noſtros munera contemnenda.

Triplices.] Qui a tribus foliis ſic dicti rebus amatoriis & levioribus ſcribendis inſerviebant; dona vero pauperum erant.

Pugillares membranei. VII.

ESSE puta ceras, licet hæc membrana vocetur:
Delebis, quoties ſcripta novare voles.

Crede eſſe ceras, quamvis hæc membrana appelletur: oblitterabis quoties placebit ſcribere res novas.

Eſſe puta.] Alii *putes.* Membranas vero Pergami repertas fuiſſe ex Varrone refert Plinius cap. 11. lib. 13. Literæ autem in pugillaribus membraneis ſcriptæ ut in cereis facile delebantur.

Vitelliani. VIII.

NONDUM legerit hos licet puella,
Novit quid cupiant Vitelliani.

Quamvis puella nondum legerit hos, ſcit quid velint Vitelliani.

Vitelliani.] De quibus epig. 6. lib. 2. Pugillares nempe in quibus res amatoriæ ſcribebantur, atque ad puellam mittebantur.

Iidem Vitelliani. IX.

QUOD nummos cernis, mitti nos credis amicæ:
Falleris, & nummos iſta tabella rogat.

Quod nummos vides, putas nos mitti ad amicam: allucinaris, & hac tabella petit nummos.

Quod nummos.] Alii *quod minimos.* Sic loquuntur Vitelliani, nempe non mitti se ad amicam ad noctem petendam, vel rogandum aliquid ejusmodi: sed mitti se ad aliquem fœneratorem aut divitem ad petendam pecuniam. Videat lector. Vulgatam lectionem retinet Domitius, & dicit Vitellianos fuisse loculos ex corio confectos, quos sic explico: Cum in illis Vitellianis essent nummi, ad amicam illos mitti credere potuisset aliquis; at mutuo erant accepti & forte ab ipsa amica. Alii sic interpretantur: Nummos, quorum mentio in his pugillaribus, non mitto amicæ, sed posco ab illa.

Chartæ majores. X.

NON sunt munera quæ putas puella,
Cum donat vacuas Poëta chartas.

Non sunt dona quæ credis, ô puella, cum vates donat inanes chartas.

Non sunt.] Legunt alii,
Non est munera quod putes pusilla.
Quæ putas.] Alii *petis*: cum in iis nec sunt nummi nec carmina.
Cum donat vacuas.] Chartæ majores sunt loculi chartei, grandiores, quæ puellæ mittuntur inanes, ut supra sunt Vitelliani. Domitius.

Chartæ epistolares. XI.

SEU leviter noto, seu caro missa sodali,
Omnes ista solet charta vocare suos.

Ista charta seu missa ad hominem mediocriter cognitum, seu ad socium dilectum, consuevit omnes appellare suos.

Seu leviter noto.] Nam seu ad hominem parum notum, seu ad amicum scriberent antiqui, epistolæ semper hæc præfigebatur inscriptio, *suo*, vel *suis*: v. g. M. T. Cicero Attico suo, &c.

Loculi eburnei. XII.

HOS nisi de fulva loculos implere moneta
Non decet, argentum vilia ligna ferant.

Non convenit implere hos loculos nisi moneta flava. Ligna contemnenda gestent argentum.

Loculos.] Capsulam ex ebore intellige, quam auro tantum implendam dicit Poëta.
Ligna vilia.] Hoc est, loculi lignei viles.

Loculi lignei. XIII.

SI quid adhuc superest in nostri fæce locelli,
Munus erit: nihil est, ipse locellus erit.

Si quid adhuc reliqui est in fæce nostri locelli, donabo: nihil est, donabo ipsam crumenam.

Si quid,] Hoc est, si quid æris supererit in fundo meæ capsulæ, donabo: sin minus: dabo ipsam crumenam.

Acetum. CXXII.

AMPHORA Niliaci non fit tibi vilis aceti.
Esset cum vinum, vilior illa fuit.

Ne contemnas amphoram aceti Niliaci: illa fuit magis contemnenda, cum esset vinum.

Amphora Niliaci.] Acetum ex vino Ægyptio confectum carius est quam vinum ex quo fit. Juvenalis sat. 13. *Phariöque madentis aceto.*

Massilianum. CXXIII.

CUM tua centenos expugnet sportula cives,
Fumea Massiliæ ponere vina potes.

Cum tua sportula tibi concilies centum cives, potes apponere vina infumata Massiliæ.

Cum tua.] Hoc est, cum sis tam dives ut centum clientes alere possis, cur convivis apponis vinum Massilianum vile & infumatum? Vide epig. 36. lib. 10. Sic interpretantur qui legunt cum interrogatione. Sed potes ita explicare: Cum habeas centum clientes, quos alis, appone ipsis vinum ingratum vilis pretii.

Cæretanum. CXXIV.

CÆRETANA Nepos ponat, Setina putabis.
Non ponit turbæ, cum tribus illa bibit.

Nepos apponat Cæretana, existimabis Setina: non apponit illa turba, potat cum tribus amicis.

Cæretanum.] Cære urbs est Tusciæ de qua epig. 54. supra, cujus vinum laudat, & cum Setino comparat, de quo epig. 112. supra. Nepotis sui amici jam mentionem fecit Poëta epig. 48. lib. 10. *Cære*, hodie *Cervetere*, in regione patrimonii D. Petri. Vide epig. 54. supra.

Non ponit turbæ.] Sed nobile illud vinum bibit cum intimis suis amicis.

Tarentinum vinum. CXXV.

NOBILIS & lanis, & felix vitibus Aulon
Det pretiosa tibi vellera, vina mihi.

Aulon & celebris lanis, & beatus vitibus, donet tibi pretiosa vellera, mihi vina.

Tarentinum.] Plinius lib. 14. cap. 6. *Verum & longinquiora Italiæ ab Ausonio mari non carent gloria, Tarentina, & Servitiana,* &c. Et eodem lib. cap. 3. *Necnon Tarentinum genus aliqui fecere, prædulci uva.* Lib. vero 8. cap. 48. agit de lanis Tarentinis.

Aulon.] Urbs est in ora occidentali Macedoniæ, teste Ferrario referente hunc versum Martialis. *Aulon* tamen seu *Caulon* ab eodem dicitur oppidum magnæ Græciæ, hodie *Castelvetere*, in ora Calabriæ ulteriori, juxta promontorium Cocynthum. De hoc oppido loqui videtur Poëta.

Unguentum. CXXVI.

UNGUENTUM heredi numquam, nec vina relinquas,
Ille habeat nummos: hæc tibi tota dato.

Nunquam relinquas heredi unguentum, nec vina. Ille consequatur nummos, tu consume hæc tota.

Nec vina relinquas.] Idem dixit epig. 27. lib. 6. Vide etiam epig. 77. lib. 8.

Corona rosea. CXXVII.

DAT festinatas Cæsar tibi bruma coronas.
Quondam veris erant, nunc tua facta rosa est.

Cæsar bruma tibi producit coronas præmaturas. Olim rosa nascebatur vere, nunc nascitur tuo jussu.

Bruma.] Solstitium hibernum intellige. Vide epig. 80. lib. 6. ubi de rosis hibernis quas in gratiam Domitiani hieme nasci assentatorie dicit Poeta.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATUM
LIBER XIV.
CUI APOPHORETA INDITUM NOMEN.

Ad lectorem de celebratione Saturnaliorum. I.

SYNTHESIBUS dum gaudet eques, dominusque senatus,
Dumque decent nostrum pilea sumpta Jovem:
Nec timet ædilem moto spectare fritillo,
Cum videat gelidos jam prope verna lacus:
Divitis alternas, & pauperis accipe sortes:
Præmia convivæ det sua quisque suo.
Sunt apinæ, tricæque, & si quid vilius istis.
Quis nescit? vel quis tam manifesta negat?
Sed quid agam potius madidis, Saturne, diebus,
Quos tibi pro cœlo filius ipse dedit?
Vis scribam Thebas, Trojamque, malasque Mycenas?
Lude, inquis, nucibus: perdere nolo nuces:
Quoviscumque loco potes hunc finire libellum,
Versibus explicitum est omne duobus opus.

INTERPRETATIO. *Dum syntheses placent equiti, & domino senatus, & dum noster Jupiter decore gestat pileum. Nec verna metuit aspicere ædilem agitato fritillo, cum jam prope spectet frigidos lacus: disce sortes alternas locupletis, atque egeni: quisque largiatur suo convivæ sua munera. Sunt nugæ, & ineptiæ, & si quid vilius istis. Quis ignorat, vel quis inficiatur rem tam evidentem? At, ô Saturne, quid melius faciam temulentis diebus, quos tibi concessit filius ipse pro cœlo? Placetne scribam casus Thebarum, & Trojæ, & improbarum Mycenarum? Lude nucibus, ais: nolo amittere nuces. Quocumque loco potes absolvere hunc librum, omne hoc opus absolutum est duobus carminibus.*

NOTÆ.


Apophoreta.] Quæ sic explicat Turnebus cap. 23. lib. 9. Ego, inquit, eo nomine existimo significari munera, quæ convivis dantur, ut ea domum referant[illegible]



XIV *Lib.* 167 *epigr.* 2 *verſ.*
Lyram] Vel citharam, multiformem; ut teſtantur *Numi* Græci Latinique.



XIV *Lib.* 177 *epigr.* 1 *verſ.*
Infans] Angues utraque manu ſuffocans Hercules exhibetur in *Num.* apud *Goltzium, Sicil. Tab. Num.*



XIV *Lib.* 170 *epigr.* 2 *verſ.*
Ægida] Pectoris munimentum, in thorace Palladis; occurrens in 7 & 8 *Num.* Amiſenorum, apud *Goltzium Aſiat.* 3 *Tab.*



XIV *Lib.* 107 *epigr.* 1 *verſ.*
Tigris] Vino dedita, ſic Baccho dicata fera, eique etiam in *Numis* ſæpe juncta.



XIV *Lib.* 54 *epigr.* 2 *verſ.*
Siſtra] Ex ære, inter quatiendum ſtridula, apud Ægyptios in uſu. Siſtrum manu tenens Helena Juliani aug. ſpectatur in *Num.* Iſidem mentita.



XIV *Lib.* 32 *epigr.* 2 *verſ.*
Militiæ decus] Brevis pugio, qui non ſolum tribunorum, verum etiam imperatorum, quin & ipſius Romæ, in *N. Num.*



XIV *Lib.* 212 *epigr.* 1 *verf.*
Hectora] Qui, quadrigæ insistens, spectatur apud *Sambucum*, in selecto *Num.* Commodi, ab Iliensibus percusso.



XIV *Lib.* 57 *epigr.* 1 *verf.*
Homerus] Qui in *Num.* Amastrianorum, capite diademato.

unde & nomen adepta sunt, scilicet ab Χαρίζομαι. Epig. 1. Poëta videtur sic accipere apophoreta:

Praemia convivæ det sua quisque suo.

Suetonius in Vespasiano cap. 19. *Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita & Kal. Mart. &c.*

Synthesibus.] Bayfius de re vestiaria cap. 10. Saturnalibus, inquit, per quinque dies S. P. Q. R. togas reponebant, & synthesibus utebantur, & erant viliores vestes. Inf. epig. 14.

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,

Hos poteris cultus sumere jure tuo.

Erat synthesis vestis cœnatoria, epig. 46. lib. 2. & epig. 80. lib. 5.

Undecies una surrexti, Zoile, cœna;

Et mutata tibi est synthesis undecies.

Si fuisset vilior vestis, ut ait Bayfius, quid illam ostentasset Zoilus? Verum Saturnaliorum tempore synthesi utebantur Equites & Senatores, quod tunc continua convivia agerent. Alii, *dominisque Senatus*, servis e quibus tunc serviebant Senatores, ... domini.

...mque decent nostrum.] Hoc est Domitianum, quem sæpius Jovem appellavit. Vide epig. 4. lib. 13. Saturnalibus vero pileati incedebant Romani, epig. 7. lib. 11.

Permittis puto pileata Roma.

Nec timet ædilem.] Vide epig. 85. lib. 5. Præteritis enim Saturnalibus ab ædilibus castigabantur aleatores. De fritillo dictum epig. 14. lib. 4.

Cum videat gelidos.] Hoc est, cum sentiat adesse frigus, quo lacus gelu constringuntur.

Divitis alternas.] Hunc versum sic explicat Turnebus lib. 9. cap. 23. quod nempe in hoc libro missa pauperum & divitum munera vicissim contineantur, quod si interdum, inquit, plura lemmata unius sortis continuentur: subjiciuntur tamen diversa, alternanturque divitum & pauperum sortes.

Sunt apina.] Sic respondet lector. De apinis vero epig. 114. lib. 1.

Quis nescit.] Hoc lectori subjicit Poëta. Jove filio ejectus fuit. Hæc fabula satis nota.

Vis scribam Thebas.] Bellum Thebanum, Trojanum, aut raptam Helenam, expeditionemque Agamemnonis qui rex Mycenarum fuit, quas vocat malas propter scelera illic a Pelopidis commissa.

Apophoreta. II.

LEMMATA si quæris cur sint adscripta, docebo:
Ut, si malueris, lemmata sola legas.

Si rogas cur tituli sint adscripti, dicam: ut legas solos titulos, si libuerit.

Apophoreta.] Vide supra. Hinc constat 13. & 14. saltem libri lemmata seu argumenta esse ipsius Martialis. Hoc distichum aliqui non separant a primo epig.

Pugillares citrei. III.

SECTA nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Libyci nobile dentis onus.

Nisi essemus ligna divisa in tenues laminas, essemus onus præstans dentis eburnei.

Pugillares.] Gallice *tablettes à écrire.* Vide epig. 52. lib. 7.

Essemus.] Hoc est, mensæ citreæ essemus fultæ eburneis pedibus, epig. 43. lib. 2.

Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.

Quincuplices. IV.

CÆDE juvencorum domini calet area felix,
Quincuplici cera cum datur altus honor.

Beata altaria domini calent tauris immolatis, cum summus honor defertur quincuplici cera.

Domini.] Domitiani ſcilicet, ut epig. 8. lib. 5.
Edictum domini, deique noſtri,
in cujus honorem immolabantur hoſtiæ, cum aut conſulatus aut triumphus illi eſſet decretus. Vide epig. 15. lib. 8. & epig. 4.

Quincuplici cera.] Id eſt, denunciatur honor hoc genere pugillarium: quincuplices vero dicuntur a quinque foliis.

Pugillares eburnei. V.

LANGUIDA ne triſtes obſcurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

Ne cera mæſta efficiant oculis debilitatis, ebur candidum pingatur litera atra.

Nigra tibi.] Literæ quippe nigræ in albo inſcriptæ facilius leguntur.

Triplices. VI.

TUNC triplices noſtros non vilia dona putabis,
Cum ſe venturam ſcribet amica tibi.

Cum amica ad te ſcribet ſe adfuturam, tunc non exiſtimabis triplices noſtros munera contemnenda.

Triplices.] Qui a tribus foliis ſic dicti rebus amatoriis & levioribus ſcribendis inſerviebant; dona vero pauperum erant.

Pugillares membranei. VII.

ESSE puta ceras, licet hæc membrana vocetur:
Delebis, quoties ſcripta novare voles.

Crede eſſe ceras, quamvis hæc membrana appelletur: oblitterabis quoties placebit ſcribere nova.

Eſſe puta.] Alii *putes*. Membranas vero Pergami repertas fuiſſe ex Varrone refert Plinius cap. 11. lib. 13. Literæ autem in pugillaribus membraneis ſcriptæ ut in ceteris facile delebantur.

Vitelliani. VIII.

NONDUM legerit hos licet puella,
Novit quid cupiant Vitelliani.

Quamvis puella nondum legerit hos, ſcit quid velint Vitelliani.

Vitelliani.] De quibus epig. 6. lib. 2. Pugillares nempe in quibus res amatoriæ ſcribebantur, atque ad puellam mittebantur.

Iidem Vitelliani. IX.

QUOD nummos cernis, mitti nos credis amicæ:
Falleris, & nummos iſta tabella rogat.

Quod nummos vides, putas nos mitti ad amicam: allucinaris, & hæc tabella petit nummos.

Quod

Quod nummos.] Alii *quod minimos*. Sic loquuntur Vitelliani, nempe non mitti se ad amicam ad noctem petendam, vel rogandum aliquid ejusmodi: sed mitti se ad aliquem fœneratorem aut divitem ad petendam pecuniam. Videat lector. Vulgatam lectionem retinet Domitius, & dicit Vitellianos fuisse loculos ex corio confectos, quos sic explico: Cum in illis Vitellianis essent nummi, ad amicam illos mitti credere potuisset aliquis; at mutuo erant accepti & forte ab ipsa amica. Alii sic interpretantur: Nummos, quorum mentio in his pugillaribus, non mitto amicæ, sed posco ab illa.

Chartæ majores. X.

NON sunt munera quæ putas puella,
Cum donat vacuas Poëta chartas.

Non sunt dona quæ credis, ô puella, cum vates donat inanes chartas.

Non sunt.] Legunt alii,
Non est munera quod putes pusilla.
Quæ putas.] Alii *petis*: cum in iis nec sunt nummi nec carmina.
Cum donat vacuas.] Chartæ majores sunt loculi chartei, grandiores, quæ puellæ mittuntur inanes, ut supra sunt Vitelliani. Domitius.

Chartæ epistolares. XI.

SEU leviter noto, seu caro missa sodali,
Omnes ista solet charta vocare suos.

Ista charta seu missa ad hominem mediocriter cognitum, seu ad socium dilectum, consuevit omnes appellare suos.

Seu leviter noto.] Nam seu ad hominem parum notum, seu ad amicum scriberent antiqui, epistolæ semper hæc præfigebatur inscriptio, *suo*, vel *suis*: v. g. M. T. Cicero Attico suo, &c.

Loculi eburnei. XII.

HOS nisi de fulva loculos implere moneta
Non decet, argentum vilia ligna ferant.

Non convenit implere hos loculos nisi moneta flava. Ligna contemnenda gestent argentum.

Loculos.] Capsulam ex ebore intellige, quam auro tantum implendam dicit Poëta.
Ligna vilia.] Hoc est, loculi lignei viles.

Loculi lignei. XIII.

SI quid adhuc superest in nostri fæce locelli,
Munus erit: nihil est, ipse locellus erit.

Si quid adhuc reliqui est in fæce nostri locelli, donabo: nihil est, donabo ipsam crumenam.

Si quid.] Hoc est, si quid æris supererit in fundo meæ capsulæ, donabo: sin minus: dabo ipsam crumenam.

Tali eborei. XIV.

CUM ſteterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dediſſe tibi.

Cum nullus talus tibi ſteterit eadem figura, inquies te a me affectum fuiſſe magnis donis.

Cum ſteterit.] De talis jam diximus epig. 14. lib. 4. & epig. 2. lib. 13. Calcagninus de talis: Sex ſunt, inquit, tali latera, etſi quatuor tantum in uſu ludentium ſint; nam duo ſunt ita incurva, ut illis talus vix poſſit conſiſtere. Has *κεραίας*, id eſt antennas, videtur Ariſtoteles appellaſſe. Proinde ſcitum eſt in talo Binarium & Quinarium, qui duo numeri ſunt in teſſeris oppoſiti, deſiderari. Ex reliquis quatuor tali partibus una ſupina, altera prona dicitur: quæ duæ ternarii & quaternarii vices obeunt. Unitas autem & ſenio duabus reliquis partibus tribuuntur: ſenionem vero Coum, unitatem Chium vocabant. *Et paulo infra*: Sed omnes caſus talorum ex conſuetudine ludentium annumerati erant quinque & triginta, quorum quidam a diis, alii ab heroibus, alii a claris hominibus aut meretricibus nomen accipiebant: nonnulli vero ab eventibus, qui cum laude aut probro acciderant, denominabantur. Senio autem a Venere nuncupatim ſeparatur apud Suetonium cap. 71. in Epiſtola Auguſti ad Tiberium: Luſimus, mi Tiberi, γεροντικῶς heri & hodie. Talis jactatis ut quiſque canem aut ſenionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios conferebat, quos tollebat univerſos qui Venerem jecerat. *Idem Calcagninus*: Sed quoties tali ita excidebant, ut diverſa eſſet omnibus facies; qui jactus inter eos, quos quinque & triginta Euſtathius dixit, ultimus numerabatur: tum felix ille caſus, qui Veneris nomine cenſebatur, affulgebat; cum nempe unus talus canem, alter ternarium, tertius quaternarium, quartus ſenionem. Hinc clara eſt hujus diſtichi ſententia.

Munera.] Vincebat enim qui Venerem jecerat.

Teſſera. XV.

NON ſim talorum numero par teſſera, dum ſit
Major, quam talis, alea ſæpe mihi.

Ego *teſſera vincar numero talorum, dum ſæpe mihi ſit major fortuna, quam talis.*

Teſſera.] Vitruvius lib. 5. *Cubus eſt corpus ex ſex lateribus æquali latitudine planitierum quadratum. Is cum eſt jactus, quam in partem incubuit, dum eſt intactus, immotam habet ſtationem: uti ſunt etiam teſſeræ, quas in alveo ludentes jaciunt.* Macrobius lib. 2. cap. 2. *Teſſera Græco nomine κύβος appellatur.*

Non ſim numero par.] Duabus enim tribuſve teſſeris, quatuor autem ad minimum talis, contendebatur in acie luſoria. Calcagninus de teſſeris. Vide epig. 1. lib. 13.

Major alea.] Hoc eſt, dum major pecunia meo ludo, quam talis committatur.

Turricula. XVI.

QUÆRIT compoſitos manus improba mittere talos:
Si per me miſit, nil niſi vota facit.

Manus doloſa quærit jacere talos compoſitos: ſi per me jecit, nihil facit niſi vota.

Turricula.] Quæ nempe inventa eſt ad vitandas in ludo talorum fraudes veteratorum. Vide epig. 14. lib. 4.

Compoſitos.] Aleatores enim ita in manu talos componunt, ut optata puncta appareant.

Si per me.] Si per me turriculam nempe ex qua ſeu pyrgo cum emittuntur tali, nullus dolo ſed fortunæ tantum locus eſt.

Tabula lusoria. XVII.

HIc mihi bis seno numeratur tessera puncto:
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Hic numerò tesseram duodecim punctis: hic discolor calculus vincitur a gemino hoste.

Hic mihi.] In tabula scilicet lusoria, quæ tesserarum & calculorum ludo serviebat.
Bis seno.] Duabus tesseris sæpe ludebatur; & cum in altera atque altera forent sex puncta, punctorum duodecim summa reddebatur. Sic Calcagninus de tesseris.
Calculus.] Qui a duobus aliis discoloribus circundatus peribat. Vide epig. 71, lib. 7. & epig. 20. infra.

Nuces. XVIII.

ALEA parva nuces, & non damnosa videtur:
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

Alea levis nec damnosa videtur in nucibus: nihilominus sæpe illa nudavit nates puerorum.

Nuces.] De quibus jam epig. 85. lib. 5. Hic ludus ultra Saturnalia non permittebatur pueris; unde si præteritis Saturnalibus luderent nucibus, cædebantur virgis, licet ille ludus parum quæstuosus aut damnosus esset.

Theca calamaria. XIX.

SORTITUS thecam calamis armare memento:
Cætera nos dedimus, tu leviora para.

Nactus thecam recordare ornare illam calamis: nos donavimus reliqua, tu instrue leviora.

Cætera nos dedimus.] Thecam nempe calamis reponendis idoneam.
Tu leviora para.] Calamos, scilicet stilum, &c.

Calculi. XX.

INSIDIOSORUM si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, & hostis erit.

Si ludis pugnam latronum fraudulentorum, tu habebis istum gemmeum militem, & hostem.

Insidiosorum.] De calculis fuse egimus epig. 71. lib. 7. Hinc in alveo erant grassatores, illinc insidiatores diversicolores. Gemmeum vocat Poëta utriusque partis calculum, quod vitreus uterque esset, inquit Raderus.

Graphiarium. XXI.

HÆc tibi erunt armata suo graphiaria ferro:
Si puero dones, non leve munus erit.

Tu habebis graphiaria munita suo ferro: si des puero, non erit parvum donum.

Graphiarium.] Theca est graphiorum: graphium autem stilus est scriptorius, seu librarius stilus.
Armata suo ferro.] Hoc est, suo stilo ferreo.

Den-

Dentiscalpium. XXII.

LENTISCUM melius: sed si tibi frondea cuspis
Defuerit, dentes penna levare potest.

Lentiscum melius expurgat: at si careas frondea cuspide, penna potest expurgare dentes.

Dentiscalpium.] Vile quidem munus quo nempe circumpurgabantur dentes. Vide epig. 74. lib. 6.

Foditque tonsis ora laxa lentiscis.

Plinius lib. 14. *Optimam tenuissimamque picem fundunt lentisci, quam & masticen vocant.* Lentiscus arbor est ex qua fiebat lentiscum instrumentum, ut ait Domitius.

Frondea cuspis.] Lentisci scilicet.

Penna.] Alii *pinna.* Vide epig. 82. lib. 3.

——— *suggeritque ructanti*
Pinnas rubentes, cuspidesque lentisci.

Auriscalpium. XXIII.

SI tibi morosa prurigine verminat auris,
Arma damus tantis apta libidinibus.

Si auris tua vexatur molesto pruritu, porrigimus arma convenientia tantis titillationibus.

Verminat.] Hoc est, torquetur vermibus: quo sensu non sumitur hic, sed pro *titillatur*: alio quippe remedio quam auriscalpio opus esset ad curandum hunc morbum.

Acus aurea. XXIV.

TÆNIA ne madidos violet bombycina crines,
Figat acus tortas, sustineatque comas.

Ne tænia serica conturbet capillos madidos, acus figat, & fulciat capillos tortos.

Violet.] Sic Turnebus legendum docet lib. 9. cap. 23. dicitur enim *tænia, tæniæ.* Virgilius 7. Æneid.

——— *fit longa tænia vitta.*

Male ergo legunt alii *violent.* Alii,

Splendida ne madidos ———

Alii *tennia* cum synalephe, & τὸ *bombycina* nomen esset substantivum pluralis numeri. Turnebi lectio mihi videtur melior. Hoc est, ne velum seu tænia confundat capillos compositos, & unguento delibutos, acu sustinere illos oportet. Juvenalis sat. 6. de capillis mulieris compositis:

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

Forte a contrario hunc versum intelligit Martialis, ut sit sensus: Acu figendi sunt capilli, ne madidi bombycinam seu sericam tæniam inquinent.

Pecten ad calvum. XXV.

QUID faciet nullos hic inventura capillos,
Multifido buxus quæ tibi dente datur?

Quid aget buxus multifido dente, quæ tibi donatur nullos hic repertura crines?

Quid faciet.] Pectine buxeo calvum quendam donat, quo non ipsi opus erat, atque ita illum irridet Poëta.

Crines

Crines sapo. XXVI.

CAUSTICA Teutonicos accendit spuma capillos:
Captivis poteris cultior esse comis.

Capilli Germanorum rufantur ignea spuma: poteris esse eleganter comis captivorum Germanorum.

Sapo.] Plinius lib. 28. cap. 12. *Prodest & sapo: Gallorum hoc inventum rutilandis capillis, ex sevo & cinere. Optimus fagino & caprino, duobus modis, spissus ac liquidus: uterque apud Germanos majore in usu viris quam feminis.*

Captivis comis.] Germanorum scilicet quos subegerat Domitianus: hoc est, si sapone utaris, Germanorum elegantiam in rufandis comis superare poteris.

Mattiacæ pilæ. XXVII.

SI mutare paras longævos cana capillos,
Accipe Mattiacas, quo tibi calva? pilas.

Si tu vetula intendis tingere comas seniles, accipe Mattiacas pilas, cui bono, ô calva?

Accipe Mattiacas.] Turnebus lib. 9. cap. 23. Mattiacas pilas interpretatur saponis quoddam vile genus, quo tincti capilli cani nigrescunt. Mattiacæ a Mattiaco oppido Germaniæ, *Baden.* Sic Farnabius. Ortelius vero congruere ait cum *Marpurg.*

Umbella. XXVIII.

ACCIPE quæ nimios vincant umbracula Soles,
Sit licet & ventus, te tua vela tegent.

Accipe umbracula quæ retundant soles vehementiores: quamvis & ventus flet, tua vela tegent te.

Umbella.] Gallice *parasol.*
Sit licet.] Alii *si licet.*
Te tua vela tegent.] Vela quibus circumdabatur theatrum, dum exhiberentur spectacula, aliquando vento vehementiori agitata Solem admittebant, ad quod arcendum incommodum umbella erat utilissima. *Te tua vela*, hoc est tua umbella.

Gausapa. XXIX.

IN Pompeiano tectus spectabo theatro:
Nam ventus populo vela negare solet.

Tectus spectabo in theatro Pompeiano: nam ventus solet removere vela a populo.

Gausapa.] Alii *Causia.* Lipsius cap. 18. de amphitheatro sic explicat. Duplex iis etiam tegmen, sive pillei, sive umbellæ. Pillei quidem Thessalici, ut supra ex Dione retuli; quem eumdem cum Petaso aliquis fecerit. Usi & *Gausapis*, an *Causia* loco illius pillei? Nam varia hæc in Martiale lectio: (& citat hoc distichum) significat diserte, usurum se tegmine causiæ contra Solem, si ventus invidisset vela.

Venabula. XXX.

EXCIPIENT apros exspectabuntque leones:
Intrabunt ursos, sit modo firma manus.

Hæc sustinebunt apros, & exspectabunt leones: vulnerabunt ursos, dummodo manus sit vegeta.

Exci-

Excipient.] Venabula scilicet quæ sunt venaticæ hastæ, tela vel spicula.
Sit modo firma.] Secus enim ictum declinarent ursi & leones, & venatorem ipsum invaderent.

Culter venatorius. XXXI.

SI dejecta gemes longo venabula rostro,
Hic brevis in grandem cominus ibit aprum.

Si dolebis depulsa esse venabula longo rostro apri, hic brevis culter propius petet ingentem aprum.

Si dejecta gemes.] Alii *geres.*
Hic brevis.] Cum venabuli ictum eluserat aper, opus erat cultro ad illum conficiendum: aliter vitæ periculum subiisset venator.

Parazonium. XXXII.

MILITIÆ decus hoc, & grati nomen honoris:
Arma tribunicium cingere digna latus.

Hoc ornamentum militiæ, & nomen decoris jucundi, arma sunt *quæ merentur cingere latus Tribuni.*

Parazonium.] παραζώνιον cingulum cum ense. Alii dicunt gladii genus esse quod ad zonam accingebatur. Honoris causa ab Imperatoribus tribuni donabantur hoc gladio. Sic Trajanus Suræ gladium quo accingendus erat, porrexit: τὸ ξίφος ᾧ παραζώννυσθαι αὐτὸν ἐχρῆν ὤρεξεν, Dio in vita Trajani. Parazonii quoque mentionem fecit Athenæus lib. 4.

Pugio. XXXIII.

PUGIO, quem curvis signat brevis orbita venis,
Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.

Pugio, in quo venæ curvæ imprimuntur brevi orbita, crepitans tinctus est aquis frigidis Salonis.

Brevis orbita.] Circulos venarum curvarum appellat orbitam: venæ autem apparent in ferro polito, & temperato. Sic Raderus.
Stridentem.] Dum enim ferrum candens aqua temperatur, strepitum edit.
Salo.] De quo epig. 50. lib. 1.

Quibus remissum corpus adstringas brevi
Salone, qui ferrum gelat.

Falx ex ense. XXXIV.

PAx me certa ducis placidos curvavit in usus:
Agricolæ nunc sum, militis ante fui.

Rata pax Imperatoris curvavit me in usus tranquillos: nunc sum agricultoris, antea fui militis.

Certa ducis,] Domitiani scilicet. Vide epig. 2.

Nulla ducum feritas, nulla est insania ferri:
Pace frui certa, lætitiaque licet.

Ducis placidos. Alii *demus dociles.*
Militis.] Nempe cum essem telum militare. Virgilius 1. Georg.

Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.

Secu-

Securicula. XXXV.

CUM fieret tristis solvendis auctio nummis,
Hæc quadringentis millibus empta fuit.

Cum auctio mœsta fieret ad solvendos nummos, hæc fuit comparata quadringentis millibus.

Securicula.] Est parva securis.
Cum fieret.] Cum bellorum civilium tempore civium proscriptorum bona sub hasta venderentur, hæc securicula summo pretio vendita fuit, quod tunc ferrum rebus aliis omnibus carius esset, cum omnes ad arma concurrerent. An forte pretiosa fuit ab artificis opere? Videat lector.

Ferramenta tonsoria. XXXVI.

TONDENDIS hæc arma tibi sunt apta capillis:
Unguibus hæc longis, utilis illa genis.

Hæc arma tibi inserviunt tondendis comis: hæc idonea unguibus longis resecandis, illa genis radendis.

Unguibus hæc.] Forfex, cujus etiam aliud genus capillis tondendis inserviebat.
Utilis illa.] Novacula scilicet.

Scrinium. XXXVII.

CONSTRICTOS nisi des mihi libellos,
Admittam tineas, trucesque blattas.

Nisi prœbeas colligatos libros, locus erit tineis, atque atrocibus blattis.

Constrictos.] Alii *constructos*. Prior lectio videtur melior: in arcula quippe coarctandi sunt libri, ne soluti corrumpantur vermibus. *Tinea* & *blatta* parum differunt.

Fasces calamorum. XXXVIII.

DAT chartis habiles calamos Memphitica tellus:
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Terra Memphitica producit calamos accommodatos chartis. Tu operias tecta calamis aliarum paludum.

Dat chartis habiles.] Memphis Ægypti urbs nobilissima. Vide epig. 1. lib. Spect. Plinius lib. 16. cap. 36. *Chartisque serviunt calami Ægyptii maxime cognatione quadam papyri. Probatiores tamen Gnidii, & qui in Asia circa Anaiticum lacum nascuntur.* Ægyptios tamen calamos præ aliis omnibus laudat Poëta, & alios lectis muniendis inservire debere censet.

Lucerna cubicularia. XXXIX.

DULCIS conscia lectuli lucerna,
Quidquid vis facias licet, tacebo.

Ego lucerna testis jucundi lectuli, fas est agas quidquid placet: silebo.

Can-

Candela. XL.

ANCILLAM tibi sors dedit lucernæ,
Tutas quæ vigil exigit tenebras.

Casus tibi donavit candelam ancillam lucernæ, quæ ardens expellit tenebras innoxias.

Ancillam.] Lucerna utebantur divites, candela vero pauperes, quam ancillam lucernæ vocat instar pauperiorum fœminarum quæ ditioribus ancillantur.

Tutas.] Hoc est, licet lucernæ ancilla sit candela, tamen idem tibi officium præstat: lucente enim candela nihil offendes. *Tutas*, alii *totas*.

Lucerna polymyxos. XLI.

ILLUSTREM cum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxos, una lucerna vocor.

Cum meis flammis illuminem totas epulas, & habeam tot ellychnia, appellor una lucerna.

Tota convivia.] Triclinium intellige, ubi celebrantur convivia.

Totque geram myxos.] μύξα humor est ex naribus profluens: item μύξαι nares: unde lucerna δίμυξος, & πολύμυξος ab ellychniorum numero dicta est.

Cereus. XLII.

HIc tibi nocturnos præstabit cereus ignes:
Subducta est puero namque lucerna tuo.

Hic cereus tibi exhibebit nocturnas flammas: etenim lucerna subrepta est tuo servo.

Cereus.] Saturnalibus cereos donari solitos jam diximus epig. 18. lib. 5.
Subducta.] Vide epig. 59. lib. 8.

Nec dormitantem vernam fraudare lucerna
Erubuit fallax, ardeat illa licet.

Candelabrum Corinthium. XLIII.

NOMINA candelæ nobis antiqua dederunt.
Non norat parcos uncta lucerna patres.

Candelæ nobis imposuerunt nomina vetera, uncta lucerna non erat nota frugalibus majoribus.

Nomina candelæ.] Candelabra Corinthia ex ære summo erant in pretio, de quibus Plinius cap. 3. lib. 34. & cap. 2. ejusdem libri: *Ex illa autem antiqua gloria Corinthium maxime laudatur: hoc casus miscuit. Corintho, cum caperetur, incensa, mireque circa id multorum affectatio fuit.* &c. A candelis vero quæ imponebantur candelabris, & quibus utebantur veteres nondum inventa lucerna, dicta sunt candelabra. Candelabrum Corinthium divitis erat munus, ligneum autem pauperis.

Can-

Candelabrum ligneum. XLIV.

ESSE vides lignum: ferves nisi lumina, fiet
De candelabro magna lucerna tibi.

Cernis esse lignum: nisi custodias lumina, magna lucerna tibi efficietur ex candelabro.

Serves nisi lumina.] Incendent nempe candelabrum ligneum.

Pila paganica. XLV.

HÆc quæ difficilis turget paganica pluma,
Folle minus laxa est, & minus arcta pila.

Hac operosa paganica qua farta est pluma, laxior est folle, remissior vero pila.

Pila paganica.] Sic dicta a pagis, ubi primum inventa ad voluptatem rusticorum. Difficilem vocat, quod forte hoc genus pilæ aliis pilarum generibus difficilius esset. Vide epig. 19. lib. 4. & epig. 31. lib. 7.

Pila trigonalis. XLVI.

SI me nobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.

Si manibus industriis novisti expellere me, sum tua: si non novisti, ô rustice, restitue pilam.

Si me nobilibus.] Industria quippe opus erat ad hunc ludum. Vide epig. 19. lib. 4. & epig. 31. & 71. lib. 7.
Sic palmam tibi de trigone nudo
Uncta det favor arbiter corona,
Nec laudet Polybi magis sinistras.
Unde Scriverius hic legit aliter:
Si me scis Polybi levis expulsare sinistris
Judicet lector. Vel forte legendum:
Si me nobilibus, &c.

Follis. XLVII.

ITE procul juvenes: mitis mihi convenit ætas,
Folle decet pueros ludere, folle senes.

O adolescentes, longe recedite: imbellis ætas mihi convenit: decet pueros & senes ludere folle.

Mitis.] Etenim non opus est magna vi, unde robustiores adolescentes alio ludi genere exercere se debent.

Follis.] Pila scilicet vento inflata, qua pueri & senes se exercebant. Vide epig. 19. lib. 4.

Harpasta. XLVIII.

HÆc rapit Antæi velox in pulvere draucus,
Grandia qui vano colla labore facit.

Draucus celer Antæi qui inutili labore extendit collum, rapit hæc harpasta in pulvere.

Harpasta.] Pilæ nempe erant ex corio factæ, epig. 19. lib. 4.

Sive harpasta manu pulverulenta rapis.

Antæi draucus.] Id est palæstræ studiosus,

diosus, & quasi Antæi *discipulus*, inquit Raderus. De Antæo diximus epig. 104. lib. 9.

Grandia qui.] Palæstritæ enim ut fortiores essent, collum producere solebant. Juven. sat. 3.

Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis Antæum procul a tellure tenentis.

Vano labore.] Quo nempe otiosi homines exercentur. Hoc distichum aliter explicat Turnebus lib. 9. cap. 23.

Halteres. XLIX.

QUID pereunt stulto fortes haltere lacerti?
Exercet melius vinea fossa viros.

Quid robusta brachia defatigantur vano haltere? Viri melius exercentur vite effossa.

Halteres.] Dicti sunt ab ἅλλομαι *salio.* Erant autem massæ lapideæ, vel metallicæ, ansa vel manubrio addito, quo commode levari possent ab athletis. De halteribus agit Galenus lib. 1. de sanitate tuenda. Juven. sat. 6.

Et lassata manu ceciderunt brachia massa.

quod de halteribus accipiendum.

Galericulum. L.

NE lutet immundam nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Ne turpe ceroma contaminet comas nitidas, poteris hac pelle tegere crines unctos.

Ceroma.] De quo vide epig. 4. lib. 4. Galericulum inserviebat & ad tegendam calvitiem, ut supra epig. 45. lib. 12. & defendendos capillos a ceromate quo inungebantur palæstritæ.

Hac pelle.] Ex qua scilicet factus erat parvus galerus.

Strigiles. LI.

PERGAMUS has misit, curvo distringere ferro.
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

Hæ allatæ sunt Pergamo, rade corpus ferro curvo, fullo non tam crebro eluet tua lintea.

Pergamus.] Urbs Asiæ minoris, in qua fabricabantur strigiles, instrumenta scilicet quibus antequam balnea ingrederentur antiqui, cutem radebant. Persius sat. 5.

I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.

Distringere.] Imperativus est vocis passivæ.

Non tam.] Hoc est, si corpus strigilibus bene distrinxeris, in balneo minus inquinabis lintea quibus te abstergeres, atque ita non tam sæpe fullonis opera indigebis, qui purget vestes contaminatas.

Guttus corneus. LII.

GESTAVIT modo fronte me juvencus.
Verum rhinocerota me putabis.

Paulo ante taurus me portavit fronte: existimabis me verum rhinocerota.

Gu-

Guttus.] Vas scilicet ex cornu tauri factum, in quo oleum præsertim servabatur. Vide Gellium lib. 17. cap. 8. Eo etiam antiqui utebantur in sacrificiis, Plinius lib. 16. cap. 38. *Marcus Curius juravit se ex præda nihil attigisse præter guttum faginum quo sacrificaret.*

Verum.] Alii adverbialiter sumunt. Hoc est, tantus est guttus, ut ex rhinocerotis cornu factus videatur. De rhinocerote agit Plinius lib. 8. cap. 20.

Rhinoceros. LIII.

NUPER in Ausonia domini spectatus arena
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

Tu habebis hunc nuper visum in arena Romana domini, qui in altum jaciebat taurum ut pilam.

Rhinoceros.] Hoc est, guttus ex cornu rhinocerotis: quo sensu rhinoceros sumitur apud Juven. sat. 7. ——— *exitus hic est Tongilli magno cum rhinocerote lavari.*

Domini.] Imperatoris Domitiani.

Cui pila.] Idem dixit de rhinocerote epig. 9. & 19. lib. Spect.

Crepitaculum. LIV.

SI quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenera garrula sistra manu.

Si quis vernula flens suspensus est ex tuo collo, manu tenera pulset canora hæc sistra.

Vernula.] Infans nempe servulus domi natus.

Sistra.] Instrumenta canora ex metallo, quæ quatiebantur in sacris Isidis, epig. 29. lib. 12. Percusso autem crepitaculo, lacrymas tenent pueri.

Flagellum. LV.

PROFICIES nihil hoc, cædas licet usque flagello,
Si tibi purpureo de grege currit equus.

Nihil tibi proderit, quamvis semper verberes his virgis, si habes currentem equum ex purpureo grege.

Si tibi purpureo.] Hoc est, equi factionis purpureæ tam segnes sunt, ut illos licet assidue verberes, velocius tamen non current. Hoc dixit de factione Veneta epig. 46. lib. 6.

Vapulat assiduo Veneti quadriga flagello,
Nec currit, magnam rem, Catiane, facit.

De factionibus aurigarum egimus supra.

Dentifricium. LVI.

QUID mecum est tibi? me puella sumat,
Emtos non soleo polire dentes.

Quid habes agendum mecum? Puella accipiat me, non soleo polire dentes emptos.

Quid mecum.] Dentifricium alloquitur anum aliquam, quæ habebat dentes emptitios, quibus poliendis non inservire se, sed puellarum dentibus usui esse dicit: ex caninorum vero dentium cinere cum melle fit dentifricium, Plinius lib. 30. cap. 3. Capite autem 20. lib. 36. *Arabus lapis eburi similis, dentifriciis accommodatur crematus.*

Myro-

Myrobalanum. LVII.

QUOD nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,
Hoc ex unguento constat, & ex balano.

Quod nec Virgilius, nec Homerus expressit versu, hoc componitur ex unguento & balano.

Myrobalanum.] Hujus vocis plures syllabæ breves carmini non conveniunt, unde nec ab Homero nec a Virgilio fuit usurpata. Myrobalanum, teste Plinio lib 12. cap. 21. *Troglodytis & Thebaidis & Arabiæ quæ Judæam ab Ægypto disterminat, commune est, nascens unguento, ut ipso nomine apparet. Quo item indicatur & glandem esse arboris heliotropio, quam dicemus inter herbas, simili folio: Fructus magnitudine avellanæ nucis.*

Aphronitrum. LVIII.

RUSTICUS es, nescis quid Græco nomine dicar.
Spuma vocor nitri, dicor & aphronitrum.

Indoctus es, ignoras quid vocer Græco nomine. spuma nitri nominor, & aphronitrum appellor.

Aphronitrum.] ἀφρὸς spuma, νίτρον nitrum. Plinius lib. 31. cap. 10. *Proxima ætas medicorum aphronitrum tradit in Asia colligi in speluncis molibus distillans.*

Opobalsama. LIX.

BALSAMA me capiunt, hæc sunt unguenta virorum,
Delicias Hini vos redolete nurus.

Balsama continent me, hæc unguenta conveniunt viris: & nurus, vos spirate voluptates Hini.

Balsama me capiunt.] Balsamum est arbor, opobalsamum vero succus est defluens ex balsamo, cujus suavitatem commendat Plinius lib. 12. cap. 25.

Hæc sunt unguenta.] Juvenalis tamen sat. 2. affirmat mollibus tantum hominibus hæc convenire:

——————fed tamen unde
Hæc emis, hirsuto spirant opobalsama collo
Quæ tibi? ——————

Delicias Hini.] Raderus legit *Nini*: hoc est, inquit, Vos, fœminæ, Assyrios quærite liquores, amomum, nardum, aliaque id genus pigmenta, ut unguenta delicata. Ninus rex fuit Assyriorum. De Assyrio unguento vide epig. 77. lib. 8.

Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
Splendeat.

Alii *Cosmi* unguentarii scilicet, de quo jam sæpius supra.

Lomentum. LX.

GRATUM munus erit, scisso nec inutile ventri,
Si clara Stephani balnea luce petes.

Donum erit jucundum, nec inutile alvo rugosæ, si clara luce adibis balnea Stephani.

Lomentum.] Quod nempe rugis uteri condendis inserviebat. Vide epig. 42. lib. 3.

Lomento rugas uteri quod condere tentas

Pella. &c.

De balneis Stephani jam dictum est epig. 53. lib. 11.

Petes.] Alii *petas.*

La-

Laterna cornea. LXI.

DUX laterna viæ clausis feror aurea flammis,
Et tuta est gremio parva lucerna meo.

Aurea laterna dux viæ portor flammis clausis, & exigua lucerna secura est meo gremio.

Clausis flammis.] In laterna quippe lumen occultatur, quæ cum esset cornea, dum pellucebat, aurea videbatur.

Lucerna.] Sumitur pro candela & ipso lumine.

Laterna ex vesica. LXII.

CORNEA si non sum, numquid sum fuscior? aut me
Vesicam contra qui venit esse putat?

Si non sum cornea, an sum minus lucida? aut me credit vesicam, qui mihi obviam fit?

Cornea si non sum.] Tamen, inquit, æque pellucida videor, nec quisquam occurrens me discernat a cornea.

Fistula. LXIII.

QUID me compactam ceris, & arundine rides?
Quæ primum exstructa est fistula, talis erat.

Cur ego compacta ceris & arundine tibi sum ludibrio? Prima fistula quæ facta est, erat talis.

Quid me compactam.] Pan primus compegit fistulam. Ovidius 1. Met.

Atque ita disparibus calamis compagine ceræ
Inter se junctis nomen tenuisse puellæ.

& Virgilius eclog. 2.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit.

& paulo infra:

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula. Vide Theocr. Idyl. 8.

Tibiæ. LXIV.

EBRIA nos madidis rumpit tibicina buccis:
Sæpe duas pariter, sæpe monaulon habet.

Temulenta tibicina buccis ebriis inflat nos: sæpe habet duas pares, sæpe monaulon.

Tibia.] De variis tibiarum generibus scribit Solinus cap. 11. Forma, non materia, differunt a fistulis. De his etiam fuse agit Beroaldus ad hæc Apulei verba Asini aurei lib. 10. *Jam tibiæ multiforabiles cantus Lydios dulciter consonant.*

Ebria tibicina.] Mulier nempe quæ tibia canens convivio aderat. *Rumpit*, id est inflat, ut mihi videtur.

Sæpe duas.] hoc est, sæpe habet tibiam geminam, & sæpe monaulon, hoc est simplicem.

Soleæ lanatæ. LXV.

DEFUERIT si forte puer, soleasque libebit
Sumere: pro puero proderis ipse tibi.

Si forte carueris servo, & placebit accipere soleas; ipse tibi puer eris.

Soleas.] Gellius lib. 13. cap. 20. *Omnia enim ferme id genus quibus plantarum calces tantum infime teguntur, cætera prope nuda, & teretibus habenis juncta sunt, soleas dixerunt: nonnunquam voce Græca crepidulas.*

Proderis ipse tibi.] Alii, *——pro puero pes erit ipse tibi.* Hoc est, tu eris tibi servus a pedibus. Veteres codices habent, *pro puero proderis ipse tibi.* Salmasius legit, *pes erit ipse sibi:* hoc est. pes in soleis lanatis vicem pueri supplebit.

Mamillare. LXVI.

TAURINO poteras pectus constringere tergo:
Nam pellis mammas non capit ista tuas.

Poteras devincire pectus tergo taurino; ista enim pellis non continet tuas mammas.

Mamillare.] Scilicet quod mammis tegendis inserviebat.

Non capit.] Sic notat & deridet ingentes mammas cujusdam mulieris.

Muscaria pavonina. LXVII.

LAMBERE quæ turpes prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiæ cauda superba fuit.

Summus cauda superba egregia avis, quæ vetat muscas lingere tua prandia.

Lambere.] Muscarium flabellum erat muscis abigendis idoneum.
Alitis eximiæ.] Pavonis scilicet.

Copta Rhodia. LXVIII.

PECCANTIS famuli pugno ne percute dentes:
Clara Rhodos coptam, quam tibi misit, edat.

Ne pugno cade dentes servi errantis: ille manducet coptam, quæ tibi allata est Rhodo nobili.

Clara Rhodos.] Turnebus lib. 10. cap. 10. sic explicat coptam: Hoc, inquit, genus panificii fuisse videtur, cui quædam quæ conderentur, ut ipsum vocabulum confitetur, miscerentur, ut nuclei pinei, amygdalæ: sed omnino durissima adferebatur Rhodo, ut e Martialis joco intelleximus: copta vero fit a κόπτω *intido, pulso*, quam manducans servus effringet suos dentes.

Priapus filigineus. LXIX.

SI vis esse satur, nostrum potes esse Priapum:
Ipse licet rodas inguina, purus eris.

Si cupis saturari, licet comedere nostrum Priapum: quamvis tu corrodas inguina, castus eris.

Purus.] Os non fœdabis, cum Priapus sit filigineus.

Porcus. LXX.

ISTE tibi faciet bona Saturnalia porcus,
Inter spumantes ilice pastus apros.

Celebrabis bona Saturnalia isto porco saginato glandibus inter apros spumantes.

Bona Saturnalia.] Vide epig. 2. lib. 11.
Ilice.] Arborem dicit pro fructibus.

Muscarium bubulum. LXXI.

SORDIDA si flavo fuerit tibi pulvere vestis,
Colligat hunc tenui verbere cauda levis.

Si habueris vestem inquinatam flavo pulvere, cauda levis excutiat hunc levi pulsatione.

Colligat.] Hoc est, cauda bovis excute hunc pulverem. *Cauda levis.* Alii, *cauda bovis.*

Botulus. LXXII.

QUI venit botulus medio tibi tempore brumæ,
Saturni septem venerat ante dies.

Botulus qui mittitur ad te medio tempore brumæ, ad me missus fuerat ante septem dies Saturni.

Botulus.] Genus farciminis de quo epig. 79. lib. 5.
Medio tibi.] Hoc est, mediis Saturnalibus.
Saturni septem.] Hoc est, ante Saturnalia ad me missus erat. Quinque tantum erant legitimi dies Saturni, ut diximus epig. 89. lib. 4. quibus duo lætitiæ non festi adjungebantur. Macrobius lib. 1. cap. 11. *Apud veteres opinio fuit, septem diebus peragi Saturnalia.*

Psittacus. LXXIII.

PSITTACUS a vobis aliorum nomina discam:
Hoc didici per me dicere, Cæsar, ave.

Psittacus docebor a vobis nomina aliorum: a me doctus fui hoc dicere, Cæsar, ave.

Psittacus.] Avis satis nota.
Per me.] Hoc est, sine magistro.

Corvus. LXXIV.

CORVE salutator, quare fellator haberis?
In caput intravit mentula nulla tuum.

O Corve salutator, cur existimaris fellator? Caput tuum nulla mentula fuit praecisum.

Fellator.] *Corvos ore coire, & concipere credit vulgus, foemina rostro maris inserto*, Plinius lib. 10. cap. 12. Sed Aristoteles negat, & deridet hoc ab Anaxagora proditum lib. de Animal. Quod ore coirent corvi, pervulgatum hoc probat hic versiculus. Nec enim simplicem merumque osculi coitum καὶ μῖξιν τῶν ῥυγχῶν in corvis, ut in columbis fieri existimabant: sed semen etiam ex coitu per os immitti in foeminam, quo gravidaretur. Inde fellator corvus vulgo habitus. Salmasius.

Luscinia. LXXV.

FLET Philomela nefas incesti Tereos, & quae
Muta puella fuit, garrula fertur avis.

Philomela deplorat scelus incesti Tereos, & puella quae fuit muta, volucris loquax dicitur.

Incesti Tereos.] Cujus mentionem jam fecimus epig. 49. lib. 4. Satis nota est Philomelae fabula, quae compressa a Tereo marito sororis suae Prognes, in lusciniam mutata fuit.

Muta puella.] Cui scilicet linguam absciderat Tereus, ne incestum palam faceret. Vide Ovid. 6. Met.

Pica. LXXVI.

PICA loquax certa dominum te voce saluto:
Si me non videas, esse negabis avem.

Pica garrula te dominum saluto voce non dubia: si non aspicias me, dices me non esse volucrem.

Pica loquax.] Vide epig. 55. lib. 9.
Inde salutatus pica respondet avator.
Esse negabis.] Pica enim tam articulatim loquitur, ut vox ejus pro humana voce sumi possit.

Cavea. LXXVII.

SI tibi talis erit, qualem dilecta Catullo
Lesbia plorabat, hîc habitare potest.

Si habebis talem passerem qualem deflebat Lesbia amata a Catullo, hic potest habere domicilium.

Cavea.] Elegans sane in qua potuerit habitare passer tam formosus. De Lesbia epig. 73. lib. 9. De ejus passere dictum epig. 8. lib. 1.

Narthecium. LXXVIII.

ARTIS ebur medicae narthecia cernis habere
Munera, quae cuperet Pactius esse sua.

Vides te habere narthecia eburnea dona artis medicae, quibus affici vellet Pactius.

Nar-

Narthecia.] Erant capsulæ in quibus medicamenta recondebant medici, unde dicit Poëta illa esse artis medicæ propria.

Paccius.] Dives forte medicus: cujusdam Paccii orbi meminit Juvenalis satyra 12.

Flagra. LXXIX.

Ludite lascivi sed tantum ludite servi:
Hæc signata mihi quinque diebus erunt.

O servi petulantes ludite, sed tantum ludite: ego includam hæc flagra quinque diebus.

Sed tantum ludite.] Monet servos ut tantum ludant nec aliud tentent, alioquin præteritis quinque Saturnaliorum diebus, quibus domini ipsis serviebant, flagris illos excipiendos intelligit.

Ferula. LXXX.

Invisæ nimium pueris, gratæque magistris,
Clara Prometheo munere ligna sumus.

Nimis odiosæ pueris, & jucunda præceptoribus, sumus ligna nobilia Promethei gratia.

Invisæ pueris.] Quibus nempe illi cæduntur & coërcentur a magistris.

Clara Prometheo.] Prometheus enim ferula ad currum Solis admota ignem supe-ris subduxit, & in terras detulit: ex hoc vero Promethei furto nobilitatem acceperunt ferulæ. Vide epig 46. lib. 9.

Ecce Promethea rupes, &c.

Pera. LXXXI.

Ne mendica ferat barbati prandia nudi,
Dormiat & tetrico cum cane pera rogat.

Pera orat, ne portet rogata prandia barbati nudi, ut dormiat cum fœdo cane.

Ne mendica.] Ad opsonia recondenda pera utebantur philosophi cynici, quos barbatos nudos, & tetricos canes vocat Poëta. Vide epig. 53. lib. 4.

Scopæ. LXXXII.

In pretio scopas testatur palma fuisse.
Sed pretium scopis nunc analecta dabunt.

Palma manifestat scopas fuisse æstimatas: at nunc scopæ æstimabuntur propter analecta.

In pretio.] E palma enim factæ scopæ quibus pavimentum verrebatur, caræ erant. Horatius:

Ten' lapides varios lutulenta radere palma?

Nunc analecta.] Hoc est, reliquiæ cœnæ, epig. 19. lib. 7.

Colligere longa turpe nec putat dextra
Analecta, quicquid & canes reliquerunt.

Hoc est, scoparum pretium augebitur, utpote quibus colligentur analecta. Petronius in convivio Trimalcionis: *Insecutus est lecticarius, argentumque inter reliqua purgamenta scopis cœpit verrere.* Legunt alii: *Otia sed scopis nunc analecta dabunt.* Hoc sensu analecta dabunt scopis otia, cum ea in pavimento e parvis testulis effecta, talia forent, ut scopis everri nullo modo valeant, & ideo otia scopis dare necesse sit. Ita Alexander ab Alexandro lib. 4. Genialium dierum cap. 21. hoc pavimenti genus a Græcis dicitur ἀσάρωτος, quod scopis verri non debe-

best ab *a* privativo, & *Caspu verro*. Plinius lib. 36. cap. 25. *Sofus purgamenta cœnæ in pavimento, quæque everri solent veluti relicta fecerat parvis e testulis tinctisque in varios colores*. Hunc sensum & hanc lectionem sic refutat Calderinus: Si scopæ jam cessant, nec ullum præstant usum, cur mittuntur ab amico? Prior itaque lectio melior videtur. Legit Scriverius

Otia sed scopis nunc analecta dabit.

Servi quidam analectæ dicti sunt qui reliquias e mensa cadentes colligebant, & pavimenta spongiis mundabant. Judicet lector.

Scalptorium. LXXXIII.

DEFENDET manus hæc scapulas mordente molesto
Pulice, vel si quid pulice sordidius.

Hæc manus tuebitur scapulas mordente importuno pulice, vel si quid est turpius pulice.

Scalptorium.] Ut hinc colligitur, erat instrumentum manus instar quo prurientes scapulæ scalpebantur, & arcebantur pulices & pediculi.

Manuale. LXXXIV.

NE toga barbatos faciat vel pænula libros,
Hæc abies chartis tempora longa dabit.

Ne toga aut pænula efficiat libros villosos, hæc abies diu servabit chartas.

Manuale.] Hoc est, ex abietis tabulis quibus tegebatur liber, ne manibus aut sinu gestatus tritusque inhorreret duro mento, ut dixit Poëta epig. 67. lib. 1.

Lectus pavoninus. LXXXV.

NOMINA dat spondæ pictis pulcherrima pennis
Nunc Junonis avis: sed prius Argus erat.

Sponda denominantur a formosissima nunc ave Junonis: sed antea Argus erat.

Nomina dat spondæ.] Lecti quippe pavonini dicuntur, non quod, ut inquit Raderus, tegerentur pennis aut oculis pavonum, sed citreis tabulis quæ plumas gemmasque pavonum æmularentur. Plinius lib. 13. cap. 15. de mensis citreis: *Sunt & undatim crispa, majore gratia, si pavonum caudæ oculos imitentur.*

Sed prius Argus.] Qui nempe in pavonem Junoni sacrum fuit conversus. Hujus tabula vel pueris nota.

Ephippium. LXXXVI.

STRAGULA succincti venator sume veredi:
Nam solet a nudo surgere ficus equo.

O venator, accipe stragula veredi succincti: nam ficus solet effici ab equo nudo.

Stragula.] Intellige ephippium, quo nisi sternatur equus lædit equitem, cui nascitur ficus ulceris genus, de quo epig. 66. lib. 1. De veredo seu equo velocissimo dictum epig. 14. lib. 12.

Parcius utaris moneo rapiente veredo.

Forte intelligit equo succincto seu ephippiato imponendum esse stragulum, Gallice *une housse*. Sed cum dicat *a nudo equo*, stragula simpliciter interpretor ephippium.

Sti-

Stibadia. LXXXVII.

ACCIPE lunata scriptum testudine sigma;
Octo capit: veniat quisquis amicus erit.

Accipe sigma pictum testudine lunata: octo continet: accedat quisquis erit amicus.

Sigma.] Lecturo intellige Lunæ, & sigma literæ majusculæ instar factum, cui octo convivæ accumbere poterant. Septem dixit epig. 48. lib. 10.

Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum. laxe nempe & commode. Alii legunt. ——— *scriptum testudine signum.*

Gustatorium. LXXXVIII.

FOEMINEAM nobis cherson si credis inesse,
Deciperis: pelagi mascula præda sumus.

Si putas nobis inesse cherson fœmineam, falleris: sumus præda mascula maris.

Gustatorium.] Genus est mensæ quæ testudinum putaminibus exornabatur. Plinius lib. 9. cap. 11. *Testudinum putamina secare in laminas, lectosque & repositoria his vestire Corbilius Pollio instituit, prodigi, & sagacis ad luxuria instrumenta ingenii.* Alii censent gustatorium esse idem quod repositorium, de quo Petronius ait: *Cum subito signum symphonia datur, & gustatoria pariter a choro rapiuntur.*

Fœmineam cherson.] Hoc est, testudinem fœmineam terrestrem quæ masculis & marinis inferior habebatur. Sic loquuntur gustatoria: sic intelligunt omnes interpretes.

Mensa citrea. LXXXIX.

ACCIPE felices Atlantica munera silvas:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Accipe pretiosa ligna dona Atlantica: qui affecerit muneribus aureis, afficiet minoribus.

Accipe felices.] Mensam citream interpretare ex Atlante Mauritaniæ monte. Vide epig. 43. lib. 2. Petronius fat.

——— *ecce Afris eruta terris Citrea mensa.*

Mensa acerna. XC.

NON sum crispa quidem, nec silvæ filia Mauræ:
Sed norunt lautas & mea ligna dapes.

Equidem non sum crispata, nec nata in silva Maura: sed & epulæ præstantes cognitæ sunt meis lignis.

Non sum crispa.] Hoc est, licet non sim citrea nec crispis venis pretiosa, attamen ex acere arbore confecta proxime accedo ad citream.

Dentes eborei. XCI.

GRANDIA taurorum portant qui corpora, quæris
An Libycas possint sustinuisse trabes?

Rogas an valeant fulcire trabes Libycas, qui ferunt ingentia corpora taurorum?

Grandia

Grandia taurorum.] Elephas enim in arena exhibitus tauros dentibus jactabat, atque ita elephantum dentes eburnei facile mensam citream fulcient. Vide epig. 43. lib. 2. & epig. 19. lib. Spect.

Quincupedal. XCII.

PUNCTA notis ilex,& acuta cuspide clausa,
Sæpe redemptoris prodere furta solet.

Ilex distincta signis, & munita cuspide acuta, sæpe consuevit manifestare latrocinia conductoris.

Quincupedal.] ceu quincupeda pertica scilicet quinque pedum qua moris erat metiri ædificia quæ extruenda conducebant redemptores, ne scil. dolose agerent.
Ilex.] Hoc est, pertica ex ilice distincta pedibus & digitis.

Pocula archetypa. XCIII.

NON est ista recens, nec nostri gloria cœli:
Primus in his Mentor, dum facit illa, bibit.

Illud decus non est novum, nec nostri cœli. Mentor primus potavit, dum elaboravit illa.

Cœli.] Quod est instrumentum cœlatorum: hoc est, hæc pocula non sunt nostræ ætatis. De Mentore nobilissimo cœlatore diximus epig. 41. lib. 3.

Calices. XCIV.

NOS sumus audacis plebeia toreumata vitri:
Nostra nec ardenti gemma feritur aqua.

Nos plebeia toreumata conficimur ex vitro audaci: nec nostra gemma frangitur aqua fervente.

Calices.] Addunt alii *audaces.*
Nos sumus.] Calices ex quodam vitri genere *audaces* appellantur, quod se cum crystallinis conferre audeant, Plinius lib. 36. cap. 26. vel quod facile non frangerentur. Junius legit,
Non sumus audacis plebeia toreumata vini.
Alii *vitri.* Hoc est, non sumus ex eo vitro unde audaces calices fiunt. Vide notam Salmasii hic. Raderus existimat non agi de audacibus calicibus, sed fictilibus ex argilla, & ligno, quales erant fraxinei, buxeive.
Nostra nec ardenti.] Epig. 75. lib. 12.
Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem,
Et nimium calidis non vitiantur aquis.

Phiala aurea cælata. XCV.

QUAMVIS Callaico rubeam generosa metallo,
Glorior arte magis: nam Myos iste labor.

Licet nobilis rubeam metallo Callaico, plus ostento me ab arte: istud enim est opus Myos.

Quamvis.] Licet enim, inquit phiala, sim confecta ex auro Callaico, de quo epig. 16. lib. 14. tamen præstantior sum propter artificium Myos nobilissimi artificis, de quo epig. 51. lib. 8.
Nam Myos.] Alii *nam meus.*

Ca-

Calices Vatinii. XCVI.

VILIA sutoris calicem monumenta Vatinî
Accipe: sed nasus longior ille fuit.

Accipe calicem opera futilia Vatinii sutoris: sed ille nasus longior fuit.

Calicem.] Alii *calices* qui habebant quatuor ansas seu nasos. Juven. sat. 5.
Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor, &c.
De his dictum epig. 3. lib. 12.
Vatiniorum proxineta fractorum.
Tacitus lib. 15. *Vatinius inter fœdissima ejus aula*, supple Neronis, *fuit sutrina taberna alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus, &c.* Calices Vatinii dicti sunt, quod nasuti essent ut ille Vatinius.
Sed nasus.] Vatinii scilicet, quem ut acrem & sagacem calumniatorem forte notat, vel deridet tantum.

Lances chrysendetæ. XCVII.

GRANDIA ne viola parvo chrysendeta mullo:
Ut minimum, libras debet habere duas.

Ne exiguo mullo contamines ingentia chrysendeta, saltem sit bilibris.

Chrysendeta.] Lances erant aureis crustis exornatæ, de quibus lib. 2. epig. 43.
Immodici tibi flava tegunt chrysendeta mulli.
In pretiosis lancibus non nisi ingentes pisces reponendi sunt.

Vasa Aretina. XCVIII.

ARETINA nimis ne spernas vasa monemus:
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

Hortamur ne nimium contemnas vasa Aretina; Porsena splendidus erat fictilibus Tuscis.

Aretina.] Fictilia scilicet. Vide epig. 54. lib. 1.
Sic Aretina violant crystallina testa.
Aretium, alii Arrhetium, hodie *Arezzo* urbs Tusciæ ubi conficiebantur hæc vasa quibus utebatur Porsena, qui in illa regione regnavit.

Bascauda. XCIX.

BARBARA de pictis veni bascauda Britannis:
Sed me jam mavult dicere Roma suam.

Bascauda peregrina veni ex Britannis pictis: sed jam placet Romæ nominare me suam.

Bascauda.] Vas quoddam escarium quod in Britannia conficiebatur. Juvenalis sat. 12.
Adde & bascaudas, & mille escaria.
De Britannis pictis jam diximus epig. 54. lib. 11.
Sed me jam.] Romæ enim tunc fiebant bascaudæ.

Pana-

Panaca. C.

SI non ignota est docti tibi terra Catulli,
Potasti testa Rhætica vina mea.

Si non ignoras terram eruditi Catulli, bibisti Rhætica vina mea testa.

Panaca.] Panacos populos Rhœtiæ affirmat Raderus, de quibus nihil reperi, unde Panaca testa.
Terra Catulli.] Veronam usque patriam Catulli pertinebat Rhætia, hodie *les Grisons*, ubi vinum generosum. Suetonius in Augusto cap. 77. *& maxime delectatus est Rhætico*, supple vino. Et Virgilius 2. Georg. —— *& quo te carmine dicam Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis.*

Boletaria. CI.

CUM mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis, pudet heu, servio coliculis.

Cum boleti mihi imposuerint nomen tam præstans, eheu erubesco, servio coliculis primo succisis.

Cum mihi.] Nempe a boletis dicitur boletarium, patina scilicet in qua boleti ponebantur. De boletis vide epig. 48. lib. 13.
Prototomis.] Hoc est caulibus teneris, & qui primi succiduntur, epig. 48. lib. 10. Porro conqueritur boletarium, quod etiam inserviat ad ferendos coliculos boletis longe inferiores.

Calices Surrentini. CII.

ACCIPE non vili calices de pulvere natos:
Sed Surrentinæ leve toreuma rotæ.

Accipe pocula non facta ex vili pulvere, sed politum toreuma rota Surrentinæ.

Sed Surrentinæ.] *Surrentum*, alii *Sorrentum*, Picentinorum urbs juxta Thyrrenum mare, hodie *Surrento*, ubi terra est poculis conficiendis optima. De toreumate dictum epig. 39. lib. 4.

Colum nivarium. CIII.

SETINOS moneo nostra nive frange trientes:
Pauperiore mero tingere lina potes.

Moneo debilites trientes Setinos nostra nive: licet transmittere vinum vilius per lina.

Colum nivarium.] Vas erat in quod injiciebantur nives, deinde vinum infundebatur, cujus vis sic frangebatur.
Setinos trientes.] Hoc est, vinum Setinum de quo lib. 13. suo lemmate diximus.
Pauperiore mero.] Id est lino, seu saccis linteis, non colo, refrigerandum. Est vinum vilius Setino. Vide epigramma sequens.

Saccus

Saccus nivarius. CIV.

ATTENUARE nives norunt & lintea nostra,
Frigidior colo non salit unda tuo.

Possunt & nostra lintea eliquare nives, aqua non exit frigidior ex tuo colo.

Attenuare.] Saccus linteus inferior erat colo nivario, quod vas erat vino refrigerando idoneum: attamen aqua sacco transmissa non minus quam colo refrigerabatur. Vide epig. 61. lib. 12. & epig. 40. lib. 2.

Urceoli ministratorii. CV.

FRIGIDA non desit, non deerit calda petenti:
Sed tu morosa ludere parce siti.

Frigida non deficiat, calida non deficiet rogantem: at tu cessa jocari siti difficili.

Urceoli.] Baysius de vasculis sic ait: Urceus cujus diminutivum urceoli vas aquarium, ut tamen urceus esset vas ad frigidam, urceoli ad caldam: inde urceoli ministratorii apud Martialem. Vide epig. 116. 117. & 118.

Sed tu morosa.] Hoc est, Tu ne nimis delicatus & difficilis sis in commixtione aquæ frigidæ & calidæ cum vino.

Urceus fictilis. CVI.

HIc tibi donatur panda ruber urceus ansa:
Stoicus hoc gelidam Fronto petebat aquam.

Hic urceus ruber tibi datur ansa incurva: Stoicus Fronto hoc urceo poscebat aquam frigidam.

Ruber.] A terra scilicet vel igne.
Stoicus Fronto.] Forte ille est cujus meminit Poëta lib. 1. epig. 56. Plures enim Frontones fuere.
Petebat.] Alii *bibebat.*

Calathi. CVII.

NOs Satyrus, nos Bacchus amat, nos ebria tigris,
Perfusos domini lambere docta pedes.

Nos Satyrus, nos Bacchus; nos temulenta tigris diligit instituta lambere madidos pedes domini.

Nos Satyrus.] Calathorum usus fuit in sacris Bacchi & Satyrorum. Vide eclog. 5. Virgilii.
Perfusos domini.] Vino enim ciccurata tigris magistri pedes lambit, epig. 18. Spect.
Lambere securi dextram consueta magistri
Tigris ab Hircano gloria rara jugo.

Calices Saguntini. CVIII.

QUÆ non solicitus teneat, servetque minister,
Sume Saguntino pocula ficta luto.

Accipe calices fictos ex terra Saguntina, quos non gestet & custodiat servus anxius.

Quæ

Quæ non.] Saguntum urbs est in Hispania Tarraconensi, hodie *Morvedre*. De poculis fictilibus quæ illic fierent, jam diximus lib. 4. epig. 46. Erant vilioris pretii atque ita servus illa frangere non metuit.

Calices gemmati. CIX.

GEMMATUM Scythicis ut luceat ignibus aurum,
Adspice quot digitos exuit iste calix.

Ut aurum gemmatum splendeat Scythicis flammis, vide quot digitos spoliavit hoc poculum.

Scythicis ignibus.] Hoc est smaragdis. Sic locutus est Poëta epig. 15. lib. 12. Vide epig. 28. lib. 4.
Indos Sardonychas, Scythas smaragdos.
Quot exuit.] Digitis enim gemmæ detrahebantur, ut poculis insererentur. Juven. sat. 5.
Nam vitro, ut multi, gemmas ad pocula transfert.
A digitis.

Ampulla potoria. CX.

HAc licet in gemma, quæ servat nomina Cosmi,
Luxuriose bibas, si foliata sitis.

O intemperans, si sitis foliata, potes potare in hac gemma, quæ habet nomen Cosmi.

Quæ servat.] Nimirum Cosmiana dicta a Cosmo unguentario.
Et Cosmianis ipse fusus ampullis.
& lib. 11. epig. 50.
Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx.
Ampulla vas erat unguentarium; sed luxus eo devenerit, ut ad bibendum illa uterentur Romani. Plinius lib. 3. cap. 3. *At hercule jam quidem etiam in potu addunt.* Supple *unguenta exotica.*
Si foliata.] Quæ sic explicat Plinius lib. 13. cap. 1. *Nardinum sive foliatum constat omphacio, balanino, junco, costo, nardo, amomo, myrrha, balsamo.*

Crystallina. CXI.

FRANGERE dum metuis, frangis crystallina: peccant
Securæ nimium, solicitæque manus.

Dum times frangere crystallina, frangis: manus nimis secura, & nimis anxia peccant.

Crystallina.] Crystallus est glacies gelata longo tempore & denso frigore, de qua fuse Plinius lib. 37. cap. 2.
Peccant securæ.] E manibus servi nimium soliciti, sic & negligentis excidunt crystallina, quæ valde fragilia sunt.

Nimbus vitreus. CXII.

AB Jove qui veniet miscenda ad pocula, largas
Fundet nimbus aquas: hic tibi vina dabit.

Nimbus qui mittetur a Jove fundet aquas copiosas ad temperandos calices, hic porriget tibi vina.

Fundet nimbus.] Hoc est, imber e cœlo decidens.
Hic.] Nimbus qui erat poculum vitreum sic dictum vino servando idoneum.

Myr-

Myrrhina. CXIII.

SI calidum potas, ardenti myrrha Falerno
Convenit, & melior fit sapor inde mero.

Si bibis calidum, myrrha congruit Falerno ardenti, atque illinc merum trahit saporem gratiorem.

Si calidum potas.] Vide epig. 75. lib. 9. epig. 10. lib. 13. & Plinius lib. 37. cap. 2. *Oriens murrhina mittit: inveniuntur enim ibi in pluribus locis, nec insignibus maxime Parthici regni: pracipue tamen in Carmania. Humorem putant sub terra calore densari.* Fuse explicat Raderus quid sint murrhina. Græce μοῤῥινα & μυῤῥινα: Græci enim sæpe a Latinum diphthongo υ, vel vocali ο, vel υ efferunt, ut λέκυθος, πύπλιος, τύλος. Alii legunt *myrrhina* propter υ.

Patella Cumana. CXIV.

HANC tibi Cumano rubicundam pulvere testam,
Municipem misit casta Sibylla suam.

Pudica Sibylla ad te misit hanc testam suam municipem rubram Cumano pulvere.

Hanc tibi Cumana.] Plinius lib. 35. cap. 12. *Nobilitantur iis*, fictilibus nempe, *oppida quoque ut Rhegium & Cuma.* *Municipem.*] Hoc est factam Cumis, hoc die *Cuma*: ubi erat Sibylla de qua diximus epig. 30. lib. 9.

Calices vitrei. CXV.

ADSPICIS ingenium Nili: quibus addere plura
Dum cupit, ah, quoties perdidit auctor opus.

Vides solertiam Ægyptiorum; quibus adjungere plura dum vult artifex, ah, quoties fregit opus.

Adspicis ingenium Nili.] In Ægypto enim calices vitrei fiebant miro artificio. Vide Turnebum lib. 10. cap. 23.

Lagena nivaria. CXVI.

SPOLETINA bibis, vel Marsis condita cellis;
Quo tibi decoctæ nobile frigus aquæ?

Potas Spoletina vina vel reposita in cellis Marsis, quorsum pretiosum frigus aquæ decoctæ?

Spoletina.] De Spoletino & Marsico vino dictum epig. 120. & 121. lib. 13. *Quo tibi.*] In quem usum erit tibi aqua decocta, & quæ deinde refrigerata pretiosa habebatur, & præstantissimo tantum vino conveniebat? Viliora autem erant Spoletina & Marsica.

Ni-

Nives. CXVII.

NON potare nivem, sed aquam potare rigentem
De nive, commenta est ingeniosa sitis.

Sitis industria excogitavit non bibere nivem, sed rigentem aquam ex nive.

Non potare nivem.] Sed aquam decoctam ex nivibus, & refrigeratam. Plinius lib. 31. cap. 3. *Neronis principis inventum est, decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare.*

Idem. CXVIII.

MASSILIÆ fumos miscere nivalibus undis
Parce puer, constet ne tibi pluris aqua.

O Serve, noli infundere aquas nivales vino fumoso Massiliæ, ne pluris emas aquam.

Massiliæ fumos.] De vino Massiliæ fumoso diximus lib. 10. epig. 36. & lib. 13. epig. 123.

Constet ne.] Aqua enim decocta erat carior hujusmodi vino.

Matella fictilis. CXIX.

DUM poscor crepitu digitorum, & verna moratur,
O quoties pellex culcita facta mea est!

Dum petor crepitu digitorum; & servus cunctatur, ô quoties culcitra perfusa est.

Poscor crepitu.] Epig. 81. lib. 3. *Digiti crepantis signa novit eunuchus.*

Pellex culcita.] Quia loco matellæ urina perfundebatur ipsa culcita.

Ligula argentea. CXX.

QUAMVIS me ligulam dicant equitesque, patresque:
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

Licet ligula denominer ab equitibus & patribus, appellor lingula ab imperitis grammaticis.

Lingula.] A lingua deducitur: tamen usus invaluerat ut *ligula*, non *lingula*, diceretur, quam Gellius lib. 10. cap. 25. definit *gladiolum in speciem linguæ factum.* Sic Poëta carpit grammaticos, qui usu neglecto, nominis etymologiæ pertinaciter adhærent. Ligula est etiam mensuræ genus. Vide epig. 20. lib. 5.

Cochlea-

Cochlearia. CXXI.

SUM cochleis habilis, sed nec minus utilis ovis:
Numquid scis potius cur cochleare vocer?

Sum idonea cochleis, sed non minus utilis ovis: nescisne cur potius dicar cochleare?

Cochlearia.] Supple *ligula*, inquit Farnabius. Ad quid enim referretur *habilis* & *utilis*? Mihi vero videtur Poëta (ολοικίζειν: aut mendum est in lemmate.

Cur cochleare.] Gallice *cuilliere* sorbendis ovis non minus quam cochleis inservit. Sed quia, inquit Raderus, ad usum cochlearum primulum inventum reor, nomen inde retinuit potius, quam ab ovis accepit. Aut, ut ait Domitius, cochlearia *appellata sunt a specie* cochlearum, non ab alicujus cibi usu.

Anuli. CXXII.

ANTE frequens, sed nunc rarus nos donat amicus:
Felix cui comes est non alienus eques.

Antea multi, at nunc pauci amici nos dant: beatus qui habet comitem equitem non alienum.

Ante frequens.] Hoc distichum sic explicat Turnebus lib. 9. cap. 24. Ante dicit solitos esse divites multis censum equestrem supplere, annulosque aureos dare, qui equitum erant gestamina, quod ætate sua rarum queritur: verumtameo felicem dicit qui comitem habet *equitem non alienum*, sed suum quem ipse sua liberalitate equestri censu donato equitem fecerit. Vide epig. 19. lib. 5.

Aut quem prosequitur non alienus eques?

Dactyliotheca. CXXIII.

SÆPE gravis digitis elabitur anulus unctis:
Tuta mea fiet sed tua gemma fide.

Sæpe annulus ponderosus excidit digitis unctis: at tua gemma committetur mea custodia.

Sæpe gravis.] Juv. sat. in Crispinum:

——— *cum verna Canopi*
Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat majoris ponderis gemmæ.

De *dactylotheca* seu *dactyliotheca* diximus epig. 60. lib. 11. Antiqui, teste Festo, scribebant *anulus*: recentiores geminant *n*.

Toga. CXXIV.

ROMANOS rerum dominos, gentemque togatam
Ille facit, magno qui dedit astra patri.

Ille constituit Romanos dominos rerum, & gentem togatam: qui cœlo donavit magnum genitorem.

Romanos.] Versus est Virgilii 1. Æneid.

——— *gentemque togatam.*

Populum Romanum intellige, qui toga utebatur, de qua sæpius supra.

Qui dedit.] Domitianum intellige, qui Vespasiano suo patri mortuo divinos honores tribuit, & Flaviæ genti templum condidit, de quo epig. 2. lib. 9. Alii intelligunt Augustum, qui Julium Cæsarem patrem suum adoptivum publice in numerum deorum retulit. Sed malim Domitianum interpretari.

Idem. CXXV.

SI matutinos facile est tibi rumpere somnos;
Attrita veniet sportula sæpe toga.

Si potes libenter vigilare mane, sæpe accipies sportulam toga attrita.

Si matutinos.] Hoc est, si salutationes matutinas obire potueris, accipies quidem sportulam, sed togam atteres. Vide epig. 26. lib. 14.

Endromis. CXXVI.

PAUPERIS est munus, sed non est pauperis usus:
Hanc tibi pro togula mittimus endromida.

Est donum egeni, sed non est usus egeni: ad te mittimus hanc endromida pro togula.

Sed non est.] Endromide enim in gymnasiis utebantur divites. Vide epig. 19. lib. 4. Erat vestis villosa.

Pro togula,] Alii pro *lana*.

Canusinæ fuscæ. CXXVII.

HÆc tibi turbato Canusina simillima mulso
Munus erit, gaude: non cito fiet anus.

Hæc Canusina simillima mulso turbido donum tibi dabitur: lætare, diu durabit.

Canusina.] Lanæ mulsi turbidi colorem referebant. Canusium vero Apulorum Dauniorum oppidum, hodie *Canola* unde lanæ Canusinæ.

Non cito fiet anus.] Hoc est, vestis ex hac lana confecta non cito deteretur.

Bardocucullus. CXXVIII.

GAllia Santonico vestit te bardocucullo,
Cercopithecorum pænula nuper erat.

Gallia te induit bardocucullo Santonico, nuper erat pænula Cercopithecorum.

Gallia Santonico.] Bardocucullus vestis erat vilior, de qua epig. 54. lib. 1. Fiebat apud Santones Galliæ Aquitanicæ populos, hodie *Saintonge*.

Cercopithecorum.] Qui simiæ sunt caudatæ, epig. 202. infra. *Pænula* utebantur Romani cum plueret. Erat autem bardocucullus vestis brevior, epig. 93. lib. 1.

Dimidiasque nates Gallica palla tegit.

Unde confert illum tunicæ, qua amiciuntur simiæ.

Ca-

Canusinæ rufæ. CXXIX.

ROMA magis fuscis vestitur, Gallia rufis:
Et placet hic pueris, militibusque color.

Roma magis induitur fuscis vestibus, *Gallia rufis: & pueri & milites amant hunc colorem.*

Canusinæ.] Viri Romani utuntur vestibus fusci coloris; Galli rufis e lana Canusina; & tamen pueri nostri gaudent rufo hoc colore, ut & milites ex instituto Laconum, quibus hic color in bello placebat, ne per vulnera effluens sanguis in vestibus alterius coloris incuteret suis terrorem, hostibus adderet animum, &c. Farnabius.

Pænula scortea. CXXX.

INGREDIARE viam cœlo licet usque sereno,
Ad subitas nusquam scortea desit aquas.

Quamvis semper suscipias iter cœlo sereno, nullo in loco scortea desit ad imbres repentinos.

Pænula.] Vestis scilicet ad arcendam pluviam scortea dicitur: hoc est, facta ex pelle. *Omnia namque ex pellibus facta scortea appellantur.* Festus.

Nusquam.] Alii *nunquam.*

Lacernæ coccineæ. CXXXI.

SI Veneto, Prasinove faves, qui coccina sumis?
Ne fias ista transfuga sorte, vide.

Si studes factionibus *Veneti, aut Prasini, cur induis coccina? Cave ne transfuga fias ista optione.*

Si Veneto.] De his factionibus dictum epig. 48. lib. 10. Color Prasinus est viridis, Venetus vero cæruleus: qui ergo vestem coccineam induebat, neutri factioni favere videbatur: sic una vincente, alteri acclamare atque adeo transfuga fieri poterat.

Ista sorte.] Hoc est, electis hac lacerna coccinea, qua utebantur veteres ad arcendum frigus & pluviam.

Pileus. CXXXII.

SI possem, totas cuperem misisse lacernas:
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

Si possem, optarem mittere totas lacernas: nunc mitto duntaxat dona tuo capiti.

Si possem.] Paupertatem excusat egenus quod non mittat lacernas, quibus totum corpus tegi posset.

Capiti munera.] Pileum nempe de quo diximus lib. 11. epig. 7.

Lacernæ Bæticæ. CXXXIII.

NON est lana mihi mendax, nec mutor aëno:
Sic placeant Tyriæ, me mea tinxit ovis.

Non habeo lanam fucosam, nec tingor aëno: hoc modo grata sint Tyria, colorata sum a mea ove.

Non est lana.] De lana Bætica epig. 97. lib. 1. & epig. 28. lib. 8. quæ nativo suo colore erat nobilis.

Sic placeant.] Hoc est, esto placeat lana Tyria intecta purpura. Alii *si.*

Fascia pectoralis. CXXXIV.

FASCIA crescentes dominæ compesce papillas,
Ut sit quod capiat nostra, tegatque manus.

O Fascia cohibe mammas extuberantes, ut sit quod contineat nostra manus, atque abscondat.

Ut sit quod.] Intra modum extumescentes papillæ gratiores sunt: nec enim mammosæ puellæ placent.

Cœnatoria. CXXXV.

NEC fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota:
Hic opus est pictis accubuisse toris.

Nec cognoscimus fora, nec vadimonia: munus est hic accumbere lectis pictis.

Cœnatoria.] Neutro genere ponuntur, ut epig. 87. lib. 10.

Cœnatoria mittat advocato.

Nec fora sunt.] Veste enim cœnatoria domi tantum utebantur Romani. Vadimonium est sponsio quædam sistendi se iudicio ad diem præstitutam.

Hic opus est.] Hoc est, Inservimus tantum convivis, qui lectis pictis accumbunt. Legunt alii, *Hoc opus est.*

Læna. CXXXVI.

TEMPORE brumali non multum levia prosunt:
Calfaciunt villi pallia vestra mei.

Glabra non valde utilia sunt hiberno tempore: pallia vestra calefiunt meis pilis.

Læna.] Vestis nempe, quæ palliis superinduebatur hieme, de qua lib. 12. epig. 36.

Algentemque togam, brevemque lænam.

Levia.] *qualia sunt serica, bombycina, linea.* Farnabius. Legunt alii *linea.*

Calfaciunt villi.] Hoc est, calorem fovent. Bayfius: Nec hoc loco omiserim Gallos olim solitos sagis villosis uti; quas lænas appellabant.

Lacernæ albæ. CXXXVII.

AMPHITHEATHRALES nos commendamur ad usus,
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.

Nos laudamur ad usus spectaculorum, cum toga frigida operiuntur nostra lacerna.

Amphitheatrales.] Vide epig. 2. lib. 4.
Spectabat modo solus inter omnes.
Nigris munus Horatius lacernis, &c.
Togis vero superinduebantur lacernæ ad arcenda frigora.

Gausapa villosa vel mantile. CXXXVIII.

NOBILIUS villosa tegant tibi lintea citrum:
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Lintea villosa tibi operiant citrum præstantius: potest esse circulus in mensis nostris.

Nobilius] Hoc distichum sic explicat Turnebus lib. 9. cap. 24. Mantilibus, inquit, tibi villosis & gausapa opus est, ut nobilis tua citrea mensa vindicetur ab inquinamento maculæ: mea vilis mensa, quæ maculam non reformidat, & in qua potest esse circulus, rotundaque labes, quam reposi-toria, & paropsides sæpe faciunt, nihil indiget vindice mantili. Alii dicunt *gausape gausapis*, neutrius; alii *gausapum gausapi*; alii *gausapa gausapæ*. Videat lector. *Gausape* magis placet. Vide lemma epig. 152. infra.

Cuculli Liburnici. CXXXIX.

JUNGERE nescisti nobis, ô stulte, lacernas,
Indueras albas, exue callaïcas.

O Demens, non novisti nobis jungere lacernas convenientes, indueras candidas, exue callaicas.

Cuculli Liburnici.] Liburnia, Illyridis regio Lazius *Crabaten* & *Krayn*, Pinetus *Contado di Zara* indigitat. Huic suffragatur Vegetius qui dicit Liburniam Dalmatiæ partem esse Ortelius. Porro ex lana Liburniæ pallia cucullata fiebant rufa, unde Poëta dicit lacernas albas male jungi cucullis Liburnicis, utpote quæ eorum colore rufo inficiantur.
Exue callaicas.] Hoc est rufas. Similes nempe auro callaico, de quo dictum epig. 95. supra. Alii legendum putant *callainas* ex veteri codice, id est cæruleas, qui color Venetus dicebatur, a Calai gemma quæ sapphirum imitatur.

Udones Cilicii. CXL.

NON hos lana dedit, sed olentis barba mariti:
Cinyphio poterit planta latere sinu.

Hi non facti sunt ex lana, sed ex barba olidi mariti: pes poterit abscondi Cinyphio sinu.

Udones.] Genus est calceamenti quo nempe utebantur Cilices.
Olentis mariti.] Hoc est hirci. Virgilius:
———*vir gregis ipse caper.*
Cinyphio sinu.] Hoc est pilis hircinis. Nam hirci Cinyphii sunt dicti a Cinypho Africæ fluvio, ad quem sunt magna copia. Domitius. Vide epig. 94. lib. 7.
Tonsor cinyphio cilix marito.
Ubi egimus de illo fluvio.

Synthesis. CXLI.

DUM toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere jure tuo.

Dum toga gaudet requiescere per quinque dies, poteris jure tuo accipere hæc ornamenta.

Synthesis.] Vestis qua licebat uti per quinque legitimos Saturnaliorum dies. Vide epig. 1. supra.

Focale. CXLII.

SI recitaturus dedero tibi forte libellum,
Hoc focale tuas asserat auriculas.

Si ego recitaturus tibi forte donavero libellum, hoc focale vendicet tuas auriculas.

Hoc focale tuas.] Fascia nempe ex lana qua obstrueret aures, ne mala carmina audiret. Vide epig. 41. lib. 4.

Tunicæ Patavinæ. CXLIII.

VELLERA cum sumant Patavinæ multa trilices,
Et pingues tunicas serra secare potes.

Cum trilices Patavinæ sint contextæ ex multa lana, & crassæ tunicæ possunt secari serra.

Patavinæ.] Ex triplici nempe licio contextæ tunicæ tam densæ, ut non forfice, sed serra veluti asseres secarentur.

Spongia. CXLIV.

HÆc tibi sorte datur tergendis spongia mensis,
Utilis, expresso cum levis imbre tumet.

Hæc spongia sorte tibi donatur idonea emaculandis mensis, cum levis turget aqua expressa.

Sorte datur.] Per sortem datum fuisse hoc munus videtur. Vide epig. 170. infra.
Hæc illis sint sorte datur ——

Cum levis.] Vide epig. 47. lib. 13.
Ut levis accepta spongia turget aqua.

Pænula gausapina. CXLV.

IS mihi candor inest, villorum gratia tanta est,
Ut me vel media sumere messe velis.

Habeo eum nitorem, & tantam pulchritudinem villorum, ut cupias me induere vel media æstate.

Ut me vel media.] Hieme Romani utebantur gausapinis, epig. 59. lib. 6.
Et dolet, & queritur, sibi non contingere frigus

Propter sexcentas Baccara gausapinas.
At hæc pænula gausapina tam nitida erat, ut vel æstate potuerit esse usui.

Cer-

Cervical. CXLVI.

TINGE caput nardi folio, cervical olebit,
Perdidit unguentum cum coma, pluma tenet.

Imbue caput folio nardi, pulvinus fragrabit: cum capilli amiserunt unguentum, pluma servat.

Nardi folio.] De hoc unguento dictum epig. 110. supra. Legunt alii *Cosmi folio*: Unguentarii cujus mentionem sæpius fecimus: Unguento autem madidi capilli imbuunt quoque pulvinum.

Cubicularia gausapina. CXLVII.

STRAGULA purpureis lucent villosa tapetis,
Quid prodest, si te congelat uxor anus?

Stragula villosa splendent tapetis purpureis: quid proficit, si conjux vetula glacie adstringit te?

Cubicularia gausapina.] Villosa nempe cubiculi stragula vel calidissima non possunt vincere frigus vetulæ uxoris.

Lodices. CXLVIII.

NUDO stragula ne toro paterent,
Junctæ nos tibi venimus sorores.

Ne stragula viderentur lecto non operto, nos sorores junctæ ad te accedimus.

Nudo.] Lodicibus totus lecti apparatus contegebatur. Erant autem gemmæ in opertorium coeuntes. Hunc usum ex se decent. Domitius.

Amictorium. CXLIX.

MAMMOSAS metuo: teneræ me trade puellæ,
Ut possint niveo pectore lina frui.

Reformido mammosas, dona me puella blanda, ut lina queant potiri pectoris nivei.

Lina.] Ex quibus confectum erat amictorium pectoris indumentum.

Cubicularia polymita. CL.

HÆc tibi Memphitis tellus dat munera: victa est
Pectine Niliaco jam Babylonis opus.

Terra Memphitica tibi largitur hæc dona: acus Babylonis superata est pectine Ægyptio.

Cubicularia polymita.] Vestem intellige multis filis contextam: μίτος enim filum significat. De urbe Memphi dictum epig. 1. lib. Spect.

Victa est.] Hoc est, vestes ab Ægyptiis tanto artificio contextæ sunt, ut vestes Babylonias acu pictas superent.

Zona. CLI.

LONGA satis nunc sum: dulci sed pondere venter
Si tumeat, fiam tunc tibi zona brevis.

Nunc sum satis longa: at si uterus turgeat suavi pondere, tunc ero tibi zona brevis.

Longa satis.] Cingulum puellæ datum sic loquitur.
Dulci sed.] Si gravida fiat puella, zona brevior fiet. *Dulci pondere*, hoc est fœtu. Si vero zonam virilem intelligas, dulce pondus erit referendum ad gulæ & ventris farcinas. Placet prior interpretatio.

Gausape quadratum. CLII.

LODICES mittet docti tibi terra Catulli:
Nos Helicaonia de regione sumus.

Patria eruditi Catulli mittet ad te stragulas: nos sumus de regione Helicaonia.

Terra Catulli.] Verona.
Nos Helicaonia.] Hoc est Patavina. Vide epig. 93. lib. 10. Gausape vero stragulum erat militare crassioris fili.

Semicinctium. CLIII.

DET tunicam dives: ego te præcingere possum.
Essem si locuples, munus utrumque darem.

Pecuniosus donet tunicam: ego possum præcingere te. Si essem opulentus, largirer utrumque donum.

Semicinctium.] Gallice *tablier*.
Essem si locuples.] Inquit Poëta, darem tunicam & semicinctium. Tunicam accipe pro ea quæ carni proximior, quam ut mihi videtur, tunicam lineam, vel imam dicere possumus. Bayfius.

Lanæ amethystinæ. CLIV.

EBRIA Sidoniæ cum sim de sanguine conchæ,
Non video quare sobria lana vocer.

Cum sim temulenta de sanguine concha Sidonia, non mihi liquet cur appeller lana sobria.

Ebria Sidoniæ.] Ludit in etymologia amethystinæ lanæ · ἀμέθυσος sobrius dici tur: est etiam gemma quæ purpureum colorem refert: lanæ autem purpura tinctæ dicuntur ebriæ murice: hoc est, cum bibam sanguinem muricis, cur vocor sobria? Sidon autem Palæstinæ urbs maritima hodie *Said*, ubi magna concharum copia, quarum sanguine color purpureus efficiebatur.

Lanæ albæ. CLV.

VELLERIBUS primis Apulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.

Apulia habet primas lanas, Parma secundas: tertia ovis commendat Altinum.

Velleribus.] Lanæ albæ primas tenet Apulia; secundas Parma, urbs nota ad Padum; tertias Altinum, quod est Venetiæ mediterranea urbs, quam Villanovanus *Castello* dici ait, nomen *Altino* retinere putarim. Ortelius.

Lanæ Tyriæ. CLVI.

NOS Lacedæmoniæ pastor donavit amicæ:
Deterior Ledæ purpura matris erat.

Pastor nos dedit amicæ Lacedæmoniæ, purpura Ledæ genitricis erat inferior.

Nos Lacedæmoniæ.] Hoc est, Pastor Paris Helenæ dedit purpuram Tyriam, quæ Lacedæmonia pretiosior erat. *Deterior Ledæ.*] Qua nempe purpura Laconica erat induta, qua nobilior est Tyria. Leda autem fuit mater Helenæ, &c.

Lanæ Polentinæ. CLVII.

NON tantum pullo lugentes vellere lanas,
Sed solet & calices hæc dare terra suos.

Hæc terra non solet tantum donare lanas tristes nigro vellere, sed & sua pocula.

Lanæ Polentinæ.] Alii *Pollentinæ.* Liguriæ urbs Polentia apud Tanarum fluvium, *Polenzo.* Et Silius:
Vercellæ, fuscique ferax Polentia villi.

Idem. CLVIII.

LANA quidem tristis, sed tonsis apta ministris,
Quales non primo de grege mensa vocat.

Lana quidem mœsta: sed conveniens tonsis servis, quales requiruntur ad officium mensæ non de primo grege.

Tristis.] Hoc est fusca. Vide epigramma præcedens.
Sed tonsis.] Hoc est servis vilioribus, non vero pueris venustis & comam alentibus, qualis erat Cestus de quo epig. 51. lib. 8. *Cestæ decus mensæ.* ———

Tomentum Lingonicum. CLIX.

OPPRESSÆ nimium vicina est fascia plumæ?
Vellera Lingonicis accipe rasa sagis.

An pluma oppressa nimis accedit ad fasciam? Accipe lanam detonsam ex sagis Lingonicis.

Oppressæ.] De fascia lecti diximus epig. 63. lib. 5. ad quam lana nimium oppressa facile cedit, ita ut jacenti incommodum ferat. *Vellera Lingonicis.*] Alii *Lenconicis*, epig. 22. lib. 11.
Lenconicis agedum tumeat tibi culcita lanis.

Leu-

Leuconium vero Æolidis oppidum videtur apud Thucydidem. Sensus est: Accipe tomentum quod lana pannis vestibusque abrasa dicitur. Sed malim retinere Lingonicum, quam Leuconicum, quod Gallicanæ vestes, ut supra vidimus, in urbem sunt importatæ. Raderus, epig. 54. lib. 11.

Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

Tomentum Circense. CLX.

TOMENTUM concisa palus Circense vocatur:
Hæc pro Lingonico stramina pauper emit.

Tomentum Circense appellatur ex concisis arundinibus paludis: inops emit hæc stramina pro Lingonico.

Concisa palus.] Intelligit arundinis paniculas, quas pauperes pro tomento culcitrarum emebant. Circense autem tomentum hoc vocabatur, quod fortasse initio circensibus spectaculis sibi substernere solerent. De quo Strabo lib. 5. Turnebus lib. 9. cap. 24.

Pro Lingonico.] Alii *Leuconico.* Vide epigramma præcedens.

Pluma. CLXI.

LASSUS Amyclæa poteris requiescere pluma,
Interior cycni quam tibi lana dedit.

Defatigatus poteris requiescere pluma Amyclæa, quam tibi suppeditavit interior lana cycni.

Lassus Amyclæa] Hoc est cygnea. Amyclæi enim cygni dicti sunt, seu Lacones ob Ledam Lacænam quam sub cygni forma compressit Jupiter, Amyclæ Laconiæ urbs. Vide epig. 28. lib. 8.

Interior lana.] Teneram plumam intellige.

Fenum. CLXII.

FRAUDATA tumeat facilis tibi culcita pluma.
Non venit ad duros pallida cura toros.

Impleas feno culcitam facilem pluma exclusa, pallida anxietas non accedit ad lectos duros.

Facilis culcita dicitur quæ levi sumptu & nullo negotio impleri potest feno. Alii,

Fraudata tumeat fragilis tibi culcita mula.

Non venit ad duros.] Nam sine cura secure dormiunt pauperes.

Tintinnabulum. CLXIII.

REDDE pilam: sonat æs thermarum: ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

Redde pilam: campana balneorum pulsatur: an continuas ludere? Cupis redire domum lotus sola aqua virgine.

Redde pilam.] Post ludum lavare solebant Romani.

Ludere pergis.] Sic thermæ erunt clausæ, atque ita aqua frigida seu aqua virgine lavare cogeris. Vide epig. 42. lib. 6.

Cruda virgine Martiaque mergi.

Discus. CLXIV.

SPLENDIDA cum volitent Spartani pondera disci,
Este procul pueri: sit semel ille nocens.

Cum fulgentia pondera disci Spartani volitent, ô pueri, longe recedite: ille noceat semel.

Splendida.] Discus enim ex ære vel ferro fiebat, quo maxime se exercebant Lacedæmonii.

Sit semel ille.] Discus nempe quo a Phœbo occisus est puer Hyacinthus. Vide infra epig. 173.

Cithara. CLXV.

REDDIDIT Eurydicen vati: sed perdidit ipse,
Dum sibi non credit, nec patienter amat.

Hæc restituit Poëtæ Eurydicen: sed ipse amisit, dum sibi diffidit, nec placide amat.

Vati.] Orpheo nempe qui cithara ludens exoraverat Plutonem, & Eurydicen suam uxorem ab inferis reducebat, sed ea lege, ne illam respiceret nisi cum in apertas lucis auras evasisset.

Nec patienter.] Dum enim illam perdite amat.

Flexit amans oculos, & protinus illa relapsa est.

Ovidius.

Idem. CLXVI.

DE Pompeiano sæpe est ejecta theatro,
Quæ duxit silvas, detinuitque feras.

Crebro expulsa est ex theatro Pompeiano, quæ traxit silvas, & cohibuit feras.

Ejecta.] Quæ lectio melior videtur: nam citharœdi subinde lapidibus excipiebantur, si non placuissent. Alii *electa*. Porro in theatro Pompeii exhibitus est Orpheus, qui cithara ludens feras & silvas trahebat. Vide epig. 21. lib. Spect.

Plectra. CLXVII.

FERVIDA ne trito tibi pollice pusula surgat:
Exornent docilem garrula plectra lyram.

Ne ardens pusula tibi eveniat attrito pollice, canora plectra adornent lyram docilem.

Fervida ne trito.] Qui enim nudis digitis, & absque plectro citharam pulsat, sæpe numero digitum oblædit, qui & pustula surgente, quæ & pusula dicitur, intumescit & dolet. Turnebus lib. 9. cap. 24.

Exornent.] Alii *exorent*.

Trochus. CLXVIII.

INDUCENDA rota est: das nobis utile munus.
Iste trochus pueris, at mihi cantus erit.

Impellenda est rota: nobis largiris donum utile. Pueri delectabuntur eo trocho, ego vero cantu.

Trochus.] Sic a Turnebo explicatur lib. 27. cap 33. Erat autem genus ludi Græcanici, ut nomine ipso indicatur: rota enim erat ansam habens, ut facilius mitteretur, axiculis compacta, transversis jaciebatur: quorum clavculæ & commissuræ aduncæ, dum versabatur missa rota, vel missua orbis, tinniebant & crepabant. Mittere autem scienter, artis erat non vulgaris.

At mihi cantus.] Nempe tionitus ille trochi missi. Alii *canthus*, ferrum nempe quo circum rota muoitur.

Idem. CLXIX.

GARRULUS in laxo cur anulus orbe vagatur,
Cedat ut argutis obvia turba trochis?

Quare anulus tinniens vagatur in orbe laxo, ut turba obvia recedat a trochis canoris.

Cedat ut argutis] Tinnitu enim, de quo locuti sumus in superiore epigrammate, monebantur transeuntes, ut sibi caverent.

Signum victoriæ. CLXX.

HÆc illi sine sorte datur, cui nomina Rhenus
Vera dedit: decies adde Falerna puer.

Hæc illi donatur sine sorte, cui verum nomen impositum est a Rheno devicto: serve, decies infunde Falernum.

Hæc.] Victoria scilicet. Alii *hoc*, signum nempe victoriæ, ut ex antiquis nummis intelligo, erat alatæ fœminæ statua dextra laurum tenentis, sinistra palmam. Radetus.

Sine sorte.] Etenim casu & sorte non datur signum victoriæ Domitiano, qui toties vicisset hostem. Vide epig. 1. ubi de alternis muneribus sortibus.

Decies adde.] Tot enim cyathi sunt hauriendi, quot *Germanicus* habet literas, nimirum decem. De illo more bibendi diximus epig. 72. lib. 1.

Βρύτε παιδίον. Bruti Pusio. CLXXI.

GLORIA tam parvi non est obscura sigilli:
Istius pueri Brutus amator erat.

Non est ignobile decus tam exigui sigilli: Brutus amabat hunc puerum.

Istius pueri.] De quo jam diximus epig. 51. lib. 9. Plinius lib. 34. cap. 8. Item fecit Apollodorus puerum: quem amando Brutus Philippensis cognomine suo illustravit.

Sauroctonos Corinthius. CLXXII.

AD te reptanti puer insidiose lacertæ
Parce: cupit digitis illa perire tuis.

O Puer insidiose, ignosce lacertæ repenti ad te: illa optat occidi tuis digitis.

Sauroctonos.] A κτείνω occido, & σαῦρος lacerta: hoc est, lacertam occidens. Nimirum intellige sigillum ex ære Corinthio factum. Plinius lib. 34. cap. 8. *Fecit* (Praxiteles) *& puberem subrepenti lacertæ cominus sagitta insidiantem, quem Sauroctonon vocant.*

Cupit.] Ut nobili fato pereat.

Hyacin-

Hyacinthus in tabula pictus. CLXXIII.

FLECTIT ab inviso morientia lumina disco
OEbalius, Phœbi culpa dolorque, puer.

Puer OEbalius crimen Phœbi & mœror avertit oculos morientes a disco odioso.

Flectit ab.] Hyacinthi meminit Plinius lib. 35. cap. 11. *Hyacinthus* (opus Niceæ Atheniensis) *quem Cæsar Augustus, delectatus eo secum deportavit Alexandria capta, & ab id Tiberius Cæsar in templo ejus dicavit hanc tabulam.* Ovidius 10. Met.

Laberis OEbalide prima fraudate juventa Phœbus ait, videoque tuum mea crimina vulnus.

OEbalius.] Amyclas fuit pater Hyacinthi, conditor Amyclarum, quæ urbs fuit Laconiæ; ubi pueri tumulus sub Apollinis signo. Ex Cynorta fratre Hyacinthi natus OEbalius, qui regnavit Amyclis; a quo forte regio, aut urbs OEbalia dicta, unde & Hyacinthus OEbalius. Vide Pausan. in Laconicis initio lib. 3.

Hermaphroditus marmoreus. CLXXIV.

MASCULUS intravit fontes: emersit utrumque,
Pars est una patris: cetera matris habet.

Mas ingressus est fontes: exiit utriusque sexus: habet unam partem genitoris: reliquam vero genitricis.

Fontes.] Salmacidis nempe. Ovidius 4. Met. fuse hanc fabulam describit.

Patris.] Mercurii nempe. *Matris*, scilicet Veneris.

Danaë picta. CLXXV.

CUR a te pretium Danaë regnator Olympi
Accepit, gratis si tibi Leda dedit?

O rex deorum, quare Danaë sumpsit a te mercedem, si Leda tibi obsecuta est gratis.

Cur a te.] Jupiter in aurum conversus corrupit Danaen, &c. Ledam vero factus cycnus, &c.

Persona Germanica. CLXXVI.

SUM figuli lusus Rufi persona Batavi.
Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Sum jocus figuli persona Rufi Batavi: puer metuit hæc ora qua tu derides.

Rufi.] Batavi ut alii Germani capillos rufabant, ut supra epig. 26. unde alii *Rufi.*

Hæc timet ora puer.] Larvati Batavi terrori sunt pueris. Alii *ora pater.*

Hercules Corinthius. CLXXVII.

ELIDIT geminos infans, nec respicit angues.
Jam poterat teneras hydra timere manus.

Infans conficit duos angues, nec respicit. Jam hydra poterat reformidare teneras manus.

Her-

Hercules Corinthius.] Hoc est, Herculis statua ex ære Corinthio facta. De Hercule picto Plinius lib. 35. cap. 9. *Magnificus est Jupiter ejus in throno astantibus diis? & Hercules infans dracones strangulans, Alcmena matre coram pavente & Amphitryone.* Vide Theocritum Idyll. 25.

Hercules fictilis. CLXXVIII.

SUM fragilis: sed tu moneo ne sperne sigillum.
Non pudet Alciden nomen habere meum.

Sum fragilis: at moneo, tu ne contemne signum: Alcides non erubescit habere meum nomen.

Hercules fictilis.] Plinius lib. 35. cap. 12. *Ab hoc eodem*, Turiano nempe, *factum Herculem*, fictilem supple, *qui hodieque materia nomen in urbe retinet.* Dicebatur enim Hercules fictilis.

Minerva argentea. CLXXIX.

DIc mihi virgo ferox, cum sit tibi cassis & hasta,
Quare non habeas ægida? Cæsar habet.

O Virgo sæva, dic mihi, cum habeas galeam & hastam, cur non habeas ægida? Cæsar habet.

Cæsar habet.] Domitianus nempe. Responsio est Minervæ. Vide epig. 1. lib. 7.

Pectore cum sacro sederit, ægis erit.

Europa picta. CLXXX.

MUTARI melius tauro pater optime divum
Tunc poteras, Io cum tibi vacca fuit.

O genitor optime deorum, poteras melius transfigurari in taurum, cum Io tibi fuit vacca.

Tauro.] Sub cujus forma Jupiter rapuit Europam, cujus historia satis nota.

Io cum tibi.] De qua in vaccam transmutata, Ovidius 1. Met. Sic enim Argo non advertente illam comprimere potuisset Jupiter.

Leander marmoreus. CLXXXI.

CLAMABAT tumidis audax Leander in undis,
Mergite me fluctus, cum rediturus ero.

Audax Leander exclamabat in undis commotis: O fluctus, immergite me cum reversurus ero.

Audax Leander.] Quippe se mari commoto commiserat, aditurus puellam quam deperibat. Vide epist. Ovid.

Mittit Abydenus, quam mallet ferre salutem,
Si cadat ira maris, Sesta Puella, tibi.

Si

Sigillum Giberii fictile. CLXXXII.

EBRIUS hæc fecit tertis puto monstra Prometheus:
Saturnalicio lusit & ipse luto.

Opinor, temulentus Prometheus finxit hac portenta terris: & ip e lusit luto Saturnalicio.

Prometheus.] Qui hominem ex luto primus finxisse dicitur. Horatius lib. 1. ode 16.
Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Desectam.
Ebrius autem hoc portentum seu hominem gibbosum fecit, cujus sigillum erat in Saturnaliciis muneribus. Alii aliter. Ex Plinio lib. 34. cap. 3. Clesippus fullo fuit Gibbere & alio fœdus aspectu, cui nupsit Gegania mulier prædives: ille vero Clesippus naturæ portentum est effigiatus, inquit Raderus, in quam effigiem est hoc epigramma.

Homeri Batrachomyomachia. CLXXXIII.

PERLEGE Mæonio cantatas carmine ranas,
Et frontem nugis solvere disce meis.

Evolve ranas cantatas versibus Homeri, & disce exhilarare frontem meis ineptiis.

Batrachomyomachia.] Hæc vox significat pugnam ranarum & murium. Alii hoc opusculum ab Homero compositum affirmant, alii negant.
Mæonio.] Hoc est Homerico. Mæonia autem Asiæ regio, in qua natus esse Homerus dicitur. Vide epig. 10. lib. 5.
Et frontem.] Sic exemplo Homeri suas ineptias excusat Poëta.

Homerus in membranis. CLXXXIV.

ILIAS & Priami regnis inimicus Ulysses
Multiplici pariter condita pelle latent.

Ilias, & Ulysses adversarius regnis Priami condita multiplici pelle simul occultantur.

Inimicus Ulysses.] Hoc est, Odyssea.
Multiplici pelle.] Hoc est, multis membranis involvuntur. *Condita.*] Refer ad Iliadem & Odysseam.

Virgilii culex. CLXXXV.

ACCIPE facundi culicem, studiose, Maronis;
Ne nugis positis arma, virumque canas.

O studiose, accipe culicem Maronis diserti, ne derelictis jocis legas arma virumque.

Culicem.] Hoc est Virgilii poëma, quo culicis fatum deflet.
Canas.] Alii *legas.* Hoc est, ne Saturnaliorum tempore gravioribus studiis operam des. *Arma virumque*, hoc est Æneida.

Virgilius in membrana. CLXXXVI.

QUAM brevis immensum cepit membrana Maronem!
Ipsius vultus prima tabella gerit.

Quam brevis membrana intludit immensum Maronem! Illius effigiei expressa est in prima tabella.

Immensi

Immensum Maronem.] Virgilii opera intellige immensa quidem tum propter versuum numerum, tum propter argumenti dignitatem. Membrana erat instar pepli larga & extensa, sed fine hoc loco Poëta intelligit pugillares membraneos plurium foliorum, in quorum primo expressa erat imago Virgilii. Vide epig. 7. supra.

Menandri Thaïs. CLXXXVII.

HÆc primum juvenum lascivos lusit amores,
Nec Glycere, vere Thaïs amica fuit.

Hæc primum decepit lascivos amores adolescentum, nec Glycere, sed Thaïs fuit vere amica.

Nec Glycere.] Turnebus lib. 9. cap. 24. Glycere, inquit, erat Menandri Poëtæ amica, quod ex Glyceræ Græcis ad eum epistolis, quæ hodieque extant, cognoscimus. Thaïs tamen ab eo sic in comœdiis introducta frequenter, & celebris reddita est, ut ipsa videatur, non Glycere, Menandri amica fuisse. Alii aliter.

Cicero in membranis. CLXXXVIII.

SI comes ista tibi fuerit membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone vias.

Si comitem habueris hanc membranam, crede te suscipere longum iter cum Cicerone.

Si comes.] Vide epig. 2. lib. 1.
Qui tecum cupis esse meos ubicumque libellos
Et comites longæ quæris habere viæ.

Propertius. CLXXXIX.

CYNTHIA facundi carmen juvenile Properti
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

Cynthia carmen juvenile diserti Propertii accepit famam, nec minus ipsa dedit.

Propertius.] Alii *Cynthia Propertii.* Alii, *Propertii monobiblos.*
Cynthia.] Puella amica Propertii, quam multis ille versibus celebrat.

Nec minus ipsa dedit.] His enim carminibus claruit Propertius, quorum argumentum præbuerat Cynthia pulcherrima puella.

Livius in membranis. CXC.

PELLIBUS exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Pellibus exiguis continetur immensus Livius, quem non includit totum mea bibliotheca.

Ingens Livius.] Et a stili majestate, & centum quadraginta librorum multitudine, quorum centum & amplius perierunt.

Sal-

Salluſtius. CXCI.

HIc erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romana Criſpus in hiſtoria.

Hic Criſpus erit primus in hiſtoria Romana, ſecundum judicium virorum eruditorum.

Corda virorum.] Quintiliani 2. lib. cap. 6. & 4. lib. cap. 2. Senecæ lib. 3. Declam. & Controverſ. 25. lib. 5. Cornelii Taciti lib. 3. Hiſt.

Criſpus.] Salluſtius.

Ovidii Metamorphoſis in membranis. CXCII.

HÆc tibi multiplici quæ ſtructa eſt maſſa tabella,
Carmina Naſonis quinque, decemque gerit.

Hoc volumen quod tibi compactum eſt multis paginis, includit quindecim libros Naſonis.

Maſſa.] Plurium foliorum pugillares intellige, in quibus erant incluſi quindecim Metamorphoſeon libri: hoc enim loco carmina ſignificant libros.

Tibullus. CXCIII.

USsit amatorem Nemeſis laſciva Tibullum:
In tota juvit quem nihil eſſe domo.

Nemeſin laſcivam arſit amator Tibullus, cui gratum fuit nihil eſſe in tota domo.

Nemeſis.] Deliam tamen vocat ipſe Tibullus, cui idem tribuit eleg. 5. lib. 1. quod Nemeſi tribuit Martialis hoc loco:

Illa regat cunctos, illi ſint omnia curæ,
Et juvet in tota me nihil eſſe domo.

Juvit quem.] Totum quippe domus imperium penes Deliam erat.

Lucanus. CXCIV.

SUnt quidam, qui me dicunt non eſſe Poëtam:
Sed qui me vendit bibliopola putat.

Sunt quidam qui negant me eſſe Poëtam: ſed exiſtimat bibliopola qui me vendit.

Sunt quidam.] De Lucano dictum lib. 7. epig. 20. 21. & 22. quem commendavit Poëta. Alii tamen hiſtoricum magis eum quam Poëtam exiſtimarunt.

Putat.] Me eſſe Poëtam: cum ex meis verſibus rem faciat.

Catullus. CXCV.

TAntum magna ſuo debet Verona Catullo,
Quantum parva ſuo Mantua Virgilio.

Ampla Verona tantum obſtringitur ſuo Catullo, quantum exigua Mantua ſuo Virgilio.

Tantum.] Hoc eſt, claram ſuam patriam non minus Catullus, quam ſuam obſcuram illuſtravit Virgilius. Vide lib. 1. epig. 62.

Calda & frigida aqua. CXCVI.

HÆc tibi quæ fuerint caldarum nomina dicunt:
Ipsa suas melius charta natabit aquas.

Hic liber qui refert tibi quæ fuerint nomina caldarum, ipse melius immergetur in suas aquas.

Hæc tibi.] Mittit versus de variis aquæ caldæ nominibus. Legunt alii,
Hæc tibi quæ fontes & aquarum nomina dicit.
Dicunt nempe hæc carmina. Alii *dicit.*

Ipsa suas.] Vide epig. 6. lib. 1.
Vis puto cum libro, Marce, natare tuo.
Sic suos versus extenuat Poëta. De aqua calda sæpius jam dictum. *Natabit.* Alii,
Ipsa suis melius charta notabit aquas.

Mulæ Pomiliæ. CXCVII.

HIs tibi de mulis non est metuenda ruina:
Altius in terra pene sedere soles.

Non timere debes decidere ex his mulis: soles sedere in terra fere altius.

Altius in terra.] Quam sedeas in mula tam brevis staturæ.

Catella gallicana. CXCVIII.

DElicias parvæ si vis audire catellæ,
Narranti brevis est pagina tota mihi.

Si placet audire festivitates exigua catellæ, pagina tota non sufficit huic narrationi.

Brevis est.] Alii *prima est*, ut indicet primum librum, quo epig. 110. Issam catellam Publii descripsit.

Asturco. CXCIX.

HIc brevis, ad numerum rapidos qui colligit ungues,
Venit ab auriferis gentibus Astur equus.

Hic Astur equus brevis, qui ad numerum glomerat celeres gressus, missus est ab auriferis gentibus.

Rapidos qui.] Gallice *qui va l'amble.*
Ab auriferis gentibus.] Hoc est, ex Asturia Hispaniæ provincia, ubi sunt aurifodinæ. Epig. 16. lib. 10.
Accipe Callaicis quidquid fodit Astur in arvis.

Canis vertagus. CC.

NOn sibi, sed domino venatur vertagus acer,
Illæsum leporem qui tibi dente feret.

Vertagus acer non venatur sibi sed hero, qui dente portabit ad te leporem intactum.

Vertagus.] Vox peregrina videtur, de qua Turnebus lib. 18. cap. 1. quasi Fertrahus, hoc est feram trahens. Passeratius de literis. *Vertagus* pro *Vertrahus*, a fera trahenda.

Bala-

Palæstrita. CCI.

NON amo, qui vincit, sed qui succumbere non vult,
Et dicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην.

Non mihi placet, qui superat, sed qui scit succumbere, & convenientius dicit reflexionem palastra.

Non amo.] Non probo luctatorem qui viribus vincit. sed qui se reclinat, atque ex reflexione palæstræ adversarium dejicit. Farnabius. Legit vero & distinguit Salmasius:

Hunc amo qui vincit, sed qui succumbere novit,
Et melius didicit τὴν ἀνακλινοπάλην.

Contrario, inquit, sensu, & quem Poëtæ mens non recipit, hodie legitur: *Non amo qui vincit.* Cur enim palæstritam amare se diceret non vincentem? Dicit amare se quidem hunc palæstritam qui vincit, sed qui etiam novit succumbere: hoc est qui succumbendo vincit, qui θέλγεται ἀναπιτναμένῳ, ut inquit Pindarus, καὶ οἷον πίπτων. Magis commendari innuit palæstritam qui arte vincit, quam qui viribus: qui τοὺς ὑπτιασμοὺς novit, καὶ τοὺς χαμαὶ πτώσεις, quæ Theocritus σύμφορα παλαίσματα τέχνας, nimirum τῶν εἰς γαῖαν συμπιπτόντων. Tum ἀνακλινοπάλη Martialis, *pancratium* dicebatur, quod ἐν τῷ ἀνακλίνεσθαι καὶ ὑπτιάζεσθαι plerumque exerceretur; ad distinctionem τῆς ὀρθίας πάλης, quæ a stantibus & erectis pugnatur, in qua vicisse erat adversarium solo dejecisse. Secus omnia in pancratio, in quo & succubuisse erat artis: nam & humi volutantes nexus suos expediebant impediebantque, viribusque superiores adversarios sæpenumero sic vincebant. Non aliter quippe victus quispiam putabatur in pancratii lucta, nisi animum despondéret ac victum se fateretur. *Novit.*] Alii *non vult.*

ἀνακλινοπάλη.] Vox est ficta quæ alibi non reperitur. *Clinopale* legitur apud Suetonium in Domitiano cap. 22. Unde aliqui turpem sensum eliciunt ex hoc disticho. ἀνακλίνω *reclino*, πάλη *palæstra.*

Simius. CCII.

CALLIDUS emissas eludere simius hastas,
Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

Simius doctus declinare hastas vibratas, si haberem caudam eram cercopithecus.

Cercopithecus.] Simiarum vel simiorum varia sunt genera. & cauda inter se distinguuntur. Simiæ sine cauda dicuntur a Græcis πίθηκοι: quæ caudam habent, κερκοπίθηκοι. κέρκος enim significat caudam. Vide epig. 128. supra.

CCIII.

Cymbala. CCIV.

ÆRA Celænæos lugentia matris amores,
Esuriens Gallus vendere sæpe solet.

Gallus famelicus sæpe, solet vendere æra deflentia amores Celænaos matris.

Æra.] Hoc est, cymbala seu instrumenta sonora ex ære, quæ pulsabant Galli Cybeles sacerdotes deflentes Atyn puerum ab ea redamatum, cujus patria fuit Celænæ urbs Phrygiæ: unde vocat Atyn Celænæos amores.

CCV.

Cestos. CCVI.

COLLO necte puer meros amores,
Ceston de Veneris sinu calentem.

O puer, collo injice meros amores, ceston calentem de sinu Veneris.

Ceston.] De quo fuse diximus epig. 13. lib. 6. Veneris nempe fuit balteus, quo qui percutiebatur, percussoris amore incendebatur: idcirco Poëta vocat ceston meros amores.

Idem. CCVII.

SUME Cytheriaco medicatum nectare ceston:
Ussit amatorem balteus iste jovem.

Accipe ceston imbutum nectare venereo: balteus iste incendit Jovem amatorem.

Ussit amatorem.] Juno nempe hoc balteo Jovem percutiens ad sui amorem allicit, & ab aliis amoribus cohibet, teste Homero. Vide epig. 13. lib. 6.

Notarius. CCVIII.

CURRANT verba licet, manus est velocior illis;
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Quamvis verba velociter proferantur, manus est celerior illis: lingua nondum perfecit suum opus, dextra perfecit.

Notarius.] Qui nempe dictantis verba excipiebat, & per notas ita expedite scribebat, ut linguam dicentis anteverteret. Vide Auson. epig. 138. *ad notarum velocissime excipientem*:

Tu sen'a nostri pectoris
Vix dicta jam ceris tenes, &c.

Concha. CCIX.

LEVIS ab æquorea cortex Mareotica concha
Fiat: inoffensa curret arundo via.

Concha maritima leviget corticem Mareoticam: calamus curret via expedita.

Cortex Mareotica.] Hoc est, chartæ papyraceæ, in quibus scribebant antiqui, leves fiant, ut scribendo calamus non hæreat. Plinius lib. 13. cap. 12. *de generibus chartarum* sic ait: *Scabritia levigatur dente, conchave*, &c. Mareotis vero Ægypti pars est, ubi frequentes sunt papyri.

Mo-

Morio. CCX.

NON mendax ſtupor eſt, nec fingitur arte doloſa:
Quiſquis plus juſto non ſapit, ille ſapit.

Non eſt mendax ſtupiditas, nec fingitur artificio callido: quiſquis non ſapit nimium, ille ſapit.

Non mendax.] Id eſt, morio non fictus ſed a natura fatuus eſt. De morione dictum epig. 39. lib. 6. 13. lib. 8. 95. lib. 12.

Caput arietinum. CCXI.

MOLLIA Phryxei ſecuiſti colla mariti:
Hoc meruit, tunicam qui tibi ſæpe dedit!

Scidiſti colla tenera mariti Phryxei. An hoc meritus eſt, qui ſæpe tibi donavit tunicam?

Phryxei colla.] Hoc eſt caput arietis, qualis ille quo vectus Phryxus mare trajecit. Vide epig. 51. lib. 10.

Tunicam qui.] Nimirum ex vellere tonſo.

Pumilio. CCXII.

SI ſolum ſpectes hominis caput, Hectora credes:
Si ſtantem videas, Aſtyanacta putes.

Si tantum aſpicias caput hominis, exiſtimes Hectora: ſi intuearis ſtantem, credas Aſtyanacta.

Si ſolum.] Sedens nempe & capite tenus extans prope gigas; ſtans vero puer videbatur. Hectoris & Aſtyanactis ejus filii hiſtoria ſatis nota.

Parma. CCXIII.

HÆC quæ ſæpe ſolet vinci, quæ vincere raro,
Parma tibi, ſcutum pumilionis erat.

Hæc, quæ ſolet ſæpe ſuperari, quæ raro ſuperare, parma tibi erit, ſcutum vero pumilionis.

Hæc.] Parma nempe quæ breve erat ſcutum, quo qui armati erant in arena, quod ejus brevitate non ſatis eſſent tecti, ſæpe vincebantur. Sic Turnebus lib. 5. cap. 10. citans hoc epigramma. Thraces autem parmam gerebant, quorum factionem oderat Domitianus: unde ipſi adulatur Poëta, cum dicat parmam ſæpe vinci.

Scutum.] Quod totum corpus contegebat. Senſus eſt, homo procerus non bene parma munitur, ſed nanus optime munitur. *Tibi*, procero, nempe.

Pueri

Pueri comœdi. CCXIV.

NON erit in turba, quisquam μισούμενος ista:
Sed poterit quivis esse δὶς ἐξαπατῶν.

Non erit quisquam odio dignus in hac turba: sed quilibet poterit esse jucundissimus.

Non erit in.] Hoc est, inquit Turnebus lib. 9. cap. 24. tam formosi & amabiles sunt pueri isti comœdi, ut si μισούμενος, id est persona ejus qui invisus sit, agenda sit, ut usu evenire solet in comœdiis, non sit in turba quisquam qui eam agere possit: sed qui eam personam δὶς ἐξαπατῶν possit: hoc est, maxime optandi seu carissimi.

CCXV.

Accipiter. CCXVI.

PRÆDO fuit volucrum, famulus nunc aucupis, idem
Decipit, & captas non sibi mœret aves.

Prædo fuit avium, nunc servus aucupis: idem fallit, & dolet volucres non sibi captas.

Præda fuit.] Hoc est, priusquam mansuefieret accipiter, sibi capiebat aves, nunc aucupi capit.

Non sibi.] Sed aucupi suo domino.

Opsonator. CCXVII.

DIc quotus es, quanti cupias cœnare, nec unum
Addideris verbum: cœna parata tibi est.

Profer quotus es, quo pretio cœnare velis, nec subjeceris unum verbum: cœna instructa est tibi.

Opsonator.] Is nempe est qui cibis & opsoniis comparandis præest.

Dic quotus es.] Nam pro numero convivarum, & pro ratione impensæ splendidum aut frugale convivium apparabatur. Legunt alii,

Dic quotus, & quanti, &c.

Calami aucupatorii. CCXVIII.

NON tantum calamis, sed cantu fallitur ales,
Callida dum tacita crescit arundo manu.

Avis non tantum circumvenitur calamis, sed cantu etiam, dum arundo dolosa subjicitur manu tacita.

Callida dum tacita.] Auceps suo arbore latitans invitabat cantu aves, quibus jam arbori insidentibus, infra paulatim assurgens visco illitas virgas subjiciebat, capiebatque: & hoc est quod Poëta dicit crescere arundinem seu virgam, dum paulatim ab aucupe in digitos pedum surgente tollitur, aviumque pedibus subjicitur, ut crescere sensim videatur. Raderus. Alii *pallida*, visco forte. Videat lector. Vide epig. 55. lib. 9.

Corculum. CCXIX.

PAUPER caussidicus nullos referentia nummos
Carmina cum scribas: accipe cor, quod habes.

Tu caussidicus inops cum facias versus ex quibus nullam accipis pecuniam, sume cor quod habes.

Accipe cor.] Hoc est, bovis cor stupidum & stolidum, quale tu ipse habes cum versus scribas, ex quibus nullam prorsus utilitatem percipis. Vide epig. 77. lib. 1. Retinet pro lemmate Lipsius *Corculum*; & in ultimo versu,

——— *accipe cor quod abest.*
Demens enim seu non cordatus videbatur ille caussidicus, qui relicto foro carmina scriberet nullos nummos referentia. Videat lector. Pro lemmate cum Turnebo & aliis melius forte legas *cor bubulum.*

Cocus. CCXX.

NON satis est ars sola coco, servire palato:
Namque cocus domini debet habere gulam.

Sola ars coquinaria *non sufficit coco: cocus debet studere palato heri, & scire ejus gulam.*

Non satis.]
Non satis est ars sola coco: servire palato
Atque cocus domini debet habere gulam.

Sic interpunxit Turnebus lib. 9. cap 24. Hoc est, non sufficit ut cocus sit artis suæ peritus; sed debet scire quibus opsoniis oblectetur dominus, cujus palato servire oportet.

Craticula cum veru. CCXXI.

PARVA tibi curva craticula sudet ofella:
Spumeus in longa cuspide fumet aper.

Exigua ofella tibi sudet in curva craticula: spumeus vero *aper fumet in longo veru.*

Ofella.] Ofellas intellige carnes conditas, & globi forma concisas, epig. 48. lib. 10. quas super craticulam torreri jubet: at grandiores feras veluti apros veru assandos docet.

Pistor dulciarius. CCXXII.

MILLE tibi dulces operum manus ista figuras
Extruit: huic uni parca laborat apis.

Ista manus tibi format mille dulces figuras operum: parca apis laborat huic uni.

Mille tibi.] Quales figuræ nunc fiunt ex melle, saccaro, & farina. Legunt alii *melle tibi.*

Huic uni] Ars pistoris dulciarii adeo laudatur a Poëta, ut propter hunc unum ab apibus mel confici dicat.

Jen-

Jentacula. CCXXIII.

SURGITE, jam vendit pueris jentacula piſtor,
Criſtatæque ſonant undique lucis aves.

Surgite, jam piſtor vendit jentacula pueris, & criſtatæ aves dies cantant undique.

Jentacula.] Turnebus lib. 9. cap. 24. ſic ait: Reperio in veteribus libris adipata, quibus fortaſſe ut unctis & ganeatis cibis utebantur olim in jentaculo. Plutarchus lib. 8. Sympoſ. dicit in jentaculo panem & nihil aliud datum fuiſſe: Apuleius lib. 1. Met. panem cum caſeo.

Criſtataque.] Hoc eſt, galli auroræ prænuncii. Quaſi igitur noctem Saturnalitiam egiſſet Poëta, evagatus per munera ſingulis diſtichis monet diem adventare impoſiturus ultimam manum. Sic Domitius.

F I N I S.

M. VAL.

2

AD LECTOREM.

QUæ suis locis desunt epigrammata numero tantum notato, hîc omnia reperies. Turpitudinum tam multarum plena sunt, ut non solum Augusto Principi, cui opus nostrum consecratum est, sed cuilibet etiam verecundo lectori invisa videantur. Attamen quo partibus omnibus absolutus esset Martialis, nec quicquam desideraretur a morosis quibusdam hominibus; obscœna epigrammata notis utplurimum alienis declarata separatim edita sunt, ut rejicerentur ad lectoris arbitrium, vel assumerentur.

M. VAL.

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATA

O B S C. OE N A.

EX LIBRO PRIMO.

Ad Cottam mollem. XXIV.

INVITAS nullum, nisi cum quo Cotta lavaris,
Et dant convivam balnea sola tibi.
Mirabar quare nunquam me Cotta vocasses,
Jam scio me nudum displicuisse tibi.

Invitas nullum.] Sub persona Cottæ carpit effœminatos, & molles homines, qui in balneis bene mutoniatos subnotabant, quos inde ad convivia, a conviviis vero ad lectum deducerent.

Jam scio.] Quippe mutonis mensura tibi non placuit. Epig. 51. lib. 3. & 73. & lib. 7. epig. 54.

Ad Ædilum cinædum. XLVII.

CUM dicis propero, fac, si facis, Ædile: languet
Protinus, & cessat debilitata Venus.
Exspectare jube: velocius ibo retentus.
Ædile, si properas, dic mihi, ne properem.

Cum dicis propero, &c.] Omnino autem Hedyle Hedylam fecerunt haud dubie, qui flagitium imminuere voluerunt. Sic (quod in aurem tibi dictum sit) in Cod. Thuan. ubicumque Martialis scripserat *cunnus*; pudicus librarius fecerat *monstrum*. Nec explicatione opus: hoc enim tantum dicit, ista non imperari, nec venire ad interdictum. Mei si arbitrii res sit, in talibus epigrammatis, quorum res vel materia non potest tangi, nisi violetur pudor, tantum notari velim quæ ad Latinitatem & eruditionem pertinent. Veluti hic. *Fac si facis.*] Formula elegans,

elegans, & vox impatientiæ adversus lentos in opere quocumque. Seneca lib. 2. de beneficiis cap. 5. *Inde illa voces, quas urgentius dolor exprimit. Fac si quid facis:* &, *Nihil est tanti: Male mihi jam neges: ubi in tædium animus incipit beneficium odisse, dum exspectat.* Gron. *Hedyle.*] Ita scribendum bene docuerunt Gruterus & Scriverius. Est enim ἡδύλος, quo nomine Poëta epigrammata scriptor bis laudatur ab Athenæo. Apud Martialem est mollis ac Pathici nomen fictum, ut hic & lib. 9. epig. 57. *Idem. Hedyle languet Protinus, &c.* *Hedyle*, vel *Ædile*, legendum vult P. S. non esse se stupidum, qui ad Veneris metam blandis verbis instigetur; verum equum satis sua sponte currentem, nisi intempestive interpelletur. Gruterus, hic Metamorphosin quandam se gloriatur effecisse, non consulto Mercurio aut Venere, & ex fœmina virum exhibuisse nobis, sed cinædum: nam *Ædilis* pro cinædo taxatur lib. 4. epig. 52.

Velocius ibo retentus.] Ovidius 3. Met.

Sic ego torrentem, qua nil obstabat eunti,
Lenius & modico strepitu decurrere vidi:
At quacumque trabes obstructaque saxa tenebant,
Spumeus & fervens & ab obice sævior ibat.

Gronov.

De pueri pretio. LIX.

MILLIA pro puero centum me mango poposcit:
Risi ego: sed Phœbus Protinus illa dedit.
Hoc dolet, & queritur de me mea mentula mecum,
Laudaturque meam Phœbus in invidiam,
Sed sestertiolûm donavit mentula Phœbo
Bis decies; hoc da tu mihi, pluris emam.

Mango.] Puerorum scilicet negotiator, quos in Venerem frangebat.

Sed sestertiolûm.] Quippe Phœbus draucus rem fecerat mentula, juxta sententiam Juven. sat. 1. v. 40.

Unciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem:
Partes quisque suas ad mensuram inguinis hæres
Accipiat.

Ad Bassam tribadem. XCI.

QUOD nunquam maribus junctam te, Bassa, videbam,
Quodque tibi mœchum fabula nulla dabat:
Omne sed officium circa te semper obibat
Turba tui sexus, non adeunte viro:
Esse videbaris, fateor, Lucretia nobis:
At tu, prô facinus, Bassa, fututor eras.
Inter se geminos audet committere cunnos,
Mentiturque virum prodigiosa Venus.
Commenta es dignum Thebano ænigmate monstrum:
Hic, ubi vir non est, ut sit adulterium.

Quod nunquam, &c.] Bassam tribadem facete carpit confessione erroris sui, quod existimasset castissimam esse fœminam, quia nunquam ad eam vir adiret; sed semper cum fœminis esset: postea vero compertum est, tribadem esse.

Junctam.] Alii *cinctam.*

Fabula.] Proprie fabula. Seneca controv. VII. lib. II. *Dixi uxorem macure; semper dilexi, ad omnem me totum fabulam præstiti.*

Omne sed officium.] Quod Gruterus ait in plerisque remanere exemplaribus, *omnis & officium*, constabat & in Arondelliano. Et

forte

forte spernendum non est, *Turba omnis sui sexus* est mera muliebris. Gronovius.

Lucretia nobis.] Casta, ut Lucretia absente viro.

Fututor erat.] Τελεῶς, ὀλίως opera usa. *Fututor.*] Est auxesis in nomine *fututor* adjuncto fœminæ, quam fututricem par erat appellare, sed data hoc opera factum, ut turpitudinem ejus magis notaret. Estque hoc tribadibus peculiariter tributum a Martiale, ut de iis *futuere* dici possit.

Dignum, &c.] Ænigma dignum bano monstro, id est Sphinge. *Vel* ænigma, cui solvendo opus est OEdipo ... bano.

Ad Mamurianum pauperem & libidinosum. XCIII.

SÆPE mihi queritur non siccis Cestus ocellis,
Tangi se digito, Mamuriane, tuo.
Non opus est digito: totum tibi Ceston habeto,
Si deest nil aliud, Mamuriane, tibi.
Sed si nec focus est, nudi nec sponda grabati,
Nec curtus Chiones, Antiopesve calix:
Cerea si pendet lumbis, & trita lacerna,
Dimidiasque nates Gallica palla tegit;
Pasceris & nigræ solo nidore culinæ,
Et bibis immundam cum cane pronus aquam:
Non culum digito; neque enim est, qui non cacat olim,
Culus; sed fodiam, qui superest, oculum.
Nec me zelotypum, nec dixeris esse malignum.
Denique pædica, Mamuriane, satur.

Cestus ocellis.] Acerbe invehitur in Mamurianum pauperem, qui puerum Cestum de stupro appellabat subinde. *Cestus.*] Puer Poëtæ.

Digito tuo.] Digito obscœno per obscœna ipsum ad stuprum pelliciente, & se paratum pædiconem ostentante.

Totum ceston.] Id est, non solum concedo, quod digito sollicitas; sed totum & integrum puerum.

Sed si nec focus est.] Est parasceve ad epiphonema contentum ultimo versu epigrammatis, & describit summam Mamuriani egestatem. Tum *focus* signum erat locupletis domus, ut epig. 47. lib. 10. inter beatæ vitæ adjuncta focum perennem enumerat.

Nec curtus, &c.] Si nec ad bibendum tibi sit ruptus calix, vel quali utuntur Chione, Antiope, cæteræque meretrices etiam ad obscœnas lotiones, lib. 2. epig. 50.

Cerea, &c.] Decolor, non candida, a tritura flavescens: *vel*, sebo & sudore quasi incerata. *Trita lacerna.*] Gruter. *scripta lacerna.* J. Rutgers. *scruta lacerna.* Propius MS. Bodlejan *stricta lacerna.* Sed retineamus quæ edita est, probam & nostro familiarem.

Dimidiasque, &c.] Οἱ γὰρ Κέλται αὐτῶ χιτῶνας χειρῖς χειριδωτοὺς φέρουσι μέχρι αἰδοίων καὶ γλουτῶν. Strabo.

Neque, &c.] Supra vers. 2. huic lectioni consentiunt MS. Bodlejanus, & P. Scriverii editio.

Sed, &c.] Consueta res olim, in ira, in rixa, digito oculum eruere. *Qui superest, &c.*] Luscum innuit Mamurianum στερομφθαλμίζει. Vide lib. 3. epig. 92. quæ minandi formula, *Oculos tibi effodiam*, Plauto solennis.

Denique, &c.] Non ægre ferrem, *Atqui si id faceres satur tantum*, Catull. epig. 21. unde desumptum videtur hoc epigramma.

Ad Æglen fellatricem, XCV.

CANTASTI male, dum fututa es, Ægle.
Jam cantas bene, basianda non es.

Cantasti male.] Quæ olim male cantasti, dum, &c. jam diceris bene cantare ab iis qui te sub vocis specie ad fellandum vocant. Quia impuri oris μυζῶσι.

EX LIBRO II.

In Sextillum effœminatum. XXVIII.

RIDETO multum, qui te, Sextille, cinædum
Dixerit, & digitum porrigito medium.
Sed nec pædico es, nec tu Sextille fututor.
Calda vetustinæ nec tibi bucca placet.
Ex istis nihil es, fateor, Sextille. quid ergo es?
Nescio: sed tu scis, res superesse duas.

Et digitum.] Erat contumeliæ indicium digitus medius porrectus, quod Priapum repræsentaret, atque in molles extenderetur.

Calda vetustina.] Id est vulva, quia non es cunnilingus. Sic Domitius. Alii de fellatione hunc versum intelligunt.

Duas res.] Fellandi, & lingendi turpitudinem interpretatur Ramiresius. Alii masturbatorem, vel irrumatorem argui Sextillum sentiunt.

Ad Marianum. XXXI.

SÆPE ego Christinam futui. det quam bene, quæris?
Supra quod fieri nil, Mariane, potest.

Supra quod.] Intellige, tam libidinose & nequiter dare Christinam, ut qui eam faciat, a coitu nequeat abstinere, quin defatigatus sit effœto prorsus, & enervato corpore. Ramiresius aliter explicat his verbis: Significavit, nempe Poëta, ex ambiguo ita male dare Christinam, ut supra, id est, iterum facere non possis. Ita ut si semel eam facias, non possis iterum. Verbum *sæpe* repugnat huic sententiæ.

In Gallum cinædum. XLVII.

SUBDOLA famosæ, moneo, fuge retia mœchæ,
Levior ô conchis Galle Cytheriacis.
Confidis natibus? non est pædico maritus.
Quæ faciat duo sunt: irrumat, aut futuit.

Moneo.] Nam si te deprehenderit maritus, non pædicabit; nec enim gaudet natibus, quibus confidis ei te soluturum; te [illegible]m irrumabit.

Conchis Cytheriacis.] Id est marinis, vel venereis, quod concha vecta est ad litus venus orta mari.

De

De Thelesina mœcha. XLIX.

UXOREM nolo Thelesinam ducere. quare?
Mœcha est. sed pueris dat Thelesina volo.

Dat Thelesina.] Sui copiam.
Volo.] Ut mihi pueri deprehensi pœnas talionis dent, epig. 47. supra, & epig. 40. lib. 10.

In Lesbiam fellatricem. L.

QUOD fellas, & aquam potas, nil, Lesbia, peccas:
Qua tibi parte opus est, Lesbia, sumi aquam.

Nil peccas.] Hoc est, non erras; cum enim fellatione ora pollueris: ideo recte facis, si aquam potas, & ex more aliarum fœminarum, quæ a coitu lavant τὰ αἰδοῖα.

In Hylum cinædum pauperem. LI.

UNUS sæpe tibi tota denarius arca,
Cum sit, & hic culo tritior, Hyle, tuo:
Non tamen hunc pistor, non auferet hunc tibi caupo;
Sed si quis nimio pene superbus erit.
Infelix venter spectat convivia culi,
Et semper miser hic esurit, ille vorat.

Unus sæpe.] Hylum pathicum insectatur, quod pauperrimus cum esset, bene vasatos quærebat, & iis si quam pecuniolam habebat, largiebatur, & ipse fame peribat. Ramiresius.
Tritior.] Trita moneta vilior erat, ideo laudata aspera, quod nova, nec manum tritura levior. Idem.

In Linum pathicum. LIV.

QUID de te, Line, suspicetur uxor,
Et qua parte velit pudiciorem,
Certis indiciis satis probavit;
Custodem tibi quæ dedit spadonem.
Nil nasutius hac, maligniusque est.

Quid de te.] Lepide carpit cinædum, cui custodem spadonem dedit uxor, ne ab eo pædicaretur. Epig. 69. lib. 10.

In Hylum adulterum. LX.

UXOREM armati futuis, puer Hyle, tribuni,
Supplicium tantum dum puerile times.
Væ tibi, dum ludis: castrabere. jam mihi dices,
Non licet hoc. quid, tu quod facis, Hyle, licet?

Uxorem armati.] Monet Hylum ut discedat ab uxore tribuni militaris, a quo deprehensus non pædicaretur, sed castraretur. Nam quamvis castrari mares vetuisset Domitianus, adulteria quoque prohibuerat. Suet. cap. 7. in Domit.
Supplicium.] Dum confidis natibus, epig. 47. supra.

In maledicum. LXI.

CUM tibi vernarent dubiâ lanugine malæ,
Lambebat medios improba lingua viros.
Postquam triste caput fastidia vespillonum,
Et miseri meruit tædia carnificis:
Uteris ore aliter, nimiaque ærugine captus,
Adlatras nomen, quod tibi cumque datur,
Hæreat inguinibus potius tam noxia lingua.
Nam cum fellaret, purior illa fuit.

Cum tibi.] Acerbe invehitur in maledicum quemdam, qui antea fellator erat.
Dubia lanugine.] Id est, antequam ex ephebis excessisses.
Lambebat.] Fellabat. Lib. 3. epig. 81.
Postquam.] Tædio fuisti vel vilissimis hominibus, quos medios lambebas.
Purior illa fuit.] Nam lingua ejus cum fellaret, non tam impura & mala erat, quamvis impurissima. Impura lingua dicitur maledici, & fellatoria quoque. Ex hac ambiguitate lepidus est jocus. Lib. 3. epig. 80.

In Labienum levem. LXII.

QUOD pectus, quod crura tibi, quod brachia villis,
Quod cincta est brevibus mentula tonsa pilis:
Hoc præstas, labiene, tuæ, quis nescit, amicæ.
Cui præstas culum, quem, Labiene, pilas?

Quod pectus.] Labienum pathicum urbane perstringit, ea occasione, quod crura, pectus, brachia, & pondus velleret. Videri hoc poterat amicæ caussa facere: sed interrogat cujus caussa culum depilet, quod facere non poterat, nisi pædiconum caussa. Ramiresius.

In Cotilum impurum. LXX.

NON vis in folio prius lavari
Quemquam, Cotile. caussa quæ, nisi hæc, est?
Undis ne fovearis irrumatis.
Te primus licet abluas, necesse est,
Ante hîc mentula, quam caput, lavetur.

Non vis.] Cotilum fellatorem alios fastidientem, & qui nolebat quemquam prius in folio lavari notat, & docet spurciorem eum esse, quam quemvis alium. Ramiresius. Vide epig. 42. supra.

Te primus.] Cotilus formidabat aquas irrumatas: (in quibus scilicet alii lavissent mentulas) ne igitur irrumatæ sint, lavet ipse primus: sed hac lege, ut potius obscœnas partes, quam caput in folio abluat: quod fellantes os habent spurcum. Epig. 96. lib. 11.

In Postumum impurum. LXXII.

HESTERNA factum narratur, Postume, cœna,
Quod nollem: quis enim talia facta probet?
Os tibi præcisum, quanto non ipse Latinus
Vilia Panniculi percurit ora sono.
Quod magis mirum est, auctorem criminis hujus
Cæcilium tota rumor in orbe sonat.
Esse negas factum. vis hoc me credere, credo.
Quid? quod habet testes, Postume, Cæcilius.

Hesterna, &c.] Præ se fert dolorem, audito quam indigne exceptus sit Postumus a Cæciliano, qui colaphum illi in os impegerit, cum interim verbis alienis exprobret illi turpe crimen fellationis, & deflectat ad improbum sensum hæc verba *percisum*. Vide epig. 48. lib. 4. & epig. 35. lib. 12. *Rumor* pro irrum. Ut lib. 3. epig. 72. 79. & 86. *Factum*, supra epig. 31. & *testes* sensu etiam obscœniori.

Os tibi percisum.] Percidere enim est batuere, tundere. Turnebus lib. 7. cap. 12. Sunt tamen qui legant *præcisum*. *Quanto, &c.*] Majore sono quam ubi Latinus ille mimus alapia cædit ministrum suum,

—— *qua sorbeat aera sanna.*

Juven. 6. *Latinus Vilia Panniculi.*] De Latino diximus epig. 5. lib. 1. cui Panniculus minister erat ad risum conciliandum, finebatque se alapis percuti a Latino, lib. 5. epig. 61.

O quam dignus eras alapis, Mariae Latini:
Te successurum credo ego Panniculo.

In Lyrim ebriam & fellatricem. LXXIII.

QUID faciat vult scire Lyris? quod sobria fellat.

Quid faciat, &c.] Alii, *Quid faciat, vis scire Lyris? quid?* &c. Sic hunc versum legit Musambertius:

Quid faciat vis scire Lyris quoque sobria? fellat.

Ut si diceret, illa se videri vult ebriam tantum hoc facinus facere, ut Aristoph. vespis: sed idem opus etiam sobriæ. Vis scire quid faciat Lyris nunc ebria? Non aliud certe quam solet sobria, scilicet. MS. Bodlejanus subjicit, *Gaudeo: quid faciet ebria facta Lyris?* dignum sane patella operculum.

In Sertorium cunnilingum. LXXXIV.

MOLLIS erat, facilisque viris Pæantius heros:
Vulnera sic Paridis dicitur ulta Venus.
Cur lingat cunnum Siculus Sertorius. hoc est,
Ex hoc occisus, Rufe, videtur Eryx.

Mollis.] Pathicus. *Mollis*, *&c.* Fingunt Poetæ Venerem solere turpibus amoribus vindicare injurias sibi ac suis illatas. Quare, si (ut refert interpres Thucydidis ad librum 1.) Philoctetem, quod interfecerit Paridem, ulta fuit Venus hac pœna, ut pathicus esset; credo ego (*jocatur Poeta*) Sertorium Siculum interfecisse conterraneum suum Erycem, Veneris filium: namque illum non leviori turpitudinis pœna male mulctavit Venus, &c. *Pæantius heros.*] Philoctetes, filius Pæantis.

Ex hoc.] Ab hoc. *Eryx.*] Filius Veneris & Butæ.

EX LIBRO III.

In Nævolum pathicum. LXXI.

MENTULA cum doleat puero, tibi, Nævole, culus:
Non sum divinus, sed scio quid facias.

Cum doleat.] Nævolum pathicum insectatur, qui pædicabatur a servo. Ramir.
Quid facias.] Imo quid patiaris.

Ad Laufellam fatuam. LXXII.

VIs futui, nec vis mecum, Laufella, lavari.
Nescio quod magnum suspicor esse nefas.
Aut tibi pannosæ pendent a pectore mammæ;
Aut sulcos uteri prodere nuda times:
Aut infinito lacerum patet inguen hiatu:
Aut aliquid cunni prominet ore tui.
Sed nihil est horum. credo, pulcherrima nuda es,
Si verum est, vitium pejus habes, fatua es.

Nec vis mecum.] Communia fuisse viris cum fœminis balnea constat etiam ex epig. 51. supra.

Nescio quod magnum.] Alii *majus*, ut epig. 42. supra.

Fatua es.] Insulsa nullo lepore meretricio instructa, epig. 61. lib. 11.

In

In Phœbum impurum. LXXIII.

DORMIS cum pueris mutoniatis,
Et non ſtat tibi, Phœbe, quod ſtat illis.
Quid vis me rogo, Phœbe, ſuſpicari?
Mollem credere te virum volebam:
Sed rumor negat eſſe te cinædum.

Mollem.] Id eſt cinædum.
Sed rumor.] Fellatorem carpit, qui cum fœminis nequiret, pueris mutoniatis morem gerebat, ſpurciſſimo ore Pathicum forte intelligit.

In Lupercum enervem. LXXV.

STARE, Luperce, tibi jampridem mentula deſit:
Luctaris demens tu tamen arrigere.
Sed nihil erucæ faciunt, bulbique ſalaces,
Improba nec proſunt jam ſatureia tibi.
Cœpiſti puras opibus corrumpere buccas:
Sic quoque non vivit ſolicitata Venus,
Mirari ſatis hoc quiſquam, vel credere poſſit,
Quæ non ſtat, magno ſtare, Luperce, tibi?

Stare.] Irriſio eſt in Lupercum quendam jam inervem. qui ἀσυνουσίας laborabat: ipſe tamen omnem movebat lapidem ut poſſet. Ramireſius.

Deſit.] Deſiit.

Eruca, &c.] Erucam, bulbos & Satureiam, Venerem excitare notiſſimum eſt ex Medicis: *Erucam* enim alibi appellat ſalacem herbam, lib. 10. epig. 8.

Improba nec, &c.] Salax, Venerem improbam irritans. Βολβὸς καὶ κοχλίας καὶ ᾠὸν καὶ τὰ ὅμοια δοκεῖ σπέρματος εἶναι ποιητικά, οὐ διὰ τὸ ὁμοειδεῖς ἔχειν τὰς πρώτας φύσεις, καὶ τὰς αὐτὰς δυνάμεις, &c. Athenæus lib, 2. cap. 23.

Puras buccas.] Magno dicit conſtare Luperco, quod opibus corruperat buccas puras puerorum, qui niſi oblato ſummo pretio, non poſſent ad tantam aliici turpitudinem. *Opibus corrumpere.*] τὸ *Opibus* hujus ævi ſcriptoribus idem eſſe quod pecunia. jactura, largitione, monuimus in pecunia vetere. Gronovius. *Opibus, &c.*] Lipſius epiſt. 6. lib. 5. quæſt. epiſt. legit *Opicus*, quaſi ſit fellator. Præplacet vulgata lectio, quam aſtruit in ultimo verſu, *magno ſtare*.

Sic quoque non vivit.] Bene *vivit*, quod mortua membra communiter dicat jacentia. Rameireſ.

Quæ, &c.] Jocum quærit ab ambiguo τοῦ *ſtare*: prius obſcœnum ſignificat, poſterius *conſtare*. Pro *quæ*, Palat. *quod*.

In Bassum amatorem vetularum. LXXVI.

ARRIGIS ad vetulas, fastidis, Basse, puellas:
  Nec formosa tibi, sed moritura placet.
Hic, rogo, non furor est, non est hæc mentula demens?
  Cum possis Hecubam, non potes Andromachen.

Notat Bassi in vetulas furorem, qui puellas fastidiebat, nec in vetulis forma, sed senectus hominem delectabat. Ramiresius.

Moritura placet.] Capularis anicula & morti vicina.
Possis.] Supra epist. 31. *Hecubam.*] Vetulam. *Andromachen.*] Juniorem.

Ad Sertorium præcipitem. LXXIX.

REM peragit nullam Sertorius, inchoat omnes,
  Hunc ego cum futuit, non puto perficere.

Perficere.] Festive Sertorium irridet, qui cum omnia inchoaret, nihil tamen perficiebat, &c. Epig. 47. lib. 1.

Ad Apicium impurum. LXXX.

DE nullo quereris, nulli maledicis Apici:
  Rumor ait, linguæ te tamen esse malæ.

Maledicis.] Epig. 61. lib. 2.
Rumor ait, &c.] Epig. 72. lib. 2. v. 1.
Lingua mala.] Ad quod allusit Minutius Felix in Oct. *Apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas: qui medios viros lambunt, &c. homines malæ linguæ, etiamsi tacerent.* Sic κακὴ γλῶσσα Græcis, maledica. Heraldus.

In Bæticum cunnilingum. LXXXI.

QUID cum femineo tibi, Bætice Galle, barathro?
  Hæc debet medios lambere lingua viros.
Abscissa est quare Samia tibi mentula testa,
  Si tibi tam gratus, Bætice, cunnus erat?
Castrandum caput est: nam sis licet inguine Gallus,
  Sacra tamen Cybeles decipis ore, vir es.

Quid.] Insectatur Bæticum, de quo epig. 67. supra.
Galle.] Qui sacerdos es Cybeles eviratus.
Barathro.] Αἰδοίῳ.
Medios, &c.] Epigram. 61. lib. 2. vers. 2.
Abscissa, &c.] Epig. 45. lib. 2. Plinius lib. 35. cap. 12.
Castrandum, &c.] Es enim impuri oris & malæ linguæ.
Cybeles decipis, &c.] Sic lib. 11. epig. 72. *mœchus ore Manneius.*

In

In Coclitem impurum. LXXXIII.

UT faciam breviora mones epigrammata, Cocles,
Fac mihi quod Chione. non potui brevius.

Fac mihi, &c.] Vide quam te utar brevitatis magistro? nec potui paucioribus verbis notare te vitii fellandi; non melius non tectius, quam conferendo te cum Chione, infra epig. 87. & 97.

In Tongilionem impurum. LXXXIV.

QUID narrat tua mœcha? non puellam
Dixi, Tongilion. quid ergo? linguam.

Linguam.] Quæ λείχουσα καὶ μύζουσα, patitur quod mœcha. Sic epig. 62. lib. 11. *mœchus ore Manneius* verbum etiam *narrat*, linguæ impuritatem innuit. Vel per *linguam* innuit puellam istam adeo fuisse loquacem, ut *lingua* dici mereatur: aut linguam instar canis Appulæ, & quidem sitientis ubique & semper linguam exerentis.

In Chionen fellatricem. LXXXVII.

NARRAT te rumor, Chione, numquam esse fututam,
Atque nihil cunno purius esse tuo.
Tecta tamen non hac, qua debes, parte lavaris.
Si pudor est, transfer subligar in faciem.

Narrat te.] Fellatricem Chionem reprehendit, quod tecta pudenda parte corporis lavaretur, cum tamen illa non peccasset, monetque ut velamen transferat ad os, quo peccaverat, Ramiresius. Modo epig. 83. *Rumor, &c.*] Epig. 72. lib. 2.

Tecta tamen non hac, &c.] Si subligari tegas inferiora præ pudore, cur non potius os tegis? namque hac parte *rumor* est te peccare μύζειν. *In voce* rumor *latet alicus Paroinomasticon.*

Transfer in faciem.] Ut contegat os impurum.

In fratres fellatores. LXXXVIII.

SUNT gemini fratres, diversa sed inguina lingunt.
Dicite, dissimiles sint magis, an similes?

Diversa sed, &c.] Ο' μὲν τὰ τῆς γυναικὸς λείχει, ὁ δὲ τὰ τοῦ ἀνδρὸς μύζει.

Ad Gallum. XCII.

UT patiar mœchum, rogat uxor, Galle: sed unum.
Huic ego, non oculos eruo, Galle, duos.

Ut patiar. &c.] De more seculi. Seneca lib. 3. de Beneficiis cap. 15. *Infrunita & antiqua est, quæ nesciat matrimonium vocari unius adulterium.* Heraldus. *Mœchum, unum.*] Epig. 90. lib. 6.
Oculos duos.] Epig. 93. lib. 1. Ludit autem in auxesi ab *uno* ad *duos.*

In Gargilium cunnilingum. XCVI.

LINGIS, non futuis meam puellam.
Et garris quasi mœchus, & fututor.
Si te prendero, Gargili, tacebis.

Lingis.] Gargilius quidam cunnilingus jactabat se tanquam mœchus, & corruptor puellæ Martialis. Interminatur ei, si prehensus fuerit, ore ut irrumetur, quod vocem perdet, & tacebit. Similis jocus apud Catullum in quemdam Gellium, epig. 75. Ramiresius. Vel sic interpretare verbum *tacebis*, quod nempe linguam sit abscissurus illi Poeta.

Ad Rufum. XCVII.

NE legat hunc Chione, mando tibi, Rufe, libellum.
Carmine læsa meo est, lædere & illa potest.

Carmine.] Supra epig. 34. 83. 87. *Lædere.*] Epig. 81. supra versu ultimo.

In Sabellum macrum. XCVIII.

SIT culus tibi quam macer, requiris?
Pædicare potes, Sabelle, culo.

Pædicare potes.] Præ macie in tantum prominet κόκκυγος. Modo epig. 93. vers. 12.

EX

EX LIBRO IV.

Ad Hylum inconstantem. VII.

CUR, here, quod dederas, hodie, puer Hyle, negasti?
 Durus tam subito, qui modo mitis eras?
Sed jam caussaris barbamque, annosque, pilosque:
 O nox, quam longa es, quæ facis una senem!
Quid nos derides? here qui puer Hyle fuisti,
 Dic nobis, hodie qua ratione vir es?

Accusat Hylum puerum inconstantiæ, qui quod uno die dederat, sequenti negavit; caussabatur annos barbamque quæ emeritum jam facere debebant eum. Hoc factum esse una nocte ridet Poëta. Ramiresius.

Here.] Heri epig. 44. lib. 1. vers. 1.
Quod dederas, &c.] Tui copiam.
Barbamque, annosque, pilosque.] Quæ te emeritum reddiderint.
Puer, &c.] Patiendo.
Vir es?] Faciendo, ut epig. 42. infra.

Ad Flaccum, quem velit puerum. XLII.

SI quis forte mihi posset præstare locanti,
 Audi, quem puerum, Flacce, locare velim.
Niliacis primum puer his nascatur in oris:
 Nequitias tellus, scit dare nulla magis.
Sit nive candidior: namque in Mareotide fusca
 Pulchrior est, quanto rarior iste color.
Lumina sideribus certent, mollesque flagellent
 Colla comæ: tortas non amo, Flacce, comas.
Fons brevis, atque modus breviter sit naribus uncis:
 Pæstanis rubeant æmula labra rosis.
Sæpeque nolentem cogat, nolitque volentem.
 Liberior domino sæpe sit ille suo.
Et timeat pueros, excludat sæpe puellas.
 Vir reliquis, uni sit puer ille mihi.
Jam scio: nec fallis: nam me quoque judice verum est.
 Talis erat, dices, noster Amazonicus.

Laudat Flacci puerum Amazonicum artificiose: describit enim quem puerum optaret, & post longam descriptionem talem fuisse Amazonicum affirmat. Ramiresius.

Roganti.] Pretio prostitutum. epig. 7. & 9. lib. 9. Alii legunt *locanti*: utraque lectio probari potest. Commodato enim petere, per verbum *rogandi* exprimitur. Sequenti etiam versu leg. *locare*.

Niliacis primum, &c.] In Ægypto. Mareotis autem est lacus Ægypti.

Nequitias tellus, &c.] Lasciviam & improbitatem Veneream Juvenal. sat. 15. vers. 45. Vide epig. 62. lib. 3. vers. 4.

Namque, &c.] Namque inter Ægyptios, qui omnes fere fusci sunt, majori in pretio est, quo quis sit candidior.

Flagellent.] Dimissæ & diffusæ fluant per colla, non crobylis, annulis aut cirris calamistratæ.

Frons

Frons brevis, &c.] Frons tenuis veteribus in laude. Sic Horatius lib. 1. carm. ode 33. ad Tibullum:

Insignem tenui fronte Lycorida Cyri
Torret amor.

Modus breviter, &c.] Sit modus naribus breviter, id est modice uncis. Sic Petronius loquitur, *nares paululum inflexa*. Et Sidonius epist. 2. lib. 1. de Theodorico rege: *nasus*, inquit, *venustissime incurvus*.

Pæstanis rubeant, &c.] In Pæsto Lucaniæ oppido bis in anno proveniebant rosæ.

Sæpeque nolentem, &c.] Grata petulantia & protervitate. Ut sæpe excitentur & quasi cogantur nolentes; sæpeque volentes, quo magis incendantur, ad tempus frustrentur: ut videre est lib. 5. epig. 47. & 84. & supra 38. Alii vero ex Palatina & vet. editionibus legunt: *Sæpe & nolentem*. Recte.

Et timeat, &c.] Zelotypia testetur amorem.

Vir reliquis, &c.] Aliis neget, mihi soli det.

Jam scio, &c.] Respondet voto suo Poëta ex persona Flacci, cujus puerum Amazonicum talem fuisse dicit.

In Coracinum impurum. XLIII.

NON dixi, Coracine, te cinædum:
Non sum tam temerarius, nec audax:
Nec mendacia qui loquar libenter.
Si dixi, Coracine, te cinædum,
Iratam mihi Pontiæ lagenam,
Iratum calicem mihi Metelli.
Juro per Syrios tibi tumores,
Juro per Berecynthios furores,
Quod dixi tamen hoc leve, & pusillum est:
Quod notum est, quod & ipse non negabis.
Dixi te, Coracine, cunnilingum.

Est faceta quædam in Coracinum illusio expressa per suspensionem, quæ desinit in paradoxon. Negat enim quod minus est probrum, & fatetur quod est majus. Ramiresius.

Temerarium.] Vides distingui temerarium ab audaci. Distinxerunt & alii. Titus Livius lib. 25. *Martius ad consilium prima specie temerarium magis quam audax, animum adjecit, ut ultro castra hostium oppugnaret.*

Iratam mihi.] Supple *precor*, *habeam* aut *experiar*. Imprecationis formula. *Pontia.*] Veneficæ, epig. 34. lib. 2.

Lagenam, calicem mihi.] Vas quo misceretur venenum, epig. 69. infra vers. 4. & lib. 12. epig. 93.

Metelli.] Venefici: vel etiam putidi, cui fœtebat anima.

Syrios tumores, Berecynthios, &c.] Cl. J. Seldenus cap. 3. Syntagm. 2. de Diis Syris. Berosldus annot. cap. 25. intelligit tumores & vibices a cultris & flagris quibus sacerdotes Cybeles (quam Deam Syriam esse volunt) se sauciabant. Ego autem censeo magis dici tumores illos, ulcera & morbos quibus credebatur irata Isis inflare pejerantes, ex mente Persii sat. 5. vers. 187. ut & Furores quibus incitati Berecynthiæ matris Cybeles sacerdotes, cultris sibi lacertos, pectus & humeros secant.

Quod dixi, &c.] Alii, *Quid dixi tamen? hoc leve, &c.*

Dixi te, &c.] Negabat levius, fatetur Sarcastice quod gravius est. Sic Junius Bassus, referente Quintiliano, lib. 6. cap. 4. non dixi (inquit) te calceos veteres vendere; sed emere solere dixi.

In Papilum pathicum. XLVIII.

PRÆCIDI gaudes, præcisus, Papile, ploras,
  Cur quæ vis fieri, Papile, facta doles?
Pœnitet obscœnæ pruriginis? an magis illud
  Fles: quod præcidi, Papile, desieris.

Præcidi, &c.] Alii *percidi*. Vide epig. 72. lib. 2.
Cur, &c.] Si enim pœniteat facti, cur ultra pateris? immo a desiderio lacrymæ tuæ.

In Thaidem fellatricem. L.

QUID me, Thai, senem subinde dicis?
Nemo est, Thai, senex ad irrumandum.

Nemo est, &c.] Namque hic non tanta vi opus est, & ad hoc genus libidinis pronior est senectus, ut de Tiberio Suetonius cap. 44. & Juvenalis sat. 10. vers. 208. & ipsam Thaidem arguit magis gaudere vitio fellationis.

In Thaidem fellatricem. LXXXV.

NON est in populo, nec urbe tota,
A se Thaida qui probet fututam,
Cum multi cupiant, rogentque multi,
Tam casta est, rogo, Thais? immo fellat.

Fellat.] Supra epig. 50.

EX LIBRO VI.

Ad Priapum. XVI.

TU qui pene viros terres, & falce cinædos,
  Jugera sepositi pauca tuere loci:
Sed tua non intrent vetuli pomaria fures,
  Sed puer, aut longis pulchra puella comis.

Viros terres, &c.] Forte, nec falcem quam manu geris, timentes; sed te custodem αἰδοιοφόρον aversatos. Epig. 36. lib. 1. vers. 15. *Cinædos.*] Molles, sed falcem tuam veritos. Gronovius hic legendum censet:
Tu qui falce viros terres, & pene cinædos.

Jugera sepositi, &c.] Hortum. Epig. 58. lib. 3. vers. 47.
Sed tua.] Gruterus legendum censet è MSS. *Sic tua, &c.*
Puer, puella comis.] Qui talione luant pœnas, si intrarint hortum.

In Lesbiam deformem & libidinoſam. XXIII.

STARE jubes noſtrum ſemper tibi, Lesbia, penem:
Crede mihi, non eſt mentula, quod digitus.
Tu licet & manibus blandis, & vocibus inſtes:
Contra te facies imperioſa tua eſt?

Contra te facies.] Tanta erat Lesbiæ deformitas, ut vocibus blandis excitare Poëtam nequiret. Vide Juven. ſat. 6. verſ. 195. ubi eadem eſt ſententia.

De Sotade impuro. XXVI.

PERICLITATUR capite Sotades noſter,
Reum putatis eſſe Sotaden, non eſt,
Arrigere deſit poſſe Sotades: lingit.

Sotades.] Qui crimen admiſerunt rei capitis dicuntur: cum ore impuro morigeraretur Sotades, feſtive ait Poëta, eum capite periclitari. De Sotade Poëta quodam dictum epig. 86. lib. 2.

In Charidemum lenonem ſuæ uxoris. XXXI.

UXOREM, Charideme, tuam ſcis ipſe, ſiniſque
A medico futui, vis ſine febre mori.

Vis ſine.] Id eſt expilari: nam omnia dabuntur medico: pauperes enim mortuos Martialis ſæpe appellat. Vel, *vis mori ſine febre*: id eſt, nunquam vis ægrotare, propterea conduxiſti medicum hoc munere. Domitius. Vel intellige Charidemum metuiſſe, ne uxor amore medici capta ægrotaret, atque idcirco permiſiſſe ut ab eo ſubagitaretur.

In Sabellum pædiconem. XXXIII.

NIL miſerabilius, Matho, pædicone Sabello
Vidiſti, quo nil lætius ante fuit:
Furta, fugæ, mortes ſervorum, incendia, luctus
Affligunt hominem. tam miſer, & futuit.

Sabello.] De quo epig. 98. lib. 3. Vide & epig. 51. lib. 2. Miſere deperibat pueros Sabellus, ſed dilapidato patrimonio coactus eſt amare mulieres: qua de cauſa nil Sabello miſerabilius eſſe dicit Poëta: cum τὸ verbum miſerabilius videatur referri ad bonorum jacturam, quam paſſus erat miſer Sabellus.

Ad Papilum. XXXVI.

MENTULA tam magna eſt, tantus tibi, Papile, naſus,
Ut poſſis, quoties arrigis, olfacere.

Tantus tibi.] Irridet naſum, atque ingentem Papili mutonem.

In Charinum cinædum. XXXVII.

SECTI podicis uſque ad umbilicum,
Nullas relliquias habet Charinus,
Et prurit tamen uſque ad umbilicum:
O quanta ſcabie miſer laborat!
Culum non habet, eſt tamen cinædus.

Et prurit.] In Catamito tamen diffiſſo, & inutili ſævit circa jecur ulceroſum prurigo turpitudinis. De Charino jam dictum epig. 78. lib. 1.

In Lectoriam mœcham. XLV.

LUSISTIS, ſatis eſt: laſcivi nubite cunni,
Permiſſa eſt vobis non niſi caſta Venus.
Hæc eſt caſta Venus? nubit Lectoria Lygdo:
Turpior uxor erit, quam modo mœcha fuit.

Luſiſtis.] Legem Juliam, qua adulteria prohibebantur, revocaverat Domitianus, epig. 7. ſupra. Juven. ſat. 2. verſ. 32.

——— *qui tunc leges revocabat amaras*
Omnibus, atque ipſis Veneri, Martique timendas.

Ergo mœcha Lectoria coacta eſt nubere concubino Lygdo. Epig. 39. ſupra:

Ex concubino natus eſt tibi Lygdo.

Turpior.] Nupta enim concubino adulterium fateri videbatur. Epig. 22. ſupra.

De Priapo. XLIX.

NON ſum de fragili dolatus ulmo:
Nec quæ ſtat rigida ſupina vena,
De ligno mihi quolibet columna eſt.
Sed viva generata de cupreſſo,
Quæ nec ſecula centies peracta,
Nec longæ cariem timet ſenectæ.
Hanc, tu quiſquis es ô malus, timeto:
Nam ſi vel minimos manu rapaci
Hoc de palmite læſeris racemos:
Naſcetur, licet hoc velis negare,
Inſerta tibi ficus a cupreſſo.

Non sum.] De Priapo hortorum custode actum epig. 36. lib. 1. lib. 3. epig. 58. epig. 16. supra.

Sed viva.] Vitalitatis cupressi rationem addit duobus versibus sequentibus. Vide epig. 73. infra.

Nascetur.] Tibi ficoso inseretur vena mea cupressea. Epig. 16. supra.

De Sextiliano impuro. LIV.

TANTOS, & tantas si dicere Sextilianum,
  Aule, vetes; junget vix tria verba miser.
Quid sibi vult? inquis. dicam, quid suspicer esse:
  Tantos, & tantas Sextilianus amat.

Tantos, &c.] Prægrandes draucos, eorumque caudas.

In Charidemum mollem. LVI.

QUOD tibi crura rigent setis, & pectora villis,
  Verba putas famæ te, Charideme, dare.
Exstirpa, mihi crede, pilos de corpore toto;
  Teque pilare tuas testificare nates.
Quæ ratio est? inquit. scis multos dicere multa,
  Fac, pædicari te, Charideme, putent.

Quod tibi crura, &c.] Crura & pectus hispida setosaque præ se ferendo, putas te contra iturum & decepturum famam quæ de tua mollitie increbuit.

Extirpa, &c.] Epig. 29. lib. 2. vers. 6.

Dicere multa.] Loqui varia de tua turpitudine. Πολλὰ καὶ παντοῖα dicunt Græci eleganter.

Fac, &c.] Hanc quasi levioris criminis suspicionem oppone illi graviori, quod te suspicantur φοινικίζειν.

In Charidemum mollem. LXXXI.

IRATUS tanquam populo, Charideme, lavaris:
  Inguina sic toto subluis in solio:
Nec caput hic vellem, sic te, Charideme, lavare:
  Et caput ecce lavas: inguina malo laves.

Iratus tanquam populo.] Tanquam volens eos polluere & conspurcare, qui post te in eodem solio loturi sunt.

Nec caput hic, &c.] Vide epig. 42. lib. 2. argumenti æque puri, & epig. 56. supra.

In Zoilum impurum. XCI.

SANCTA ducis summi prohibet censura, vetatque
  Mœchari: gaude, Zoile, non futuis.

Sancta ducis.] Vide epig. 2. 4. & 7. supra. Zoilum non debere graviter ferre a Domitiano promulgatam legem adversus adulteros dicit, quoniam ipse non sectabatur mulieres, sed fellabat. Epig. 81. lib. 3. *Non futuis.*] Alii *non futues.*

EX LIBRO VII.

In Gallam formosam, sed fatuam. XVII.

CUM tibi sit facies, de qua nec fœmina possit
  Dicere, cum corpus nulla litura notet:
Cum te tam rarus cupiat, repetatque fututor,
  Miraris: vitium est non leve, Galla, tibi.
Accessi quoties [illegible]opus, mistisque movemur
  Inguinibus: cunnus non tacet, ipsa taces.
Dî facerent ut tu loquereris, & ipse taceret:
  Offendor cunni garrulitate tui.
Pedere te mallem: namque hoc nec inutile dicit
  Symmachus, & risum res movet ista simul.
Quis ridere potest fatui popysmata cunni:
  Cum sonat hic, cui non mentula, mensque cadit?
Dic aliquid saltem, clamosoque obstrepe cunno:
  Et si adeo muta es, disce vel inde loqui.

De qua nec.] Id est, nec ulla fœmina potest deformitatem notare in tuo corpore.

Nulla litura.] Nec opus est ut lomento rugas uteri condas, quæ nullæ sunt. Vide epig. 42. lib. 3.

Popysmata.] Vox fictitia a sono quo equis necdum domitis blandimur. Politianus Miscell. cap. 32. demulsio attrectatio blanda, ut quæ fit ad cicurandum equum. Vide epig. 72. lib. 3.

In Cæliam scortum. XXIX.

DAs Cattis, das Germanis, das, Cælia, Dacis:
  Nec Cilicum spernis, Cappadocumque toros:
Et tibi de Pharia Memphiticus urbe fututor,
  Navigat a rubris & niger Indus aquis:
Nec recutitorum fugis inguina Judæorum,
  Nec te Sarmatico transit Alanus equo.
Qua ratione facis, cum sis Romana puella,
  Quod Romana tibi mentula nulla placet?

Das Cattis.] Tui copiam. Alii, *Parthis.*

Pharia urbe fututor.] Memphi. Epig. 1. lib. Spect. vers. 1.

Rubris & niger, &c.] A mari Erythræo, quod cum [illegible] diceretur Græcis, ab Erythra filio Persei & Andromedæ, qui ibi regnavit, Latini *Rubrum* verterunt, cujus coloris vel arenas vel undas esse credebant. סוף, Hebr. id est papyrosum.

Recutitorum, &c.] Quibus circumcisis succrescit cutis.

Sarmatico, &c.] Namque Alanos Scythiæ populos in Sarmatia Europæa ponunt Plinius & Ptolomæus.

In Matronam caute impudicam. XXXIV.

INGUINA succinctus nigra tibi servus aluta
  Stat, quoties calidis tota foveris aquis.
Sed meus, ut de me taceam, Lecania, servus
  Judæum nulla sub cute pondus habet.
Sed nudi tecum juvenesque senesque lavamur,
  An sola est servi mentula vera tui?
Ecquid fœmineos sequeris matrona recessus?
  Secretusque tua cunne lavaris aqua?

In Matronam.] Alii *in Lecaniam.*

Succinctus.] Cum in balnea veniret Lecania, jubebat sibi astare servum obligatis pudendis, hac forte de caussa, ut suspicatur Poëta, ne in aliis mulieribus latus defatigaret. Siquidem alii promiscue cum fœminis omnes nudi lavabant: ergo non præ pudore ita agebat Lecania. Vide epig. 76. lib. 11. & epig. 54. infra, ubi de tributo quod pendebant Judæi circumsecti: qui tegebant inguina, ne verpi viderentur.

Secretusque tua] Nempe in secreto recessu rem habebat cum servo.

In Chrestum impurum. LIV.

NULLI munera, Chreste, si remittis,
Nec nobis dederis, remiserisque,
Credam te satis esse liberalem.
Sed si reddis Apicio, Lupoque,
Et Gallo, Ticioque, Gellioque,
Lingas non mihi (nam proba & pusilla est)
Sed quæ de Solymis venit perustis
Damnatam modo mentulam tributis.

Apicio, Lupoque, &c.] Turpitudinis tuæ ministris.

Gellioque.] Palat. & membranæ Anglicanæ *Cæsioque.* Sunt & qui legunt *Celioque.*

Lingas.] Scriptus codex Turnebi, ut & Palat. *Linges* *Non mihi, &c.*] Non meam, quæ castior est, sed servi mei Judæi damnati ad tributum; vel nomine tributi in servitutem damnati. Tornebus legit *tributi*, lib. 24. cap. 28. Grave autem tributum pendebant, cum Judæi, tum qui Judaicæ sectæ initiabantur circumsecti. Suetonius in Domit. cap. 12. *Et pusilla est.*] Palat. aperte *puella est.* Et cur non admittam, cum eandem alibi nominet *anum*, mentionemque faciat *chartæ virginis*? Gruterus.

Ad Gallam volentem nubere viro vero. LVII.

JAM sex aut septem nupsisti, Galla, cinædis:
  Dum coma te nimium, pexaque barba juvat.
Deinde experta latus, madidoque simillima loro
  Inguina, nec lassa stare coacta manu,

Dese

Deſeris imbelles thalamos, mollemque maritum:
  Rurſus & in ſimiles decidis uſque toros.
Quære aliquem Curios ſemper Fabioſque loquentem,
  Hirſutum, & dura ruſticitate trucem.
Invenies: ſed habet triſtis quoque turba cinædos:
  Difficile eſt, vero nubere, Galla, viro

Cinædis.] Dum ex cultu & elegantia eos judicabas ſtrenuos ad κλινοπάλην.

Similes toros.] Mollium & imbellium cinædorum.

Quære aliquem, &c.] Ne ulterius te decipiant pexi iſti & comati; quære aliquem ex iis qui ſermone & cultus neglectu gravitatem & virilitatem profitentur, epig. 25. lib. 1.

Sed habet, &c.] Sed & hi ſunt Socratici cinædi.

Difficile eſt, &c.] Juven. ſat. 2.

Fronti nulla fides: quis enim non vicus abundat
Triſtibus obſcœnis?

In Amillum impurum. LXI.

Recluſis foribus grandes præcidis, Amille:
  Et te deprendi, cum facis iſta, cupis,
Ne quid liberti narrent, ſervique paterni,
  Et notet obliqua garrulitate cliens,
Non pædicari ſe qui teſtatur, Amille,
  Illud ſæpe facit, quod ſine teſte facit.

Præcidis.] Alii *percidis.* Epig. 72. lib. 2.

Narrent, &c.] Te gravius aliquid pati.

Et notet.] Gruterus ex Palat. & Anglic. legit: *Et niger*: ut *niger* ille, deſignet garrulum quem, Horatianæ picturæ non diſſimilem.

Teſtatur, teſte facit.] Ludit in *teſtatur* & *teſte*, necnon in ambiguitate τ͂ *teſte*. Hic autem ὄρχεις intelligit, id eſt λείχει ἢ φοινικίζει.

In Philænim tribadem. LXVI.

Pædicat pueros tribas Philænis,
Et tentigine ſævior mariti,
Undenas vorat in die puellas,
Harpaſto quoque ſubligata ludit,
Et flaveſcit haphe, graveſque draucos,
Alterno facili rotat lacerto,
Et putri lutulenta de palæſtra
Uncti verbere vapulat magiſtri.
Nec cœnat prius, aut recumbit ante,
Quam ſeptem vomuit meros deunces:
Ad quos fas ſibi tunc putat reverti,
Cum coliphia ſexdecim comedit.
Poſt hæc omnia cum libidinatur,
Non fellat: putat hoc parum virile:

 Sed

Sed plane medias vorat puellas:
Dî mentem tibi dent tuam Philæni,
Cunnum lingere, quæ putas virile.

Pædicat pueros.] τῶ ὀλίσβῳ *Tribas Philænis*] Lacerata carmine Polycratis, cum mulierum omnium esset castissima, si verum quod de ea scribit Æschrion apud Athenæum lib. 8. Sed Æschrionis apologia nihil eam juvit apud posteros. *Her. Tribas.*] Fricatrix.

Tentigine, &c.] Libidinis prurigine magis inflammata quam maritus.

Vorat in die puellas,] Λεσβιάζουσι, φοινικίζουσι καὶ τελοῦσαι Gruter. legit *dolat.*

Harpasto quoque.] Epig. 19. lib. 4 *Subligata ludit.*] Veste subducta, *Vel, subligari usa.*

Flavescit haphe.] In palæstra flavescit aspergine arenæ: ita Achelous cum Hercule luctans *Jacta tactus flavescit arena.* Ovid. Metam. 9. ἁφὴ autem *tactus* est. Epictet. cap. 26. Enchirid. ἔτι δὲ ὅτι χεῖρας βαλεῖν, ζ ... σφέψαι, πολλὴν ἁφὴν καταπιεῖν *Gravesque, &c.*] Et pondera illa plumbea seu ferrea corpori exercendo in Gymnasiis & Balneis adhibita, vel ipsis grandibus draucis gravia, agili versat manu. Vide epig. 48. & 49. lib. 14. & Juven. sat 6. vers. 22. quæ huic epigrammati consonat.

Putri.] Male olenti ab oleo. *Lutulenta, &c.*] Ceromate e luto uncta.

Uncti magistri.] Aliptæ manus crepitu interungendum. Vide Juvenalem sat. 6. vers. 423. *Verbere vapulat.*] Nam & hi Magistri, quos ἐπιστάτας Græci dicunt, jus virgæ habebant.

Nec cœnat, &c.]

———*sextarius alter*
Ducitur ante cibum rabidam facturus orexim, &c.

Juven. sat. 6. vers. 429. Vide epig. 71. lib. 5. Alii *redire.*

Cum coliphia.] Luctatorum panes, qui vires palæstritarum membris addunt, a κῶλον & ἶφι, ut vult Dom. Calderinus; quam etymologiam afferere laborat Cornel. Vitellius contra Merulam Annotat. cap. 12. Certo enim ciborum genere ad palæstras, & cæteras ejusmodi exercitationum formas præparabantur. Juvenal. sat 2.

Luctantur pauca, comedunt coliphia pauca.

Medias, &c.] Supra vers. 3.

Mentem tuam Philæni, &c.] Mentem sanam, vel quæ fœmineam appetat libidinem. Locum istum nonnulli exagitant: at Grutero elegans videtur; ut videlicet usurus voto aut imprecatione, id præter omnem omnium expectationem optet, quod jam habebat. Eodem fere modo hoc lib. epig. 23.

Hoc fatiat, quod puto lingua facis.

Nec admodum dissimiliter Turnus apud Virgilium lib. 11. Æneid. vers. 408.

Nunquam animam talem dextra hac (absiste moveri)
Amittes: habitet tecum: & sit pectore in isto.

Sic apud Senecam in sui nominis Medea, vers 968 *Mihi me relinque*: Et Symmachus lib. 4. epist. 48. *Dii illos mentibus suis puniant.*

In Philænim. LXIX.

IPSARUM tribadum tribas Philæni
Recte quam futuis, vocas amicam.

Male sonat dicta viro *amica*; mulieri, bene quam vero Philænis ami am vocat, male audit, cum ipsa Philænis sit tribas. Καλοῦσι γοῦν καὶ αἱ ἐλεύθεραι γυναῖκες καὶ αἱ παρθένοι τὰς ζυνήθεις καὶ φίλας, ἑταίρας, &c. καλοῦσι δὲ τὰς μισθαρνούσας, ἑταίρας. Athenæus lib. 14. cap. 4.

In anum deformem. LXXIV.

Vis futui gratis, cum sis deformis, anusque.
Res perridicula est: vis dare, nec dare vis.

Vis gratis.] Vide epig. 90. lib. 3.
Vis dare.] Tui copiam. *Nec dare.*] Pecuniam.

De Menophilo verpo. LXXXI.

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Ut sit comœdis omnibus una satis.
Hunc ego credideram (nam sæpe lavamur in uno)
Solicitum voci parcere, Flacce, suæ:
Dum ludit media populo spectante palæstra,
Delapsa est misero fibula, verpus erat.

Menophili penem tam grandis, &c.] Quo loco notant Interpretes duo fibularum genera fuisse: Indumentum quo comprimebantur simul & tegebantur verenda, tum filum æneum argenteumque præputio trajectum. Utrumque falsum. Nam neque filum fuisse Celsus indicat, qui a filo fibulam distinguit, & filo exempto fibulam inditam docet: neque vestimentum fuit. Annulus enim fuit promiscuus ex ære; in pædagogiis ad luxum argenteus; isque ne facile solvi posset a fabro, igne glutinabatur, & ab eodem quum opus esset refibulabatur, sive solvebatur. Quid ergo theca illa & aluta, fibulaque penem vestiens apud Martialem fuit? Nempe subligaculum & vagina quædam, cujus usus non ad custodiendam vocem: qui enim fieri poterat, si tam facile removebatur, & sponte cadebat? Sed honestatis caussa adhibebatur, præcipue a Judæis ad celandam præcisionem, qui tamen non infibulari, nec enim poterant, cum pellicula carerent, quæ trajiciebatur; quod Josepho Scaligero negotium facessebat: sed quia ferme, qui infibulati erant, etiam thecam hujusmodi, & alutam gestabant; sive ut laterent; sive ne nimio motu atque incussu annulus cutem læderet: sive aliam ob caussam, propterea improprie eam Martialis fibulam appellavit, quæ fibula non erat, sed potius fibulæ ipsius tutamen. Cum præterea Celsus fibulam meliorem dixerit quo levior: at hæc quæ ad celandum inventa, adeo gravis, ut *Judæum pondus* Martialis appellaverit, quo recutitorum inguina trahebantur. Petrarius. *Menophili, &c*] Comœdi, citharœdi, adolescentulique alii, virilia fibula coërcere solebant, quo a Venere abstinerent, vocis seu valetudinis conservandæ causa. Celsus lib. 7. cap. 25. & Juven. sat. 6. vers. 73. & 380. Duo autem harum fibularum erant genera. Vel indumentum quo comprimebantur, simul & tegebantur inguina: vel filum æneum argenteumve præputio trajectum.

Verpus erat.] Judæus, vel recutitus, utebatur autem fibula (illa priore modo dicta) ad velandam ἀκροποσθίαν.

Ad Juvenalem. XC.

De nostro facunde tibi Juvenalis agello
Saturnalicias mittimus ecce nuces.
Cætera lascivis donavit poma puellis
Mentula custodis luxuriosa dei.

Saturnalicias, &c.] Quibus luditur in Saturnalibus, epig. 31. lib. 5. *Mentula, &c.*] Ipse Priapus, epig. 36. lib. 1. & epig. 49. & 73. lib. 6.

EX LIBRO VIII.

Ad Cestum puerum. XLVI.

QUANTA tua est probitas, quanta est præstantia formæ,
Ceste puer, puero castior Hippolyto!
Te secum Diana velit, doceatque natare:
Te Cybele secum vellet habere Phryga.
Tu Ganymedeo poteras succedere lecto,
Securus domino basia sola dares.
Felix quæ tenerum vexabit sponsa maritum,
Et quæ te faciet prima puella virum.

Quanta tua est, &c.] Legerim, *Tanta tua est probitas, quanta est*, ut epig. 6. lib. 11. *Præstantia formæ.*] J. Gruterus, *infantia formæ.*

Castior Hippolyto.] Vide argumentum Hippolyti Senec. trag.

Diana velit.] Ipsa castitatis dea. *Doceatque.*] P. Scriverius, *Doritque natare. Natare.*] Inter nymphas suas, neque oculos tuos ulciscetur, ut quondam Actæonis.

Te Cybele.] Brodeus legendum censet, *Te Cybele secum mallet habere Phryge.* Hoc est, Te secum habere mallet, quam Atyn Phrygium. Sed Gruteri lectio præfertur, legentis *totum*, & *Phryga. Totum, &c.*] Non castratum ut Atyn quondam puerum suum Phrygium.

Ganymedeo, &c.] Epig. 56. lib. 5.

Securus, &c.] Non suspectus Junoni, nec zelotypam deam urens. Gruterus, *Sed durus domino*: vix basia a te impetraret Jupiter, nedum quid ulterius.

De Aulo puerorum amatore. LXIII.

THESTYLON Aulus amat, sed nec minus ardet Alexin:
Forsitan & nostrum sic Hyacinthon amat.
I nunc, & dubita, vates an diligat ipsos,
Delicias vatum cum meus Aulus amet.

Delicias.] Hoc est pueros delicatos, qui sunt deliciæ Poetarum.

EX LIBRO IX.

In Lupum mœchum. III.

PAUPER amicitiæ cum sis, Lupe, non es amicæ,
Et queritur de te mentula læsa nihil.
Illa siligineis pinguescit adultera cunnis:
Convivam pascit nigra farina tuum.
Incensura nives dominæ Setina liquantur;

Nos

Nos bibimus torti pulla venena cadi.
Emta tibi nox est fundis non tota paternis:
Haud sua desertus rura sodalis arat.
Splendet Erythræis perlucida mœcha lapillis:
Ducitur addictus te futuente cliens.
Octo Syris suffulta datur lectica puellæ:
Nondum sandapilæ pondus amicus erit.
I nunc, & miseros Cybele præcide cinædos.
Hæc erit, hæc cultris mentula digna tuis.

Pauper, &c.] Vide Juvenalem sat. 7. vers. 73. ab eadem mente & ingenio.
Illa siligineis.] Lupus amicas pascebat pane siligineo. Vide epig. 69. lib. 14.
Incensura, &c.] Amicæ ruæ colantur vina optima e Setia, quæ calore suo nives, quibus diluuntur, incendant. Epig. 69. lib. 4. vers. 1.
Corsi pulla.] Vilioris notæ vini e Corsica, cujus mella, thyma & cœlum gravia. Legitur & *torti*; quod exponunt, *Supremum torculari expressi. Venena cadi.*] Vina non meliora Vaticanis, quæ dixerat *toxica.* Epig. 19. lib. 1. & epig. 92. lib. 6.
Nox non tota.] Pars noctis.
Haud sua.] Conducta,
Erythræis.] Epig. 38. lib. 5.
Addictus, &c.] In carcerem vel ædes creditoris, cui a Prætore addicitur ære obrutus.
Syris.] Servis e Syria octophorum gestantibus
Nondum.] Alii *nudum.*
Sandapilæ, &c.] Epig. 81. lib. 2.
Nunc, &c.] Castra miseros cinædos, ut tibi sint sacerdotes. Ironice. Imo Lupum potius lautum cinædum, qui amicos inguini posthabet.

In Æschylum irrumatorem. V.

Aureolis futui cum possit Galla duobus,
Et plus quam futui, si totidem addideris:
Aureolos a te cur accipit, Æschyle, denos?
Non fellat tanti Galla. quid ergo? tacet

Aureolis.] id est nummis aureis. Alii *areolis.*
Et plus.] Epig. 52. lib. 2. & epig. 33. inf.
Tacet.] Ore morigeratur.

In Chrestum impurum. XXVIII.

Cum depilatos, Chreste, coleos portes,
Et vulturino mentulam parem collo,
Et prostitutis levius caput culis,
Nec vivat ullus in tuo pilus crure,
Purgentque sævæ cana labra volsellæ,
Curios, Camillos, Quinctios, Numas, Ancos,
Et quidquid usquam legimus pilosorum,
Loqueris, sonasque grandibus minax verbis,
Et cum theatro, seculoque rixaris.
Occurrit aliquis inter ista draucus, &
Jam pædagogo liberatus, & cujus
Refibulavit turgidum faber penem:

Nutu

Nutu vocatum ducis, & pudet fari
Catoniana, Chreste, quod facis lingua.

Chreste.] De quo jam epig. 54. lib. 7.

Prostitutis, &c.] Cinædorum.

Pergentque.] Epig. 29. lib. 2. Alii, *pingantque.*

Caries, &c.] Et habes usque in ore veterum inculcatam gravitatem & continentiam. Sic epig. 25. lib. 1.

Et cum theatris, &c.] Et exclamas: *O tempora! O mores!* indignatus theatra & secula hæc quasi ludicra & lasciva nimis.

Jam pædagogo, &c.] Qui ex ephebis excesserit.

Refibulavit turgidum.] Fibulam solvit & sustulit, epig. 81. lib. 7. *Faber penem.*] Erat enim fibula ex ære, dicto epig. 81. lib. 7.

Pudet fari.] Jubet me pudor tacere quid agat lingua tua, qua te profiteris tertium moribus Catonem.

Facis lingua.] Epig. 72. lib. 2.

Qualem velit amicam. XXXIII.

HANC volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur:
Hanc volo, quæ puero jam dedit ante meo:
Hanc volo, quam redimit totam denarius alter:
Hanc volo, quæ pariter sufficit una tribus,
Poscentem nummos, & grandia verba sonantem,
Possideat crassi mentula Burdigali.

Quæ palliolata vagatur.] Nam *palliolum* & *pallium* veteres non tantum quo humeros tegerent, sed etiam quo capita velarent, appellarunt. Cinædi porro & molles capita semper pileolis aut palliolis tecta gerebant. Palliola quoque mulierum, & præcipue meretricum, quibus caput etiam tegebant. Sic Ovidius lib. 1. artis amatoriæ:

Ægrum te facito ut simules, nec turpe putaris,
Palliolum nitidis imposuisse comis.

Ita enim vetustissimæ membranæ scriptum exhibent, cum vulgatæ omnes editiones habeant *pileolum, &c.* Salmasius. *Palliolata.* Non togata, non stolata, sed ancillari habitu vestita.

Dedit ante meo.] Epig. 49. lib. 2.

Totam denarius.] *Omnibus modis largam*, ut epig. 63. lib. 12. quæ

Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam.

Auson. epig. 70. Vide lib. 2. epig. 52. *Alter.*] Duo denarii. Viliores istæ meretrices *Diobolares* a Plauto eleganter appellantur.

Possideat crassi mentula Burdigali.] Gruterus notat MSS. omnes & olim cusos habere *Burdigala*: & eam scripturam esse revocandam. Sed in MS. qui quondam Pircheimeri, postea Comitis Arondeliæ fuit, inveni *Burdigalem.* Hoc igitur nomen meretricis est, quam dicit

Poscentem nummos, & grandia verba sonantem.

At præterea *Crassi* scribendum, id est hominis divitis & opulenti, propter Licinium Crassum ditissimum Romanorum. Gronovius. *Crassi Burdigali.*] Divitis, fatui, insulsi, an simpliciter, *crassi.* MSS. omnes *Bridegala.*

Ad

Ad Flaccum. XXXIV.

AUDIERIS in quo, Flacce, balneo plausum,
Morionis illic esse mentulam scito.

Morionis, &c.] Bene vasati. Alii legunt *Mutonis*, id est mutoniati. Alii *Mathonis. Maronis.* Palatin.

In Gallam vetulam libidinosam. XXXVIII.

CUM sis ipsa domi, mediaque ornere Subura,
Fiant absentes & tibi, Galla, comæ:
Nec dentes aliter, quam Serica nocte reponas,
Et laceas centum condita pyxidibus:
Nec tecum facies tua dormiat, innuis illo,
Quod tibi prolatum est mane, supercilio.
Et te nulla movet cani reverentia cunni,
Quem potes inter avos jam numerare tuos.
Promittis sexcenta tamen: sed mentula surda est,
Et sit lusca licet, te tamen illa videt.

Mediaque ornere Subura.] Medicaminibus & fucis quæ petuntur empta ex media Subura, vico Rom. celebri.

Absentes & tibi, &c.] Fictitiæ, accersitæ, caliendra.

Nec dentes aliter, &c.] Et ex osse vel ebore factitios dentes reponas noctu, ut vestes sericas reponere solent. *Quam serica.*] Sericæ vestes matronis placuere, & præcipue matronis e Veneris grege. Clare Seneca de Beneficiis cap. 9. *Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt; in quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit, &c.* Vestibus perlucidis usas fuisse Venereas illas matronas, testatur etiam Lucianus in Amoribus.

Et jaceas, &c.] Et mundus tuus, fuci medicamina, &c. recondantur innumeris pyxidibus. *Jaceas.*] Antea legebatur *lateas.*

Nec tecum, &c.] Adscititium faciei nitorem singulis noctibus reponas, crastino die novum sumptura.

Quod tibi prolatum.] Prolatum, aut ex pyxidibus depromptum aut productum. Nam supercilia fuligine sibi producebant: jacturam enim superciliorum sic arte reparabant. Heraldus. Juven. sat. 2. vers. 93.

Promittis, &c.] Epig. 23. lib. 6.

Lusca licet, &c.] Quid miri, si videat, quæ lusca est? Gruterus ex Palat. *cæca* legit: sed & alteri scripturæ sua venustas. Lib. 2. epig. 33. Scriverius surda.

De voto Philænis. XLI.

TARPEÏAS Diodorus ad coronas
Romam cum peteret Pharo relicta,
Vovit pro reditu viri Philænis,
Illam lingeret ut puella simplex,
Quam castæ quoque diligunt Sabinæ:
Dispersa rate tristibus procellis

Mersus fluctibus, obrutusque Ponto
Ad votum Diodorus enatavit.
O tardus nimis, & piger maritus!
Hoc a litore si puella notum
Fecisset mea, protinus redissem.

Tarpeias.] Vide epig. 54. lib. 4.

Pharo.] Pharos hodie *Farion*, colonia & oppidum Ægypti apud Alexandriam in insula continenti pene juncta, &c. Ferrarius.

Si puella.] Ostendit puellam suam immunda femora habere, & indigere purgante lingua. Domitius.

In Ponticum masturbatorem. XLII.

PONTICE, quod nunquam futuis, sed pellice leva
  Uteris, & Veneri servit amica manus:
Hoc nihil esse putas? Scelus est, mihi crede, sed ingens,
  Quantum vix animo concipis ipse tuo.
Nempe semel futuit, generaret Horatius ut tres:
  Mars semel, ut geminos Ilia casta daret.
Omnia perdiderat, si masturbatus uterque
  Mandasset manibus gaudia fæda suis.
Ipsam crede tibi naturam dicere rerum.
  Istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

Pellice leva.] Diogeniana uteris Venere, qui τὸν δ' ὑμέναιον Ἤειδε παλάμῃ Λαΐδος χατέων. Agathius lib. 7. Anthologiæ. Quod idem refert Galenus lib 6. περὶ τῶν πεπονθότων τόπων. Innuitque ipse Diogenes Luciani, ἐν βίων πράσει.

Nempe semel fuit, &c.] Ex uno congressu geniti sunt trigemini illi Horatii, qui tres Curiatios singulari de re Rom. certamine commissos devicerunt: ex uno geniti Romulus & Remus, Romæ conditores.

Masturbatus uterque.] Ut tu.

Fœda.] Alii *sæva*.

Quod digitis, &c.] Nimirum illi *Fratres* dicebantur, qui nefario concubitu turpe perdendi hominis præstabant officium. Rigaltius.

In Phœbum draucum. LXIV.

AD cœnam invitant omnes te, Phœbe, cinædi:
  Mentula quem pascit, non puto purus homo est.

Phœbe.] Ludit forte in nomine; φοῖβος enim *purum* sonat, quasi dicat, nomine purus, re impurus.

In Æschylum impurum. LXIX.

LASCIVAM tota possedi nocte puellam,
 Cujus nequitias vincere nemo potest.
Fessus mille modis illud puerile poposci:
 Ante preces totas, primaque verba dedit.
Improbius quiddam ridensque rubensque rogavi;
 Pollicita est nulla luxuriosa mora.
Sed mihi pura fuit, tibi non erit, Æschyle: si vis,
 Accipe & hoc munus conditione mala.

Illud puerile poposci.] Δύφημεν ἐκεῖνο, ὅτι πάσχουσι οἱ παῖδες. Sic sæpe hoc pronomen ponitur relato subintellecto. Catullus:

Et quærendum unde, unde forte nervosius illud.

Sic *Res illas* dixit Arnobius τὸ ἀνδρεῖον. Dicebant aliquando *Multa illa*, id est, lascivas illas & obscœnas voluptates. Catullus:

Ubi illa multa tam jocosa fiebant.

Græci ταῦτα vel ἐκεῖνα eodem modo. Heraldus.

Improbius, &c.] Ore morigerari.

Sed mihi, &c.] Nec tamen feci: pretio deterritus, seu rei turpitudine.

Conditione mala.] Magno pretio, caro emptum.

In Polycarmum. LXXI.

CUM futuis, Polycarme, soles in fine cacare.
 Cum pædicaris, quid, Polycarme, facis?

De Gellio. LXXXII.

DUXERAT esuriens locupletem pauper, anumque,
 Uxorem: pascit Gellius, & futuit.

Pascit Gellius, &c.] Παιδευτικῶς, ut *lavare, tondere, &c.* *Futuit.*] Uxoremne, an alias? Vide Ausonium epig. 134.

De Athenagora cunnilingo. XCVII.

ALPHICUS ante fuit, cœpit nunc Olficus esse
 Uxorem postquam duxit Athenagoras.
Nomen Athenagoræ credis, Callistrate, verum?
 Si scio, dispeream, quis sit Athenagoras.
Sed puto me verum, Callistrate, dicere nomen:
 Non ego, sed vester peccat Athenagoras.

Alphicus.] De Athenagora jam dictum epig. 41, lib. 8. *Alphicus*, id est medicus curans vitiliginem, quæ Græcis ἀλφὸς dicitur. Porro ducta uxore cœpit lingere cun-

cunnum, inquit Domitius; unde factus est *olficus*, hoc est, olfacit cunnum.

Non ego.] Pecco, quia aperte eum nomino, quem alphicum & olficum novis nominibus dixi: sed ipse peccat Athenagoras, qui argumentum suppeditavit.

EX LIBRO X.

Ad Flaccum, de Polla. XL.

SEMPER cum mihi diceretur esse
Secreto mea Polla cum cinædo,
Irrupi, Lupe. non erat cinædus.

Non erat cinædus.] Scelus videtur innuere, de quo epig. 47. lib. 2.

In Marullam impudicam. LV.

ARRECTUM quoties Marulla penem
Pensavit digitis, diuque mensa est:
Libras, scrupula, sextulasque dicit.
Idem post opus, & suas palæstras,
Loro cum similis jacet remissus:
Quanto sit levior Marulla dicit.
Non ergo est manus ista, sed statera.

Sextulas.] Sextula est sexta pars unciæ. Facete Poëta stateram dicit libidinosæ Marullæ manum, quæ tam accurate pensaret, & metiretur, &c.

In Læliam lascivam. LXVIII.

CUM tibi non Ephesos, nec sit Rhodos, aut Mitylene,
Sed domus in vico Lælia patricio,
Deque coloratis numquam lita mater Etruscis,
Durus Aricina de regione pater,
Ζωὴ καὶ ψυχὴ lascivum congeris usque,
Prô pudor Hersiliæ civis, & Egeriæ:
Lectulus has voces, nec lectulus audiat omnis:
Sed quem lascivo stravit amica viro.
Scire cupis quo casta modo matrona loquaris:
Numquid cum crissas, blandior esse potes?
Tu licet edisças totam, referasque Corinthon,
Non tamen omnino Lælia Thaïs eris.

Cum tibi, &c.] Cum non sis ex aliqua insula vel parte Græciæ oriunda, sed media nata Romæ. Vide sat. 6. Juvenalis a versu 186. unde huic lux & fortassis ingenium.

Deque coloratis, &c.] Et mater tua ex Etruria, nunquam fucata, imo sole offuscata. *Nunquam lita.*] Lini autem moris erat istos delicatos, vel ad candorem nitoremque cutis conciliandum, vel ne cito barbati essent. *Coloratos* vero *Etruscos* vo-

ca

cat ἡλιοκαύστους, & mulierem nunquam litam, quæ faciem medicamentis nunquam induxerit, ad candorem servandum & solem cutl defendendum, ne coloraretur. Hujusmodi autem medicamina, quæ præstabant, ne sole facies læderetur, θερινὰ προφυλακτικὰ προσώπων vocabant, eaque omnia erant ἐπιχρίσεις Salmasius.

Aricina, &c.] Aricia oppidum Latii, ad cujus clivum sedebant mendici.

Ζωὴ καὶ ψυχὴ, &c.] Vide verſ. 195. ſat. 6. Juven. & quæ nos ad illum. Gronovius valde extollit Thuanæi codicis præstantiam, & scriptorem ejus fidelem asserit, ut quæ non assequutus fuerit, imitatione tamen characterum expresserit; & cum cætera minutis literis exarata sint, hunc unum versum majusculis expresserit:

KURIE MU MELI MU PSICI MU
CONGERIS USQUE.

Hinc colligit Martialem scripsisse,

Κύριέ μου, μέλι μοῦ, ψυχή μου,
congeris usque.

Agnoscis enim amatoria vocabula Græcis & Latinis satis familiaria.

Hersilia civis, &c.] Tu Romana. Hersilia autem Romulo cessit conjux e Sabinis raptis una. De Ægeria supra epig. 35. verſ. 13.

Crissas, &c.] Κιγκλίζῃ, quod in maribus *cevere* dicitur.

Corinthon.] Linguam græcam: vel magis proprie blanditias & sermones nequam Corinthi, unde Lais.

Non tamen omnino, &c.] Nunquam tamen ex deformi & blanda Lælia fies pulchra & elegans Lais. Hinc pro *Thais*. Gruterus legendum censet, *Thais*, recte.

De Galla deformi facta. LXXV.

Millia viginti quondam me Galla poposcit,
  Et, fateor, magni non erat illa nimis.
Annus abit: bis quina dabis sestertia, dixit.
  Poscere plus visa est, quam prius, illa mihi.
Jam duo poscenti post sextum millia mensem,
  Mille dabam nummos: noluit accipere.
Transierant binæ forsan, trinæve Kalendæ,
  Aureolos ultro quatuor ipsa petit.
Non dedimus, centum jussit me mittere nummos:
  Sed visa est nobis hæc quoque summa gravis.
Sportula nos junxit quadrantibus arida centum:
  Hanc voluit: puero diximus esse datam.
Inferius nunquid potuit descendere? fecit.
  Dat gratis, ultro dat mihi Galla: nego.

Millia viginti, &c.] Quingenti Philippei: *dena sestertia*, dimidium, 250. *duo millia*, quinquaginta: *mille nummi*, 25. Philippei: *aurei quatuor*, quadringenti nummi, decem Philippei: *Centum nummi*, Philippei duo & dimidiatus. Gronov.

Magni non, &c.] Nitebat enim tum flore juventæ.

Bis quina.] Dena sestertiorum millia.

Poscere, &c.] Minus quippe formosa est facta, atque hinc gravius visum est pretium.

Aureolos ultro, &c.] Defluente jam in dies forma & ipsa vilescit, contempta invicem.

Nos junxit, &c.] Habuit nos in officio, id est, officio meritus fueram sportulam tenuem. Hanc voluit.

Dat gratis, &c.] Epig. 56. lib. 2.

De Phyllide meretrice. LXXXI.

CUM duo venissent ad Phyllida mane fututum,
Et nudam cuperet sumere uterque prior,
Promisit pariter se Phyllis utrique daturam,
Et dedit. ille pedem sustulit, hic tunicam.

Daturam.] Epig. 56. lib. 2.

Et dedit, &c.] Et utrique se præstitit *Donna* Phyllis seu Jana gemina, ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω λεύσσουσα. Ego potius intelligo, inquit Domitius, jocum esse in verbo *sustulit*, quod significat *in altum tulit*: sustulit item surripuit. Alter igitur surripuit tunicam, alter potitus est coitu, & ita utrique dedit, alteri coitum, & alteri tunicam.

In Ligellam vetulam. XC.

QUID vellis vetulum, Ligella, cunnum:
Quid busti cineres tui lacessis?
Tales munditiæ decent puellas.
Nam tu jam nec anus potes videri.
Istud, crede mihi, Ligella, belle
Non mater facit Hectoris, sed uxor.
Erras, si tibi cunnus hic videtur;
Ad quem mentula pertinere desit.
Quare si pudor est, Ligella, noli
Barbam vellere mortuo leoni.

Ligellam.] Palat. legit *Ligeia*, ut forsan eadem sit cum illa, cujus meminit lib. 12. epig. 7.

Vellis vetulum, &c.] Expilas, ut tenerior juniorque videare.

Quid busti, &c.] Quid suscitas cineres & sopitos ignes demurtuæ & sepultæ libidinis tuæ?

Non mater, &c.] Non anus ut Hecuba, sed firmæ ætatis mulier. ut Andromache.

Barbam vellere, &c.] Exstimulare ad libidinem fœtidum os mortuum. Alludit ad proverbium, *tondere leonem*, & *vellere barbam leoni*. Hoc est, irritare ad iras. Quod periculosæ plenum opus est aleæ. Vide epig. lib. 6. & Annot. prior. Jo. Bapt. Pii cap. 15. ubi ad explicationem hujus epigrammatis nimis multa. *Mortuo leoni.*] Frustra scil. vetulam vulvam ad libidinem stimulas, est enim mortua.

De Almone imbelli. XCI.

OMNES eunuchos habet Almo, nec arrigit ipse,
Et queritur, pariat quod sua Polla nihil.

Omnes eunuchos.] Vide epig. 67. lib. 6. Juven. sat. 6. vers. 367.

Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia semper
Oscula delectent, & desperatio barbæ
Et quod abortivo non est opus.

Ad

Ad Gallam fellatricem. XCV.

INFANTEM tibi vir, tibi, Galla, remiſit adulter,
Hi puto non dubie ſe futuiſſe negant.

Neuter agnoſcit ſuam eſſe prolem, ut qui tecum rem habuerant. Quid ergo? Vide epig. 5. lib. 9. tacet ſcil. Galla, epig. 96. lib. 3.

De Phileno elumbi. CII.

QUA factus ratione ſit requiris,
Qui numquam futuit, pater Philenus.
Gaditanus Avite dicat iſtud:
Qui ſcribit nihil, & tamen poëta eſt.

Qua.] Jocus eſt in Philænum & Gaditanum, quorum alter, adulterio uxoris habebat filios, alter alieno carmine ſibi vendicato volebat videri Poeta.

EX LIBRO XI.

De baſiis ſui pueri. IX.

LASSA quod externi ſpirant opobalſama drauci,
Ultima Corycio quæ cadit aura croco,
Poma quod hiberna matureſcentia capſa,
Arbore quod verna luxurioſus ager,
De Pallatinis dominæ quod ſerica prælis,
Succina virginea quod relegata manu,
Amphora quod nigri: ſed longe fracta, Falerni,
Quod qui Sicanias detinet hortus apes,
Quod Coſini redolent alabaſtra, focique deorum,
Quod modo divitibus lapſa corona comis:
Singula quid dicam? non ſunt ſatis: omnia miſce:
Hoc fragrant pueri baſia mane mei.
Scire cupis nomen: nil præter baſia dicam.
Juro tibi, nimium ſcire, Sabine, cupis.

Laſſa quod, &c.] Nihil poreſt magis fatuum hac ſcriptura dari. *Draucus* non eſt puer delicatus, ſed bene & nimium vir. Quid autem ſuavius habent odores in aliquo Aſiatico, Græco, Ægyptio, quam Italico? Ergo ſufficiunt *heſterni*. Nihilo melius: aut enim evanuit ille odor aut ſudore & ſpurco opere corruptus eſt. Præclare vero codex ſcriptus Pircheimeri vel Arondellianus:

Lapſa quod externis ſpirant opobalſama truncis.

Quod nihil eſt quam. illa peregrina & exotica opobalſama quod ſpirant. Sic Seneca: *Dives Sabæis colligit truncis Arabs.* Vide Diatriben. Gronov. *Laſſa quod.*] Quod olent trita

trita opobalsama delicati pueri ex Asia, Græcia, vel Ægypto. *Externi.*] Alii *hesterni.* id est, ejus qui nocte præterita ἐκοίμωσε. Recte.

Corycio.] Recte Gruterus, *quod curvo*: & sic etiam Pirckheimerianus. Sed male explicant de referente nescio quos curvos arcus dum cadit in theatro. Immo *curvo* est marcescente & ultimas emittente vires. Ovidius:

Marcida demittunt subito caput illa gravatum.

Gronov. *Corycio, &c.*] Epig. 69. lib. 3. & epig. 39. lib. 9. Gruterus ex optimo codice, *quod curvo*. Recte. Videtur enim loqui de croco theatrali fistulatim expresso, & referente utcunque arcus curvos dum cadit.

Poma quod, &c.] Epig. 65. lib. 3.

Capsa.] Qua poma hyeme servantur.

Domina.] Augustæ nempe vestimenta serica seu syntheses. Palatinis recondita prælis, epig. 46. lib. 2.

Relegata.] Alii *regelata manu*, ut epig. 93. lib. 3. hoc est, attritu calefacta, epig. 38. lib. 5.

Sed longe, &c.] Odora enim per aërem diffusa gratiora sunt: propius autem admota obstruunt sensorium.

Sicanias, &c.] Siculas apes, mellificia Hyblæa.

Cosmi redolent, &c.] Myropolæ, epig. 88. lib. 1. *Alabastra.*] Pyxides unguentariæ ex alabastro. *Focique deorum.*] Thure ardentes.

Divitibus, &c.] Proinde nardo & unguento delibutis.

Nil præter basia dicam.] Alii, *Si propter basia dicam. Jurasti nimium scilicet.* Sensus est, Si nomen solummodo scire cupis basiorum caussa, dicam: id ipsum confirmas juramento; O Sabine, altius aliquid, juramentum istud premit: scilicet, hoc est, amore ejus deperis; itaque absit dicam nomen.

Nimium scire, &c.] Aliquid ultra basia cupis, qui de pueri nomine quæris.

In Gallam eruditam. XX.

QUÆRIS cur nolim te ducere, Galla? diserta es.
Sæpe solœcismum mentula nostra facit.

Pete hujus epigrammatis ingenium & expositionem a Juven. sat. 6. vers. 448. & 457. Ad Lucilii item epig. cap. 46. lib. 2. Anthologiæ, τῇ χειρὶ σολοικίζει. Martialis, inquit Brodæus, Lanuvii ad portas non arrigens dicit, *Sæpe solœcismum, &c.*

Ad lectorem gravem. XXI.

CÆSARIS Augusti lascivos livide versus
Sex lege, qui tristis verba Latina legis.
Quod futuit Glaphyran Antonius, hanc mihi pœnam
Fulvia constituit, se quoque uti futuam.
Fulviam ego ut futuam: quid si me Manius oret?
Pædicem, faciam? non puto si sapiam.
Aut futue, aut pugnemus, ait: quid quod mihi vita
Carior est ipsa mentula? signa canant.
Absolvis lepidos nimirum, Auguste, libellos,
Qui scis Romana simplicitate loqui.

Cæsaris, &c.] Duo primi versus sunt Martialis, ut & duo ultimi: hexastichon intermedium Augusti erat: quod citat Poeta ad excusandam carminis sui lasciviam.

Quod futuit, &c.] Fulvia uxor Marci Antonii (inquit Octavius) incitante Manio, quo ulciscatur mariti sui petulantiam in Glaphyra, sese offert mihi corrumpendam, imo petit. Ego, horreoque non minus quam si me Manius oret ut, &c.

Intelli-

Interminata deinde mihi bellum civile ni faciam, posthabeo ipsam vitam pudiciaiæ.

Absolvis, &c.] Apostrophe Poëtæ ad Augustum, supra.

In Lydiam laxam. XXII.

LYDIA tam laxa est, equitis quam culus aëni,
 Quam celer arguto qui sonat ære trochus,
Quam rota transmisso toties impacta petauro,
 Quam vetus a crassa calceus udus aqua,
Quam quæ rara vagos exspectant retia turdos,
 Quam Pompeiano vela negata Noto,
Quam quæ Delphitico lapsa est armilla cinædo,
 Culcita Leuconico quam viduata suo,
Quam veteres brachæ Britonis pauperis, & quam
 Turpe Ravennatis guttur onocrotali.
Hanc in piscina dicor futuisse marina.
 Nescio: piscinam me futuisse puto.

Equitis, &c.] *Equitis* pro *equi* positum censet cum aliis Brodæus Miscell. lib. 10. cap. 33.

Trochus.] Epig. 168. lib. 14.

Rota petauro.] Turnebus *petaurum* putat esse lignum per rotam a petaurista trajectum, lib. 8. cap. 4. Cornelius Vitellius contra Georgium Merulam cap. 13. contendit petaurum, ipsum esse petauristam qui se transmittit per rotam quasi in aëre volantem, unde nomen. Vide Mercur. lib. 3. de arte gymnastica cap. 8.

Crassa.] Cœnosa.

Quam Pompeiano, &c.] Quam vela theatri Pompeiani (vide epig. 39. lib. 9.) quæ jacent laxa, ubi non tument sublata ventis.

Delphitico.] Quas Delphi mittunt, inquit Domitius. P. Scriverius reponit *de phthisico*, &c. tabe diutina ac phthisi consumptis armillæ laxæ excidunt.

Leuconico, &c.] Lanæ genere, quo culcitræ farciebantur. Bulmannus legit, *Culcita, quam pluma qua viduata sua est.* Vide epig. 159. lib. 14.

Brachæ, &c.] Femoralia quæ Britannis Gallis in usu. De quibus vide quæ Jos. Scalig. ad lib. 4. Propertii, & If. Casaub. ad Sueton. August.

Ravennatis guttur.] In Ravennæ paludibus degentis. *Onocrotali.*] Avis quæ Æliano lib. 16. hist. Animalium cap. 4. Celæ esse videtur. Gillius ibidem onocrotalum esse autumat, dictum a ruditu asini, ex ὄνος & κρόταλον. & Plinius lib 10. cap. 47.

In pædiconem masturbantem. XXIII.

MOLLIA quod nivei duro teris ore Galesi
 Basia, quod nudo cum Ganymede jaces,
Quis negat hoc nimium? sed sit satis: inguina saltem
 Parce fututrici solicitare manu.
Levibus in pueris plus hæc, quam mentula, peccat;
 Et faciunt digiti, præcipitantque virum.
Inde tragus, celeresque pili, mirandaque matri
 Barba, nec in clara balnea luce placent.
Divisit natura mares; pars una puellis,
 Una viris genita est. utere parte tua.

Duro teris ore.] Barbato. *Galesi.*] Pueri. *Præcipitantque virum.*] Ante tempus accelerant ætatem, faciem, & opus virile. *Tragus, &c*] Hircus, fœtor alarum. Virus autem hirci redolent illi qui rem agunt veneream, quique ea ætate sunt quæ Veneri sufficit, spiritu non coquente humorem, ut in pueris. Arist. Problem. & ab eadem causa, pili, maxime in locis humidis. Lud. Cælius lib. 10. cap. 54.

Nec in, &c.] Nec appareant pilosi.

In Silam deformem. XXIV.

NUBERE Sila mihi nulla non lege parata est:
  Sed Silam nulla ducere lege volo.
Cum tamen instaret, decies mihi dotis in auro.
  Sponsa dabis dixi: quid minus esse potest?
Nec futuam quamvis prima te nocte maritus:
  Communis tecum nec mihi lectus erit.
Complectarque meam, nec tu prohibebis, amicam:
  Ancillam mittes, sed mihi jussa tuam.
Te spectante dabit nobis lasciva minister
  Basia, sive meus, sive erit ille tuus.
Ad cœnam venies: sed sic divisa recumbes,
  Ut non tangantur pallia nostra tuis.
Oscula rara dabis nobis, & non dabis ultro:
  Nec quasi nupta dabis, sed quasi mater anus.
Si potes ista pati, si nil perferre recusas:
  Invenies qui te ducere, Sila, velit.

Nulla non.] Hoc est, qualibet conditione.

Decies.] Centena millia sestertiûm, epig. 105. Infra describit mores, quibus uxorem præditam velit.

In Linum impurum. XXVI.

ILLA salax nimium, nec paucis nota puellis
  Stare Lino desit mentula: lingua cave.

Lingua cave.] Epig. 78. lib. 1. & 62. infra.

Ad Telesphorum puerum mollem. XXVII.

O Mihi grata quies! ô blanda, Telesphore, cura,
  Qualis in amplexu non fuit ante meo!
Basia da nobis vetulo puer uda Falerno,
  Pocula da labris facta minora tuis.
Addideris super hæc Veneris si gaudia vera,
  Esse negem melius cum Ganymede Jovi.

Blanda

Blanda cura.] amor, deliciæ.
Facta minora.] Trita, deguſtata labris ſuis.

Et qua tu biberis, hac ego parte bibam. Ovid. eleg. 4. lib. 1.

Ad Flaccum de amica. XXVIII.

FERREUS es, ſi ſtare poteſt tibi mentula, Flacce,
Cum te ſex cyathos orat amica dare.
Vel duo fruſta rogat cybii, tenuemve lacertum,
Nec dignam toto ſe botryone putat:
Cui portat gaudens ancilla paropſide rubra
Alecem, ſed quam protinus illa voret:
Aut cum perfricuit frontem, poſuitque pudorem,
Succida palliolo vellera quinque petit.
At mea me libram foliati poſcat amica,
Aut virides gemmas, ſardonychaſve pares:
Nec niſi prima velit de Tuſco ſerica vico,
Aut centum aureolos, ſic velut æra roget.
Nunc tu velle putas hæc me dare dona puellæ?
Nolo: ſed his ut ſit digna puella volo.

Stare poteſt, &c.] In amicæ, quæ parvo pretio licet, ut quæ poſcat ſex vini cyathos, &c.

Orat amica dare.] Gruterus ex Palat. legit *amica gari*, quod & commentaria Calderini agnoſcunt: *Garum* eſt liquamen ex piſce.

Cybii.] Piſcis e palamidum genere. Vide epig. 79. lib. 5.

Botryone putat.] Ovis ſepiarum, non racemo, ut vult Domitius.

Paropſide rubra.] Lance fictili. Gruterus legit *parapſide.*

Aut cum, &c.] Quod ſi majore cum fiducia velit magnum quiddam rogare, poſcit illotam lanam in pallium.

Foliati poſcat amica.] Unguenti ex foliis nardi aliiſque foliis odoratis. Vide Plinium & Pancirolum.

Pares.] Geminas.

Prima.] Optima. *Tuſco ſerica vico.*] Textura ſericarum & bombycinarum veſtium exercebatur in Tuſco vico Romæ.

Nunc tu, &c.] MS. Bodlejan. *Num tu*, & pro *dare dona* legit Pala. *donare.*

De phrenetico medico. XXIX.

INVASIT medicus ſica phreneticus Eucli,
Et præcidit Hylan. hic, puto, ſanus erat.

Sica.] Interpretare mentulam. Jocatur in verbo *præcidit*, quod ſignificat *vulnerare*, & *pædicare.*

Ad Phyllidem vetulam. XXX.

LANGUIDA cum vetula tractare virilia dextra
  Cœpisti, jugulor pollice, Phylli, tuo.
Nam cum me vitam, cum me tua lumina dicis:
  Horis me refici vix puto posse decem.
Blanditias nescis: dabo dic tibi millia centum,
  Et dabo Setini jugera culta soli.
Accipe vina, domum, pueros, chrysendeta, mensas:
  Nil opus est digitis: sic mihi, Phylli, frica.

Jugulor pollice, &c.] *Mentula mensque cacat*, epig. 17. lib. 7.

Vitam, &c.] Epig. 68. lib. 10. *Murem* legit Angelus Politianus cap 96. Miscel. quasi dicat salacissimum: ita enim esse mures scribit probatque Ælianus lib. 12. de Animalibus.

Blanditias nescis, &c.] Quæ mihi placeant: neque enim excitor palpantis vetulæ blanditiis, sed pretio, sed muneribus.

Chrysendeta, mensas.] Epig. 43. lib. 2.

In Zoilum fellatorem. XXXI.

OS male caussidicis, & dicis olêre poëtis:
  Sed fellatori, Zoile, pejus olet.

Os male.] Propter maledicta hæc? An studio diutino impedita concoctione, epig. 4. lib. 4.

Fellatori.] Tibi nempe. De Zoilo vide epig. 82. lib. 3.

De Luperco irrumatore. XLI.

FORMOSAM Glyceren amat Lupercus,
  Et solus tenet, imperatque solus:
Quam toto sibi mense non fututam
Cum tristis quereretur, & roganti
Caussam reddere vellet Æliano:
Respondit, Glyceræ dolere dentes.

Cum tristis.] Cum caussatus est dolorem dentium in caussa fuisse, cur non potiretur amica, aperte fatebatur se capiti Glyceræ illudere.

In uxorem zelotypam. XLIV.

DEPRENSUM in puero tetricis me vocibus uxor
  Corripis, & culum te quoque habere refers.
Dixit idem quoties lascivo Juno tonanti?
  Ille tamen gracili cum Ganymede jacet.
Incurvabat Hylam posito Tirynthius arcu.
  Tu Megaram credis non habuisse nates?
Torquebat Phœbum Daphne fugitiva: sed illas
  OEbalius flammas jussit abire puer.
Bryseis multum quamvis aversa jaceret,
  Æacidæ propior levis amicus erat.
Parce tuis igitur dare mascula nomina rebus,
  Teque puta cunnos uxor habere duos.

Gracili.] Alii legunt *grandi.*
Incurvabat, &c.] Ad turpe ministerium, quod Juven. *inclinabat*, sat. 9. vers. 26. & sat. 10. vers. 224. *Tyrinthius arcu.*] Hercules, a Tyrinthio oppido, ubi nutritus est cultusque.
Megaram, &c.] Uxorem Herculis.
OEbalius, &c.] Hyacinthus, ex Amyclis Laconiæ civitate. Vide epig. 173. lib. 14.
Bryseis multum, &c.] Brysei filia Hippodamia, Achillis amica.
Levis amicus erat.] Patroclus imberbis.
Parce tuis igitur, &c.] Ne putes illam partem in fœminis æque gratam esse atque in maribus, epig. 98. lib. 12.

In Cantharum Impurum. XLVI.

INTRASTI quoties inscriptæ limina cellæ,
  Seu puer arrisit, sive puella tibi:
Contentus non es foribus, veloque, seraque,
  Secretumque jubes grandius esse tibi.
Oblinitur minimæ si qua est suspicio rimæ,
  Punctaque lasciva quæ terebrantur acu.
Nemo est tam teneri, tam solicitique pudoris,
  Qui vel pædicat, Canthare, vel futuit.

Inscripta limina.] Titulum professæ & habentis nomen inscriptum lupæ, quæ ibi merebatur. Juven. sat. 6. vers. 124. *Cella.*] Gloss. *Cella*, οἴκημα. Servulorum propriæ receptacula, & partes ædium abstrusiores, ubi servi habitant, *Cellæ* dicuntur. Sed *cellæ* sæpe cubilia meretricum, φυλακοὶ ἑταιρῶν. Erant vero *cellæ* non ipsa lupanaria, sed receptacula in lupanaribus, in quibus erant plures cellæ, tanquam cubicula, ubi scorta prostabant. Quæ & præfixos habebant titulos, ubi nomina meretricum: quæ ibi merebantur, inscripta erant; ita ut qua quæque cella staret, ex inscriptione nosse posses. Juven. sat. 6. de Messalina;

Et nigrum flavo crinem, &c.

Cæterum nudæ stabant meretrices, ut eas inspicere possent amatores, ne qua occulta labe fallerentur.
Veloque, seraque.] Epig. 35. lib. 1. vers. 5. & Juven. sat. 8. vers. 168.
Secretumque, &c.] Grandius scelus cogitas, grandius secretum postulas.
Lasciva acu.] Calamistro. *Acu lasciviore comam sibi inserunt.* Tertullianus de virgine velanda cap. 12.

In

In Mævium effœtum. XLVII.

JAm, niſi per ſomnum, non arrigis, & tibi, Mævi,
Incipit & medios meiere verpa pedes:
Truditur & digitis pannucea mentula laſſis,
Nec levat exſtinctum ſolicitata caput.
Quid miſeros fruſtra cunnos, culoſque laceſſis?
Summa petas: illic mentula vivit anus.

Et medios meiere.] Alii *in medios.* Melius. *Verpa.*] Penis.
Pannucea, &c.] Debilis, laxa, rugoſa: quod & de pomis dicitur. Plinius lib. 15. cap. 15. & Macrobius lib. 3. cap. 19.
Summa petas.] Os. *Illic mentula vivit.*] Epig. 50. lib. 4. *Anus.*] Vide epig. 40. & epig. 106. lib. 1.

In Blataram cunnilingum. XLVIII.

OMnia femineis quare dilecta catervis
Balnea devitat Blatara? ne futuat.
Cur nec Pompeia lentus ſpatiatur in umbra,
Nec petit Inachidos limina? ne futuat.
Cur Lacedæmonio luteum ceromate corpus
Perfundit gelida virgine? ne futuat.
Cum ſic fœminei generis contagia vitet,
Cur lingit cunnum Blatara? ne futuat.

Pompeia, &c.] Porticu Pompeii, epig. 14. lib. 2.
Inachidos limina, &c.] Iſidis porticum ſeu templum, ubi conventus & colloquia de adulteriis.
Multos illa facit, quod fuit ipſa Jovi. Ovidius 2. de Arte.
——— *Iſiaca ſacraria lenæ.* Juven. ſat. 6. verſ. 490.
Lacedæmonio luteum.] Palæſtram inveniebant exercebantque Lacedæmonii.
Ceromate corpus.] Epig. 58. lib. 3.
Virgine, &c.] Aqua, epig. 21. lib. 5.

De Titio bene mutoniato. LII.

TAnta eſt quæ Titio columna pendet,
Quantum Lampſaciæ colunt puellæ.
Hîc nullo comitante, nec moleſto,
Thermis grandibus, & ſuis lavatur:
Anguſte Titius tamen lavatur.

Columna pendet.] Priapus, αἰδοῖον.
Lampſaciæ, &c.] Epig. 17. lib. 11. & lib. 6. epig. 68.
Anguſte Titius, &c.] Ipſe ingens & ἀνδρογονίδης, an quia ſub aquis maſturb.

In Telesphorum mollem. LIX.

CUM me velle vides tecumque, Telesphore, sentis:
  Magna rogas, puto me velle negare licet?
Et nisi juratus dixi, dabo, subtrahis illas,
  Permittunt in me quæ tibi multa, nates.
Quid si me tonsor, cum stricta novacula supra est,
  Tunc libertatem, divitiasque roget?
Promittam: nec enim rogat illo tempore tonsor,
  Latro rogat: res est imperiosa timor.
Sed fuerit curva cum tuta novacula theca,
  Frangam tonsori crura, manusque simul.
At tibi nil faciam: sed lota mentula lana
  Λαικάζειν cupidæ dicet avaritiæ.

Tecumque.] Alii *tentumque*, epig. 74. infra.
Licet.] Alii *nihil.* Sic legunt quidam:
Magna rogas: puta me velle negare nihil.
Permittunt.] Nam sunt in caussa, cur a me multa imperiosus petas.
Sed lota mentula lana] Id est, cum peracto opere absterfa fuerit mentula. Domitius:
——— *sed lota mentula lava*
Λαικάζειν cupida dicet avaritia.
Hoc est, sed lota sinistra masturbabor, & jubebo te avarum plorare. Sic Dousa secutus conjecturam Scaligeri. Vide epig. 42. lib 9. & 74. infra.

De Chione & Phlogide. LXI.

SIT Phlogis, an Chione Veneri magis apta requiris?
  Pulchrior est Chione, sed Phlogis ulcus habet.
Ulcus habet, Priami quod tendere possit alutam,
  Quodque senem Pylium non sinat esse senem.
Ulcus habet, quod habere suam vult quisque puellam,
  Quod sanare Criton, non quod Hygea potest.
At Chione non sentit opus, nec vocibus ullis
  Adjuvat: absentem, marmoreamque putes.
Exorare dei si vos tam magna liceret,
  Et bona velletis tam pretiosa dare:
Hoc quod habet Chione corpus, faceretis haberet
  Ut Phlogis, & Chione quod Phlogis ulcus habet.

Ulcus habet.] Veneris sensum, urticas, pruriginem, lasciviam. *Priami quod, &c.*
——— *quo incendi jam frigidus ævo*
Laomedontiades & Nestoris hernia possit.
Juven. sat. 6. vers. 326. *Alutam.*] Nervum languentem & laxum instar alutæ.
Quodque senem.]
——— *quo Pylius juvenescere posset,*
Tithonusque annis fortior esse suis.
Ovid. eleg. 6. lib. 3. Amor. *Pylium.*] Alii *Peliam.*
Quod sanare, &c.] Nam *femina simplex.* Juven. sat. 6. vers. 328. cui medicus non medica opem ferre potest. Sic infra epig. 72. Hygeia autem filia Æsculapii. Pausanias in

in Atticis, & Plinius lib. 35. cap. 2. hoc est *sanitas*.

Non sentit opus.] *Fatua est*, ut de Laufella dixit epig. 72. lib. 3.

Infelix cui torpet hebes locus ille, &c.

Ovidius 3. de Arte. *Nec vocibus ullis.*] καὶ οὐ μέρος ἁπλῶς, οὐδὲν ἐρῶντος ἔχεις. Antholog. lib. 7. epig. Philodemi, & infra epig. 105.

Vellerit.] Palat. *possetis*, recte.

De Manneio impuro. LXII.

LINGUA maritus, mœchus ore Manneius
Summœnianis inquinatior buccis:
Quem cum fenestra vidit a Suburana.
Obscœna nudum lena, fornicem clausit,
Mediumque mavult basiare, quam summum;
Modo qui per omnes viscerum tubos ibat,
Et voce certa, consciaque dicebat,
Puer, an puella matris esset in ventre,
(Gaudete cunni, vestra namque res acta est.)
Arrigere linguam non potest fututricem.
Nam, dum tumenti mersus hæret in vulva,
Et vagientes intus audit infantes,
Partem gulosam solvit indecens morbus,
Nec purus esse nunc potest, nec impurus.

Mœchus, &c.] Λείχων, φοινικίζων, θύων.

Summœnianis, &c.] Ipsis prostibulis Suburanis, epig. 35. lib. 1.

Quorum artificis valet halitus oris, &c. Juven. sat. 238. vers. 10.

Nudum.] In lupanaribus nudæ prostabant meretrices. Petronius, Juvenalis 6. Xiph. in Heliogab. *Lena, &c.*] Alii, *Leda*, recte, ut epig. 4. lib. 4.

Mediumque, &c.] Τὴν ἕδραν μᾶλλον τοῦ στόματος.

Partem gulosam, &c.] Linguam reddidit paralyticam, sideravit, ut infra epig. 86.

Morbus] Paralysisne ἀπὸ τῆς ἀφίδος καὶ τῶν ἐμπειρικῶν, quorum malefico humore marcescunt segetes, apes immoriuntur, &c. Plinius cap. 15. lib. 7. an sideratio? ut epig. 86. infra.

Nec purus, &c.] Morbo illo contaminatus. *Nec impurus.*] Lingua ut prius mœchus.

De Lesbia meretrice. LXIII.

LESBIA se jurat, gratis numquam esse fututam.
Verum est: cum futui vult, numerare solet.

Gratis numquam, &c.] Sine pretio. Voluit illa significare *accepto*, intelligit Poeta *dato*.

In Philomusum cinædum. LXIV.

SPECTAS nos, Philomuse, cum lavamur,
Et quare mihi tam mutoniati
Sint leves pueri subinde quæris,

Dicam

Dicam ſimpliciter tibi roganti:
Pædicant, Philomuſe, curioſos.

Curioſos, &c.] Similes tui cinædos, qui curioſis oculis & devorantibus, ſpectas quacif-que per balnea mutoniatos. Vide epig.97. lib. 1. & lib.9. epig. 60.

In Fauſtum impurum. LXV.

NEscio tam multis quid ſcribas, Fauſte, puellis:
Hoc ſcio, quod ſcribit nulla puella tibi.

Hoc ſcio quod ſcribit.] Interpretantur, quaſi velit Martialis: Scio nullam puellam tibi ſcribere: & ejus ſenſus cauſas divinant. At ego credo Fr. Sanctio, *Scio quod*, bene Latine non dici, quicquid contra moliatur Scioppius, cui alio tempore reſpondebimus. Nec tamen optimus Sanctius hic feliciter, quum explicat: Tu multa ſcribis puellis, quum ſis pædico, ut videlicet te oſtendas puellarum amatorem; ſed ego ſcio quid ſis, propter quod nulla tibi reſcribit, quia pueros amas. Non hæc mens Martialis, ſed iſta: Haud ſcio rem quam tu ſcribis tam multis puellis: unam rem ſcio quam præ pudore nulla tibi audet ſcribere puella: nempe te eſſe aut fellatorem, aut irrumatorem, aut lingonem. Gronovius. *Nulla puella tibi.*] An itaque pueri? An hinc voluit ſe videri in gratia eſſe apud puellas? epig. 63. lib. 3. quarum tamen nulla illi reſcripſit.

In Tuccam mangonem. LXXI.

VEndere, Tucca, potes centenis millibus emtos?
Plorantes dominos vendere, Tucca, potes:
Nec te blanditiæ, nec verba, rudeſque querelæ,
Nec te dente tuo ſaucia colla movent?
Ah facinus, tunica patet inguen utrimque levata,
Inſpiciturque tua mentula facta manu.
Si te delectat numerata pecunia, vende
Argentum, menſas, myrrhina, rura, domum.
Vende ſenes ſervos, agros & vende paternos:
Ne pueros vendas, omnia vende miſer.
Luxuria eſt emere hos; (quis enim dubitatve, negatve?)
Sed multo major vendere luxuria eſt.

Potes.] Suſtines.
Plorantes dominos, &c.] Pueros amaſios, ut amicæ dictæ ſunt *dominæ*. Vel pueros plorantes orantesque te ne veneant dominis aliis.
Rudeſque querelæ.] pueriles, non fictæ.
Dente tuo ſaucia, &c.] Dum amore furens impreſſiſti eorum cervicibus memorem dente notam.
Myrrhina, &c.] Epig. 113. lib. 14.
Sed multo, &c.] Sic epig. 63. lib. 2.
——————— *hæc mage luxuria eſt.*

De Leda libidinoſa. LXXII.

HIctericam vetulo ſe dixerat eſſe marito,
Et queritur futui Leda neceſſe ſibi.

Sed

Sed flens, atque gemens tanti negat esse salutem,
Seque refert potius proposuisse mori.
Vir rogat ut vivat, virides nec deserat annos,
Et fieri, quod jam non facit ipse, sinit.
Protinus accedunt medici, medicæque recedunt,
Tolluntúrque pedes: ô medicina gravis.

Hiftericam.] Vide epig. 8. supra, ubi scripsimus *ištericam* sine aspiratione. Alii *hystericam, &c.* uteri strangulatione laborantem, cui morbo præscribunt remedium medici validam congressus succussationem. *Sed flens, &c.*] Sed tamen lacrymans dissimulat mori se malle quam hujusmodi convalescere remedio. *Virides, &c.*] Nec ætatis flore velit mori. *Medici, &c.*] Supra epig. 61. *Tolluntúrque, &c.*] In Venerem, epig. 81. lib. 10. *Gravis.*] Scoptice.

De Nata-cinædo. LXXIII.

DRAUCI Nata sui vocat pipinnam,
Collatus cui gallus est Priapus.

Pipinnam.] Turnebus lib. 8. cap. 4. legit *bipennam.* Janus Parrhasius in var. Annot. & Cælius Rhod. lib. 4. cap. 6. legunt *vepenem*, exponuntque: Nata vastum subactoris sui virile, diminutivo nomine appellat vepenem, id est, parvulum penem, cui tamen si conferas Priapum ipsum (epig. 36. lib. 1. vers. 8.) videatur præ hoc Gallus evitratus. *Pipinnam* legit Janus Rutgersius, ut Labeo apud veterem Scholiasten Persii, *Crudum manduces Priamum, Priamique pisinnos*, id est pueros, filios. Vide Gasp. Barthii advers. lib. 1. cap. 6.

In Lygdum mollem. LXXIV.

VENTURUM juras semper mihi, Lygde, roganti,
Constituisque horam, constituisque locum.
Cum frustra jacui longa prurigine tentus,
Succurrit pro te sæpe sinistra mihi.
Quid, precor, ô fallax, meritis, & moribus istis,
Umbellam luscæ, Lygde, feras dominæ.

Sinistra.] Epig. 42. lib. 9. & epig. 59. supra. *Umbellam.*] De qua lib. 14. epig. 28. *Luscæ dominæ.*] Inservias deformi dominæ, quoniam non vis amari a domino. Aliter explicat Domitius.

De Bacchara inepto. LXXV.

CURANDUM penem commisit Bacchara Græcus
Rivali medico: Bacchara Gallus erit.

Curandum medico.] Qui ejusdem puellæ vel pueri amore captus erat. *Gallus.*] Jocus est in Gallo, qui significat castratum Cybeles sacerdotem, & Græco,

In Cæliam affectantem pudicitiam. LXXVI.

THECA tectus aënea lavatur
Tecum, Cælia, servus. ut quid, oro;
Non sit cum citharœdus, aut choraules?
Non vis, ut puto, mentulam videre.
Quare cum populo lavaris ergo?
Omnes an tibi nos sumus spadones?
Ergo ne videaris invidere,
Servo, Cælia, fibulam remitte.

Theca tectus.] Fibula ære circumligata. Vide epig. 34. & 81. lib. 7.
Omnes an tibi.] Sic epig. 34. lib. 7. *An sola est*, &c.
Ne videaris invidere.] Ne videaris ejus conspectum nobis invidere, tibi reservare, refibula servum tuum.

Ad Victorem sponsum. LXXIX.

UTERE fœmineis complexibus, utere Victor,
Ignotumque sibi mentula discat opus.
Flammea texuntur sponsæ, jam virgo parata est:
Tondebit pueros jam nova nupta tuos.
Pædicare semel cupido dabit illa marito,
Dum metuit teli vulnera prima novi.
Sæpius hoc fieri nutrix, materque vetabunt,
Et dicent, uxor, non puer, ista tibi est.
Heu quantos æstus, quantos patiere labores,
Si fuerit cunnus res peregrina tibi!
Ergo Suburanæ tironem trade magistræ.
Illa virum faciet: non bene virgo docet.

Flammea texuntur, &c.] Flammeum erat velamentum luteum seu rubeum quo nova nupta tegebatur pudoris gratia, vel in subjectionis symbolum. *Parata est.*] Gruterus e MSS. *paratur.*
Tondebit pueros, &c.] Tondebit catamitos tuos tanquam emeritos & exoletos, postquam uxorem duxeris, epig. 18. lib. 12.
Ergo Suburanæ, &c.] Trade te instituendum meretrici cuipiam Suburanæ, quæ melius docebit te officium viri, quam nova nupta & rudis.

De spadone, & sene. LXXXII.

CUM sene communem vexat spado Dindymus Æglen,
Et jacet in medio sicca puella toro:
Viribus hic operi non est, hic utilis annis.
Ergo sine effectu prurit uterque prior.
Supplex illa rogat pro se, miserisque duobus,
Hunc juvenem facias. hunc, Cytherea, virum.

Sicca puella.] Unde illud apud Ovidium:

Dedecus hoc sumpta dissimulavit aqua.

Hic operi non est.] Eunuchus, epig. 39. lib. 6. Juven. sat. 6. vers. 367.

Hic utilis.] Alii, *hic inutilis.*

Cytherea.] Venus, thalami præses.

In Zoilum impurum. LXXXVI.

SIDERE percussa est subito tibi, Zoile, lingua,
Dum lingis cunnum, Zoile, nunc futues.

Sidere percussa.] Epig. 91. lib. 7. & supra epig. 26. & 31.

Ad Charidemum jam mœchum. LXXXVIII.

DIVES eras quondam: sed tunc pædico fuisti,
Et tibi nulla diu fœmina nota fuit.
Nunc sectaris anus. ô quantum cogit egestas!
Illa fututorem te, Charideme, facit.

Sectaris anus.] Ut inde rem facias. Vide Juven. sat. 1. vers. 38.

De Charisiano cinædo. LXXXIX.

MULTIS jam, Lupe, posse se diebus
Pædicare negat Charisianus.
Causam cum modo quærerent sodales,
Ventrem dixit habere se solutum.

Ventrem dixit.] Qua imprudenti excusatione usus fatebatur se pati solitum, non agere.

In verpum æmulum. XCV.

QUOD nimium lives, nostris & ubique libellis
Detrahis, ignosco: verpe poëta, sapis.
Hoc quoque non curo, quod tu mea carmina carpas,
Corripias, & sic, verpe poëta, sapis.
Illud me cruciat Solymis quod natus in ipsis,
Pædicas puerum, verpe poëta, meum.
Ecce negas, jurasque mihi per templa tonantis.
Non credo: jura, verpe, per Anchialum.

Verpe poëta.] Judæum intellige, nempe circumcisum.

Per Anchialum.] Sensus est, Non tibi credam, nisi juraveris per Deum viventem quem colis, &c. Hic locus mirum in modum vexatus est à viris doctis Seldeno, Vossio, Petito, & aliis, quos vide si lubet.

Ai

Ad Flaccum, de basiis impuris. XCVI.

INCIDERIS quoties in basia fellatorum,
In solio puto te mergere, Flacce, caput.

Solio.] Epig. 42. lib. 2. Alii *in folium.*

In Thelesillam deformem. XCVIII.

UNA nocte quater possum: sed quatuor annis,
Si possim, ne eam: te, Thelesilla, semel.

Quatuor annis.] Oppositis dictionibus acumen est semel, & quater; quatuor annis, & una nocte. Domitius.

In Lesbiam ficosam. C.

DE cathedra quoties surgis, jam sæpe notavi,
Pædicant miseram, Lesbia, te tunicæ.
Quas cum conata es dextra, conata sinistra
Vellere, cum lacrymis eximis, & gemitu.
Si constringantur gemina symplegade culi,
Et Minyas intrant, Cyaneasque nates.
Emendare cupis vitium deforme? docebo,
Lesbia, nec surgas censeo, nec sedeas.

Pædicant.] Adhærent tuis natibus.
Si constringantur.] Alii *sic constringuntur.*
Gemina symplegade.] Symplegades scopuli sunt, de quibus epig. 18. lib. 7. Dicuntur Cyaneæ, & Minyæ ob cursum quem illac Minyæ, id est Argonautæ, tenuerunt. Domitius. Valerius Flaccus lib 5. Argon.
Æquore, Cyaneas Minyæ timuere relictas.
Nec sedeas.] Sed jaceas natibus supinis.

Ad Flaccum, qualem amicam velit. CI.

HABERE amicam nolo, Flacce, subtilem,
Cujus lacertos anuli mei cingant,
Quæ clune nudo radat, & genu pungat.
Cui serra lumbis, cuspis eminet culo.
Sed idem amicam nolo mille librarum.
Carnarius sum, pinguiarius non sum.

Subtilem.] Gracilem, exilem, junceam.
Quæ clune.] Quæ depygis, macilenta, & quasi nudis ossibus.
Cui serra lumbis.] Cujus dorsi spina serram præ se ferat. *Cuspis eminet culo.*] Uropygium epig. 93. lib. 3.
Carnarius sum, pinguiarius non sum.] Puellam volo corporis solidi & carnosam, non pinguedine tumidam gravemque.

In uxorem nimis pudicam. CV.

UXOR vade foras, aut moribus utere nostris:
  Non sum ego nec Curius, nec Numa, nec Tatius.
Me jucunda juvant tractæ per pocula noctes:
  Tu properas pota surgere tristis aqua.
Tu tenebris gaudes: me ludere teste lucerna,
  Et juvat admissa rumpere luce latus.
Fascia te, tunicæque tegunt, obscuraque palla:
  At mihi nuda satis nulla puella patet.
Basia me capiunt blandas imitata columbas:
  Tu mihi das, aviæ qualia mane soles.
Nec motu dignaris opus, nec voce juvare,
  Nec digitis: tanquam thura, merumque pares.
Masturbabantur Phrygii post ostia servi,
  Hectoreo quoties sederat uxor equo.
Et quamvis Ithaco stertente, pudica solebat
  Illic Penelope semper habere manum.
Pædicare negas: dabat Cornelia Gracco,
  Julia Pompeio, Portia, Brute, tibi.
Dulcia Dardanio nondum miscente ministro
  Pocula, Juno fuit pro Ganymede Jovi.
Si te delectat gravitas, Lucretia toto
  Sis licet usque die: Thaida nocte volo.

Aut moribus, &c.] Quasi divortii causa sit inæqualitas motum, vel in uxore magis probatorum quam in vito.

Non ego, &c.] Non sum continens, castus, pudicus, quales Curius, Numa & Tatius. Alii,

Non ego sum Curius, non Numa, non Tatius.

Rumpere latus.] Eν τῷ τῆς πολυχρύσου Ἀφροδίτης ἔργῳ.

Obscuraque.] Alii,

——— *obscuraque pallia celant.*

Patet.] Alii *jacet.* Sed *patet* antitheton celandi probatur magis. Quasi dicat, nunquam tam nuda est, quin magis nudam esse optem.

Imitata columbas.] Lasciva, qualia sibi ingeminant columbæ & passerculi salaces.

Aviæ qualia mane soles.] Casta, qualia sibi invicem libant οἱ συγγενεῖς ἀσπάζοντες ἢ φιλοῦντες.

Nec motu, &c.] Supra epig. 61.

Tanquam thura, &c.] Tanquam pura, & rem divinam thure meroque factura.

——— *sic surgit mane puella,*
Protinus ut sanctos possit adire deos.

Ovid.

Hectoreo, &c.] Quoties Andromache & ipsa pudica per lascivum ludum Hectori insedit *Hisp. cavalgava a Hect.* vel allusum ad versum Ovid. 3. de Arte:

Thebais Hectoreo nupta resedit equo.

Et quamvis, &c.] Et Ulysse dormiente, illa castæ famæ Penelope erat λεσβιάζουσα.

Dabat, &c.] Verecundissimæ matronæ Romanæ non negabant illud maritis suis viris gravissimis, epig. 69. lib. 9.

Dardanio ministro.] Ganymede.

Juno Lucretia, &c.] Et ipsa castissima conjugii præses: tamen gravis & casta, ut Lucretia.

Thaida nocte volo.] Alii *Laida.* Facilem, & lascivam ut Laida.

EX

EX LIBRO XII.

In Labienum pædiconem. XVI.

ADDIXTI, Labiene, tres agellos:
Emisti, Labiene, tres cinædos.
Pædicas, Labiene, treis agellos.

Addixti.] Eodem fere sensu, epig. 31. lib. 10. invehitur in eum qui servum vendiderat, ut laute cœnaret.

In Seniam fellatricem. XXVII.

A Latronibus esse te fututam
Dicis, Senia: sed negant latrones.

Te fututam.] Negant te impulsam ab iis. *Vel* negant hoc, aiuntque te inhonestius quippiam passam esse, ut Callist. epig. 35. infra.

De Labieno pædicone. XXXIII.

UT pueros emeret Labienus, vendidit hortos:
Nil nisi ficetum nunc Labienus habet.

Nil nisi ficetum. &c.] Vide epig. 16. supra. Jocus est in ambiguitate τῷ *ficus*: cum dicat, Labieno ex hortis superesse ficis consitum agrum. Intelligit pueros ex nequitia ficosos, ut epig. 52. lib. 4. & epig. 70. lib. 7. & epig. 66. lib. 1.

Ad Callistratum fellatorem. XXXV.

TANQUAM simpliciter mecum, Callistrate, vivas:
Dicere præcisum te mihi sæpe soles.
Non es tam simplex quam vis, Callistrate, credi.
Nam quisquis narrat talia, plura tacet.

Tanquam.] Vis videri ingenue mecum communicare secreta tua, proinde fateri etiam vitia; sed hoc non facis ingenue: namque minus de te fateris, ut majus taceas.

Præcisum.] Palat. legit *percisum.* Vide epig. 72. lib. 2.

Narrat, tacet.] In vocibus *narrat* & *tacet*, latet majus illud quod Callistratus non fatetur vitium. Vide epig. 83. & epig. 95. lib. 3.

De Callistrato & Afro mollibus. XLII.

BARBATUS rigido nupsit Callistratus Afro,
Hac qua lege viro nubere virgo solet.

Præluxere faces, velarunt flammea vultus:
Nec tua defuerunt verba, Thalasse, tibi.
Dos etiam dicta est. nondum tibi Roma videtur
Hoc satis? exspectas numquid & ut pariat?

Barbatus.] Huic epigrammati ingenium & lux a sat 2. Juvenal. vers 134. Vide & Tacitum 15. Annal quo modo Nero Pythagoræ nupsit. *Rigido Afro.*] Mutoniato.

Faces.] Nuptiales, quæ quinque pro numero partus naturali: vel in honorem quinque deorum; Jovis adulti, Junonis adultæ, Veneris, Suadelæ, Lucinæ præferebantur a pueris patrimis & matrimis apud Romanos: a sponsæ matre apud Græcos. Vide quæ Farnabius ad Senecæ Thebaida vers. 263. & 507. *Flammea.*] Flammeum erat velamentum luteum seu rubeum, quo nova nupta tegebatur pudoris gratia: vel in subjectionis symbolum, epig. 79. lib. 11.

Thalasse, tibi.] Nuptiarum Deus, epig. 36. lib. 1.

In Sabellum de versibus libidinosis. XLIII.

FACUNDOS mihi de libidinosis
Legisti nimium, Sabelle, versus:
Quales nec Didymi sciunt puellæ,
Nec molles Elephantidos libelli.
Sunt illic Veneris novæ figuræ;
Quales perditus audiat fututor.
Præstent, & taceant quid exoleti,
Quo symplegmate quinque copulentur,
Qua plures teneantur a catena.
Exstinctam liceat quid ad lucernam.
Tanti non erat esse te disertum.

Didymi sciunt puellæ.] Spintriæ nescio cujus, monstrosi. Pro *Dindymi* legi *Dydimi* vult Jos. Scaliger ad Catullum.

Elephantidos libelli.] Poëtriæ, quæ libris suis expressit ποικίλα τῆς Ἀφροδίτης καὶ ἀκολασίας σχήματα, cujusmodi figuris & schematis cubicula sua instruxit Tiberius Cæsar. Taceo Aretini nefarias tabellas. Vide si placet quæ Casaubonus ad cap. 43. Sueton. Tiberii, ex Propertio, Clemente Alexandr. &c.

Nova.] Scriverius legit *novem*

Taceant quid exoleti.] An tacent pudore inhibiti ipsi exoleti? Emphatice. An tacent, uti epig. 96. lib. 3.

Symplegmate, Qua plures, &c.] Sellarias istas ac series turpiter connexorum, nimis aperte refert Suet. cap. 43. Tiberii: Ἀφροδίτην πόρνην ἐπὶ τῇ συμπλοκῇ διδημένην execratur Clemens Alexandrinus. Προτρεπτικῷ ad Græcos. Scriverii editio, *Symplegade.* Haud scio, quo auctore.

Tanti non erat. &c.] Non erant hæc digna tanto ingenio.

Ad puellas de basiationibus. LV.

GRATIS qui dare vos jubet, puellæ,
Insulsissimus improbissimusque est:
Gratis ne date, basiate gratis.
Hoc Ægle negat, hoc avara vendit.
Sed vendat bene, basiare quantum est!
Hoc vendit quoque nec levi rapina:
Aut libram petit illa Cosmiani,

Aut

Aut binos quater a nova moneta:
Ne sint basia multa, nec maligna,
Nec cluiis aditum neget labellis.
Humane facit hoc tamen, sed unum est:
Gratis quæ dare basium recusat,
Gratis lingere nec recusat Ægle.

Dare vos, &c.] Vestri copiam tacete.

Hoc Ægle, &c.] Etiam basiare.

Sed vendat bene.] Quid hic versus sibi velit, nescire ait Gruterus. At scivit Martialis, qui posuit. Ægle negat se basiare gratis: vendit hoc quoque. Mirum; nam utcunque vendat hoc bene vel parvo pretio, an cuiquam est basiare tanti, ut id vel bene emere velit? At illa tantillum quidem bene vendit, &c. Gronov. *Sed vendat bene.*] Phaleucium istum cum sequenti non est videre in Palat. & nescio sane quid sibi velit: quartus servat:

Sed vendat quoque nec levi rapina, omissis intermediis.

Libram petit, &c.] Unguenti a Cosmo confecti. epig. 88. lib. 1. libram petit Ægle, quo oris impuri fœtorem emendet.

Binos quater, &c.] Octo Flavios monetæ novæ & asperæ.

Multa.] Alii *muta*. Alii legunt, *Nec clusis*.

Humane facit, &c.] An quia osse & ebore dentata? epig. 73. lib. 1. An quia ore impura, utpote μύζουσα? epig. 95. lib. 1. & epig. 15. lib. 2.

De Phyllide impura, & vinosa. LXVI.

FORMOSA Phyllis nocte cum mihi tota
Se præstitisset omnibus modis largam,
Et cogitarem mane quod darem minus,
Utrumne Cosmi, Nicerotis an libram,
An Bæticarum pondus ære lanarum,
An de moneta Cæsaris decem flavos:
Amplexa collum, basioque tam longo
Blandita, quam sunt nuptiæ columbarum,
Rogare cœpit Phyllis amphoram vini.

Omnibus, &c.] Nil negantem, epig. 12. lib. 4.

Cosmi, &c.] Libram unguenti a Cosmo seu Nicerote myropolis confecti.

Bæticarum pondus.] Epig. 133. lib. 14. *Octo lanarum.*] Sic Scriverius. Alii *acre* Alii *are*. *Pondus octo lanarum.*] Si toleramus lanam, accipiendum est pro certi ponderis glomere lanæ: ut cum Seneca dicit *multa millia frumenti*, ubi intelligimus, modiorum. Sed Pircheimeri codex, ut Anglic. & Palat. Gruteri *acre*: alluduntque eodem, in quibus est *are*. Et videtur eleganter dici posse pro exacto, cui nihil desit, ut & *acerbum* accipere solent. Itaque huc inclino. Sequenti versu *Flavos* dici pro Flaviis contra morem Romanum est. *Flavi* sine dubio dicuntur aurei ob colorem. Gronovius.

Flavos, &c.] Flavios ex moneta Domitiani. Scriverius legit *flavos*.

Basioque tam longo] Sic epig. 105. lib. 11. *Basia blandas imitata columbas*.

Rogare cæpit, &c.] Vinosa mulier.

Digna est concubitus quoslibet illa pati, inquit Ovidius.

Ad Lygdum impurum. LXXII.

NIL non, Lygde, mihi negas roganti:
At quondam mihi, Lygde, nil negabas.

Negas roganti.] Epig. 74. lib. 11. *Nil negabas.*] Epig. 12. lib. 4.

De pueris mollibus. LXXVI.

FESTINAT Polytimus ad puellas:
Invitus puerum fatetur Hymnus,
Pastas glande nates habet Secundus.
Mollis Dindymus est, sed esse non vult.
Amphion potuit puella nasci.
Horum delicias, superbiamque,
Et fastus querulos amice malo,
Quam dotis mihi quinquies ducena.

Festinat, &c.] Polytimus grandior est & exoletus.

Invitus puerum, &c.] Recusat, negans sibi esse voluptati.

Pastas glande, &c.] Βαλανοβόρος. quod dixit Diogenes de cinædo quodam. Hic autem *glans* seu βάλανος est τὸ τοῦ καυλοῦ ἄκρον. Ubi non pinguitudo pueri significatur; sed pathici effœminatique impudicitia. Acumen enim sensus est in dictione *glande*, qua significatur pars obscœna genitalium virorum. Salse ergo dicit, eum habere nates glande pastas: tanquam subactione illa præpostera concubini, veluti cibo nates pascerentur. Beroaldus.

Mollis Dindymus, &c.] Lascivus est & nequam: sed dissimulat & rogari vult.

Potuit puella nasci.] Formæ est adeo ambiguæ, & ipse facilis.

Quam dotis, &c.] Quam uxorem cum maximæ dotis modo, decies scilicet centenis millibus sestertiûm.

Ad Atticillam importunam. LXXXI.

DONAVI tibi multa quæ rogasti:
Donavi tibi plura quam rogasti:
Non cessas tamen usque me rogare.
Quisquis nil negat, Atticilla, fellat.

Quisquis nil.] Lepide jocatur in Atticillam semper aliquid petentem; adeo turpe est, inquit, nihil negare, ut idem etiam fellare significet. Vide epig. 12. lib. 4.

In Fabullum cunnilingum. LXXXVII.

PÆDICONIBUS os olere dicis.
Hoc si sic ut ais, Fabulle, verum est,
Quid tu credis olere cunnilingis?

Quid tu.] Notat Fabullum turpi vitio. Vide epig. 31. lib. 11.

In non arrigentem. LXXXVIII.

TRIGINTA tibi sunt pueri, totidemque puellæ:
Una est, nec surgit mentula. quid facies?

Quid facies.] Quasi dicat, linges. Epig. 26. lib. 11.

In Magullam de marito venefico. XCIII.

COMMUNIS tibi cum viro, Magulla,
Cum sit lectulus, & sit exoletus,
Quare, dic mihi, non sit & minister?
Suspiras: ratio est, times lagenam.

Quare.] Cur non & communi uteris pocillatore.

Times lagenam.] Times nempe venenatum poculum. Vide epig. 43. lib. 4. & epig. 69. lib. 4.

Ad Rufum de libellis libidinosis. XCVII.

MUSÆI pathicissimos libellos,
Qui certant Sybariticis libellis,
Et tinctas sale pruriente chartas
Instanti lege, Rufe: sed puella
Sit tecum tua, ne Thalassionem
Indicas manibus libidinosis,
Et fias sine fœmina maritus.

Pathicissimos libellos.] Mollissimos & nefandi argumenti, cujusmodi fuere Elephantidos, epig. 43. supra vers. 4.

Sybariticis Libellis.] Libris abominandæ nequitiæ, quos scripsit Hemitheon Sybarita, ut testatur Lucianus, ὡς ὁ παιδόπτης. Horum meminit & Ovidius lib. 2. Trist. epist. ad Augustum:

Nec qui composuit nuper Sybaritica fugit.

Instanti lege Rufe.] Ad hunc eundem epig. 67. lib 7. & lib. 8 epig. 51.

Thalassionem.] Conjugale illud. De Thalassione vide epig. 36. lib. 1.

Indicas manibus libidinosis.] Alii *Inducas.* Recte.

Et fias, &c.] Ut epig. 42. lib. 9.

In Zelotypam. XCVIII.

CUM tibi nota tui sit vita, fidesque mariti,
Nec premat ulla tuos, soliciteque toros:
Quid quasi pellicibus torqueris inepta ministris,
In quibus & brevis est, & fugitiva Venus?
Plus tibi quam domino pueros præstare probabo:
Hi faciunt, ut sis femina sola viro.
Hi dant, quod non vis uxor dare. do tamen, inquis,
Ne vagus a thalamis conjugis erret amor.
Non eadem res est: Chiam volo, nolo mariscam.
Ne dubites quæ sit Chia, marisca tua est.
Scire suos fines matrona, & fœmina debet.
Cede sua pueris: utere parte tua.

Ministris.] Pueris.

Sola viro.] Ut non utatur alia fœmina quam te.

Do tamen, inquis.] Vide epig. 44. lib. 11.

Non eadem est.] Dicto epig. 44. lib. 11. De Chia & marisca dictum epig. 24. lib. 7. Hic autem *Chiam* quæ novit pungere, de pueris dicit: *mariscam* vero fatuam de fœminis.

Utere parte tua.] Qua fœmina es.

In

In Bassum pædiconem. XCIX.

UXor cum tibi sit puella, qualem
Votis vix petat improbus maritus,
Dives, nobilis, erudita, casta:
Rumpis, Basse, latus, sed in comatis,
Uxoris tibi dote quos parasti.
Et sic ad dominam reversa languet
Multis mentula millibus redempta:
Sed nec vocibus excitata blandis,
Molli pollice nec rogata surgit.
Sit tandem pudor, aut eamus in jus.
Non est hæc tua, Basse: vendidisti.

Improbus.] Alii *improbis.* Hoc est maritus qui suis votis non ponat modum.
Rumpis latus.] Venereo scilicet opere.
Comatis.] Pueris, epig. 57. lib. 2. & epig. 58. lib. 3.
Vendidisti.] Uxori nomine dotis.

EX LIBRO XIV.

Puella Gaditana. CCIII.

TAM tremulum crissat, tam blandum prurit, ut ipsum
Masturbatorem fecerit Hippolytum.

Epig. 42. lib. 1. Vide & Juven. sat. 11. vers. 162. & sat. 6. vers. 326.
Masturbatorem, &c.] Ut incenderet vel castissimi propositi virum, incitaretque ad libidinem nefandam, epig. 42. lib. 9. & epig. 97. lib. 12. Alii leg. *mastupratorem.*

Puer cinædus. CCV.

SIT nobis ætate puer, non pumice levis:
Propter quem placeat nulla puella mihi.

Non pumice.] Impubes non pumice aut dropace levigatus. epig. 29. lib. 2.

Fibula. CCXV.

DIc mihi simpliciter, comœdis & citharœdis
Fibula quid præstat? carius ut futuant.

Comœdis.] Epig. 81. lib. 7.
Fibula quid præstat.] Juven. sat. 6. vers. 73. *Solvitur his magno comœdi fibula.*

FINIS EPIGRAMMATUM OBSCOENORUM.

INDEX

INDEX VOCABULORUM omnium, quæ in M. VALERII MARTIALIS libris leguntur.

NUMERUS PRIOR HOC caractere j. ij. v. x. *librum: poſterior iſto* 1. 2. 3. 4. &c. *libri Epigramma denotat.* NUMERO *etiam, cum ſigno* † *præpoſito, libri Spectaculorum Epigramma deſignatur.*

A a

A, j. 27. 32. 35. 44. 49. 52. 71. 77. 88. ij. 16. 75. iij. 14. 46. 69. 72. 95. iiij. 30. 46. 49. 63. 73. 85. 89. v. 3. 36. 61. 71. 85. vj. 8. 13. 31. 42. 70. vij. 29. 50. 55. 85. viij. 16. 17. 32. 55. 59. 75. ix. 5. 29. 41. x. 3. 6. 7. 29. xj. 4. 22. 36. 40. xij. 17. 26. 29.

Ab

Ab † 3. 4. 8. 18. 21. 24. j. 4. 13. 49. 67. 72. iij. 1. 58. iv. 3. 16. 57. vj. 47. 93. vij. 7. 11. 36. 79. iix. 31. 45. 51. 55. ix. 9. 13. 18. 52. x. 20. 36. 37. 48. 101. xj. 6. xii. 3. 11. 63. xiij. 48. 112. xiv. 112. 120. 173.

Abderitanæ plebis pectora, x. 25.

abdices, v. 57.

abducere, vj. 92. iix. 21.

abductas, iix. 56.

abeat, v. 85. xij. 17.

abeſſe, vj. 19. vij. 6. iix. 5.

abeſt, vij. 5. 24.

abies, xiv. 84.

abigas, x. 33.

abigatque, x. 5.

abigei, xj. 59.

abigit, j. 35.

abire, j. 22. v. 21. iix. 32. 56. xj. 17. 44. xii. 71. xiv. 163.

abires, iv. 61.

abiret, iij. 24.

abiſti, j. 100.

abit, † 16. j. 63. iix. 59. x. 75. xj. 8. xij. 103.

abite, xj. 7.

ablatis lacernis, xij. 26.

ablutis, ij. 70.

abnegat, ij. 32.

abnuit, † 26.

abolla, iix. 48. Cerea, iv. 53.

abollam Tyriam, iix. 48.

abortivo ovo, vj. 93.

abrumpere, xii. 26.

abrupta reſte, v. 63.

abſcidit, iij. 66.

abſcindere, iij. 85.

abſciſſa, iij. 81.

abſciſſa lingua, ij. 82.

abſcondunt, j. 35.

abſens, iix. 78. Sacerdos, x. 92.

abſentem, xj. 61. rogum, ix. 78.

abſentes comæ, ix. 38.

abſentis, vj. 85. vij. 50.

amicitiæ, ix. 102.

abſim, iij. 4.

abſit, x. 87.

abſolvi, iv. 16.

abſolvis, xi. 21.

abſolvit, xij. 52.

abſoluta, j. 83. xij. 64.

abſtinet, ix. 87. xj. 40.

abſtulerat, † 2. vij. 60.

abſtulit, iij. 52. vj. 88. ix. 104. x. 51. xj. 70. 92. 94. xiv. 18.

abutere, vij. 92.

Ac

Ac, iv. 90. ix. 23. xij. 50.

acapna ligna, xiij. 15.

accedas, vij. 25.

accedent, x. 48.

accedit, xij. 26.

accedunt, xj. 72.

accendit, xiv. 26.

accepit, † 5. j. 106. v. 38. xij. 18. xiv. 175. 189.

accepta aqua, xiij. 47.

acceſſi, vij. 17.

acceſſit, vij. 52. x. 103.

accidat, vj. 82.

accidiſſet, ij. 65.

accidit, vij. 13.

accipe, j. 89. ii. 27. vj. 25. 80. 85. vij. 1. iix. 9. 56. ix. 69. x. 16. xj. 30. xij. 75. xiii. 9. 11. 45. 102.

102. xiv. 1. 27. 28. 87. 89. 96. 102. 159. 185. 219.
accipere, ij. 56. ix. 70. x. 75.
acciperes, xiij. 45.
accipiam, xij. 40.
accipiat, ix. 96.
accipienda, ix. 50.
accipieni, xij. 52.
accipies, v. 1. xj. 58.
accipis, ix. 70. x. 69. 88.
accipit, iix. 75. ix. 5. x. 36.
accipiter, xiv. 216.
Accius, xj. 91.
accola, v. 3. proximus, v. 23
accubamus, iii. 82.
accubare, v. 71.
accubat, x. 27.
accubuisse, xiv. 135.
accubuit, iix. 50.
accumbat, x. 84.
accumbimus, ij. 37.
accusas, iii. 13.
acer vertagus, xiv. 200.
acerba, xij. 34.
acerbum, ij. 26.
acerbus, xij. 47.
acerna mensa, xiv. 90.
acerra, j. 29. plena, iv. 45.
acerram, j. 29. septimam, x. 24.
acervos, vii. 53.
acervum ingentem, vii. 26.
aceti, vii. 24. xiii. 122. rubentes, xi. 57. Niliaci, xiii. 122.
aceto, x. 45.
acetum, xij. 48. xiii. 122.
Achillam, vii. 56.
Achillas, iij. 91.
Achilleas comas, xij. 84.
Achilleos pedes, ij. 14.
Achilles, v. 49.
acida creta, vj. 93.
Acidalia arundine, ix. 14.
Acidalio nodo, vi. 13.
acipensem, xiij. 91.
acipensis, xiij. 91.
Acoride, iij. 93.
acos tenues, x. 37.
acre ulcus, xj. 99.
acri equo, xii. 14.
acribus curis, iij. 20.
acrior chius, v. 62.
acris equi, vi. 38.
acrius, iix. 81.
acrius cor, vj. 64.
acta, † 6. iij. 20. vj. 70. xi. 62.
actas quindecies Olympiadas, x. 23.
Actiaci freti, iv. 11.
actis tantis, ix. 104.
actitare, j. 18.
aculeolos, iix. 71.
acus, xiv. 150. aures, xiv. 24.
acuta testa, v. 18.
acuta arundine, x. 15. testudine, xiij. 86. cuspide, xiv. 92.
acuto capite, vj. 39.
acu, iix. 28. ix. 14. incerta ii. 66. Semiramia, iix. 28. lasciva, xj. 46.

Ad

Ad, † 16. j. 37. 49. 52. 102. 118. ij. 6. 14. 57. 69. 74. iij. 20. 24. 44. 50. iv. 5. 8. 25. 30. 50. 60. v. 5. 9. 68. vj. 37. 45. 58. vij. 5. 9. 19. 26. 66. iix. 3. 4. 15. 22. 38. ix. 14. 24. 30. 32. 41. 93. x. 13. 18. 19. 20. xi. 4. 8. 11. 24. 34. xij. 3. 17. 26. 29. 30. xiij. 3. 15. 91. xiv. 112. 130. 137. 162. 172. 199.
adamanta, vij. 99.
adamantas, v. 11.
addas, iix. 2. ix. 46.
addat, x. 98.
adde, iij. 35. x. 48. xiij. 5. xiv. 170.
addere, iix. 3. ix. 95. x. 26. xiv. 115.
addetur, x. 48.
addictus cliens, ix. 3.
addideris, ix. 5. xi. 27. xiv. 217.
addidit, ix. 18. 104.
addimus, x. 24.
addisti, x. 31.
addita, 1. 102. ix. 4. xiij. 3.
addite, x. 24.
addixti, xij. 16.
adeas, iij. 5
adeo, iv. 11. vij. 17. iix. 10. xi. 35.
adeone, j. 11. 90.
adeoque, vij. 6.
ades, † 24.
adesse, iv. 54. x. 30.
adest, j. 7. 34. iix. 30. x. 37. xiij. 101.
adeunda, vij. 92. ix. 46.
atria, j. 71.
adeunte, j. 91.
adhaeret, v. 62.
adhibere, vi. 57.
adhibes, vij. 99.
adhibetur, x. 27.
adhuc, † 15. 23. j. 55. ij. 10. iij. 22. 50. iv. 10. 22. 91. v. 23. 38. 71. vj. 32. 38 vij. 43. 62. 79. iix. 3. 28. 64. 67. ix. 49. xj. 109. xiij. 68. 102. xiv. 13.
adicit, iv. 54. x. 82.
adire, j. 79. v. 26.
adisses, ix. 67.
aditus, iix. 65.
adjuvante aura, x. 30.
adjuvat, xi. 61.
adlatras, ij. 61.
admitor, iij. 69. v. 64. vij. 84.
admisisset, v. 70.
admisit, xij. 66.
admissa luce, xi. 105.
admissus, xij. 57.
admittam, xiv. 37.
admittas, v. 6.
admittat, iij. 93.
admitte, iv. 8.
admittere, j. 26. iij. 17.
admittit, vij. 67.
admittunt, iix. 14.
admoneas, x. 104.
admoventur, iv. 64.
adoptes, iv. 31.
adoptivis ramis, xiij. 46.
adorant, iv. 49.
adorantes, xij. 29.
adorat, † 17.
Adriaticus culex, iij. 93.
adscripta, xiv. 2.
adsit, xij. 25.
adspeximus, ix. 26.
adspice, v. 32. ix. 88. xiij. 58. xiv. 109.
adspicimus, ix. 26.
adspicis, iij. 35. iix. 30. 59. ix. 24. xiv. 115.
adstabat, iix. 56.
adstricta fronte, xj. 40.
advecto aequore, xiij. 79.
advena, xij. 3.
adventum, iv. 15.
adversis frontibus, iv. 35.
advertere, vj. 64
adulter, j. 35. x. 95.
adultera, vi. 7. ix. 3.
adulterium, j. 91.
advocato, x. 87.
advolans, v. 25.

Ae

Ae

Æaci severi, x. 5.
Æacidæ, xj. 44.
Æacides, iix. 6.
æde prima, vij. 50.
ædemque, iix. 44.
ædes, vij. 96. xi. 35. xij. 32.
ædibus mediis, ix. 62.
ædificat, ix. 47.
ædificem, ix. 23.
ædificet, ix. 47.
ædifico, ix. 47.
Ædile, j. 47. iv. 52.
ædilem, v. 85. xiv. 1.
ædilis, xi. 103.
Ægæi maris, vj. 34.
Æger, iv. 81. vj. 47. xij. 92. Tityrus, viij. 56.
ægida, xiv. 179.
Ægis, vij. 1. ix. 21.
Ægle, j. 95. xij. 55. dentata, j. 73.
Æglen communem, xj. 82.
ægram amicam, xj. 8.
ægro, j. 102 ix. 98.
ægrotas, xij. 56.
ægrotat, ij. 16.
ægrum, v. 25. dentem, x. 56.
Ælia, j. 20.
Æliano, xj. 41
Ælius, v. 25.
Æmilia, vj. 85.
Æmiliæ viæ, iij. 4.
Æmiliæ gentes, x. 12.
Æmiliane. j. 51. v. 82.
Æmilius, xij. 19.
æmula, carmina, xij. 96. dona, iix. 28. labra, iv. 42. littora, iv. 25. vina Tuscis cadis, xiij. 118.
æmulatur, iij. 20.
Aënea theca, xj. 76.
Aëneæ, v. 1.
Aëni equitis, xj. 22.
ænigmate, j. 91.
Aëno, xiv. 133. Agenoreo, x. 16.
Æoli, x. 30.
Æoliamque. ij. 14.
Æolio Noto, v. 52. vellere, viij. 51.
Æolium decus, viij. 28.
æqua Venus, iv. 13.
æquales libros, vij. 89.
æqualis, vij. 89.
æquandas, viij. 52.
æquare, viij. 60.
æquarum legum sanctissime cultor, x. 37.
æqui, xj. 6. 50.
æquitate, v. 29.
æquor, x. 30.
æquora, † 24. viij. 43. fraterna, † 16.
æquore advecto, xiij. 79. toto, † 26.
æquorea concha, xiv. 209. Ravenna, xiij. 21.
æquorei Anxuris, x. 58.
æquoreis aquis, x. 51. undis, xiij. 84.
æquoreo pulvere, † 28. Sale. xiij. 89. tridente, v. 25.
æquorum, x. 87.
æquum, j. 115. x. 76.
æra, j. 27. 77. vij. 15. ix. 60. 70. xj. 17. 28. xij. 57. lugentia, xiiij. 204. sordida, ix. 9.
ærariorum, xij. 57.
ære, vj. 27. xij. 66. arguto, xj. 22. exiguo, ix. 44. quaterno, xij. 77. vario, v. 16.
æripedem cervum, ix. 104.
ærugine nimia, ij. 61. viridi tinctos versus, x. 33.
aëra tacitum, viij. 32.
aëre vacuo, † 1. 11.
aërias cypressos, xij. 50.
æs, j. 77. iiij. 72. thermarum, xiiij. 163.
Æschyle, ix. 5. 69.
Æsonides, ij. 14.
æstas trigesima, x. 103.
æstate, x. 62. 96.
æstatem, x. 30.
